C - 22

Digitized by the Internet Archive
in 2014

https://archive.org/details/corpusinstitutor02aqua

CORPVS INSTITVTORVM SOCIETATIS IESV

VOLVMEN SECVNDVM.

Iuxta exemplar excuſum.



Ex libris Maria A. Egger CRV.
COLLEGIUM ANGLIENSE SOCIETATIS IESU
IHS

ANTVERPIÆ,
APVD IOHANNEM MEVRSIVM,
ANNO MDCCII.

Series ſecundi voluminis.

Ordinationes Generalium	pag. 1
Compendium privilegiorum & gratiar.	89
Inſtructiones ad Provinciales & Superiores	177
P. Claudi Aquavivæ Induſtriæ pro Superioribus	261
Ejusdem Inſtructio pro Superioribus	327
S. Ignatii exercitia ſpiritualia	355
Directorium in exercitia ſpiritualia S. Ignatii	439
Epiſtolæ Præpoſitorum Generalium	521
Index generalis ipſius inſtituti	886
Catalogus provinciarum, domorum, collegiorum &c.	1067

ORDINATIONES PRÆPOSITORVM GENERALIVM, COMMVNES TOTI SOCIETATI,

AVCTORITATE

Septimæ Congregationis Generalis contractæ.

Juxta editionem excuſam



ANTVERPIÆ,

Apud JOANNEM MEVRSIVM.

SVPERIORVM PERMISSV.

SVPERIORIBVS SOCIETATIS.

Cum optarent jam dudum pleræque Provinciæ, idque nuper à Septimâ Congregatione poſtulaſſent, ut Ordinationibus Generalium Inſtructionibusque breviorem in formam, commodioremque ordinem redactis, Noſtrorum in his legendis labor tædiumque levaretur; communibus illarum votis ut ſatisfaceret Congregatio, delectis è cœtu ſuo de more aliquot Patribus, totum hoc negotium diligenter commendavit. Illi ergo primùm quidem antiquas Ordinationes ita contraxerunt, ut & breviſſimæ nunc ſint, & ſenſum tamen integrum apertumque retineant. Inſtructionum autem tum Quintæ, tum Sextæ Congregationis, quia duo genera erant, utraſque diſtinguendas cenſuerunt. Atque eas quidem, quæ perpetuæ legis vim habere videbantur, integras Ordinationibus ſubjiciendas; iis exceptis, quæ de tertio probationis anno diverſis temporibus perſcriptæ, aliam methodum, ordinemque in quem nunc digeſtæ ſunt, neceſſariò poſtulabant. Ex reliquis verò ea dumtaxat excerpenda, Ordinationibusque ipſis aut Regulis inſerenda judicarunt, quæ certi quippiam eodem modo ſtatuerent: ita ut his ſepoſitis, Inſtructiones illæ de cetero ſeorſim ab aliis excuſæ, ad directionem tantummodò Superiorum, pro re natâ & eorum opportunitate legendæ ſervarentur, ſicut Induſtriæ, & Epiſtolæ Generalium. Quorum Patrum judicium operamque cùm in omnibus approbaſſet Congregatio; (Sic nimirum, ut Ordinationes ad hanc formam redactæ, vim non novam, ſed eam ipſam quam anteà, in poſterum obtineant:) atque id jam ſupereſſet, ut ſingula in hunc modum recognita, & probata cum Provinciis communicarentur; hac laboris parte, quæ mihi præcipuè demandata eſt, ita perfunctus ſum, ut editionem, quâ fieri potuit diligentiâ, maturarem, caveremque ne muneris gratiam, quod reipsâ expeti ſentiebam, diuturnâ minui expectatione permitterem. Romæ, 29. Ianuarii. M. DC. XVI.

BERNARDUS DE ANGELIS
Secretarius Societatis IESU.

ORDINATIONVM PRÆPOSITORVM GENERALIVM,

Communes toti Societati,

AVCTORITATE *Congregationis Septimæ contractæ.*

CAPVT I.

Pro Provincialibus.

I.

Quæ Novitiis, & Tertiariis legenda.

NOVITIIS tum in primâ probatione, tum ſexto quoque menſe præter litteras Apoſtolicas Iulii III. de quibus fit mentio in Reg. 13. Magiſtri, oſtendatur etiam Bulla Pii V. de Apoſtatis, & Conſtitutio Gregorii XIV. Gregorii item XIII. quæ incipit, Aſcendente Domino, parte illâ omiſſâ, quæ agit de impugnatione Inſtituti. Similiter etiam eos, qui vota ſimplicia, vel ſolemnia edituri ſunt, aut tertium annum acturi, easdem Bullas legere oportebit. *Claudius.*

Deſerentes Societatem quando vota renovent.

2 Qui poſt emiſſa vota Societatem ſine licentiâ deſerunt, poſt reditum eadem cum aliis, præmiſſâ ſatisfactione, renovare debent. Qui autem cum licentiâ votis ſoluti abierint, poſt reditum ea non emittent ante biennium, ſicut & ceteri Novitii. Quod tamen attinet ad probationes, poterit Provincialis habitâ ratione perſonarum ſatisfactionisque diſpenſare. *Claudius.*

Sepulchrorum inſignia.

3 Principum virorum ſepulchra, aut titulos, & inſignia in Eccleſiis noſtris extare non expedit. Quare ſi quis tale aliquid petierit, ad Præpoſitum Generalem referatur, ut decernat quid permitti conveniat. Ceno-

taphia

taphia tamen ad dies aliquot, vel etiam menſes, apponi ſolita non prohibentur. *Claudius.*

4 Profectionem in patriam Noſtris Provinciales absque causâ urgente, & quæ moram non patiatur, non permittant ſine licentiâ Generalis: ad quem ſaltem poſteà referent, ſi neceſſitas coëgerit; ſignificabuntque quantum ad tempus eam conceſſerint. Omnibus autem ſocios adjungent, qui futuri ſint ædificationi. *Claudius.* Abire in patriam.

5 Hiſtoriam cujusque Collegii, & Domus Societatis Romam mitti oportet: quâ breviter explicetur, quo tempore, quâ occaſione, quibus modis exordium ſumpſerit: quos item reditus ac bona ab initio, ac quæ deinde incrementa, & per quos acceperit: quot, & quas lectiones, quæve alia onera & obligationes habeat: quem numerum perſonarum alat, vel alere poſſit; ceteraque hujusmodi. Cujus quidem hiſtoriæ retineri in Collegiis debet exemplum, ut ſi quando de futuris incrementis redituum, cenſuum, aut onerum proſequenda erit narratio, à fine præcedentium inchoëtur. Perſcribenda autem erunt omnia in papyro ejusdem magnitudinis cum Romanâ, & marginis olim præſcriptæ. Quâ itidem formâ tum vota noſtrorum, cum in Vrbem mittentur, tum Acta Congregationum Provincialium deſcribi oporteret. *Claudius.* Hiſtoria Collegiorum. Quâ formâ tum hiſtoria tum vota ſcribenda & Acta Congregationum.

6 Qui in Superiores eliguntur, antequàm Superioris officium ineant, ſeſe ad dies aliquot ſpiritualibus Exercitiis recolligant. *Claudius.* Novi Superiores ſpiritualia Exercitia obeant.

7 Confeſſarii noſtrorum, quoad fieri poterit, Conſultores non ſint: quòd ſi quando fuerint, caveant Superiores, ne dum de perſonis agitur, eos quidquam interrogent. *Claudius.* Confeſſarii Conſultores non ſint.

8 Recens promoti Sacerdotes per duos ſaltem annos, ut ordinarii operarii in miniſteriis cum proximis non occupentur: atque intra hoc biennium, & poſt illud, antequàm ad mulierum confeſſiones exponantur, virorum confeſſionibus audiendis exerceantur. *Claudius.* Novi Sacerdotes, &c.

9 Ad reſecandas mulierum ſuperfluas viſitationes, quæ magnâ temporis ac ſpiritus jacturâ fieri ſolent; Provincialis cùm ſingula loca viſitat, diligenter an ulli ſint exceſſus inveſtiget; ac præter eas, quibus ob dignitatem vel merita in Societatem id officii genus negari ſine offenſione non poſſit, ceteras omnes hujusmodi viſitationes prohibeat. *Claudius.* Viſitationes mulierum.

10 Bonorum diſtributiones ut rectè à noſtris, & cum ædificatione fiant, hæc in primis obſervanda. Primò, ſi qui bonis ſuis ſe abdicant, alii Bonorum diſtributio.

potiùs ea donare velint, quàm Societati, nec diſſuaderi, nec retrahi eos debere: neque opus eſſe, ut Generalis aſſenſum ad id requirant. Secundò, Si quid Societati largiri velint, Rector, qui Collegio ſuo applicari cupit, Provincialem informet, hic verò Generalem, tum de bonorum valore, & Collegii illius neceſſitate, tum an alia ſint Collegia, quæ majore inopiâ laborent, tum denique quò propendeat voluntas abdicantis, ut huic, vel illi Societatis loco addicantur. Tertiò, Nulla cujusquam Noſtrorum legitima exigatur, aut applicetur, vel eâ de re agatur priusquàm biennium probationis peregerit, votaque emiſerit. Quòd ſi quis maturior erit ætate, cujus bona vel à nullo dependeant, vel exigi & recuperari ſine offenſione, ac difficultate poſſint, referet ad Præpoſitum Generalem Provincialis, ut videat, an permittenda illi ſit diſpoſitio ante biennium. Quartò, In hujusmodi exactionibus conventionibusque, primum omnium attendatur, an is qui diſponit, conſanguineos pauperes habeat; deinde pacis erga omnes & ædificationis ratio potiùs habeatur, quàm commodi ullius temporalis. Quod ut fiat, Provincialis ipſe potiùs, quoad fieri poteſt, per ſe hæc tractet, quàm per Rectores, ac multò minùs per Procuratores, qui applicationum illarum ſpem aliquam conceperunt. Quintò, Poſtquàm quis in Societate quatuor integros annos vixit, dummodò ad annum viceſimum pervenerit, & in vocatione firmus ac ſtabilis judicetur, de rebus ſuis omnino diſponat, niſi patriæ leges diutius expectare cogant. *Claudius.*

Conſultorum mutatio.

11 Vt mutari Superiores debent, ita etiam ſubinde aliqui Conſultores, ne per longiſſimi temporis ſpatium iidem ſemper hoc officio fungantur. *Claudius.*

Sacerdotes Novitii celebrant cum vovent.

12 Sacerdotes Novitii quo primùm die biennio elapſo vota emittunt, celebrare antiquâ conſuetudine ſolent. *Claudius.*

Quid ſcribendum cùm Superiores mutandi ſunt.

13 Cùm de Superioris alicujus mutatione agendum eſt, primùm cauſam Præpoſito Generali exponat Provincialis, cur liberandus quisque videatur. Verbi gratiâ quòd diu gubernarit, quòd minùs ſatisfaciat, quòd liberationem ipſe expetat. Deinde re priùs cum Conſultoribus examinatâ, ſubjiciat quis cuique ſuccedere poſſit: nec unum, ſed plures, & quis omnium aptiſſimus judicetur. Quod ſi de his miſſæ aliàs in Vrbem informationes fuerint inter aptos ad gubernandum, id ipſum ſignificet. Sin minùs, vel tum ſtatim mittat, vel primo quoque tempore. *Claudius.*

Eleemoſynæ.

14 Collegia, quæ poſſunt alere duodecim ſcholares, nullas eleemo-

ſynas

ſynas admittere poſſunt, niſi levis momenti, rarò, & ab iis, quorum timeatur offenſio, ſi non admittantur. Reliqua poſſunt. Sed ſi ab iis mittantur, quorum filii ſcholas noſtras frequentant; & conjectura ſit (ſumpto judicio ex circumſtantiis perſonarum, ac modi dandi, & loquendi) mitti pro compenſatione, vel intuitu miniſterii, admitti non debent, donec planè intelligant accipi non poſſe, niſi nomine eleemoſynæ, ſecluſo omni alio reſpectu, atque hoc eodem modo ipſi quoque largiantur. Idemque eſt judicium de eleemoſynis, quæ, poſtquàm Noſtri alicubi concionati ſunt, ad Domos vel Collegia interdum mittuntur à Prælatis, vel à Civitatibus, aut aliis. *Claudius.*

Inſtruct. 2. ſextæ Cong. c. 2. §. 4.

15 Qui cibis Quadrageſimalibus veſci non poſſunt, hi propter ædificationem proximi extra Domos noſtras concionaturi ne mittantur. Cum iis autem, qui in Eccleſiis noſtris concionantur, nemo diſpenſet inconſulto Provinciali, qui quidem neceſſitatis & majoris divini obſequii rationem habebit. In victu porro & veſtitu lautitiæ illæ, ac ſingularitates, & exemptiones, quibus alii meritò offenduntur, Concionatoribus minimè concedantur. *Claudius.*

Concionatores. *Ex 2. pro Concionatoribus. §. 9.*

16 Coadjutores è Novitiatu educi non debent, niſi per annum ſaltem integrum in eo fuerint, & benè ſatisfecerint: nullo autem modo ante finitum biennium in publicis æditui, Ianitoris, & ſimilium officiis, in quibus cum externis agitur, exponi. *Claudius.*

Coadjutores è novitiatu quando educendi. *Ex 5. pro Novitiis, §. 5.*

17 Summâ curâ providere Superiores debent, ut in exigendâ ratione conſcientiæ, ſecreti naturalis, quo tenentur, fides integra ſit; nihil omnino cuiquam innuendo, ac multò minùs ad conſultationem conſilii causâ referendo; ſed hac notitiâ ita utendo, ut ſubditorum animi nequaquàm offendantur. Proinde quâ fide in hoc genere ſe gerant Superiores, Provincialis diligenter cognoſcat: & ſi quis in eo minùs, quàm debet, fuerit accuratus, pro culpæ modo in eum animadvertat: ac ſi opus fuerit, de eo removendo certiorem faciat Generalem Præpoſitum. Quod ita fuiſſe conſtitutum, operæ pretium eſt à ſubditis intelligi; ne quâ ratione ab aperiendâ ſuâ conſcientiâ deterreantur. *Claudius.*

Ratio exigendæ conſcientiæ. *Ex 13. de ratione conſcientiæ §. 1. & 3.*

18 Qui in Miſſionibus verſantur, feminas ne viſitent, nec eas ad ſe domum venire ſinant quacunque de causâ, ſed in templo, ſi neceſſe fuerit, audiantur. 2. Externos ad menſam numquàm invitent, nec ſe ab aliis invitari patiantur, quantum in ipſis erit. 3. Pecuniam quoad fieri poteſt non accipiant:

In Miſſionibus quomodò ſe gerant. *Ex 2. 6. Cong. de Miſſionibus.*

piant: ſi accipere cogentur, ſic impendant, ut memores ſint paupertatis & ædificationis: ejusque rationem Superiori poſteà reddant. *Claudius.*

Socius Provincialis. *Ex ſ. 6. Cong. pro Superioribus. §. 2.*

19 Socius Provincialis ſemel quotannis certiorem faciat Præpoſitum Generalem, quemadmodùm ſuas Regulas obſervet Provincialis; ceterasque Ordinationes executioni mandandas curet; & ut fructuosè ſe gerat in obeundâ Provinciâ. *Claudius.*

Novi Superiores inſtruantur in Conſtit. *Ex eadem §. 3.*

20 Futuri Superiores, qui nondum gubernarunt, priusquàm gubernationem ineant, duos minimùm menſes rebus aliis ſepoſitis ponant in attentâ lectione Conſtitutionum, Regularum, Ordinationum, Induſtriarum, Inſtructionum pro Superioribus, & Privilegiorum, ut rectè omnia percipiant: & quæ non benè intellexerint, à Provinciali percontentur: cujus erit illos erudire, & in viſitatione periculum facere, quàm benè omnia calleant, admonito Præpoſito Generali. *Claudius.*

Miniſtri quales. *Ex eadem §. 4.*

21 Miniſtri, in magnis præſertim Collegiis, nec valdè juvenes præficiantur, nec absque conſultatione. Inſtruendi autem erunt primùm à Provinciali, deinde à Superioribus ipſis in decurſu officii: iique ſint, quantum fieri poterit, qui Rectores aliquando eſſe poſſint. *Claudius.*

Confeſſarii Superiorum. *Ex eadem §. 7.*

22 Confeſſarii Superiorum, abſente Provinciali, diſpenſare cum illis poſſunt in cibis vetitis, horis canonicis, irregularitate, & ſimilibus, eodem plane modo quo Superiores cum ſuis ſubditis. Eademque erga Provincialem facultas ejus Confeſſario conceditur. *Claudius.*

Menſtrua conſultatio. *In 10. 6. pro executione urgenda.*

23 Provincialis initio cujusque menſis, aut certe quando adſunt Conſultores, conſultationem cum illis habeat de ſtatu & diſciplina totius Provinciæ, quid in ea ſciatur, quid audiatur, quid ipſemet à Rectoribus, eorumque Conſultoribus acceperit. *Claudius.*

Caput II.
Pro Superioribus Localibus.

I.

Libri obſcœni.

LIBRI veterum obſcœni, non expurgati, quamvis in Indice prohibiti non ſint, Noſtris tamen, etiam Magiſtris, niſi maturis, & qui ſine periculo uti poſſint, non permittantur: Scholaſticis autem nullo modo. Recentiores vero, quocumque idiomate ſcripti, nemini concedantur.

Spirituales non congruentes inſtituto.

Spirituales item, qui licet pii videantur, Inſtituto noſtro minus congruunt, ut Taulerus, Rusbrochius, Harphius, & alii hujusmodi, Noſtris paſſim ac ſine

ſine delectu non permittendi. Muſici denique, qui turpem dictionem habent, vel ſonum cui ſubeſſe obſcœna, aut vana putentur, penitus interdicuntur. Quinam porro ex libris prohibitis ſervari in Collegiis noſtris, & quo loco debeant, quorumve uſus, & quibus concedi à Rectoribus queat, decernet Præpoſitus Provincialis. *Everardus.* Muſici. Libri prohibiti.

2 Bulla Cœnæ in ſingulis Domibus & Collegiis eo loco exponatur, ubi commode à Confeſſariis noſtris legi poſſit. *Everardus.* Bulla Cœnæ.

3 Pro iis, qui in itinere Indico vita funguntur, fiant ſolita ſuffragia tum in Provincia, in qua moriuntur, tum in ea etiam Indiæ Provincia, ad quam tendebant, vel unde in Europam veniebant. Pro iis vero, qui in Europa extra Provincias ſuas decedunt, fiant in Collegio, ſeu Domo, in qua quis moritur (vel in proxima, ſi peregre obierit) eadem omnino ſuffragia, quæ fierent, ſi ejus loci membrum foret: moneatque loci Superior Præpoſitum Provinciæ, ad quam defunctus mittebatur, ut ſolita pro eo ſuffragia indicat tum in Domo, ad quam deſtinabatur, tum in tota Provincia, ac ſi in illa obiiſſet. *Claudius.* Suffragia pro defunctis.

4 Compendium Privilegiorum, ſeu majus, ſeu brevius, ſine permiſſu Generalis nusquam recudatur. Exemplaria autem, quæ ad uſum præcipue Superiorum & Conſultorum in ſingulis Domibus & Collegiis eſſe debent, ita Noſtris cum facultate Provincialis concedi poterunt, ut externis non oſtendantur, nec inde ad alia loca exportentur. *Claudius.* Compendium Privilegiorum.

5 Horam conſiderationi Superiores locales quotidie, aut certe alternis diebus, impendent: in qua ſecum, & cum Deo conſiderent, quomodo ſe habeat ſtatus Domus, vel Collegii; quomodo ſubditi in ſpiritu & virtutibus proficiant; quid impedimenti & diſtractionis habeant; quo ſpirituali morbo hic vel ille laboret; quo remedio juvari poſſit, ut adhibeatur; quomodo Præfectus rerum ſpiritualium, ac ceteri officiales ſuis officiis fungantur; quomodo Regulæ, Ordinationes, & religioſa diſciplina ſervetur; quis erga proximos per miniſteria noſtra fructus colligatur. Denique præter examen ordinarium, examinent hoc tempore impenſius defectus circa gubernationem: legant Regulas Viſitatorum, & Superiorum juſſa; nihilque horum omnium perfunctorie, ſed accurate & ſtudioſe omnia in Domino exequantur. *Claudius.* Hora conſiderationis.

6 Superiores à Præfecto rerum ſpiritualium rationem frequenter exigant, quomodo, & quam frequenter, juxta Regulas, Patres & Fratres De Præfectis ſpiritus.

curæ ſuæ commiſſos alloquatur: idque ipſum à Patribus & Fratribus ipſis intelligat. *Claudius.*

Communionis frequentia.

7 Circa Communionis frequentiam, ubi ſervari non poteſt Regula 26. Sacerdotum, ne pœnitentes crebrius, quam octavo quoque die communicent, hoc ſaltem retineatur, ut ſolius Provincialis diſpenſatione bis in hebdomada communicare liceat. Cum iis vero, qui frequentius ſoliti ſunt, id curetur, quod ſuaviter obtineri poſſit. *Claudius.*

Novitii quaterni in cubiculis

8 Novitii in Domo probationis terni aut quaterni in cubiculis, permixti antiquiores cum recentioribus, manere debent etiam interdiu, non in aula, quæ communibus tantum conventibus & exercitiis deſtinanda eſt. *Claudius.*

Ædificare.

9 Superiores locorum inconſulto Provinciali ædificare nihil debent: nec permittere Provincialis, ut quidquam, niſi quod neceſſarium ſit, ædificent. *Claudius.*

Quæ cum Conſultoribus.

10 Rectores priusquam ad Provincialem de re aliqua ſcribant, de ea cum Conſultoribus conferant: & quid illi ſentiant, Provinciali ſignificent. *Claudius.*

Cœnobia monialium.

11 Monialium cœnobia Noſtri ad ægrotantium confeſſiones audiendas, nullo modo ingrediantur. *Claudius.*

De vitio linguæ. *Ex Inſtruct. 1. 6. Congr. c. 4. §. 2.*

12 In vitiis linguæ ſerio advigilent Superiores, & gravari conſcientiam ſuam intelligant, ut Auctores diligenter inquirant, quo ſevere puniantur. Qui vero auctores ipſos manifeſtare recuſaverint, pro ipſis habeantur. *Claudius.*

De viſitatione feminarum. *Ex 3. 6. Cong. pro Confeſſariis, §. 31.*

13 Sæpe inquirant tum Provincialis tum Superiores locorum, quomodo ſerventur Regulæ & Ordinationes, quæ ad confeſſiones & viſitationes feminarum ſpectant, & maxime Regula 18. Sacerdotum, & quæ circa illam ſtatuta ſunt. *Claudius.*

Notitia per confeſſionem. *Ex 7. de notitia per confeſſionem.*

14 Tametſi non deſint Doctores, qui notitia per confeſſionem habita, ſalvo Sacramenti ſigillo Confeſſariis uti nonnumqvam licere ſentiant; Noſtros tamen eam doctrinam ſequi non expedire judicamus. Quare caveant diligenter Superiores, ne vel ipſi vel Noſtrorum aliquis eam uſpiam introducant, privatimve aut publice doceant, nec ea, niſi forte de Pœnitentis licentia, ullo modo utantur. *Claudius.*

Dies recreationis.

15 Die recreationis hebdomadariæ, cum itur ad prædium ſeu vineam, ibique cœnatur, meridie per unam aut alteram horam Scholaſtici partim ſtude-

ſtudeant, partim orationem matutinam perficiant. Quo tempore nulli fas ſit, vel ludere, vel confabulari, niſi eo elapſo ſignum detur ad recreandum. Cum vero per cæli injurias, vel alias ob cauſas, die recreationis neque ad prædium, neque deambulatum ire licuerit; mane ad recreationem non pulſetur, ſed vacetur ſtudiis: à prandio vero peracta recreatione ordinaria, mora aliqua interpoſita detur ſignum ad recreationem per tres horas. *Claudius.*

Ex 4. 6. Cong. pro Scholaſticis, §. 4. & 5.

16 Loco inſtructionis doctrinæ Chriſtianæ, quæ extra Novitiatum ad Coadjutores haberi ſolet, ſi ſatis in ea inſtructi exiſtimentur, inſtituatur ſingulis hebdomadis ſpirituale colloquium, ſeu conferentiæ de rebus ad eorum exercitia & captum accommodatis. Plurimum autem conferet, ſi à Superiore ipſo fiant, ad quem hæc maxime cura pertinet. *Claudius.*

Doctrinæ Chriſtianæ. *Ex 14. pro Coadjutoribus, §. 2.*

17 Qui ad vineas, agrosque procurandos mittuntur, ſint ex iis qui in ſpiritu & religioſa diſciplina magis profecerint: neque umquam ſoli in hujusmodi locis morentur, aut certe pernoctent, & quam minimum fieri poteſt in illis permaneant. Quod ſi diutius aut longius abeſſe oporteat, mutentur nonnumquam aut identidem ad Collegia revertantur, ut in utroque homine reficiantur. Ea vero quæ per externos in his locis curari poſſunt, ad ea Noſtri ne adhibeantur. *Claudius.*

Noſtri ne ſoli in villis. *Ex eadem, §. 4.*

18 Miniſtris Superiores eam concedere poteſtatem debent, quæ pro perſonarum conditione ad rectam gubernationem convenire videbitur. Etſi autem Miniſter, quamvis Superior ſit, in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipere non poteſt; Coadjutores tamen, ſive alii, qui Miniſtro clare dicunt, *Nolo facere*, incurrunt in quartum caſum reſervatum inobedientiæ expreſſæ. *Claudius.*

Miniſtrorum poteſtas. *Ex 8. 6. Cong. pro Superioribus, §. 4.*

19 Superiores tempore ordinariæ conſultationis ſingulis vel alternis hebdomadis, una perlegant aliquid ex Regulis, Ordinationibus aut ſimilibus, *Claudius.*

De conſultatione hebdomadaria. *Ex 10. ſexta pro executione urgenda, §. 2.*

20 Prima cujusque menſis hebdomada pro ordinaria conſultatione agatur de executione; An aliquid domi ſit, quod negligi videatur; an vigeat obſervatio Regularum; an notetur frequens aliquarum transgreſſio; an ſerventur Superiorum ordinationes, præſertim quæ in memoriali à Provinciali relictæ ſunt, quas eodem ipſo tempore legi oportebit, ſi nondum executioni mandatæ ſint. *Claudius.*

De conſultatione menſtrua. *Ex eadem, §. 5.*

CAPUT III.

De tertio anno Probationis.

Pro Provincialibus.

I.

Quinam & quando ad 3. annum mittendi. *Ex Inſtruct. 11. 12. & 13.*

OMNES poſt abſoluta in Societate ſtudia, ſive Theologiæ ſive Caſuum conſcientiæ, aut certe poſt ſtudiorum repetitionem, quibus illa conceditur, ad tertium annum mittet probationis. Et quamquam differre interdum ex gravi cauſa poterit monito Generali, cum nullo tamen omnino diſpenſabit.

Qualis Inſtructor.

2 Superiorem illis, ſeu Inſtructorem deliget, qui auctoritate valeat, & alias gubernarit: cujuſmodi foret Provincialis, officio ſuo defunctus, aut ſimilis quiſpiam alius, quem magni facturi ſint, & à quo regi ſe facilius patiantur.

Prius monendi de defectibus.

3 Priuſquam probationem aggrediantur, eos ipſe, aut Rector Collegii de iis omnibus admonebit, quæ ſtudiorum tempore in illis fuerint obſervata: Inſtructoremque de iiſdem defectibus informabit, & de reliquis eorum qualitatibus, & talentis, ut melius eos dirigere ac juvare poſſit.

Vbi facienda hæc probatio.

4 Ad hanc probationem, ſi peculiaris in Provincia Domus non erit, ut conari debent Provinciales, fiet illa quidem in Domo Probationis, ſed ita ut proprium, & à Novitiis ſeparatum locum habeant, in quo exerceantur: niſi forte certa uſpiam aliqua ſit ratio, cur à Novitiis ſeparandi non videantur; de qua referendum erit ad Præpoſitum Generalem.

Numerus Probandorum.

5 Et quoniam ſeparati hoc modo pauciores quam decem, aut duodecim eſſe non debent, ſi tot aliquo anno in Provincia non erunt, conjungi una poterunt è vicinis Provinciis loco deſignato, qui commodiſſimus eis videatur. Quod ſi ne ſic quidem conjunctis Provinciis numerus conſtabit, admonebit Generalem, ut diſpiciat an annum unum, duosve differri debeat quoad numerus expleatur.

6 Dabit operam, tum maxime cum ſeorſim à Novitiis agitur hæc probatio, ut mature, ac ſimul omnes quoad ejus fieri poteſt, mittantur, qui ejuſdem anni ſunt, ne aut retardari, aut perturbari ordinem probationum neceſſe ſit. *Claudius.*

Prius ſacris initiandi.

7 Ad ſacros Ordines circa finem ſtudiorum omnes promovendi ſunt, juxta Conſtitutiones. Quod ſi qui ob ætatem, aliasve ob cauſas Ordines

dines nondum ſuſceperint, cum ad tertium annum mittuntur, hos, niſi forte Sacris initiati jam eſſent, eo tempore promoveri non permittat.

8 Crebro illos viſitet, moneat, conſoletur, advigiletque ut ſi qui in hac probatione non proficiunt, mature illos educat, ut eam optare omnes diſcant; ſciantque ſe interim in humilioribus officiis exercendos, nec ad ullum gradum promovendos, niſi denuo ad tertium probationis annum admiſſi Superioribus ſatisfecerint. Adnotabit præterea in libro, quomodo ſinguli ſe geſſerint, ut cum informandi pro gradu tempus advenerit, certiora referat ad Generalem. Viſitandi, & quinam profecerint notandum.

9 Curabit, ut Inſtructor, & Rector, ſeu Magiſter Novitiorum, & Miniſter ſub anni finem ad ipſum ſcribant, quomodo ſinguli, & quibus in rebus bene aut male ſe geſſerint. *Claudius.* Moneatur ab Inſtructore, & Superioribus.

Pro Inſtructore.

I.

ADNITI ante omnia debet, qui huic muneri præficitur, ut memor utilitatis neceſſitatisque, ob quam in Societate inſtituta eſt hæc probatio; tum ſerio ipſe ac diligenter in officium incumbat, tum eos excitet, qui in ea exercendi ſunt, ut magno animi ſtudio & alacritate illam ſuſcipiant. Hujus probationis neceſſitas.

2 Quod ad rationem probationis attinet, iiſdem omnino, quibus Novitii, Probationibus, tam ſpiritualibus, quam corporalibus exercendi ſunt: hoc eſt, ſex experimentis Societatis, & aliis ſimilibus, quæ ad perfectam ſui abnegationem conferant, ſumpto exordio à ſpiritualibus Exercitiis per integrum menſem. Ad Magiſtri autem prudentiam pertinebit, pro ratione virium cujusque ac diſpoſitione hæc omnino ſic temperare, ut nec ſeverius quam par ſit, nec remiſſius exigantur; ſed ad majorem eorum profectum, ſolidarumque virtutum adeptionem ſingula referantur. Exercitia quænam.

3 Exhortationes, quæ ad ipſos habebuntur, ſimiles earum eſſe non debent, quæ ad Novitios haberi ſolent; ſed magis ad eorum captum accommodatæ: in quibus de perfectione, oratione, inſtituto, zelo animarum, miniſteriis erga proximos tractetur. Idemque judicium eſt Conferentiarum. Quare ubi à Novitiis ſeparati non erunt, tum nihilominus ad illos privatim ſermo ſubinde aliquis & conferentia inſtituatur de re illis propria & appoſita, ut dictum eſt. Exhortationes diverſæ. Conferentiæ.

Loco doctrinæ Chriſtianæ.

4 Pro explicatione doctrinæ Chriſtianæ, quæ Novitiis tradi ſolet, utilior & congruentior erit alia quæpiam exercitatio, in qua de iis agatur, quæ illorum ſtatui magis conveniunt; cujusmodi eſt Directorium, & modus tradendi Exercitia ſpiritualia; modus juvandi cum fructu animas ex induſtriis P. Polanci, & aliis id genus: modus item adjuvandi eos qui moriuntur: Collationes de Inſtituto, & Conſtitutionum iis partibus quæ ad virtutes, miſſiones, auxiliumque animarum ſpectant: & de Regulis Sacerdotum, Confeſſariorum, Concionatorum. Conferet etiam fortaſſe, ſi præmiſſa lectione opuſculi B. Bonaventuræ de cæremoniis Miſſæ, aut aliorum hujusmodi tractatuum, de nonnullis poſtea capitibus inter ſe tractent, quæ ad majorem reverentiam, affectumque in tanti myſterii celebratione inflammandum conducant.

Habeant ipſi practicas exhortationes.

5 Non abs re forſitan erit, ſi practicas interdum de aliqua virtute exhortationes habere jubeantur, ut de obedientia, humilitate, paupertate, fraterna caritate, oratione, ac ceteris: & in his ſuos potius conceptus ac ſenſus exprimant, quos Dominus ipſis communicarit, tamquam ad promovendum ſpiritum efficaces, quam aliud quippiam ad concionum morem meditatum & compoſitum.

Exercitia corporalia.

6 Exercitia corporalia valde moderata ſint, & non qualia Novitiorum: eademque ad mortificationem potius, mentaliumque avocationem, quam ad defatigationem appoſita: tametſi vilia indumenta, & aliæ id genus mortificationes prætermitti non debent.

Nullis miniſteriis occupentur, niſi miſſionibus,

7 Concionibus habendis, multo minus ſcholis docendis operam non dabunt, quamvis ad aliquam miſſionem unius vel alterius menſis deſtinari poterunt, ut per villas & pagos doctrinam Chriſtianam tradant, & alia hujusmodi miniſteria obeant. Sub tempus autem miſſionum, ne imparati ad eas proficiſcantur, inſtituendæ erunt per menſis unius ſpatium conferentiæ de nonnullis Conſcientiæ caſibus magis neceſſariis. Sacerdotes etiam in audiendis confeſſionibus nondum exercitati, per menſem unum exercendi erunt, ubi & quando Provinciali vel inſtructori videbitur.

Mittendi ad loca noſtra vicina

8 Ad vicina Societatis loca probationis cauſa, ſicuti ſolent Novitii, ad breve tempus mitti poterunt; ut ibi ſimiliter atque in Domo Probationis in humilibus officiis exerceantur: dummodo eorum ratio habeatur, ut bene occupati ſint, & non otientur.

9 Procuranda erit ad illorum uſum librorum ſpiritualium copia, juxta

Indicem qui ſubjicietur. Concedi etiam illis fere debebunt Societatis Conſtitutiones, Regulæ communes ac Sacerdotum, Miſſionum item, & Concionatorum, Bullæ præterea, quæ ad Societatis Inſtitutum pertinent, Iulii III. & Greg. XIII. & quæ contra Apoſtatas eſt Pii V. & Gregorii XIV.

Libri ſpirituales.

Conſtitutiones, Regulæ.

10 Confitebuntur ordinarie ſuo Inſtructori, qui poteſtatem habebit etiam à reſervatis abſolvendi, tametſi Domus vel Collegii Superior non ſit. Idem etiam pœnitentias ex devotione, & alias id genus mortificationes concedere poterit. In iis vero, quæ ad domeſticam diſciplinam ſpectant, ut cum foras exeundum erit, aut menſæ inſerviendum, cum Regularum exigenda obſervatio, aut errata pœnitentiis corrigenda, aut iis affinia, Rectoris aut Miniſtri munus erit, Inſtructore conſulto.

Inſtructor eorum Confeſſarius à reſervatis abſolvet.

Pœnitentiæ.

11 Non ſcribent, nec accipient litteras officioſas, multoque minus de rebus novis ullam in partem: ſed cum alicujus momenti negotium erit, diſpiciet Inſtructor, penes quem ſigillum erit, an litteras reddi conveniat, aut reſponderi.

Litteræ.

Sigillum.

12 Ad vineam, aut prædium recreationis cauſa mitti poterunt ſingulis menſibus, vel etiam ſæpius, ſi Provinciali videbitur. In hebdomadaria autem recreatione ſervabitur Regula 61. Magiſtri Novitiorum. Extra tempora porro quotidianæ recreationis, concedi eis poterit, ut in horto aliqua diei hora deambulent, ſed ſinguli ſeorſim, & ſilentio.

Vinea.

13 Provincialem de ſingulorum ſtatu certiorem ſæpe faciet, quibus ſcilicet mediis ad virtutes promoveantur; quibus item à defectibus emendentur. Eamque ob cauſam, atque ut fructuoſius eos promoveat, frequenter illos interrogabit, quomodo in orationis induſtria, in coërcendis affectibus, in ſuperandis difficultatibus, in continua rerum omnium mortificatione, indifferentiaque ad gradus, & Societatis miniſteria, ac demum in ſpirituali animæ ſuæ profectu ſe habeant. Sub anni vero finem, plenam informationem de ſingulis ad Provincialem mittet, quomodo & quibus in rebus bene aut male ſe geſſerint: idemque ut faciant, Rectorem & Miniſtrum admonebit. *Claudius.*

Inſtructor eos alloquatur ſæpe, & inſtruat.

Provincialem informet de ſingulis.

LIBRI

Pro iis, qui in tertio Probationis anno verſantur.

PRæter eos, qui in Regulis Magiſtri Novitiorum habentur, addi poterunt alii ex iis; qui habentur in Regulis Præfecti lectorum ad menſam.

Adhuc

Ex ſanctis Patribus.

Adhuc etiam integra opera S. Baſilii, S. Gregorii Papæ, & Hugonis de Sancto Victore, quorum aliqua tantum in dictis Regulis habentur.

Addi item poſſunt opera Guilielmi Pariſienſis, Gerſonis Cancellarii, Climaci, S. Leonis, & Ludovici Granatenſis.

Ex Noſtris.

Ex Noſtris, Hieronymus Platus de bono ſtatus religioſi, Bernardinus Roſignolius, Franciſcus Arias, Ludovicus de Ponte, Alphonſus Rodericius, Didacus Alvarez de Paz. F. Antonius de Molina de ſtatu Sacerdotali, Scala Bellarmini, & de æterna felicitate Sanctorum, Meditationes etiam P. Natalis, Vincentii Bruni, Coſteri, Loartis, Ritii, Pinelli, Capillæ, & alia hujusmodi, præſertim ex noſtra Societate; ac opuſcula Didaci Stellæ, & Didaci Perez Avertimenti ſpirituali.

Ex Hiſtoricis.

Ex Hiſtoricis, Palladius, Theodoretus, Speculum exemplorum, Cæſarius, Chronicæ S. Dominici & S. Franciſci, Speculum Vincentii Belvacenſis, S. Antonini hiſtoriæ, Maruli exempla, Giardino d'eſſempi di Razzi, & Maffæi vitæ Confeſſorum.

Ex Interpretibus Scripturæ.

Scripturæ interpretes aliquot, ut opera omnia Titelmanni, Ianſenii, & Maldonati, & Bellarmini in Pſalmos.

Omnia arbitrio Inſtructoris.

Omnia autem hujusmodi arbitrio Inſtructoris habebunt.

Pro iis, qui tertium annum agunt Probationis.

I.

Inſtitutio hujus probationis.

QVI ad tertii anni probationem deſtinantur, diligenter hæc animadvertant oportet. Primum, illam à B. P. N. IGNATIO ſapienter inſtitutam, & multis Conſtitutionum locis commendatam fuiſſe; decretumque Noſtros omnes, qui in Scholaſticos approbati ſtudia jam ſua in Societate abſolverint, priusquam ad gradum ulteriorem, ſeu Profeſſorum, ſeu Coadjutorum ſpiritualium admittantur, in hac ultima probatione ſedulò exerceri.

Finis hujus probationis.

2 Porro finem hujus probationis eſſe in plena, & abſoluta ſui ipſius abnegatione ita ſe cum divina gratia exercere; & cum eadem ad virtutes Religioſo dignas incumbere, ut fiat homo in vita ſpirituali perfectus, idoneumque Societatis inſtrumentum ad animas Chriſto lucrifaciendas evadat. Cum enim Societatis Inſtitutum homines non ſolum litteris, ſed multo magis ſpiritualis vitæ perfectione conſpicuos requirat; ex illa vero aſſidua contentione, quæ per aliquot annos in excolendo per ſtudia intel-

lectu

lectu ponenda eſt, humilitatis ac devotionis fervor intepeſcere ſoleat; neceſſarium omnino judicavit Beatus Pater, ut abſolutis ſtudiis certum aliquod tempus unicuique tribueretur, in quo vires ſpirituales inſtauraret; ſolidarumque virtutum ſtudio & profectu, tanquam neceſſariis in futurum præſidiis, ſe communiret.

3 Ad hunc vero finem conſequendum duo eſſe potiſſimum neceſſaria. Vnum, ut qui ad hanc probationem mittitur, non perfunctorie ad eam tranſigendam accedat; ſed magna cum animi ſimplicitate & humilitate, ardentique profectus ſui deſiderio: proponatque ſibi omnino abhorrere ab omnibus, quæ profectum hunc poſſunt impedire; totisque ea viribus amplecti, quæ eum ad eumdem adjutura, Superioris judicio, videbuntur. Alterum, ut quæ animo ita ſtatuerit, ſtudioſe conſtanterque exequatur; nihil omnino, quod ad profectum in humilitate, & abnegationem univerſi amoris ſenſualis, voluntatis, & judicii proprii, & ad majorem cognitionem & amorem Dei conferat, prætermittendo: ut cum in ſeipſo profecerit, melius atque efficacius alios ad Dei & Domini noſtri gloriam juvare poſſit. *Media ad conſequendum.*

4 Denique cum hæc ultima ſit Societatis probatio, atque ita illam Conſtitutiones vocent; merito ſollicitum eſſe debere unumquemque, ut ad quam initio perfectionem vocatus eſt, ad eam in hac demum probatione acquirendam omni ope deſudet. Iuſtum enim eſſe, ut quem à ſuis fructum Societas poſt tot labores & ſumptus illorum cauſa impenſos, totque adjumenta tum in purgando affectu, tum in excolendo intellectu exhibita, jure ſuo exigit & expectat, eum nunc tandem hoc anno reddant. Hæc igitur illis obſervanda erunt. *Sedulo incumbendum.*

5 IN SEX Societatis experimentis, & aliis ſimilibus, juxta Novitiatus conſuetudinem, exercebuntur, ſumpto initio à ſpiritualibus Exercitiis per integrum menſem. *Sex experimenta.*

6 Orationis tempus idem habebunt, quod Novitii, tum matutinum tum pomeridianum: & illud præterea, quod à communibus occupationibus vacuum propria cuique devotio, re cum Inſtructore communicata, ſubminiſtrabit: cum is potiſſimum hujus anni finis ſit, ut intimam illam familiaritatem cum Deo in ſpiritualibus devotionis Exercitiis acquirant, quam Societatis operariis neceſſariam Conſtitutiones docent. *Orationis tempus.*

7 A ſtudiis omnino abſtinebunt. Quare nec novi aliquid videre, nec *A ſtudiis abſtinendum.*

nec præterita recognoſcere debebunt. Poterunt tamen præter libellos ſpirituales uſitatos, legere aliquos ſimiles Patres, qui in catalogo recenſentur, non eo fine, ut conceptus aut ſententias ad concionandum decerpant, ſed ut devotioni tantum & ſpirituali utilitati ſerviant.

Quid memoriæ mandandum.

8 Quo tempore à Novitiis exerceri memoria ſolet, ſimiliter & ipſi aliquid per ſemihoram ediſcant, veluti Pſalmos, & Epiſtolas S. Pauli, nonnullos ex minoribus Prophetis, atque hujus generis alia, prout Inſtructor conſultum in Domino judicaverit.

Partitio temporis.

9 Ad vitandum otium, & ut cum fructu tempus exigant, diſtinctas habeant horas, & ſpatia lectionis Sanctorum Patrum, meditationis, orationis vocalis: utanturque diligenter examine particulari non ſolum ad vitia extirpanda, verumetiam ad uſum & conſervationem virtutum.

Loqui cum aliis.

10 Intelligant ſibi non fore liberum colloqui cum Noſtris aliunde venientibus, aut cum externis abſque facultate Inſtructoris: neque expedire ad vitandas importunas diſtractiones, ut cum aliis etiam, aut inter ſe indifferenter agant, aut converſentur, ſed cum iis tantum, quos Superior cuilibet aſſignabit.

Ad ſignum campanæ.

11 Cum ſignum datur exeundi, vel ad concionem, vel deambulatum, nullus ab acceſſu cum aliis ad aulam eximatur, ut ibi ſingulis comites aſſignentur.

Exercebuntur in humilioribus.

12 In miniſterio culinæ, & ceteris corporalibus exercitationibus, omnia præſtabunt, quæ Novitii ſolent, ſeu tempus ſpectetur, quo ſingula præſtanda ſunt, ſive occupationis ſpatium, quo explenda eſt. In his vero ſic ſe à Præfecto dirigi ſinent, ſicut ipſimet Novitii.

Legent ad menſam.

13 Legent ordine ſuo ad menſam: in exhortationibus & conferentiis aſſidui erunt: in omnibus denique communibus exercitiis eam diligentiam adhibebunt, qua Novitios non æquare modo, ſed vincere ſtudeant.

Recreatio.

14 Communem recreationem ſimul omnes ſic agant, ut dum ea, quæ pios religioſos decent, loqui aſſueſcunt, deinceps etiam cum extraneis ea colloquia miſcere norint, quæ pietatem redoleant, & audientes ædificent.

Non de ſe cogitent.

15 Caveant ne ulla ratione ſcire ſatagant, aut conjicere, quid ipſis peracto tertio anno futurum ſit, & qua in re Superiores occupare illos ſtatuant: ſed cum indifferentia obedientiæ nutum præſtolentur.

Silentium.

16. Si quando extra horas recreationis à Superiore conceditur, ut in

horto

horto relaxandi animi cauſa tempore aliquo deambulent, ſinguli ſeorſim incedent, ſilentiumque ſervabunt; & importunis horis per domum non diſcurrent, ſed in ſuis cubiculis, locisque deſignatis ſe continebunt.

17 Hanc Inſtructionem, & Regulas ſemel ſaltem ſingulis menſibus, ac ſæpius etiam legant, ut in praxim uſumque reducant. *Claudius.* Legenda ſingulis menſibus.

Capvt IV.
Monita Generalia.

Quæ ad religioſam Noſtrorum directionem ſpectant, & ab omnibus obſervanda ſunt. *Ex variis Ordinationibus, ac Decretis.*

1.

Nvllvs, etiam Sacerdos, vagetur manè extra cubiculum tempore Examinis, niſi occupetur in templo. Sacerdotes vero, qui occupati non fuerint, faciant etiam ipſi examen, niſi forte paulo ante celebraverint, idque ante Sacrum fecerint: tunc enim horas recitare poterunt, vel aliter orare, ſed in cubiculo. Diebus tamen Feſtis, ac Dominicis, ubi manè habita eſt concio, examen ex præſcripto non fiet, ideoque ſignum non dabitur: ubi vero habita non ſic erit, pulſabitur ad examen, ut fiat. Examen quando diebus feſtis faciendum. *Ex c. 5. Ordinat. gen.*

2 Nullus, vel etiam Procuratorum, quibus Romam venire contigerit, externorum negotia ſuſcipiat, vel in iis ſuam operam polliceatur ſine facultate Provincialis: quam rarò admodum, nec niſi gravioribus de cauſis concedet. Externorum negotia ne [illegible] Romam [illegible] ſuſcipiat. *Cap. 8. Ordinat.*

3 Intelligant Noſtri, non ſolum Sacerdotibus quam accuratisſime ſervandam eſſe Regulam 18. de ſocio ſecum retinendo, cum ad confesſiones feminarum audiendas, vel alia de cauſa eas adierint: videlicet quamdiu cum illis agendum erit, eo in loco ſocium eſſe oportere, unde videre eos, ſed non, quæ ſecreta eſſe oportet, audire poſſit, quantum loci diſpoſitio patietur; ſed alios quoque omnes, qui Sacerdotes non fuerint, eadem lege teneri, ſive ipſi mulieres inviſant, ſive alios ex Noſtris comitentur: quin ut religioſæ honeſtati & ædificationi conſulatur, conentur omnes in quorumcumque viſitationibus, quamvis virorum, ſocium ſui teſtem habere; niſi perſonæ, quas inviſunt, eæ fuerint, ut nec per negotia ipſa, nec per urbanitatem liceat una ſibi eſſe cum ſocio. Ac proinde eos, qui ſocii munere funguntur, noſſe oportet, ubi Domum redierint, Superiori ſignificari Præſentia ſocii in viſitandis mulieribus *Cap. 12. Ordin. Inſtr. pro Confeſſariis, §. 7.* Socii tenentur Superiori aperire, an ſervetur Ordinatio

ficari oportere, quamvis non expoſcenti, quæcumque contra Regulam, & hanc Ordinationem acciderint.

Quomodo litteræ ſcribendæ. *Cap. 15. Ord. generalium à §. 7. uſque ad 13.*

4 In litteris ſcribendis non ſolum ſtricte ſervanda erit Regula 39. Summarii, de non ſcribendis niſi obtenta facultate, & litteris ei oſtenſis, quem Superior deſtinaverit; verumetiam curandum erit diligenter, ne de ſæcularibus negotiis, aut inutilibus, aut ab eo qui ſcribit alienis, litteræ quidquam contineant; cujuſmodi eſſent rumuſculi, nuntii de rebus viro religioſo non conſentaneis, quin etiam formæ quædam ſcribendi, & figuræ, locutioneſque ſæcularem & aulicam conſuetudinem olentes, inania officia, & affectatæ aſſentatiunculæ, & id genus alia, quæ haud parum dedecent. Sed potius ita à Noſtris ſcribatur, ut non res ſolum, ſed ipſe etiam ſcribendi modus ædificationi ſit legenti.

Litteræ mediatorum ad ſubditos. *Ex c. 15. Ordin. §. 14.*

5 Nemini cum ad Generalem, aut mediatos Superiores ſcribit, vel ab iiſdem litteras accipit, licebit eas immediato Superiori oſtendere. Quod ſi litteræ quid contineant, quod immediatum Superiorem noſſe oportebit, id verbo, & non ex ipſis litteris ſignificandum erit.

Litteræ negotia continentes. *Ex form. §. 14. 15. & 16.*

6 Litteræ, quæ negotia continent ſolum ad Præpoſitum Generalem, & non ad alios qui cum ipſo agant, deſtinentur. Poterit tamen ad eos ſcribi, ut illa tractari & expediri curent. Quarum ſi nonnullæ Generalis Procuratoris opera indigere videbuntur, adjecta exterius littera P. notentur.

Litteræ quæ (ſoli) ſcribuntur. *Ex Inſtit. 19. §. 5.*

7 Porro in litteris, quæ (ſoli) inſcribuntur, duo erunt ſcribenti præſtanda: alterum eſt, ut quæ iis committuntur, ejus generis ſint, quæ ſecreto opus habeant, nec cum aliis communicari poſtulent. Alterum, ut cum hujuſmodi ſecreta ſcribunt, ſi de rebus aliis ſcribendum ſit, id ſeorſim faciant, aliis litteris ab eis ſejunctis, quæ (ſoli) inſcribendæ erunt.

Modus in eleemoſynis. *Ex c. 15. Ordin. generalium §. 15.*

8 In eleemoſynis petendis modum haberi oportet, ne nimii aut importuni ſimus: alioquin fideles à nobis, & à noſtris miniſteriis arcentur: unde fructus ſpiritualis peribit, imo & temporalis.

Nihil accipiendum ad uſum proprium. *Ex Dec. 38. ſextæ Congregationis. Dec. 73. §. 13. Cong. 7. Ex Inſtruct. pro Confeſſ. 6.*

9 Intelligant omnes nemini Noſtrorum licere eo maxime titulo, quod cum Principibus, aliiſque viris primariis amiciſſime agant, vel eorum Confeſſarii ſint, ad proprium uſum, ac diſpoſitionem ab eis quidquam accipere: nec ad id Superiores poteſtatem facere poſſe: eo minime impune abire permiſſo, qui hac in re defeciſſe deprehenderetur. Idemque omnino judicium eſſe debet de aliis Confeſſariis, Concionatoribus, Præcepto-

-ribus,

ribus, & ſimilibus erga pœnitentes, devotos, & conſanguineos, & amicos, maxime vero de iis, qui in Miſſionibus verſantur. Quod ſi ſponte aliquid offeratur, aut quippiam mittatur, id juxta Regulam in communem uſum accipiatur & diſpenſetur. *Reg. 64. Præpoſiti, & Reg. 60. Rect.*

10 Intelligant omnes, eam quantitatem, quæ furto ſublata ſatis eſſet ad conſtituendum peccatum mortale contra ſeptimum præceptum, ſufficere ut peccaſſe adverſus votum paupertatis judicetur, ſi quis è Noſtris rem ut propriam vel uſurpet, vel alienet absque Superioris facultate. Quantitas contra votum. *Cap. 17. Ordin.*

11 Nemo in poſterum cuivis Externo, quavis occaſione, Societatis noſtræ annuas communicet ſeu oſtendat. Annuæ externis ne oſtendantur. *Cap. 23. Ordin.*

12 Præter eos, ad quorum officium aliqua ratione pertinet, ut ſunt Conſultores, Admonitores, Confeſſarii, nemo alterius cujuſpiam è Noſtris negotium cum Superiore tractandum, & expediendum ſuſcipiat: nec ulla ratione eam curam intercedendi tamquam propriam ſibi aſſumat; ut cum agitur de aliquo ad Societatem admittendo, vel ab ea dimittendo, vel in eadem retinendo, de quopiam ad hunc vel illum gradum promovendo, ad hæc, vel illa ſtudia applicando; & ſimilibus. Quod ſi cuipiam aliquid ad alios ſpectans Superiori videretur proponendum, id non ratione amicitiæ & particularis affectus fiat, ſed ob majus Societatis bonum, vel ob ſolidam conſolationem ac ſpirituale ejus auxilium, cujus negotium agitur. Et tunc quidem, re prius Domino commendata, ac probe expenſis rationibus, ſatis erit, ſi rem Superiori, vel Admonitori proponat. Atque ita rem tractandam ſuſcipiet, ut minime appareat velle eum ad exitum omnino perducere: multoque minus cum Conſultoribus aget, ut ad ſuam eos ſententiam alliciat. Demum ita rem tranſigat, ut nec Superioribus vel ceteris permoleſtus ſit; ſed totam ejus rei curam ita in eorum manibus relinquat, ut quidquid illi, perpenſis undique rebus omnibus, in Domino ſtatuerint, melius & Divino obſequio magis conſonum fore exiſtimet. Nemo alteri patrocinetur. *Cap. 24. Ord.*

13 Noſtris iter agentibus, ut neceſſario viatico, debito cum amore & caritate providendum erit, ita nulla ratione permittendum, ut pecunia illis detur ad ſuperflua coëmenda & quæ religioſæ paupertati minime conſonant, ut ſunt curioſa & pretioſa: multoque minus ut ab externis ſeu conſanguineis, cum ædificationis jactura, conquiratur. De ſuperflua pecunia in viaticis. *Ex Inſtr. ad renov. ſpir. §. 3.*

14 Nulla ratione permittatur, ut Noſtri apud ſe habeant, ſecumve ferant quædam, quæ pauperibus, quales nos ſumus, minime conveniant, Curioſa, & pretioſa interdicuntur.

Ex Inſtr. ad renov ſpir. §. 7. D. 73 §. 4. Cong. 7.

ut ſunt horologia rotata & affabre facta, imagines multi valoris, reliquiaria curioſa & pretioſa, quæ aurei unius valorem excedant, aliaque id genus.

Ex inſtr. ſpir. 6. Cong

Libris propriis quomodo utendum.

Ex Inſtr. pro ren. ſpir. §. 5.

15 Nemo in libris, quos de Superiorum licentia apud ſe habet, inſcribat (*ad uſum*) quod paupertatis perfectioni & puritati repugnat: ſed in iis, quos de Superioris licentia externorum pecunia coëmerit, ut ipſe utatur (qui tamen ex uno in aliud Collegium aſportandi non erunt) ſatis erit inſcribere nomen Collegii, vel Domus, cui ſunt applicati.

Promiſſio ingrediendi Societatem, eſt votum.

Ex Can. 2. Congr 5. D. 16.

16 Sciant omnes, promiſſionem illam Societatem ingrediendi, formula votorum ſimplicium Scholaſticorum expreſſam, votum eſſe peculiare, à tribus aliis diſtinctum; quo quis ſe obligat ad acceptandum gradum Profeſſorum, vel Coadjutorum formatorum, prout Præpoſito Generali ad majus Dei obſequium fore videbitur.

Regulæ Summarii 24. interpretatio.

Can. 7. Congreg. 5. Par. 3. c. 1. §. 7.

17 Intelligant verba illa Regulæ Summarii (*nullaque re tamquam propria utantur*) ſic eſſe accipienda, ut ii, qui tria vota ſubſtantialia emiſerunt, non ſolum contra votum peccent, ſi re aliqua tamquam propria utantur; ſed ſi ii quoque, qui nondum ſe ſuis bonis abdicarunt, quacumque ratione de iis diſponant, vel ea diſtribuant, aut iis ſe abdicent, cum absque Superioris voluntate id fecerint.

Negotia ſtatus ſub cenſuris interdicuntur.

Ex Can. 10. Cong. 5. D. 63. & 101.

18 Vt ab omni ſpecie mali abſtineamus, & querelis quoque ex falſis ſuſpicionibus provenientibus, quoad ejus fieri poterit, occurramus; præcipitur Noſtris omnibus in virtute obedientiæ, & ſub pœna inhabilitatis ad quævis officia, & dignitates, ſeu prælationes, vocisque tam activæ, quam paſſivæ privationis; ne quiſpiam publicis, & ſæcularibus Principum negotiis, quæ ad rationem ſtatus (ut vocant) pertinent, ulla ratione ſe immiſcere; nec etiam quantumvis per quoscumque requiſitus, aut rogatus, ejusmodi res politicas tractandi curam ſuſcipere audeat vel præſumat.

Sæcularia quoque negotia prohibentur.

Ex Can. 13. Congreg. 5.

19 Diligentiſſime cavendum eſt, ne Noſtri cum detrimento ſpiritualis boni, ac religioſæ diſciplinæ jactura, ſe ſe in familiaritatem Principum inſinuent: nec aliis negotiis ſæcularibus, licet rerum particularium ad conſanguineos, amicos, vel quosvis alios pertinentibus occupentur, (niſi forte interdum judicio Superiorum caritas aliud ſuaderet) ut à negotiis hujusmodi, tamquam à nobis alienis abſtinentes, intra Inſtituti noſtri limites proximos juvare conemur.

20 Omnes

20 Omnes quotannis vacent ſpiritualibus Exercitiis obeundis per octo vel decem continuos dies.

Exercitia quotannis obeunda. Ex Can. 9. Congreg. 6.

21 Intelligant omnes oportet, quemadmodum dato ſigno ad finem recreationis, ſtatim conticendum eſt; ita cum foras eundum erit, minime loqui licere intra Vrbem, ubi frequens eſt populus, juxta Regulæ de ſilentio intellectum: & qui in refectorio, vel in culina, tempore primæ aut ſecundæ menſæ miniſtrant, noverint eamdem ſibi legem eſſe ſervandam, quamvis ſecundæ recreationi iidem intereſſe poterunt.

Silentii Regulæ interpretatio. Ex Dep. pro ren. ſpir.

22 Studeant omnes recreationis tempus religioſe tranſigere, ne ſpiritus liberiore converſatione intepeſcat, plurimumque diſtrahatur: curentque rerum curioſarum ac ludicrarum narratiunculis amandatis, ea, quæ pios Religioſos decet, loqui aſſueſcere; quo fiet, ut cum erit nobis cum Externis agendum, ea colloquia miſcere noverimus, quæ pietatem oleant, & audientes ædificent.

Recreatio religioſe tranſigenda. Ex eadem.

CAPVT V.
De Caſibus Reſervatis in Societate.

Iuxta Decretum S. D. N. Clementis VIII. de caſuum reſervatione pro Regularibus.

1.

SANCTISSIMVS D. N. qui jam pridem accurate perpendit, & reipſa comperit, quod reſervatio facultatis abſolvendi Religioſos pœnitentes à peccatis quibusdam gravioribus, niſi Superiores admodum prudenter ac moderatè illa utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori ſuo conſcientiæ maculas detegere formidant, adducere poſſet in æternæ damnationis periculum, & ſpiriritualis remedii deſperationem. Ideo ut huic malo ſua Sanctitas opportune proſpiceret, decrevit, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſervet, exceptis iis, quæ ſequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout ſubditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverit.

Caſuum reſervatione prudenter utendum.

2 I. Veneficia, Incantationes, Sortilegia. II. Apoſtaſia à Religione, ſive habitu dimiſſo, ſive retento, quando eò pervenerit, ut extra ſepta Monaſterii, ſeu Conventus egreſſio fiat. III. Nocturna ac furtiva è Monaſterio ſeu Conventu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta. IV. Proprie-

Qui reſervari poſſint.

prietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. V. Iuramentum falſum in judicio regulari ſeu legitimo. VI. Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto. VII. Falſificatio manus, aut ſigilli officialium Monaſterii, aut Conventus. VIII. Furtum de rebus Monaſterii ſive Conventus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale. IX. Lapſus carnis voluntarius, opere conſummatus. X. Occiſio, aut vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujusque perſonæ. XI. Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.

Facultas reſervandi cui concedatur.

3 Si quod aliud præterea peccatum grave pro Religionis conſervatione, aut pro conſcientiæ puritate reſervandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, matura diſcuſſione & conſenſu.

Quando Superior audire poterit confeſſiones ſubditorum.

4 Non liceat Superioribus Regularium confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſervatum admiſerint; aut ipſimet ſubditi ſponte, aut proprio motu id ab eis petierint.

Deputandi pro abſolutione à reſervatis.

5 Superiores in ſingulis Domibus deputent duos, tres, aut quatuor Confeſſarios pro ſubditorum numero majori vel minori; iique ſint docti, prudentes, & caritate præditi, qui à non reſervatis eos abſolvant, & quibus etiam reſervatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi ipſe in primis Confeſſarius judicaverit.

Interdicitur notitia per confeſſionem habita.

6 Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarii, qui poſtea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

Superioris erit pœnitentias determinare.

7 Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis, etiam non reſervatis, à Confeſſariis imponendas, quæ ſubditos ab hujusmodi perpetrandis cohibere poſſint.

Derogatur omnibus privilegiis.

Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi ſint, obſervari mandavit, non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac cujusvis Concilii, etiam generalis, Decretis; necnon conſuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore obſervatis, aut Regulis in Generalibus, aut Provincialibus Capitulis editis, Statutis, & Conſtitutionibus, etiam Apoſtolica auctoritate confirmatis, privilegiis, indultis, & conceſſionibus quibuscumque (quorum tenores hic pro expreſſis haberi

beri vo'uit) ceteriſque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum die 26. Maji 1594.

Andreas Sorbolongus Secret.

S. D. N. Clemens VIII. cum noſtra Societate diſpenſavit, & vivæ vocis oraculo conceſſit:

I.

VT cum prohibentur Superiores audire ſubditorum confeſſiones, ſupra §. 4. non intelligantur Superiores, qui ſunt Magiſtri Novitiorum. Novitiorum Magiſtri excipiuntur.

2 Ne in ſingulis Domibus, præter Confeſſarium ordinarium, teneantur deputare duos, vel plures Confeſſarios, qui à reſervatis abſolvant, ut dicitur ſupra § 5. Non tenemur deputare Confeſſarios pro reſervatis.

3 Ne judicium à reſervatis abſolvendi, Confeſſariis abſolute relinquatur, ut in eodem §. dicitur, ſed liceat interdum (quod omnino neceſſarium eſt) Superiori, pro ratione ſui officii, hujusmodi facultatem denegare in iis caſibus, in quibus conſtat, juxta ea quæ Doctores dicunt, & diſcreta caritas docet, licentiam hujusmodi eſſe denegandam, ut plenius in Inſtructione explicabitur. Superior denegare poterit abſolutionem, &c.

Caſus, quorum abſolutio reſervata eſt Superioribus Societatis, auctoritate quintæ Congregationis generalis editi, & obſervandi, præter eos, qui ſupra ſcripto Decreto S. D. N. Clementis VIII. omnibus Regularibus reſervantur, juxta §. 2. dicti Decreti.

Dec. 67, & 73.

I.

PERIVRIVM, & falſum teſtimonium in judicio, vel extra. 2. Furtum & uſurpatio alicujus rei contra Votum paupertatis, in ea quantitate, quæ efficiat peccatum mortale. 3. Lapſus carnis voluntarius, & quidquid eſt contra Votum caſtitatis, quod in actum externum prodeat. 4. Inobedientia expreſſa, qua quis aſſerit ſe nolle parere. 5. Seditio in Superiorem, & diviſio à capite in grave nocumentum Societatis. 6. Detractio famæ, bonæque exiſtimationis aliorum, & diſcordiarum ſeminatio inter fratres. Caſus reſervati pro Noſtris in V. generali Cong.

fratres. 7. Impedimentum excludens è Societate reticuiſſe in examine, vel in eo mentitum eſſe, unde grave aliquod incommodum oriri poſſit. 8. Acceptio, ſeu miſſio litterarum absque licentia expreſſa, quæ ſcilicet acceptio vel miſſio contineat rationem peccati mortalis. 9. Transgreſſio Votorum ſimplicium, quæ Profeſſi emittunt poſt profeſſionem. 10. Cenſuræ Societatis noſtræ, ſeu peccata, quæ in noſtris Conſtitutionibus, Bullis, vel Decretis annexam habent excommunicationem.

Quando cenſentur reſervata.

Hæc omnia cum manifeſte erunt mortalia, & in actum exteriorem prodierint, reſervantur Superiori Domus, vel Collegii: & ab alio, niſi de expreſſa licentia illius, abſolvi non poſſunt.

Capvt VI.

Pro Superioribus, & Confeſſariis Societatis.

Circa caſus reſervatos.

I.

Superior non debet eſſe difficilis.

QVANDO Confeſſarius, tacito nomine pœnitentis, à Superiore petit facultatem abſolvendi à caſu reſervato, nullo modo Superior difficilis eſſe debet, ſed facilis potius & promptus in ea concedenda: immo eum perſuadere ſibi convenit, poſſe ſe hac in re graviter offendere, ſi imprudenter, & ſine juſta gravique cauſa eam negat.

Quomodo & quando facultatem negabit.

2 Quia tamen & Doctores cenſent, Superiorem interdum debere pro ratione ſui officii, hujusmodi facultatem negare; attendat is diligenter, ut id raro faciat, & in iis tantum caſibus, in quibus docebit diſcreta caritas (juxta ea, quæ iidem Doctores tradunt) licentiam hujusmodi eſſe denegandam; ut, verbi gratia, cum probabiliter timeri poterit ſcandalum, aut recidivum pœnitentis, aut alterius. In hujusmodi enim, quæ inducunt neceſſitatem vitandi ſcandalum, vel damnum Collegii, aut alterius ruinam, manifeſtum eſt, pœnitentem teneri per ſe, vel per Confeſſarium rem ipſam Superiori manifeſtare, tamquam illi, qui remedium neceſſarium adhibere poteſt, ſalvo tamen ſigillo, ut oportet.

A quibus Superiori & Confeſſario cavendum.

3 Caveat vero Superior, ne, cum ab eo petitur facultas, curioſe inquirat, aut aliud quid faciat, unde conjicere poſſit quis ille ſit, pro quo petitur; & ne circumſtantias alias exquirat, quam quæ ad rem pertinent. Caveat etiam Confeſſarius, ne quid elabatur, ex quo pœnitens cognoſci poſſit: qui ſi ti-

ſi timet, ne ex notitia alicujus rei poſſit Superior probabiliter ſuſpicari, quis ille ſit; ſciat ſe omnino eam reticere debere, & omnem cautelam adhibere in caſu proponendo, ne ulla ratione Superior poſſit probabiliter agnoſcere auctorem. In quo ſi viderit, proponendo caſum in ſpecie, occaſionem ſuſpicionis Superiori dari, ſatis erit, ſi in genere dicat aliquem in caſum reſervatum incidiſſe, qui nec damnum Societati, nec alteri, nec ipſi pœnitenti afferre poſſit. Vterque denique tam Superior, quam Confeſſarius, memores ſint obligationis ſigilli, & ita ſe gerant, ut ejus puritati & integritati per omnia conſulant.

Cum Superior, & Confeſſarius non conveniunt quid agendum.

4 Quod ſi poſt relationem factam à Confeſſario de caſu, & circumſtantiis, quæ ſalvo ſigillo indicari poſſint, judicat Superior facultatem non eſſe concedendam; & hoc non obſtante Confeſſarius urget, hujuſmodi Superioris ſeveritatem in majus detrimentum ſpirituale, ruinam, & laqueum pœnitentis cadere, quod videat illum obfirmato eſſe animo, & nullo modo velle Superiorem adire, (in cujus rei judicio Confeſſarii conſcientia oneratur) tentanda erunt media aliqua, de quibus pro re nata Superior & Confeſſarius inter ſe conferent, ac tandem, ſi nullum aliud reperiatur, Superior facultatem negare non debet.

Quando per alium facultatem petet,

5 Porro cum ſubditus non per Confeſſarium ordinarium, ſed per alium Sacerdotem facultatem petit, non facile acquieſcere debet Superior, niſi Sacerdos ille talis ſit, cui merito committi poſſit: è converſo contingere poterit in aliquo caſu, ut ſi nolit ſubditus Superiorem adire, expediat à Superiore deſignari aliquem ex ſenioribus doctum, prudentem, ſpiritu & caritate plenum, qui melius, aut æque bene ipſi mederi poſſit, ac Confesſarius ordinarius: id enim non erit abs re aliquando facere.

Facultas abſolvendi iter agentes.

6 Ceterum hæc de iis intelligenda ſunt, qui in Societatis Domibus vel Collegiis reſident: nam de iter agentibus quando ad aliquem Societatis locum divertunt, aliter judicandum eſt; quos nempe poteſt à reſervatis ordinarius loci illius Confeſſor abſolvere, aut ſi is haberi non poſſit, quilibet alius Societatis Sacerdos approbatus; aut ſi is quoque deſit, etiam externus. In omnibus tamen his caſibus cum onere & obligatione, ut ſe ſiſtant poſtmodum Superiori ſuo, ad quem ituri vel redituri ſunt; eique, aut alteri de ejus licentia, confiteantur. Si vero accidat, ut aliquis tamquam hoſpes ſit in aliquo Collegio, diu tamen ibi moraturus (puta ſpatio unius, aut alterius circiter menſis) ſi is eo tempore in caſum aliquem reſervatum inci-

Obligatio ſe Superiori ſiſtendi.

Diverſa ratio commorantis in Collegio ſpatio unius, vel alterius menſis.

inci-

incideret, poterit ac debebit abſolvi à Superiore illius loci, in quo eſt, vel de ejus licentia; tamquam ſi proprius eſſet ejus ſubditus, ſine obligatione ſiſtendi ſe Superiori ejus loci, ad quem proprie pertinet. Idem autem quoad obligationem ſe ſiſtendi, ſervandum eſt Confeſſariis Rectorum, & aliorum Superiorum localium, quando ii (quod Deus avertat) in aliquem caſum reſervatum inciderent, & non eſſet præſens Provincialis, cui talia reſervantur. Idem quoque ipſorum Provincialium Confeſſariis, cum præſens non eſſet is, qui ad eum finem à Generali eſſet deſtinatus.

Obligatio ſiſtendi eadem eſt pro Superioribus.

In dubiis Confeſſarius poteſt abſolvere.

7 Ad extremum, ut omnes eximantur ſcrupuli, & majori cum fiducia ac libertate procedatur; cum Confeſſarius bona fide dubitat, an mortale ſit, quod proponitur; ab eo, etiamſi ex genere ſuo reſervatum ſit, poteſt abſolvere, licet hujusmodi dubitatio ex ignorantia procedat: ſed neque poſtea ſi animadverterit manifeſte fuiſſe mortale, repetenda erit confeſſio: bona ſiquidem, & vera fuit abſolutio.

Qua cautela utendum Confeſſariis circa pœnitentes.

8 Et hæc quidem de caſibus reſervatis. Ceterum quia propter multas & maximas utilitates non modo in caſibus reſervatis, ſed etiam in aliis, quæ nec reſervata ſunt, & interdum nec etiam mortalia, ut ſunt peccandi pericula, diuturnæ tentationes, & hujusmodi, valde expedit, & pœnitenti mirum in modum utile eſt, ſi ſyncere cor ſuum Superiori aperiat; non prætermittat Confeſſarius in hujusmodi caſibus, prudenter eas utilitates pœnitenti ſuggerendo, illum hortari, ut Superiorem adeat. Quod ſi ſuaviter obtinere nequeat, non erit tandem pœnitens nimis urgendus; niſi alioqui caſus eſſet ex iis, in quibus, ut dictum eſt, teneretur pœnitens rem manifeſtare, & alioqui non eſſet capax abſolutionis.

Caput VII.

De Promovendis ad Ordines Sacros.

Quænam requirantur, & ſpectari debeant in Noſtris, qui ad ſacros Ordines promovendi ſunt.

A. R. P. N. Everardo Mercuriano Præpoſito Generali tradita anno 1576.

1.

Ætas.

VT ætate ſit, quam in ſingulis ſacris Ordinibus requirit Concilium Tridentinum.

2 Vt naturali judicio, & prudentia valeat. Iudicium.

3 Vt linguam Latinam teneat, & bene legere ac pronuntiare ſciat. Latina lingua.

4 Vt in ſtudiis litterarum, ſaltem in Caſibus conſcientiæ, diligenter verſatus ſit: ita ut cum ad Sacerdotium promovetur, fructuoſe confeſſiones audire poſſit. In caſibus verſatus.

5 Vt iis moribus, ſpiritu, ac vita religioſa & exemplari, præſertim autem reſignatione, & humilitate ſit præditus, quæ ad tantum miniſterium obeundum ſunt neceſſaria. In ſpiritu ac moribus probatus.

6 Vt conſueta Societatis vota emiſerit, & quinquennium ſaltem in Societate exegerit, atque in vocatione ſua ſtabilis ac firmus ſit. Nonniſi poſt quinquennium in Societate.

7 Vt ad docendum doctrinam Chriſtianam pueros ac rudiores perſonas idoneus ſit, & in ratione Miſſæ dicendæ, & in cæremoniis bene inſtructus, juxta Conſtitutiones. *Dec. 73 §. 1. Congreg. 7.* Ad doctrinam Chriſtianam docendam idoneus.

Hæc omnia Provincialis, conſilio ſuorum Conſultorum adhibito, perpendet: quæ ſi invenerit, facultatem poterit ſuis concedere, ut promoveantur ad omnes ſacros Ordines, & ubi promoti fuerint, certiorem faciat Generalem. Facultas Provinciali datur.

CAPVT VIII.

De Libris Ordinationum.

Quinam neceſſarii, & qualiter diſtribuendi in Collegiis, ſeu Domibus Societatis videantur.

I.

PRIMVS liber continebit Ordinationes majoris momenti: & hujus fit mentio in Regula 135. Provincialis, & 16. Rectoris. Dividetur autem in tres partes; In prima ſcribentur Ordinationes majoris momenti & perpetuæ, quæ à Generalibus mittuntur, juxta Regulam 16. Rectoris. In ſecunda parte ſcribentur viſitationes Collegii, à Generali approbatæ; ea ſcilicet, quæ in illis viſitationibus majoris momenti & perpetua fuerint, juxta eamdem Regulam 16. In tertia parte ſcribentur ejus generis Ordinationes perpetuæ, quas in hoc libro ſcribendas eſſe Reg. 135. Provincialis poſteriori parte exigit; ſive illæ toti Provinciæ communes ſint, ſive uni tantum Collegio, in quo liber eſt, conveniant. Huc etiam ſpectant reſponſa P. No- Primus liber Ordinationes majoris momenti continet. Dividitur in tres partes.

 ſtri

ſtri ad quæſita particularia illius Collegii, vel Provinciæ, non tamen Procuratorum, ſed alio tempore data.

Secundus liber continet reſponſa Generalium ad Provincias.

2 Secundus liber continebit reſponſa Generalium ad quæſita Provinciarum. Et habebit duas partes: In prima reſponſa Generalium, quæ Provinciæ illi per Procuratorem, qui tertio quoque anno Romam mittitur, dantur. In ſecunda parte ſcribentur reſponſa poſt Congregationem Procuratorum, ſive alias diverſis Provinciis data, & communicata, ſive ad majorem notitiam, ſive ut ab omnibus Provinciis obſerventur.

Tertius reſolutiones caſuum.

3 Tertius liber continebit reſolutiones caſuum difficiliorum, quæ ex Vrbe accipiuntur.

Quartus Epiſtolas Generalium.

4 Quartus liber erit is, in quo ſcribantur Epiſtolæ Patrum Generalium adhortatoriæ, quæ communes toti Societati ab illis ſcribuntur, nec typis evulgantur.

Quintus Ordinationes temporaneas.

5 Quintus liber continebit Ordinationes temporaneas ex Vrbe miſſas, ſeu ex viſitationibus approbatas, ut habetur Regula 16. Rectoris.

Sextus nomina emittentium vota.

6 Sextus liber habebit nomina eorum, qui emittunt vota ſolemnia, & vota ſimplicia in illa Domo, vel Collegio, juxta Regulam Præpoſiti 12. & Rectoris 11.

Dec. 51. Congr. 7.

7 Septimus liber erit liber Conſuetudinum, in quem receptæ, & à Provincialibus approbatæ referantur. Idemque etiam Viſitatoribus in viſitationibus probandus offerri debet.

LIBRI

Ordinationum eorumque diſtributio in Archivio Provinciæ, juxta Regulam 29. Provincialis.

I.

Quæ contineantur in primo libro Archivii Provinciæ.

PRIMVS liber conveniet in prima & ſecunda parte, cum libro primo Collegiorum; in tertia vero parte ſcribentur tantum Ordinationes in tertia parte primi libri Collegiorum expreſſæ, quæ communes ſunt toti Provinciæ.

Quæ in ſecundo.

2 Secundus liber continebit Ordinationes Provincialium, proprias ſingulis Collegiis, tam à Generali approbatas, quam cum Generali non communicatas, alicujus tamen momenti, nec tempotaneas. Approbatis à Generali adſcribetur in margine, Approbatæ. Habebit tot partes hic liber ſecundus, quot loca ſunt in Provincia.

3 Ter-

3 Tertius liber continebit Acta Congregationum Provincialium, cum reſponſionibus Generalium; & conſtabit duabus partibus: In prima parte deſcribentur primum Acta omnium Congregationum Provincialium illius Provinciæ: deinde propoſita tam Congregationis, quam Provincialis nomine, cum reſponſionibus ad illa. Secunda pars continebit reſponſiones diverſis Provinciis Romæ datas, & omnibus Provinciis communicatas. Quæ in tertio,

4 Quartus liber continebit reſolutiones caſuum difficiliorum, quæ ex Vrbe dantur. Quæ in reliquis.

5 Quintus liber continebit Epiſtolas Generalium, quæ typis non ſunt mandatæ.

6 Sextus liber habebit nomina eorum, qui emittunt vota ſolemnia & vota ſimplicia in illa Provincia, juxta Regulam 72. Provincialis.

7 Septimus liber erit, ubi ſcribuntur, qui ſacris initiantur, qua de re fuit ſcriptum ad omnes Provinciales ſub 1. Decembris 1591.

CAPVT IX.

De Viſitandis Provincialibus.

Capita præcipuarum rerum, de quibus iidem officio functi reddituri ſunt rationem.

A. R. P. N. Claudio Aquaviva Præpoſito Generali ad Provincias miſſa anno 1597.

I.

VT in re tanti momenti, quæ non parum ad rectam gubernationem conducit & in Congregatione generali maxime nobis commendata, æquum videtur, ſi quid à Provincialibus peccatum eſt, quod admonitione vel emendatione indigeat, id ad Præpoſitum Generalem referri, ut pro ſua erga Societatem & ſingula ejus membra vigilantia & caritate, ut par eſt, reipſa proſpiciat; ita illud in primis cavendum, ne hac occaſione via aperiatur innumeris querelis & ſubditorum licentiæ, qui quaſi ſuſpenſo animo exiſtiment, abſoluto Ptovincialis officio, fore ut reſcindantur, aut certe retractentur quæ circa eos ſtatuta & ordinata fuerant. Ex quo fieret, ut debilior obedientia in dies redderetur, dum exiſtimant futurum, ut Superior, ne hac moleſtia gravetur, facile indulgeat, ac neminem contriſtare velit. Hujus Ordinationis neceſſitas.

Quæ

Cautio magnopere adhibenda. Quæ ſane res quam pernicioſa futura eſſet Societati & rectæ gubernationi, ; emo eſt qui non videat. Ac proinde cui mandata cura hæc fuerit, pro viribus annitendum erit, ut caute omnino ac prudenter ſe gerat in hoc munere obeundo, ita ut nec Superiorum exiſtimationi, famæque officiat, dum ſubditorum querelis æquo plus tribuit; nec ſuo muneri deſit, dum in erratis Superiorum remiſſe connivet. De quibus reddenda ratio. Capita autem præcipua, de quibus rationem exiget, hæc fere erunt quæ ſequuntur.

An viſitaverit. 2 An viſitaverit ſingulis annis loca Provinciæ juxta Regulas, & fideliter de omnibus informaverit Generalem.

An ſubditorum querelas audierit. An ſubditorum querelas de immediatis Superioribus benigne audierit; & localium Superiorum defectus, ſi quos compererit, correxerit; & tum de remedio adhibito Præpoſitum Generalem monuerit.

An rationem conſcientiæ acceperit. An acceperit rationem conſcientiæ ab omnibus etiam Superioribus, juxta ipſius Regulam & Inſtructionem datam.

De puritate paupertatis. An diligenter curaverit, ne quid contra puritatem paupertatis irrepat, facile concedendo, ut ab amicis & parentibus accipiant contra Regulam 90 ſui officii.

De admittendis. An plures admiſerit in Societatem, quam qui neceſſarii ſunt; & eorum habuerit delectum juxta Conſtitutiones & Ordinationem datam.

De dimittendis. An obſervaverit diligenter Regulam 41 ſui officii, ut ſcilicet dimitti curaverit eos, qui minus idonei ad noſtrum Inſtitutum videbantur.

De informationibus ad gradus. An abſoluta viſitatione informationes fecerit & miſerit eorum, qui ad gradus juxta Inſtructionem promovendi ſunt: & ſimiliter ſuo tempore de idoneis ad gubernandum.

De ære alieno. An curaverit ne ære alieno graventur Collegia, præſertim ad fabricas non neceſſarias juxta Ordinationem.

De miniſteriis. An curaverit miniſteria omnia Societatis juxta Inſtitutum promovere, operarios idoneos habere, & Miſſiones facere.

De Seminariis inſtituendis, & politica gubernatione. An curaverit Seminaria in Provincia inſtituere Sacerdotum, ſeu Confeſſariorum, & Præceptorum, ſeu litterarum humaniorum. An periculum fecerit de idoneis ad gubernandum: & an eos qui actu gubernant, in recta & ſpirituali ratione gubernandi juxta noſtras Conſtitutiones, non in humana & politica debite inſtruxerit, atque eos in illa promovere ſtuduerit. An Concionatores juxta Regulas ipſorum exercere curaverit.

De ſtudiis. An ſtudia omnia juxta rationem ſtudiorum promoverit.

An

An Ordinationes Generalis Conſultoribus communicaverit. An illos libenter audierit, præſertim Admonitorem, ſeu Socium: & quomodo Ordinationes obſerventur, fideliter Generalem fecerit certiorem. De Ordinationibus.

3 Circa praxim vero hæc videntur obſervanda. Si is, cui Provincialis ſui officii rationem redditurus eſt, Viſitator fuerit, ex Inſtructione tum communi, tum etiam particulari ſatis perſpectam habebit Societatis mentem; & ex ipſomet Provincialis officio, vel Regulis, quibus id continetur; & ex capitibus, quæ ſupra poſuimus, optime intelliget, circa quæ verſari, & de quibus Præpoſitum Generalem monere debeat. Quæ circa praxim ſervanda.

Si vero fuerit novus Provincialis, quoad capita quidem informationum, iis utetur, quæ hic ponuntur; quoad modum vero, hic procul dubio ab eo quo Viſitator uteretur, omnino diverſus eſſe debet. Nam cum nec ab eo Provincialis, qui officio defunctus eſt, corrigi debeat; nec quæ ab eo ſtatuta ſunt, immutari poſſint; huc tantum ſpectabit, ut liquido intelligat, præſertim à Conſultoribus Provincialis, in quibus is erraverit: & de iis ſyncere Generalem informet, ita tamen ut antea à Provinciali, de quo agitur, accipiat rationem eorum, quæ illi objiciuntur.

Caput X.

Pro Conſultoribus.

CAPITA

De quibus ſcribent ad Generalem Conſultores.

A. R. P. N. Claudio Aquaviva Præpoſito Generali miſſa ad Provincias anno 1597.

1.

Quoniam ad bonam Societatis gubernationem refert plurimum, ut Conſultores cum Præpoſitorum localium, tum & Provincialium, plenam & utilem de gubernatione Superiorum, quorum ſunt Conſultores, Præpoſito Generali informationem mittant; atque in ea re experientia hactenus nos docuerit, à plurimis, non ſine detrimento communis boni, nonnumquam errari; viſum eſt omnino operæ pretium ad eorum inſtructionem capita nonnulla attingere, de quibus ſcribendum ſibi eſſe, juxta formulam ſcribendi, & Conſultorum Regulas intelligant. Et quidem Neceſſitas Generalem informandi.

ſuper omnia id juvabit, ut percurrant Regulas ſuorum Superiorum diligenter, quas juxta 14 ſui officii tenere debent, tum Ordinationes Generalium, quæ illis communicandæ ſunt, ut non ſemel præſcripſimus: poſtremo ut ad certa quædam capita univerſam gubernationem referant, de quibus ſi breviter & accurate ſcripſerint, omnes neceſſitates Provinciæ, & univerſa illius gubernatio Præpoſito Generali perſpicue conſtabit.

Quæ à Conſultoribus legenda.

Capita de quibus ſcribitur.

2 Ea autem fere eſſe poſſunt, quæ ſequuntur.

Primo, de admittendis in Societatem, & inſtruendis in Novitiatu.

Secundo, de gubernatione ſcholaſticorum noſtrorum.

Tertio, de profectu in ſpiritu, ſtudio orationis & virtutum.

Quarto, de diſciplina domeſtica, obſervatione votorum & Regularum.

Quinto, de litterarum ſtudiis, tam quoad Noſtros, quam quoad externos.

Sexto, de miniſteriis, & fructu cum proximis per miſſiones, conciones, confeſſiones.

Septimo, de gubernatione Superiorum ſpirituali, ſuavi, exacta; vel contra.

Octavo, de rebus temporalibus, reditibus, debitis.

Nono, de Regula 18. Sacerdotum, & de executione eorum, quæ alias circa illam in Ordinationibus generalibus, & nunc poſtremum in litteris noſtris datis ad Provinciales 21. Septembris, 1606. ſcripta ſunt.

Decimo, an aliquid ſcandali & offenſionis acciderit; & quid remedii fuerit adhibitum: & quomodo cum externis, præſertim cum Prælatis & Principibus viris pax & benevolentia conſerventur.

Quæ in ſcribendo ſervanda videntur.

3 Poſtremo hæc pauca monendos eſſe duximus Conſultores omnes, (quæ non parum prodeſſe poterunt ad ſuo munere recte fungendum) primum ne ejuſmodi litteris, in quibus publica duntaxat, & quæ ad ſtatus ſuæ Provinciæ aut Collegii notitiam pertinent, contineri oportet, privata aut diverſi generis à ſuperiore argumento admiſceant: cum de ſuis, aliiſque ſi neceſſe fuerit, ſeparatim ad nos ſcribere poſſint. Deinde, ut hæ litteræ de foris ex nota aliqua in tergo appoſita, videlicet CC. geminata, à Conſultoribus conſcriptæ eſſe dignoſcantur. Demum, ut impigri, quando ex Formula ſcribendum eſt, quamvis à nullo moniti primo quoque tempore ad nos illas mittant; Conſultores quidem Provincialis menſe Ianuario &

Iulio

Iulio; Conſultores vero Superiorum localium ſemel quotannis, menſe Ianuario.

Capvt XI.
De Confeſſariis Principum.

A. R. P. N. Claudio Aquaviva Præpoſito Generali anno 1602. confecta.

1.

Principio ſtatuendum eſt, quandocumque Societas hujusmodi officia defugere non poterit (eo quod varias ob circumſtantias major Dei D. N. gloria ſic exigere videatur) ita demum in deligenda perſona, exercendique ejus muneris ratione procedendum eſſe, ut & Princeps inde adjuvetur, & populus ædificetur, & Societas detrimentum non capiat; cum incidant ſæpe caſus, in quibus præter alia incommoda Societas unius loci cauſa, in aliis pluribus non levia damna ſuſtineat. Quapropter re Divinæ Majeſtati plurimis ſacrificiis, & orationibus commendata, matureque cum Patribus Aſſiſtentibus conſultata, hæc, quæ ſequuntur, decernenda in Domino cenſuimus. Quæ ſi cui forte Principum minus aliquando probarentur, tum illis omni cum modeſtia & humilitate ſignificandum erit, per leges noſtras his ſolum & non aliis conditionibus ſuſcipi à nobis id oneris poſſe. Speramus autem tales fore, ut cum religionis commodo & conſervatione, magnam ſimul omnium ædificationem, Principisque utilitatem conjunctam habeant. *Neceſſitas hujus Ordinationis.* *Commoda.*

2 Primum Confeſſarius hic in Domo ſeu Collegio noſtro ſemper habitare debet, & pro ſubdito ſe gerere, ut ante ſolebat: communemque diſciplinam perinde ac ceteri omnes obſervare, nec exemptionem ullam aut privilegium hoc nomine habere. Et quamquam varia ob negotia, quæ incidere poſſunt ad Principem ſpectantia, & ſecretum jure poſtulantia, permitti eis debeat, ut litteras ſchedasve ſcribant, vel accipiant tum ab ipſo, tum à Secretario, & aliis, quibus Princeps id demandarit; minime tamen propterea exiſtiment generalem ſibi factam eſſe poteſtatem, ut hac occaſione ad noſtros, vel ad externos officiales, aliosque ſcribant; ſed Regulam prorſus obſervent: & Provincialis, ſi quem usquam abuſum deprehendat, etiam præceptum imponat, Regulamque ad verbum ſervari jubeat. Multoque minus permittendum eſt, ut accipiant vel retineant pecunias, diſpen- *Domi noſtræ habitet.* *De litteris ſcribendis ſervetur Regula, ſicut & dandi & accipiendi.*

Sine facultate ne egrediatur.

ſent, dent, vel acceptent munera. Quoniam hæc & cetera id genus, quale eſt domo exire abſque facultate, & quolibet pergere pro arbitrio, religionem omnem ac ſpiritum in ſingulis deſtruunt, nihilque ad Principis obſequium, rectamque hujus muneris functionem conducunt.

In itinere ubi pernoctet.

3 Diverſari, aut pernoctare in aula non poterit, quibus in locis domicilium fuerit Societatis: quin etiam ubi Princeps illum in itineribus, locorumque mutationibus ſecum manere vellet, à Provinciali, aut cujus id intererit, facultate obtenta, major futura eſt ædificatio, ſi procuret, ut in aliquo Religioſorum conventu, aut apud honeſtum quempiam Sacerdotem extra aulam commoretur. Tum autem curare ſimul debet, ut ſocium ad ſuam conſolationem, actionumque ſuarum teſtimonium præſentem ſemper habeat.

Ne ſe negotiis immiſceat.

4 Caveat, ne ſe implicet externis negotiis ac politicis, memor eorum, quæ à V. Congregatione Generali ſeveriſſime præſcribuntur Can. 12. & 13. ſed in ea ſolum incumbat, quæ ad Principis conſcientiam pertinent, vel ad illam referuntur, aut in alia certa pia opera; diligenterque vitare debet, ne aulam nimis frequentet, aut eo non vocatus ſe conferat, niſi pia aliqua neceſſitas, aut grave quidpiam, quod neceſſario ſuggerendum videatur, ire compellat. Intereſtque magnopere, ut Princeps ipſe alia illi negotia interdicat. Sic enim & majore cum libertate atque integritate munus ſuum obibit; & pœnitens vacuus ac liber erit à multis moleſtiis, quas creare ſolent, qui opera Confeſſariorum ad privata ſua commoda uti volunt.

Nihil procuret.

5 Nullo modo ſuam operam interponat ad compoſitiones, ut vocant, ineundas, favorique aut muneri conciliando, vel ad gratiam juſtitiamve ulli procurandam: cum talia etiam in caſibus licitis ſcandalo eſſe ſoleant, ſi à Confeſſario, præſertim Religioſo, tractari videantur.

Gubernationi ne ſe inſinuet.

6 Animadvertat, quanto majori in gratia fuerit apud Principem, ita ut aliqua per illum auctoritate uti poſſit; ne umquam propterea verbo, nedum ſcripto, res ullas aut negotia Principis miniſtris commendanda ſuſcipiat: ſed ubi pia res foret, ac Superioris judicio neceſſaria, curet ut Princeps ipſe de illa ſcribat aut imperet. Multoque magis cavendum, ne ſe ad monendos, reprehendendoſque Principis nomine miniſtros, & aulicos interpretem adhiberi ſinat, ſed aperte deprecetur, ſi quando id illi impoſitum vellet.

7 Vi-

7 Videat etiam atque etiam, ne ſuboriatur opinio, quaſi ipſe multum poſſit, & Principem pro arbitrio ſuo regat: præterquam enim quod odioſa, & omnibus ingrata res eſt, atque adeo Principi ipſi parum honorifica; incredibile præterea Societati damnum affert. Cum enim, ut humana eſt miſeria, murmurationes, ſeu juſtæ ſeu injuſtæ numquam deſint, odium ſemper, ut experientia compertum eſt, in Confeſſarium retorquetur. Proinde quamvis re ipſa aliquid poſſet, opinionem tamen illam vitare debet; uſum autem poteſtatis, quo ſuprà modò dictum eſt, temperare.

Opinionem gratiæ apud Principem non amplificet.

8 Debet Princeps æquo animo & patienter audire, quidquid Confeſſarius dictante ſibi conſcientia ſuggerendum in dies pro re nata cenſuerit: quia cum perſona publica, & cum Principe cum agatur, convenit, ut Patri religioſa libertate expromere liceat, quod ad majus Dei ac Principis ipſius obſequium in Domino judicaverit: nec de iis ſolum rebus, quas ab eo, ut pœnitente ſuo cognorit, ſed de aliis etiam, quæ hinc inde audiuntur, remediumque poſtulant, ad inhibendas oppreſſiones, minuendaque ſcandala, quæ præter Principis mentem ac voluntatem, Miniſtrorum ſæpe culpa eveniunt, & tamen noxa, proſpiciendique neceſſitas in Principis ipſius conſcientiam revolvitur.

Quomodo Principem monere debeat.

9 Vt ſi quando contingat, quod facile eſt factu, ut difficultas aliqua circa Confeſſarii ſententiam naſcatur, Princeps cum duobus, tribusve aliis Theologis rem conſultet. Qua in re ut acquieſcere ipſum oportebit, conſcientiam ſuam deponendo, ſi contra ejus ſenſum judicaverint; ita Principi grave pariter non ſit aſſentiri pro ſua parte, ut id fiat, quod illi faciendum eſſe decreverint.

In dubiis Theologi conſulendi pro conſcientia pœnitentis.

10 Domi memor usque ſit modeſtiæ religioſæ, obedientiæ erga Superiores, & æqualitatis cum ceteris circa cubiculum, veſtitum, reliquamque univerſam diſciplinam: quia favores, & quod aliquid interdum pro Societate impetrarint, transverſos agere homines ſolent, ut imperioſius agant, & quamdam præ aliis excellentiam præ ſe ferant: quod cum bene conſtitutum corpus magnopere dedeceat, incredibile dictu eſt, quantam etiam in aliis creet averſionem.

Sit obſervans diſciplinæ.

11 Atque ut uno verbo dicantur omnia, meminerit ſe Confeſſarium tantum eſſe: omnia proinde, quæ ab hoc munere aliena ſunt, ab ipſo pariter aliena eſſe oportere. Vnde nec Societas illa permittere debet, nec ipſe ægre ferre ſi eum Superiores hac in re coërceant: quin potius agere Deo

Regi ſe à Superiore ſinat.

gratias, quod hoc modo expeditior reddatur; & uni officio ſpirituali ſibi commiſſo attendere, Deum aſſidue orando, ut ei lumen concedat ad recte collimandum; & cum Superioribus in dubiis caſibus conſultando, quia ſpiritus Domini directio, & non humana prudentia, propriumve judicium utiliter illuminat.

Principis amorem erga Societatem foveat.

12 Semper inſiſtat, ut Principem benevolum ac propenſum habeat erga Societatem, & non erga privatam ſuam perſonam: quia hæc certa ipſius ac religionis pernicies eſſet. Quare animum pœnitentis ſui ſic affectum retineat, ut quandocumque religio ad Dei obſequium expedire judicabit, ut ipſe mutetur, aut ejus opera alio in loco utatur; majorem in ea re facilitatem nanciſcatur, quam interdum experta ſit quorumdam Confeſſariorum culpa, qui volentes aut fortaſſe etiam imprudentes negotia ſic tractant, ut ſe ipſos & ſæculares, quibuscum verſantur, à religione potius avertant, quam ut eos Chriſto lucrifaciant.

Impenſius ſpiritualibus Exercitiis incumbat, orationi, &c.

13 Caveat ad extremum, ne occupationes & res aulicæ ſpiritum relaxent; quin majore cura incumbat per orationem, exercitia ſpiritualia, frequentiaque ſui examina, ut conjunctum cum Deo D. N. inſtrumentum efficiatur, ita ut ejus gratia & auxilio nixus non modo in ſe ipſo ſpiritum non amittat, ſed in ipſis quoque negotiis ſpiritu illuminetur & regatur. Vnde operæ pretium etiam fuerit, ut in miniſteriis erga proximos, reliquorum operariorum more, ſe exerceat.

Inconſulto & non aſſentiente Provinciali nemo confeſſiones Principum audiat.

14 Verum ut pacate omnia, & abſque ulla Principum offenſione tranſigantur, neceſſe eſſe duximus, ut is, qui pro certo ac ſtabili Confeſſario petitur (nam ſi ſemel, aut iterum id fiat, ut ſolet accidere, minime oportebit) paratum ſe quidem eſſe poſcenti Principi reſpondeat; verum per leges, quas habemus nulli ex Noſtris licere inconſulto & non aſſentiente Provinciali id oneris ſuſcipere, proinde ab eo petenda facultas. Provincialis vero per ſe quidem ſi ſic expedire in Domino judicaverit, vel per alium, vel ſi viſum fuerit, per eumdem ipſum Patrem, priusquam poteſtatem faciat (dummodo ad id muneris peridoneum, & iis dotibus inſtructum, ac virtute præditum eſſe duxerit, quæ neceſſariæ ſunt ad id bene peragendum) primum oſtendat oportet petentibus Inſtructionem hanc noſtram, ut plane intelligant quid Societas ab eo poſtulet, quem Confeſſarium ſibi eligunt: deinde modeſte quidem, ſed plane, atque perſpicue eisdem ſignificet, etſi ex animo permittimus, ut ejus Patris opera ad ſpiritualem ſui conſolationem

Oſtendenda Principi hæc Inſtructio, & clarè ei aperiendum mutari Confeſſarium poſſe.

nem

nem pro libito utantur; intelligant tamen futuram ſemper in poteſtate Superiorum, cum illis viſum fuerit, mutationem, & liberam Patris, ut & ceterorum omnium, diſpoſitionem.

Quod ſane conſilium nobis ut perneceſſarium ac ſalutare, ſic eisdem probatum iri confidimus, ita exigente religioſa diſciplina: cum perſuaſum nobis eſſe debeat, ejusmodi Principes pro ſua in noſtrum Ordinem benevolentia, nihil niſi quod honeſtum ſit, & legibus noſtris affine, à nobis expetere voluiſſe.

Capvt XII.

Ad Superiores præſertim Provinciales.

De ratione tenenda cum iis, quos è Societate dimitti oportere judicaverint, antequam ad Generalem ſcribant.

A. R. P. N. Claudio Aquaviva Præpoſito Generali anno 1604. ad Provincias miſſa.

1.

Qvam utile ſit ac neceſſarium, à Societate dimitti eos, qui ad illam apti non ſint, liquido apparet non ſolum ex Conſtitutionibus, Bullisque Apoſtolicis, ſed etiam ex perpetuo uſu & traditione tum B. P. N. ac Fundatoris, tum B. P. Franciſci Xaverii, viri ut eximia ſanctitate conſpicui, ſic ejusdem P. Fundatoris noſtri mentis ſenſorumque intelligentiſſimi. Verum ut res tota cum ea caritate ac prudentia tranſigi poſſit, quam Conſtitutiones præſcribunt, & quam Spiritus ipſe Dei nos docet, poſtularunt à nobis variæ Provinciæ, ut Superioribus inſtructionem aliquam exhiberemus de modo, quem tenere ad nos ſcribendo debeant, cum res exigit, ut ad hujusmodi conſilia, vel inviti deſcendamus. Quare de his, quæ ſequuntur, operæ pretium viſum eſt admonere; Rectoribus, ac multo magis Provincialibus (ad quos proprie ſpectat de amputationibus iſtis nobiſcum agere) in futurum præmonitis, niſi ea diligenter obſervent, fore, ut neque conſcientiæ ipſi ſuæ, officioque, & Conſtitutionum legibus ſatisfaciant; neque à nobis (quorum eſt prævia informatione, congruaque pro rei magnitudine caritate, maturitate, ac deliberatione ſtatuere) certum ullum reſponſum, aut ſententiam referre poſſint.

Neceſſitas & cauſæ hujus Inſtructionis.

2 Pri-

Tria ante dimiſſionem Provinciali inſpicienda circa dimittendum.

2 Primum ergo, cum quiſpiam de Noſtris male ſe gerit, & de illo dimittendo ab aliis ſuggeritur, Provincialis præmiſſa oratione animum intendat, ut exploret, an ea, quæ illi objiciuntur, vera ſint, an vero falſa aut dubia. Deinde, an ut vera eſſent, tanti ſint momenti, ut de dimiſſione, juxta cap. 1. 2. partis agi debeat. Tertio inquirat accurate, utrum Superiores erga hujuſmodi hominem debita caritate perfuncti ſint, diſerte illum commonefaciendo, pœnitentiarumque, & quod caput eſt, Exercitiorum ſpiritualium, interiorisque curationis remedia applicando, & quam diuturna deinde fuerit hæc curatio: quandoquidem non eſt ſatis uno atque altero menſe medicinam facere, ſed patientia & longanimitate opus eſt.

Genus culpæ attendendum ejus, qui dimittitur.

3 Conſideret genus culpæ, quale ſit, an ex earum ſcilicet numero, quæ quod alios inficiant, communi bono adverſentur; an ex iis, quæ ſcandalum præbeant, aut quæ gravem Societati notam adferre poſſint: an propter delicti magnitudinem, aut propter emendationis difficultatem, aut denique ad reſarciendam Societatis famam, præciſionem hanc requirant; ſi modo & ratio ipſa rei pertractandæ, & diuturnitas adhibendæ curationis maturæ huic curationi locum faciant: cum certum ſit, ubi periculum urget, ne alii labefactentur, aut ubi manifeſta eſt Religionis infamia, diutius differri non poſſe. Quin imo in publicis caſibus, neceſſe ad compenſandam jacturam interdum erit, feſtina & prompta executione uti, juxta Reg. 41. Provincialis.

Quando minime differendum.

Quinam primum audiendi.

4 Peracta in hunc modum informatione, omnibus diligenter conſideratis, auditaque ſententia Rectoris illius Collegii, in quo admiſſum delictum, aut unde prodiit accuſatio; Provincialis Conſultores ſuos convocet, & ſingula illis exponat, deinde informationem ad nos mittat, quemadmodum obſervata fuerint, quæ dicta ſunt; & quid ipſe, Conſultoresque ipſius faciendum cenſeant: ut exempli cauſa, N. tot annorum eſt, in Societate tamdiu fuit, gradu caret, aut ad illum promotus eſt, ſcholaſticus eſt, vel Coadjutor, in his ſtudiis verſatus, vel artem hanc novit, tot annis male ſe geſſit in hoc, vel illo genere defectuum: idem hoc & illo in loco, in quibus vixit; vel hoc ipſo in genere, vel in hac & illa re malæ fuit ædificationis: adhibita fuerunt hæc & illa remedia; nulla ſecuta eſt emendatio, cenſemus illum, &c.

De quibus circa dimittendos Generalis docendus.

Quando ante dimiſſionem puniendi.

5 Si defectus ſint cum ſcandalo conjuncti, & qui pœna aliqua puniri debeant, priusquam dimittantur, juxta mentem Quintæ Congregationis

in

in Decreto 43. non ante ad dimiſſionem veniatur, quam pro meritis fuerint caſtigati. Sin alterius generis erunt, intelligant Superiores, non eſſe neceſſarium, nec Societati expedire, ut pœnæ ſemper irrogentur; cum dimitti poſſint, ac debeant, quantum fieri poteſt, ſine dedecore vel ignominia, ut præcipit Conſtit. par. 2. cap 3 §. 5. 6. & 7. curandumque ſit, ut qui dimittitur, recedat integra cum benevolentia, & quanta cum conſolatione fieri poteſt, atque etiam ut dirigatur juveturque, prout caritas dederit.

6 Erga eos, qui ex ſua ipſi tentatione dimitti petunt, laxari habenas nullo modo convenit, ne tum quidem, cum habita perſonæ ratione, utile Societati videretur, ab ea liberari. Non convenit, inquam, multas ob cauſas. tum quia ejusmodi difficultas nonnullos interdum ad ſaniorem mentem reduxit; tum propter aliorum etiam ædificationem; tum ut ad ſalutarem ipſis indifferentiam revocari queant: tum denique, quia ſi perſuaſio hæc, quaſi janua omnibus ſtatim pateret, pernicioſa multis futura videretur. Sed quia hujusmodi homines, ubi ad certum gradum tentationis pervenerint, raro apti ſunt ad Societatem; vitari ſimul alterum extremum neceſſe eſt, in quo verſantur, qui illos omnibus modis ſemper retinendos cenſent: propterea quod Inſtituti noſtri, & miniſteriorum ratio id minime ferret, nec ipſa tandem propria illorum utilitas, nec commune bonum Societatis, quæ tunc illos dimittit, non quia ipſi poſtulant, ſed quia inutiles, noxiique reliquo corpori effecti ſunt, & emendari nolunt. *Quid cum iis qui ſponte dimitti petunt.*

7 Et quoniam propter cauſas etiam occultas, ut docent Conſtitutiones cum Bullis Apoſtolicis, & praxis ipſa B. P. N. oſtendit, dimitti poſſunt, quando vel ipſismet, vel Societati, vel utrique parti expedire viſum fuerit; non debent Conſultores credere, multoque minus accuſare, quaſi eo quod Superior cum ipſis rem non communicarit, temere & ſine cauſa geſta ſit: ſed cum religioſa potius modeſtia Superiorem interrogare, quid cauſæ vel Noſtris vel externis ſciſcitantibus reddi queat. Is enim congruæ tum prudentiæ caritatisque non immemor, ejusque qui dimiſſus eſt mente præcognita, cum ſcilicet ex communi utrimque conſenſu res transacta eſt, tale illis reſponſum dare poterit, quod omnibus merito ſatisfaciat. *Cum quis (re nulli communicata) dimittitur.*

8 Perlata tandem ad nos informatione, rem ante omnia Domino commendabimus, & cum PP. Aſſiſtentibus, niſi ejus conditio ſecreti que ſervandi lex aliud poſtulaverit, eamdem conſultabimus: omnibusque conſideratis, ſola Dei gloria & Societatis, atque ipſius etiam de quo agitur,

quoad ejus fieri poterit, utilitate ob oculos propoſita; eam ſententiam amplectemur, quam in Domino magis expedire judicabimus. Quam utique, ut rem tanto ſtudio examinatam, mature deliberatam, Deoque impenſius commendatam, in Provinciis qua par eſt animorum quiete, judiciorumque ſubmiſſione, ſine curioſa cujusquam inveſtigatione exceptum iri ſperamus: præſertim cum ſæpe eventurum ſit, ut cauſæ, quibus adducti fuerimus, ob multa & gravia impedimenta evulgari à nobis non poſſint, nec debeant.

Præpoſiti Generalis judicio acquieſcendum.

Superiores docendi de iis qui ad ipſos in Provinciam, vel extra mittuntur.

9 Sed quoniam animadverſum eſt (ut alias Superiores monuimus) cum accidit, ut mittendi ſint in aliam Provinciam ii, de quorum dimiſſione agitur, propterea quod in ſua commode dimitti non poſſint; mitti eos interdum ſine debita informatione, ita ut Superiores Provinciæ præſertim eorum ſtatum ignorantes, eorum opera in publicis functionibus uti ſtatim incipiant: neque alio modo eos tractent, quam ceteros ſuæ Provinciæ: quo fit, ut, cum eos poſtea dimittere jubentur, multa naſcantur incommoda, cum externorum & domeſticorum offenſione. Idcirco huic tanto malo, ut in poſterum tempus occurratur, ſi quando acciderit aliquem hoc ſine mitti extra Provinciam, meminerint Provinciales ex Regula 117. ſui officii, de illius ſtatu inſtructionem vel præmittere, vel minime differre, ut ex ea judicent Superiores, ad quos mittitur, quid agere, & quo loco habere unumquemque debeant, donec (ſi res ipſa id poſtulaverit) noſtrum ab Vrbe reſponſum præſtolentur.

Ne qui dimittendi ſunt, interim in miniſteriis occupentur.

10 Illud poſtremo hoc loco minime prætereundum eſt, quod cum & ad ædificationem non parum conducat, & ad offenſiones externorum vitandas pernecesſarium ſit, ipſa experientia docente, Superioribus ſevere cogimur interdicere, ne ejusmodi perſonæ, de quarum dimiſſione agitur, ullibi eo tempore, quod intercurrit, ullo modo exponantur publicis functionibus aut miniſteriis; ſed omnino abſtineant, & domi contineantur, ut rei gravitas poſtulare videbitur: habeaturque ſemper in omnibus ædificationis ratio, temporis, locique, quoad ejus fieri poterit, in dimiſſione ſervatis circumſtantiis.

CAPVT

CAPVT XIII.

De Iunioribus Scholaſticis.

I.

IVniorum Scholaſticorum educatio, cum primum ad Seminaria aut Collegia venerint, uti ex prima ſui inſtitutione cœpta anno 1600. & juſſu Præpoſiti Generalis inducta; ita nunc auctoritate Sextæ Generalis confirmata, omnino ea eſſe debebit, ut ſeorſim à ceteris ad formam ſecundi anni probationis, quæ olim in Collegiis fiebat, tum inhabitandi, convivendique ratione; tum in ceteris, in quibus judicio Provincialis commode diſtinctio ſervari poterit, ſeparatio fiat. Ad quem Iuniorum locum intelligant omnes ſibi minime licere (niſi prius ab uno Rectore facta poteſtate) accedere; quemadmodum neque illis ab eodem egredi absque ejus licentia, qui curam gerit, niſi cum ad res conſuetas Domus peragendas ſignum datur. *Qualis debeat eſſe Separatio.* *Dec. 30. Cong. 6.*

2 Porro tempus etſi perdifficile erit certum quoddam præſcribere, quo juvenes ſeorſim à ceteris convivant, tum ob ætatem, tum ob ſpiritualem indigentiam, quæ diuturniorem brevioremve ſubinde poſtulant dilationem; tamen, ut minimum, biennii ſpatium eſſe oportebit: quod protrahere, prout in Domino, & Societatis bono & Fratrum noſtrorum expedire judicaverit, Provincialis erit: qui uti quamprimum monendus erit peracti temporis ab eo, qui curam gerit; ita minime patietur, ut alii, quantumvis graves Patres, intercedendo ſeſe inſinuent: neque ante expletum biennium, quamvis firmi ac ſtabiles in vocatione, ad docendum in ſcholis educantur. *Tempus biennii*

3 Horum autem cura & Inſtructio, etſi ab ipſo Rectore Collegii, ſicut & aliorum, tota pendebit; nihilominus per alios exercenda erit: quorum primus quaſi Præfectus ſpiritus in eo promoveat ac dirigat; alter, tamquam Miniſter, in regulari diſciplina contineat, ac de neceſſariis proſpiciat: niſi ob numerum grandiorem tertius videretur addendus Coadjutor. Nam Miniſtro totius Collegii minime viſum eſt expedire illos ſubjicere; cum, poſita ſeparatione, peculiarem ac diverſam quodammodo eſſe oporteat gubernandi rationem; niſi forte in illis corrigendis puniendisque, cum aliquid extra definitum locum contra Regulas peccare intellexerit. *Per quos regendi.*

4 Prioris partes quamvis in Regulis Præfecti ſpiritus ſatis ſuperque explicentur, ex quibus eos juvari oportebit; tamen eæ erunt præcipuæ, ut *De Præfecto ſpiritus juniorum.*

peculiarem eorum curam gerat, juxta directionem poteſtatemque ſibi à Rectore factam, à quo in hoc munere pendebit. proindeque adnitendum illi erit, ut quintodecimo minimum quoque die illos alloquatur, audiat, inſtruat, formet, prout ſpiritualis neceſſitas poſtulaverit: licebitque poſcentibus eas pœnitentias imponere, ceterasque mortificationes, quæ vulgares ſunt, quæve devotionis gratia à Noſtris ſuſcipi in Refectorio conſueverunt; publicis reprehenſionibus ac diſciplinis exceptis, niſi ſecus Rectori viſum fuerit.

Munus Miniſtri juniorum.

5 Poſterioris vero, qui Sacerdos plurimum eſſe debebit, munus erit, Rectorem ad exteriorem gubernationem juvare in iis omnibus, quæ ab eodem præſcripta fuerint: à quo item uno tamquam ſuum inſtrumentum, & non ab aliis pendebit: qui cum vitæ exemplo, tum prudenti cum charitate & amore dirigere eos juvenes debebit in Religioſa diſciplina exacte ſervanda.

Catalogos officiorum conficiet, & diſtribuet.

6 Quare ejusdem erit catalogum officiorum, exercitiorumque, quæ ab illis in Collegio fieri oportebit, ex Rectoris præſcripto conficere; diesque ac tempora in culina ac Refectorio inſerviendi ex condicto cum Miniſtro deſignare: curabitque ne quidquam Fratribus deſit, ſive ad veſtitum & habitationem, ſive ad cetera neceſſaria pertineat, Rectore conſulto.

Neceſſaria comparet.

Ad Superiores & Magiſtros dirigat.

7 Cum quis ex Novitiatu ad Collegium primum venerit, ſtatim ad Provincialem, & Rectorem ipſe dirigat; ex ejusdemque præſcripto, ad ſtudiorum Præfectum vel Magiſtrum, ſi periculum de litteris faciendum erit, libris ac neceſſariis comparatis. Memineritque eorum omnium, qui ad Collegium venerint, de numero Miniſtrum Collegii docere.

Recreationibus interſit.

8 Verſetur una cum iisdem in recreationibus, quæ in vinea, aut domi fiunt, in loco à Rectore præſcripto; à quo ſine ejusdem Patris facultate non abſcedent: ſintque minimum terni: quotquot, cum foras eundum erit, egredi domo oportebit. curabitque quoad ejus fieri poterit, ut Coadjutores quoque Novitii interſint, & in ſpiritu juventur.

In recreatione terni & cum foras eunt.

Qui defectus Rectori, & Miniſtro aperiendi.

9 Quamvis de ſingulis ab eo monendus erit Rector, quin & ſingulis quibusque menſibus, ac ſæpius, (ſi ſic eum velle intellexerit) quemadmodum quisque ſe gerat, niſi res ipſa quamprimum fieri docebit; leviores tamen defectus & quotidianos Miniſtro totius Collegii deteget, ut in Refectorio pœnitentias injungat. Facultatem quidem accipiendi, dandique mutuo minima, atque inter ſe de rebus neceſſariis loquendi dare poterit, ſi Rector

Rector non abnuerit. Ceterum Magiſtros, ceteroſque alloquendi, qui Superiores non fuerint, vel domo egrediendi, ſive ad januam eundi, poteſtatem ipſe non faciet ſine Rectoris conſenſu: à quo, & diviſionem perſonarum in cubiculis, & rationem mutuo inter ſe ſociandi (nam alios comitari minime licebit) cum egrediuntur domo, accipiet, ut executioni mandet. Porro ex iis non erit difficile eorum Regulas deſcribere. *Quas facultates dare poterit.*

CAPVT XIV.

De iis, qui in prædiis, aut villis morantur, cum à ſtudiis feriatur.

I.

QVONIAM ut aſſiduitas in litterario exercitio, ita & aliqua remiſſio neceſſaria eſt; ne dum abſque aliqua relaxatione, vel convenienti recreatione labores ſtudendi nimium protrahuntur, corpus detrimentum patiatur; operæ pretium viſum eſt Patribus rationem quamdam eſſe præſcribendam, quo religioſe fiat. Idcirco enitendum erit Superioribus, ut quæ intermiſſiones à ſtudiis ad novas vires ſumendas inſtitutæ ſunt, quo alacriores ad eadem revertantur, ita peragantur, ut & corpori recreationem pariant & vires, & ſpiritus ardorem minime extinguant. Quare hæc pauca in univerſum præſcribenda viſa ſunt. *Finis recreationum. Par. 4. c. 13. Dec. 57. §. 8. ſexta Cong. Quomodo religioſe peragendæ.*

Primum, ut cum in aliquod prædium ſecedendum erit, animos relaxandi gratia, minime eo mitti debeant Noſtri, niſi peraccommodæ ac ſufficientes ædes habitationi ſint. in quibus & Superior, qui præſit omnibus, & obſeratæ fores ſint, ne liber ſit exitus, nec deſideretur religioſa diſciplina. *Ædes recreationis accommodæ, & clauſura ſit.*

2 Vt ſpiritualia exercitia examinum & orationis minime prætermittantur, utpote res eo quidem tempore perneceſſariæ. *Oratio, & examen.*

3 Vt nullus eo præſertim tempore, externorum villas, licet propinquorum, adeat; niſi graves ob cauſas Provinciali videretur eſſe alicui concedendum. *Villæ externorum ne adeantur. Ex Dep. pro ren. ſpiritus.*

4 Qualis vero hæc eſſe debeat recreatio, & quamdiu duratura (nam ultra quindecim dierum ſpatium non erit procedendum) qualeve genus exercitii, aut ludi, prudenti conſiderationi Provincialis, expenſis perſonarum, locorumve circumſtantiis, habita ratione ædificationis relinquitur: *Singularia Provincialis expendet. Dec. 57. Cong. 6.*

cujus erit ſingularem quamdam directionem in hujusmodi recreationibus ſuæ Provinciæ accommodatam conficere.

CAPVT XV.

De manifeſtatione delicti, Superioribus facienda.

PARS PRIMA.

Ex D. 49. Cong. 6. Circa Reg. 9. & 10. Summarii deſumptam ex c. 4. Exam. §. 4.

1.

Regula Summ. 9. AD majorem in ſpiritu profectum, & præcipue ad majorem ſubmiſſionem, & humilitatem propriam, contentus eſſe quisque debet, ut omnes errores, & defectus ipſius, & res quæcumque, quæ notatæ in eo & obſervatæ fuerint, Superioribus per quemvis, qui extra confeſſionem eas acceperit, manifeſtentur.

Regul. Summ. 10. Boni etiam omnes conſulant, ab iis corrigi, & ad aliorum correctionem juvare; ac manifeſtare ſeſe invicem ſint parati debito cum amore & caritate, ad majorem ſpiritus profectum; præſertim ubi à Superiore, qui eorum curam gerit, fuerit ita præſcriptum, aut interrogatum ad majorem Dei gloriam.

Vt Patri, quodcumque delictum manifeſtatur. Primo decretum eſt, licere omnibus manifeſtare Superiori, ut Patri, quodcumque delictum alterius, ſive leve ſit, ſive grave, & hunc eſſe intellectum Regulæ.

Ex D. 49. Cong. 6. 2 Cum illo capite 4. Examinis proponatur omnibus, & interrogentur, An contenti ſint futuri, ut omnes defectus, & res quæcumque, quæ in iis notatæ, & obſervatæ fuerint, Superiori manifeſtentur; Eo ipſo Noſtros cedere cuicumque juri famæ, quod huic manifeſtationi obſtare poſſit; & poteſtatem fieri omnibus deferendi ad Superiorem quæcumque, etiam gravia, quæ de illis notata fuerint: quandoquidem ratione majoris humilitatis, & profectus ſpiritualis, & ut à Superiore melius cognoſci, dirigi, juvarique poſſint, ipſimet expreſſe conceſſerint, & judicaverint id ſibi magis expedire ad majorem Dei gloriam, & bonum animæ ſuæ.

Cedimus juri noſtro. *Ex eodem Decr.*

3 Cum

3 Cum in eodem loco non ſolum de defectibus, ſed etiam de erroribus, & quibuscumque aliis rebus, quæ in ipſo notatæ & obſervatæ fuerint, fiat expreſſa mentio; non eſſe dubium, quin de omnibus delictis gravioribus ſermo quoque ſit. Regula intelligenda de omnibus etiam gravioribus.

4 Verba illa Regulæ (*per quemvis, qui extra confeſſionem eas acceperit*) intelligi de illis, quæ ab aliquo alio in eo notata, & obſervata fuerint; non autem de iis, quæ ipſemet ſecreto, & conſilii petendi gratia, ut dirigatur vel juvetur, cum aliquo communicaverit. Si quando autem ob aliquas peculiares vel graves rationes dubitaverit conſiliarius, num debeat manifeſtare Superiori rem eo modo ſecreto acceptam; conſulat tunc diligenter Doctores, ut in re tanti momenti prudenter, eaque, qua decet cautione, procedere poſſit. Interpretatio verborum Regulæ (per quemvis, qui extra confeſſionem.) *Ex eod.*

5 Neceſſe non eſſe in hac manifeſtatione expectare, ut hoc illi à Superiore injungatur, vel interrogetur; cum verba illa Regulæ (*præſertim ubi à Superiore, qui illorum curam gerit, fuerit ita præſcriptum*) ſatis declarent, paratos eſſe oportere ad hanc manifeſtationem, non expectato Superioris præſcripto. *Ex eod.* Præſertim ubi à Superiore, &c.

6 Quod vero ſubjungitur (*Debito cum amore & caritate*,) ſic accipi oportere, ut qui manifeſtat, non debeat aliquo inordinato affectu duci; ut alius ſcilicet confundatur, mortificetur, puniatur; ſed ex affectu caritatis: ut videlicet ille melius juvetur in ſpiritu, periculis à Superiore occurratur, bono communi proſpiciatur: atque ita manifeſtans ſervet eum modum manifeſtandi in verbis, in narratione, in intentione, qui amorem & caritatem præſeferat. Debito cum amore. *Ex eod.*

7 In delictis, quæ vel in detrimentum boni communis, vel in damnum imminens tertiæ perſonæ vergunt (qualia ſunt infectiva aliorum, & nociva bono Religionis, ut ſunt lapſus carnis cum tertio, ſeminatio diſcordiarum inter fratres, furtum, impugnatio, vel machinatio contra Inſtitutum aut Superiores, præſertim vero Generalem, conſuetudo detrahendi, ac ſuſurrandi, & his ſimilia) non ſolum poteſt, ſed etiam tenetur quisque immediate uti denuntiatione paterna, manifeſtando illa Superiori; ut ſecreto ac prudenter tam bono Subditi, quam Religionis proſpiciat. Quando utendum denuntiatione paterna. *Ex eod.*

8 Quando vero prudenter judicaretur, non poſſe adhiberi ſufficiens remedium, quo bono communi, vel tertiæ perſonæ provideatur, niſi aſſumatur in ea re perſona Iudicis; tunc tenebitur ſubditus ad judicialem denuntiationem Superiori faciendam. Quando judicialis denuntiatio facienda. *Ex eod.*

PARS

PARS SECVNDA.

Qua ratione in denuntiatione paterna ſe gerere debeat Superior, ut Pater; tam in ſervando ſecreto, quam in aliis, quæ ad remedium adhibendum pertinent.

I.

Deferens nulli revelandus. Ex D. 50. Cong. 6.

EA ratione ſecretum ſervare debet Superior, ut Deferentem nulli revelet ſine ejus conſenſu, quem interdum is dare tenebitur: ita ut ſemper Superior omnimodæ indemnitati Deferentis conſulat.

Quando delatus revelandus. Ex eod.

2 Delatum nemini revelare debet, qui prodeſſe non poſſit fini, quem denuntiatio paterna intendit; qui eſt profectus ſpiritualis ſubditorum, & bonum commune Religionis: quibus Superiorem neceſſe eſt paterne providere. Quare ſine urgenti neceſſitate, & magna utilitate pertinente ad dictum finem, & cum eo minore detrimento quo poſſit famæ delati, numquam debet manifeſtare delatum. Quando vero ob fines, & rationes allatas exiſtimat revelandum eſſe; tunc iis tantum manifeſtare oportebit, qui remedio adhibendo prodeſſe poterunt.

Quando monendus & corrigendus delatus. Ex eod.

3 Habita ratione finis denuntiationis paternæ, non ſolum poteſt Superior ipſum delatum aliquando monere, & ſecreto corrigere coram duobus teſtibus, ut ex Evangelio cum S. Thoma docent Doctores; ſed etiam conſulere de remedio, imponendo ſecretum iis, quibuscum communicat. Quin etiam poterit unus Superior rem ſic delatam & cognitam, alteri Superiori ejusdem delati dicere, quando res ita poſtulaverit ad finem paternæ delationis.

Quando conſilium petendum & quomodo. Ex eod.

4 Cum autem poſſit, & liceat de ea re eos conſulere, quibuscum expedit pro remedio, & cum ſecreto; ut majore cum cautione procedatur, quando conſultatio videretur neceſſaria, petatur deferentis conſenſus, quem ille dare debebit; ita tamen, ut in conſultatione, deferentis nomen taceatur, & res, quoad ejus fieri poterit, in univerſum tractetur. Porro Superior minime à deferente petere debebit, ut ſuo nomine rem delatam ſubſcribat; cum ea ſuſcriptio tantum judiciali denuntiationi deſerviat.

Non eſt à deferente exigenda ſubſcriptio.

Quæ Superior circa delatum præſtare poterit. Ex eod.

5 Licet etiam Superiori ob prædictum finem ſecreto peragere quæcumque judicaverit expedire ad remedium, profectumque delati, citra ejus infamiam; nimirum privatim monere, reprehendere, terrere minis, diligenter circa illum invigilare, mutare loco, occaſiones antevertere, præ-

cavere

cavere à recidivo, non admittere ad aliquod officium, ab eodem removere ſi quod habet, ſine violatione ſecreti, ſub alia apparenti ratione, & probabili id præſtare poſſit.

6 Poteſt etiam Superior nonnulla ex ita delatis & cognitis manifeſtare in publicis Refectorii reprehenſionibus; ut ſunt defectus leves & communes ſubditorum, imponendo pœnitentias ordinarias, juxta praxim communem Societatis; dummodo ipſi delato infamiam alicujus momenti non inferat; & quoad ejus fieri poterit, impetrato deferentis conſenſu, & abſque ejuſdem detrimento.

Etiam leves defectus publice corrigere poterit. *Ex eod.*

7 Denique licebit interdum Superiori ex ita cognitis, & ad ſe tamquam ad Patrem delatis, deſcendere ad dimiſſionem delati è Societate: ita ut quamvis utatur, & adjuvetur ea notitia, non eo tamen modo procedat, ut talis defectus vel in ſpecie vel in genere in aliorum cognitionem deveniat; ſed alias, alia via cognitas, notas illi opponat, quæ ad illum dimittendum aliorum judicio ſufficere videantur. Aut certe nihil tale dicat: neque occaſionem aliquam det credendi, quod dimiſſio fiat in pœnam delicti, quod omnino ſecretum eſt; nec alia via, quam paternæ denuntiationis ſcitur.

Quomodo ad dimiſſionem deſcendet. *Ex eod.*

8 Ceterum hæc doctrina de manifeſtatione delicti minime nova videri debet, cum inter cetera Iulius II. in Statutis Franciſcanorum fateatur, damnandum eſſe dogma illud, quod habet, Religioſum criminis ſocium non teneri ad denuntiandum illud Superiori. & in Conſtitutionibus Generalibus Farinerii Ordinis Minorum cap. 7. refertur, in quodam Capitulo Generali, à S. Bonaventura ſtatutum quoddam in hæc verba conditum fuiſſe:

Vnde hæc doctrina de manifeſtatione deſumpta. *Ex eod.*

Nullus Frater dogmatizet, vel teneat, quod cum aliquot ſunt ſocii in crimine, non teneatur alter alterum Superiori revelare, qui poteſt ac debet prodeſſe, & animarum periculis præcavere. Nam ex ſententia Bonaventuræ, Magiſtrorum Ordinis, ac totius Capituli Generalis definitum eſt, hanc doctrinam pernicioſam eſſe, & in deſtructionem Ordinis, & Regularis diſciplinæ excogitatam: cum Prælatos noſſe oporteat Subditorum exceſſus, non ſolum, ut puniant, ſed ut præcavere poſſint.

Novitiis declaranda. *Ex D. 51. Cong. 6.*

9 Poſtremo decretum fuit, ut hoc ipſum, quod de manifeſtatione delicti ſancitum eſt, oſtendatur Novitiis; declareturque, juxta Reg. 15. Magiſtri Novitiorum, inter alia, quæ ipſis explicanda, declarandaque paulatim ibidem eſſe dicuntur.

CAPVT XVI.
De Acceptandis Collegiis.
Iuxta V. Generalis Congregationis Decretum 69.
A. R. P. N. Claudio Aquaviva Præpoſito Generali explicata.

1.

Quomodo in poſterum Collegia acceptanda.

CVm Collegiorum ratio triplex eſſe poſſit, nempe infima, media, & ſuprema; & admitti nullo modo in poſterum debeant Collegia ulla, quæ ſeminarium ſibi ſaltem ipſis neceſſarium operariorum, qui in eiſdem Collegiis occupantur, alere non poſſint, unde ſibi de operariis iiſdem, quando opus eſt, vel proxime & immediate, ſi id præſtare poterunt, proſpiciant, vel certe per modum permutationis cum alio Collegio faciendæ, unius, verbi gratia, Lectoris Rhetoricæ pro uno Confeſſario, aut Concionatore, &c. neceſſarium eſſe duximus cuilibet Collegiorum rationi ſuum numerum perſonarum, quas alere poſſit, infra quam ea acceptanda non erunt, deſignare.

De infima Collegii ratione.

2.

Numerus operariorum in infimo Collegio.

CVm igitur tribus quaſi membris quodlibet Societatis Collegium conſtet, domeſtica ſcilicet gubernatione, inſtitutione ſcholarum, & templi miniſteriis; infimæ rationis Collegii ratio ſeptem, ut minimum, Sacerdotes requirit, Rectorem, Miniſtrum, Concionatorem, Præfectum rerum ſpiritualium, Confeſſarium Noſtrorum domeſticum unum, externorum alterum, & Procuratorem: ex quibus tres, vel quatuor in templo confeſſiones diebus feſtis excipiant.

Scholarum inſtitutio qualis. *P. 4. c. 7. B. & c. 5. A. & c. 12. A.*

3 Scholarum vero inſtitutio, juxta Conſtitutiones in Grammatica, diſciplinisque humanioribus, Rhetorica, & linguis, caſibusque conſcientiæ, quantum fieri poterit, eſſe debebit: ne ſcilicet ſuo fine fraudetur Societas, quin ſuos diſcipulos ad mediocritatem ſaltem inſtruat, ut vel ad Eccleſia-

cleſiaſtica miniſteria exercenda, & animarum ſalutem promovendam ſint utcumque idonei, vel ad ſæcularia munia uſu linguarum ſufficienter inſtructi.

Erunt igitur præficiendi, tres Grammaticæ præceptores, Humanitatis unus, Rhetoricæ unus (in quorum nonnullis claſſibus erit ab eisdem lingua Græca docenda) unus denique caſuum conſcientiæ Lector; Præfectus item ſcholarum unus: omnes denique ſeptem, præter Correctorem externũ. Quot Magiſtri præficiendi.

4 His quatuordecim operariis eſſent attribuendi, ut minimum, totidem Societatis ſcholaſtici pro Seminario; eſſentque univerſi viginti octo. quibus ſi unum Correctorem, & undecim Coadjutores omnino neceſſarios addamus; erit numerus hujus rationis Collegii quadraginta perſonarum. Verum, quia V. Generalis Congregatio decrevit, ut infimæ hujus rationis Collegiorum fundationes, quæ ad ſuſtentationem triginta perſonarum ſufficerent, admitti poſſent; onerum tamen, ſeu obligationum menſuram, ſcholarum ſcilicet, & Magiſtrorum numerum non determinavit, Præpoſiti Generalis erit, obligationes, & gravamina in ejuſmodi fundationibus, quæ triginta perſonis alendis tantum ſufficient, ita attemperare, ne hujuſmodi Collegia ſupra vires onerentur: ut ſi in his, verbi gratia, duas Grammaticæ claſſes, unam vero Humanitatis tantum admittat, cum ſcholarum Præfecto, atque his, non ex obligatione, ſed ex mera Societatis liberalitate, ubi opus fuerit, unum caſuum conſcientiæ Lectorem addat. His igitur quinque, & aliis Sacerdotibus, ſex uno ſcilicet ſubtracto ex ſeptem ſuperius deſignatis Sacerdotibus, ſi totidem ſcholaſtici addantur pro Seminario, erunt univerſi viginti duo, quibus vix ſat eſſe poterunt Coadjutores temporales ſeptem vel octo, præter Correctorem; erit utcumque conſtituta ratio Collegii perſonarum triginta. Minimum 30. eſſe oportebit. Obligationes, & gravamina numero attemperanda.

5 Quod ſi Fundator aliquis exigat lectionum Grammatices, Humanitatis, & Rhetoricæ plenitudinem, lectorumque numerum ſuperius deſignatum; hic fundationem augere debebit ad quadraginta circiter perſonarum ſuſtentationem ſufficientem. Aucto numero augenda fundatio.

6 Præter fundationis autem cenſum, congruam pro ratione numeri perſonarum habitationem, præparatam cum ſupellectili, & bibliotheca, templique & ſcholarum ædificio, hortoque dare debebit. Quæ præter fundationem requirantur.

Quod ſi ex his aliquid deſit, quod ex cenſu ipſo fundationis ſuppleri debeat, monebitur de hoc, ſicut & de re tota, Præpoſitus Generalis.

De media Collegiorum ratione.

7.

Numerus minimum ſexaginta.

SI ad ſupradictum operariorum, & ſcholarum numerum, tres Philoſophiæ curſus triennales, ſingulos ſcilicet ſingulis annis auſpicandos, Fundator adjicere volet; addendi ſimiliter erunt Scholarum tres Magiſtri, Præfectus, unus item aut alter, qui prælectionibus eorum magiſtrorum, quos decumbere contigerit, ſubſtitui poſſint: templi etiam operarii, Seminarii ſcholares, & Coadjutores temporales: qui ſi recte diſtribuantur, ad numerum octoginta circiter perſonarum Collegii, computatis infimæ rationis perſonis aſcenderent. ſed quandoquidem Generalis Congregatio cenſuit, non eſſe gravandos hujusmodi Collegiorum Fundatores ultra cenſum, qui alendis ſexaginta perſonis in univerſum ſit ſufficiens; cum reliquis templi, habitationis, & ſcholarum ædificiis ſupradictis, his contenti eſſe debebimus.

Pro rata augenda fundatio.

De ſupremâ Collegii ratione.

8.

Numerus minimum centum perſonarum.

SI quis Fundator petat ſtudium generale vel Vniverſitatem inſtitui, nimirum ut in ea præter omnia ſupradicta, prælegatur Theologia ſcholaſtica, & ſacra Scriptura, atque lingua Hebraica; ad hæc præſtanda neceſſarii erunt tres, vel quatuor alii Profeſſores, propriusque hujus facultatis Præfectus, ſeu totius ſcholæ Cancellarius, ſubſtituti, aliique officiales in Vniverſitatibus adhiberi conſueti: inſigne item aliud Seminarium Theologorum cum aliquo domeſticorum officialium incremento, ut ex Collegii hujusmodi fundatione, annumeratis ſimul Collegiorum infimi & medii generis perſonis, centum, ut minimum, ali poſſint.

Pro rata augenda fundatio.

Excipiuntur Indicæ & Tranſalpinæ Provinciæ.

Excipiuntur autem Indicæ, ac Tranſalpinæ regiones, de quibus nihil certi præſcribendum cenſuit Congregatio Generalis.

CAPVT XVII.

De Aptis ad Gubernandum.

Quomodo de iis confici debeant Informationes, quæ in Vrbem tertio quoque anno mittendæ ſunt.

A. R.

A. R. P. N. Claudio Aquaviva Præpoſito Generali recognita, & aucta anno 1595.

PARS PRIMA.

I.

QVONIAM magna ex parte Societatis noſtræ gubernatio, ut B. P. IGNATIVS affirmat part. 9. Conſtitutionum, pendet ex Præpoſitis localibus, quibuscum neceſſario ab eo, qui univerſalem curam ſuſtinet, communicandum eſt onus; ut in rebus particularibus eas ordinationes, quæ hinc præſcribuntur, exequantur; & cum ea fortitudine, & ſuavitate, quæ à Conſtitutionibus noſtris exigitur, curent, ut in praxim perducantur; ſemperque vivæ ac vigentes eo ipſo uſu declaratæ cenſeantur Conſtitutiones, ac Regulæ (ſiquidem quod eæ chartis deſcriptæ ſint, non id Societatis ſpiritum tuetur, ac vivificat) ideo plane neceſſarium eſt, ut hujusmodi homines ad hoc munus deligamus, in quorum induſtria ac prudentia merito conquieſcere; & quibus eorum, qui nobis crediti ſunt, animorum corporumque curam viciſſim credere poſſimus; & aliquam allevationem habere graviſſimi hujus oneris, quod nobis à Domino impoſitum eſt. Quanti ſit facienda bona Superiorum electio.

2 Quocirca valde commendatum Provincialibus eſſe debet, ut quemadmodum in aliis miniſteriis, quo copia ſit hominum ad ea ſufficientium, datur opera, ut mature inſtruantur & aptentur; ita etiam in hoc gubernandi, omnium vel præcipuo, non minus adhibeant ſtudii & diligentiæ in inquirendis, ac notandis cujusque talentis, & præterea etiam exercendis, & iis, qui aliquam aptitudinem à Domino accepiſſe videntur, erudiendis tum praxi tum etiam opportunis inſtructionibus & monitis. Exquirendi & exercendi ad hoc munus idonei.

3 Modus autem eos exercendi eſſe hic poterit, ſi in aliquas conſultationes adhibeantur, vel Miniſtri in aliqua domo conſtituantur, vel ſi cum eis Regulæ perlegantur, & doceantur ipſarum intelligentiam & uſum: denique aliis ejusmodi rationibus, quas Superioribus eorum prudentia ſuggeret. Modus eos exercendi.

4 Eadem de cauſa valde expedire videtur, ut plena notitia eorum omnium Præpoſito Generali conſtet, & quos Provinciales in ſuis quisque Provinciis habeant, qui in hac parte operam Societati navare queant. Eorum notitia conſtare debet Generali.

5 Provincialis primum omnium, audito Conſultorum ſuorum, nec non Quorum judicio ſeligi, & à qui,

bus informationes accipi debeant.

non antiquiorum, ſi neceſſe fuerit, ac præcipuorum Patrum judicio, ex omnibus ſuæ Provinciæ Sacerdotibus eos ſeligat, de quibus informatio accipienda videatur. Poſtea vero informationes ab iis accipiat, qui prudenter, & ſyncere eam daturi videantur: ac re tota rite precibus Deo commendata, ſuo tempore nobis mittat catalogum eorum, quos ad gubernandum aptos cenſebit ex formula, quam in hunc finem ſubjiciemus: illud tamen obſervans, ut omnia fiant ſecrete, ut rem ipſam poſtulare intelliget.

In viſitatione informationes acceptæ, tertio quoque anno ad Generalem mittendæ.

6 Operæ pretium autem erit, ut Provincialis, qui viſitat, quemadmodum informationes de promovendis ſumit, juxta Regulam 69. ſui officii; ita etiam de idoneis ad gubernandum accipiat. Et poſtea tertio quoque anno catalogus hujusmodi informationum, ex præſcripto hujus formulæ, ad Præpoſitum Generalem mittatut.

In 3. claſſes dividitur.

7 Porro hujusmodi Catalogus in tres claſſes diſtingui debet. Prima quidem eorum erit, qui actu gubernant. Altera vero eorum, qui aliquando gubernarunt, quod ſi horum aliqui juſtis de cauſis non proponantur, addatur ratio, quare prætermiſſi fuerint. Tertia denique eorum, qui apti ad gubernandum videbuntur, & de his dicatur, quinam proxime, qui vero remote idonei cenſentur.

Latinæ mittendæ.

Quibus hæ informationes communicandæ antequam Romam mittantur.

8 Has autem informationes (quæ ab omnibus Latine mittendæ ſunt, ut & eæ, quæ de promovendis ad gradus fiunt) debebunt Provinciales accipere non ſolum à Conſultoribus, ſed ab antiquioribus etiam & præcipuis Patribus, qui eos, qui proponuntur, optime noſſe poſſunt, vel quia illis præfuerunt, vel quia cum illis familiariter egerunt, vel in Miſſionibus, foris, vel Domi: quorum omnium nomina ad nos perſcribant. Non erit tamen neceſſe ſingulis capitibus, & reſponſionibus ponere quid quis dixerit, ſed id tantum fieri debebit, cum in ea reſponſione non conſentiunt, & res eſt alicujus momenti. Tunc enim in informatione addendum erit duos, tresve contra ſentire, & in charta aliqua ſeparata explicandum, illos duos vel tres, qui aliter ſentiebant, eſſe Patres talem & talem, quibus omnibus ſignificandum erit, ſi quid aliud eis ſeorſum ad nos ſcribendum occurrat, id omnino facere non omittant.

Capita

Capita Informationis mittendæ à Provincialibus de iis, qui in ſuis Provinciis ad gubernandum idonei videbuntur.

PARS II.

I.

CVIAS ſit, & qua ætate is, de quo mittitur informatio; & quot annis in Societate fuerit, & quibus in ſtudiis verſatus ſit, & quo progreſſu. De ætate.

2 An alias umquam gubernarit, ubi, & quamdiu, & in quibus officiis, & qua Noſtrorum, ceterorumque ſatisfactione. An gubernaverit.

3 Quam affectus ſit ad res ſpirituales, ad orationem, ceteramque cum Domino communicationem. De affectu ad res ſpirituales.

4 De mortificatione paſſionum, de manſuetudine, de humilitate, amore paupertatis, vel ſingularitate circa propria commoda. De mortificatione paſſionum.

5 De vigilantia, prudentia, & fortitudine in negotiis tractandis. De prudentia, &c.

6 De caritate, & ſuavitate in Subditos, & diſcretione. De caritate, &c.

7 De religioſa diſciplina, & obſervantia, de rectitudine, & conſtantia. De diſciplina, &c.

8 Quam intelligens ſit noſtrarum Conſtitutionum, & Regularum & an ex earum ſpiritu Subditos ad perfectionem dirigere ſtudeat, non humana & politica ratione: & an ſenſus habeat proprios, & peculiares, non conſentaneos modo Societatis. An intelligens Conſtitutionum.

9 Vt affectus ſit ad externas nationes & Provincias: & an particulares affectiones retinere ſoleat ad perſonas aliquas particulares, ita ut cum aliorum offenſione gubernaturus videatur. De affectu ad externas nationes.

10 De zelo animarum, & ſtudio juvandi proximos, & an hoc ſtudium in Noſtris promoveat; de obedientia & ſubordinatione ad ſuos Superiores, & de proprio judicio. De zelo animarum, &c.

11 An umquam notatus ſit quod gubernationem ambierit, aut procuraverit. De ambitu.

12 Denique, ſi quid aliud occurrerit, propter quod aptus, vel minus aptus ad gubernandum videatur.

Hæc omnia in iis, qui aliquamdiu gubernarunt, facile erit animadvertere: & ideo ab iis, qui vel eorum ſubditi, vel ſuperiores extiterunt, eorum notitiam conſequi licebit. Qui autem hactenus numquam regimen A quibus, & quomodo capiendæ informationes.

men attigerunt, de iis illa dici debebunt, quæ vel jam uſu comperta ſunt, vel quorum ſpecimen, aut ſignificationem præbuerint.

Praxis conficiendarum, & mittendarum informationum, juxta formulam de idoneis ad gubernandum.

PARS III.

I.

Perſonarum ſelectio ut facienda.

PROVINCIALIS cum ſuis Conſultoribus Catalogum omnium Sacerdotum Provinciæ perlegat, & ex eorum judicio illos ſeligat, de quibus merito ſumenda ſit informatio.

Informatio quomodo ſumenda.

2 Facta hac ſelectione, de ſingulis ſelectis ſumat informationem, juxta formulam: & ex reſponſis quæ retulerit, expreſſo numero eorum, qui ita ſentiunt, tacitis autem nominibus, brevem ſummam conficiat, dilucidam tamen, & juxta ſingulas interrogationes, ad hunc fere modum.

Informatio accepta à quinque, vel ſex Patribus de P. N. N.

Ad 1.

De ætate.

PATER Antonius Pamphilius Romanus annorum 40. fuit in Societate annis 20. ſtuduit Philoſophiæ, & Theologiæ, vel caſibus conſcientiæ, &c. bene profecit, vel mediocriter, vel parum, ex trium ſententia; plusquam mediocriter, ex duorum, vel omnium ſententia.

De gubernandi tempore.

Ad 2. Numquam gubernavit; vel fuit Miniſter Collegii, vel Domus talis per biennium, cum bona, vel mala ſatisfactione, ex omnium, vel trium, vel duorum, vel unius ſententia. Fuit item Rector Collegii talis, cum bona ſatisfactione externorum, omnium judicio, vel aliquorum; mala autem, vel bona, vel mediocri Noſtrorum Ita ſentiunt duo, vel tres, vel unus, vel omnes. Et ſic de aliis muneribus, ſi quæ obivit.

Sic de ſingulis.

3 Quod autem de duobus his capitibus dictum eſt, idem faciendum in ceteris.

Re cum ſuis Conſultoribus communicata ſtatuet.

4 Facta igitur in hunc modum de ſingulis informatione, illam cum Conſultoribus leget, ac examinabit: ac re inter ſe diſcuſſa ſtatuant, quid de ſingulis capitibus ſentiant, idque addant informationi, hoc, qui ſequitur, modo, juxta informationem ſuperius poſitam.

Ad 1. P. Antonius Pamphilius Romanus annorum 40. fuit in Societate annis 20. ſtuduit Philoſophiæ & Theologiæ, vel Caſibus conſcientiæ,

tiæ, &c. bene profecit, vel mediocriter, vel parum, ex trium ſententia, idemque ſentiunt duo Conſultores: plusquam mediocriter, ex duorum judicio, quibus adhæret unus ex Conſultoribus, &c.

5 Abſoluto Informationum examine, & appoſito Conſultorum judicio de veritate Informationum ſingulis capitibus; Iudicium utrum ille aptus, vel minus aptus videatur, tum ipſe Provincialis, tum Conſultores ſecretis, & ſeparatis litteris ad nos ſcribant. Secretis, & ſeparatis litteris ad Generalem ſcribendum.

Paradigma Informationis, juxta formulam de idoneis ad gubernandum.

PARS IV.

Informatio de P. Antonio Pamphilio Romano à quinque Patribus accepta, & cum Conſultoribus examinata.

1.

PATER Antonius Pamphilius Romanus annorum 40. fuit in Societate annis 20. ſtuduit Philoſophiæ & Theologiæ, plusquam mediocriter profecit omnium judicio: idemque ſentiunt omnes Conſultores. De ætate.

2 Fuit Miniſter in Collegio Romano per annum; mediocriter ſatisfecit: erat enim aliquantulum ſeverus, ex trium ſententia, quibus conſentiunt Conſultores. Fuit etiam Rector Lauretanus annis 4. cum bona Noſtrorum, externorumque ſatisfactione, ex omnium judicio: duo tamen ex Conſultoribus ſentiunt non bene ſatisfeciſſe externis, licet Noſtris ſatisfecerit. Vbi gubernaverit, & qua ſatisfactione.

3 Affectus eſt ad res ſpirituales, & ad orationem, ceteramque cum Domino communicationem, ex omnium ſententia; quibus conſentiunt Conſultores, uno dempto, cui non videtur devotus. De affectu ad res ſpirituales.

4 Mortificatas habere paſſiones videtur fere omnibus, uno dempto; humilis eſt, & manſuetus, ex trium judicio; quibus omnes aſſentiunt Conſultores. Amare creditur paupertatem, & non eſſe ſingularis circa propria commoda, ex omnium tam Informantium, quam Conſultorum judicio. De mortificatione paſſionum.

5 Eſt vigilans, & mediocriter prudens, ſed non valde fortis in negotiis tractandis: in quo omnes conſentiunt. De vigilantia & prudentia.

De caritate & ſuavitate.

6 Caritatem & ſuavitatem exercet in Subditos, ex Informantium ſententia: diſſentiunt tamen duo ex Conſultoribus, qui illum exiſtimant ſeveriorem. Diſcretionem videtur habere mediocrem, in quo omnes conſentiunt.

De diſciplina.

7 Religioſam diſciplinam, & obſervantiam cum rectitudine & conſtantia promovet, ex omnium Informantium ſententiis; unus tamen ex Conſultoribus diſſentit.

De intelligentia Conſtitutionum.

8 Intelligens eſt noſtrarum Conſtitutionum, & Regularum mediocriter: & ex earum ſpiritu Subditos ad perfectionem dirigere ſtudet, ex duorum ſententia: tres autem exiſtimant illum humana & politica ratione gubernare. Atque hoc ſecundum verius cenſent Conſultores. Senſus proprios, & peculiares habet aliquando non conſentaneos modo Societatis, ex omnium, etiam Conſultorum ſententia.

De affectu ad nationes.

9 Affectus bene eſt ad externas nationes; duo tamen ex Conſultoribus contrarium cenſent. Affectiones ad particulares aliquas perſonas, præſertim eas, quæ ſuas res probant, retinere ſolet; ideoque cum offenſione aliorum gubernat. Ita ſentiunt omnes, nec diſſentiunt Conſultores.

De zelo animarum.

10 Zelum animarum & ſtudium juvandi proximos habet qualecumque: hoc autem ſtudium in Noſtris non ita ut decet, promovet. Ita omnes Informantes. Vnus autem ex Conſultoribus addit, illum ſuadentibus ſcrupulis hoc ſtudium in ſubditos aliquando ſupprimere.

De judicio.

Obediens eſt, & ſuis Superioribus ſubordinatus, nec proprii judicii. ita omnes ſentiunt.

De ambitu.

11 Numquam notatus eſt gubernationem ambiviſſe, aut procuraſſe, &c.

Capvt XVIII.

De Promovendis ad gradus Societatis.

Quo modo de iis confici, & in Vrbem mitti debeant Informationes.

A. R. P. N. Claudio Aquaviva Præpoſito Generali recognita, & aucta juxta Decr. 65. V. Congreg.

PARS

PARS PRIMA.

I.

IN primis Provinciales, ad quorum officium hæc informatio pertinet, perſuadere ſibi debent, magna fide, diligentia, & circumſpectione procedendum eſſe in hoc negotio, cum ſcilicet tanti momenti ſit ad ordinem, firmitatemque Societatis, ut ea quam exactiſſime ſerventur, quæ in 5. par. Conſtit. & alibi dicuntur de dotibus, quibus ornatos eſſe oportet, qui in hujusmodi gradus ſunt referendi. quod quidem eo facilius erit, ſi antea ſervata fuerint, quæ in 1. par. de recipiendis, & in 3. & 4. de formandis Noſtris præſcribuntur. *Qua circumſpectione Provincialibus procedendum in re tanti momenti.*

2 Studeant igitur Provinciales non præterire Regulam 69. eorum officii; nempe ut in viſitatione ordinaria ſingulorum Collegiorum accipiant informationem promovendorum: & abſoluta viſitatione Provinciæ, ad Præpoſitum Generalem referant, nec diu differant, ne ex diuturna mora aliqui ſe negligi arbitrentur: unde & amaritudinum occaſio oriri, & graduum hujusmodi diſtributio minus facilis, ac ſuavis reddi poteſt. *Singulis annis in viſitatione capiant informationes, & ad Generalem mittant.*

3 Quoniam vero, ſi examen de ſufficientia litterarum ad id tempus differretur, quo quis ad gradum promovendus proponitur, minus commode ſuccederet (contingeret enim eos, qui examinandi tunc eſſent, ante aliquot annos ſtudia abſolviſſe, & in variis Societatis miniſteriis occupatos, ac diſtractos fuiſſe; ac proinde ſcholaſticas res vel certe ſubtilitates non ita in promptu habere: unde non poſſent forte ita ſatisfacere, ut ſatisfeciſſent, ſi ſtatim abſolutis ſtudiis fuiſſent examinati) propterea animadvertendum deinceps erit, ut examen, juxta inſtructionem à nobis miſſam fiat, poſtquam quisque ſtudia abſolverit, antequam ad tertium Probationis annum mittatur, juxta Conſtitutiones; & Romam deinde ut aſſervetur, & in tempore deſervire poſſit, quamprimum Provincialis mittendum curabit. Hæc enim notitia plurimum poſtea juvabit, cum de cujusque gradu ſtatuendum erit: & ſi is qui examinatur, non plene ſatisfecerit, commodius videbit Præpoſitus Generalis, an ulterius progrediendum ſit in litteris, juxta eamdem Conſtitutionem. *Examinandi ſtatim poſt abſoluta ſtudia.* *Examen Romam mittendum.*

4 In quo nobis ſemel monendi viſi ſunt Provinciales, ut quemadmodum nemo eorum, quorum doctrinæ periculum faciendum ſit, ad profeſſionem quatuor votorum promoveri poterit, niſi prævio examine (quod ſane in hujusmodi gradu ſolenne ac firmum eſſe oportebit, vel nulla in no- *Nullus ſine prævio examine, &c. promovendus.*

ſtris litteris ejus facta mentione) ita poſt factum periculum ſufficientis doctrinæ, neutiquam promotum iri oportebit, Generali non præmonito, ab eodemque expectato & accepto reſponſo, quantumvis à nobis de alicujus gradu reſcriptum fuerit, & inſpecta ejus informatione placere ut promoveatur, ſi de ceteris conſtiterit.

Poſt triennium in miniſteriis, ad gradum proponantur.

5 Abſoluto itaque 3. Probationis anno, ſi non fuiſſent antea ſatis perſpecti & exercitati (tunc enim ſtatim illo finito, Provinciales Generalem monere debebunt) triennium integrum in variis miniſteriis exerceantur: quo abſoluto proponantur omnes juxta formulam. Idem etiam faciendum eſt in iis, qui abſolutis jam ſtudiis Societatem ingreſſi ſunt: qui etiam exacto biennio probationis, & integro triennio in variis miniſteriis exercitati, probeque perſpecti, proponi debent, & ſi ſatisfecerint, promovebuntur. Pro Coadjutoribus vero ſpiritualibus formatis, ſi ſufficientem doctrinam pro eo gradu habuerint, & probationes peregerint, juxta ordinem alias datum, non excedant ſeptennium ab ingreſſu in Societatem, quin proponantur.

Idem de iis, qui abſolutis ſtudiis in Societatem ingrediuntur.

Coadjutores ſpirituales poſt ſeptennium.

Qui ſimul venerunt, ſimul promovendi.
Dec. 88. Cong. 7.

6 Dent operam Provinciales, ut qui eodem tempore Societatem ſunt ingreſſi, una etiam, quoad fieri poteſt, ad gradum proponantur: & ſi qua gravis erit cauſa, quæ aliter fieri ſuadeat, eam Generali exponere non prætermittant. Quod ſi aliquorum ob docendi munus aliasve occupationes dilata fuerint ſtudia, eorum in primis ratio habeatur: vel tempus illis contrahendo, quo in miniſteriis poſt ſtudia probandi ſunt; vel aliis prorogando; ita ut vel doceant, qui ante non docuerunt, vel diutius aliquanto in aliis miniſteriis occupentur, quo ſimul omnes proponi poſſint. De iis vero, quos Generalis ſimul decrevit ſcripſitque promovendos, caveant omnino, ſive ipſi per ſe, ſive per alios illorum vota excepturi ſunt, ne antiquiores recentioribus poſtponantur.

Antiquiores proponendi recentioribus.

Cauſæ ſcribendæ de non propoſitis ad gradus.

7 Verum quia nonnumquam contingit, ut quidam, licet legitimo tempore in Societate fuerint, nec eis doctrina ſufficiens, & aliæ ejuſmodi qualitates deſint; propter juſtas tamen cauſas adhuc differendi ſint; ſaltem nos certiores facere debent de cauſis, ob quas eos non proponunt, ut ſcire poſſimus, quare prætermiſſi fuerint. Quin etiam contingere poteſt, ut mutatis Superioribus Provinciarum, cum ſucceſſores non ſint informati, aliter judicent de eisdem perſonis; & condemnent prædeceſſores, eo quod putent illos negligentia prætermiſſos.

8 Con-

8 Convenit etiam, ut ii, qui juſtas ob cauſas non promoventur, nec proponuntur, ſyncere moneantur de eorum defectibus, ita ut eis dicatur, habere quidem partes ſufficientes, & ſufficienti tempore fuiſſe in Societate; ſed non promoveri ob hunc, vel illum defectum: ſunt etiam hortandi, ut ſe emendent. quare hujus rei peculiarem curam habere oportet. *Syncere monendi de ſingulis cur non promoveantur.*

9 Vt omnia autem majori cum luce ad Dei gloriam fiant, eorum, quæ ſubjicientur, capitum informationem quæret ab iis, qui unumquemque proponendum melius noverint, interrogando ſive de doctrina, ſive de moribus, ſive de aliis, quibus hæc magis cognita & perſpecta eſſe potuerunt. Ad quæ reſpondebunt omnes, quid ſentiant coram Domino, cum prudentia & caritate: easque reſponſiones vel voce, vel ſcripto Provinciali tradent. *Quomodo informantes interrogandi, & quomodo reſpondendum.*

10 Ex his reſponſionibus Provincialis ſeparatim ſuam de ſingulis informationem accurate ac dilucide conficiet, easque omnes cum ſuis Conſultoribus communicabit, tacitis tamen nominibus eorum, à quibus acceptæ fuerint: deinde ſuam ſententiam ipſe, ut & Conſultores ſeparatim, juxta propoſitas informationes, quantumvis hominem non noverint, diſtinctis litteris ad Præpoſitum Generalem mittet, eumque certiorem faciet, à quibus uniuscujusque informationem acceperit. *Informationes confectas cum Conſultoribus communicet. Separatim ad Generalem ſcribat.*

11 Idem etiam Provincialis, non ſolum Conſultoribus, ſed aliis quibuscumque, à quibus aliquam informationem acceperit, Generalis nomine ſignificabit, ut ſi quid præterea ſciant, quod aliquibus de cauſis non cenſuerint in Provincia manifeſtandum, id omnino ipſi Generali perſcribant. *Etiam informantes ſcribere ad Generalem poſſunt.*

12 In his autem omnibus, non ſolum diligentia & prudentia, ſed etiam ſecretum quod oportet, adhibendum erit: & omnino curandum Provinciali, ne in tanta re ullam officii ſui partem prætermittat. *Secretum ſervandum.*

Interrogationes, juxta quas Provinciales ad Generalem mittent informationem de proponendis, ut vel Profeſſi vel Coadjutores formati fiant.

PARS II.

I.

NOMEN, patria, ætas, valetudo, & vitæ genus ante ingreſſum. *Nomen patria, &c.*

2 Vbi, & quando admiſſus, & an experimentis omnibus, quæ in *Quando, & ubi admiſſus.*

in examine præſcribuntur, in Novitiatu probatus; ſin minus, quid cauſæ fuerit.

De profectu in virtutibus.

3 Quantum profecerit in virtutibus à ſuo ingreſſu, præſertim in ſui contemptu, obedientia, fraterna caritate, ſimplicitate, paupertatis affectu, & amore Inſtituti, & an in vocatione umquam vacillaverit, aut ab ea etiam defecerit.

De tempore & profectu ſtudiorum.

4 An quadriennium integrum, vel quantum temporis poſt artium liberalium, & Philoſophiæ ſtudium in Theologia expleverit; & num poſtea, atque quamdiu eidem repetendæ, & legendis Patribus operam impenderit, quantumve in iis rebus profecerit, & etiam quantam Iuris Canonici peritiam habeat.

De tertio anno probationis.

5 An, & qua ſatisfactione ſuis ſtudiis abſolutis (niſi ea ante ingreſſum abſolverit) tertium probationis annum juxta Conſtitutiones peregerit.

Quamdiu docuit.

6 An, & quanto tempore litteras humaniores, Philoſophiam, aut Theologiam docuerit, aut Caſus conſcientiæ explicaverit, & quanta in ſingulis hujuſmodi artibus & ſcientiis tradendis eruditione & doctrina polleat.

Quamdiu in miniſteriis ſe exercuit.

7 An, & quamdiu in prædicationibus, aliisque miniſteriis ſalutis proximorum verſatus ſit, & quanta cum gratia, facultate, & animarum fructu ea exercuerit, quaque ædificatione cum externis, præſertim in Miſſionibus, ſi quas obivit, ſe geſſerit.

Quamdiu gubernaverit.

8 An, & quamdiu adminiſtrationem aliquam Societatis obierit, quaque prudentia, humilitate, modeſtia, integritate, caritate, & ſatisfactione domeſticorum & externorum Subditos rexerit, & negotia tractarit.

De opinionibus peregrinis.

9 Sequaturne extraordinarias opiniones, peregrinumve aliquem, alienumve à noſtro Inſtituto ſentiendi aut procedendi modum, præſertim in doctrina, in orandi ratione, & aliis ſpiritualibus Exercitiis. Denique an ſit proprii judicii amator, & in affectibus parum mortificatus.

De oratione & zelo animarum.

10 Sitne devotus, & orationi deditus, ſalutis animarum zelator, & in negotiis promovendis, & difficultatibus ſuperandis ſtrenuus, ac fiducia in Deum fretus. Denique, an optet labores, & alia incommoda pro Dei gloria, & proximorum ſalute perpeti, præſertim inter gentiles & hæreticos.

De ambitu.

11 An aliquod regendi munus aut dignitatem ambierit, aut ad Profeſſionem, Sacerdotium, litterarumve altiora ſtudia aſpiraverit, atque hæc

per

per ſe vel alium procuraverit; an potius ſemper viſus ſit, & adhuc judicetur ad quemcumque Societatis gradum, & ad quævis ejus miniſteria indifferens.

Quæ ſervanda in conficiendis Coadjutorum temporalium informationibus.

Informationibus autem, quæ de Coadjutoribus temporalibus formandis mittuntur, ſatis erit, præter tria prima capita interrogationum, ea tantum attingere, quæ ad ipſorum ſtatum proprie pertinent, & ex Conſtitutionibus par. 1. c. 2. §. 2. facile colliguntur, an ſcilicet ſint bonæ conſcientiæ, quieti, tractabiles, amatores virtutis ac perfectionis, propenſi ad devotionem, qui domeſticis & externis ædificationi ſint, & qui ſorte Marthæ in Societate contenti ſint, &c.

Coadjutores temporales proponendi non ſunt, antequam decimum religionis annum, ætatis vero trigeſimum, ad minimum, expleverint: neque enim par horum ac ſpiritualium ratio videri poteſt, quos poſt ſeptem annos in Societate expletos proponi oportere præſcripſimus.

Quæ videntur obſervanda in examine eorum, qui de ſufficientia litterarum examinantur, ut ad profeſſionem quatuor votorum admittantur.

PARS III.

1.

Quænam doctrina requiratur ad profeſſionem quatuor votorum.

DOCTRINA in iis, qui ad hunc gradum ſunt admittendi, ea eſſe debet, quæ præſcribitur 5. par. Conſt. c. 2. §. 2. ut ſcilicet ita in Philoſophia, & Theologia profecerint, ut aſſertiones Logicæ, Philoſophiæ, & Theologiæ ſcholaſticæ tueri pro dignitate poſſint. Ex quo fit, ut non ſatis ſit in his facultatibus mediocriter profeciſſe; neque enim tales ad hæc ſtudia altiora admitti debent, niſi in quibusdam caſibus, juxta Reg. Provinc. 19. in Ratione ſtudior. Hinc etiam ſecundo apparet non ſatis eſſe eam doctrinam ad hunc gradum qua quis ad Confeſſiones tantum audiendas idoneus cenſetur, ſed eam requiri, qua vel eas facultates prælegere cum ſatisfactione poſſit, vel non vulgariter concionari, vel Provinciam adminiſtrare, aut quid ſimile. Conſtitutiones enim part. 10. §. 7. eos, qui ad hunc gradum ſunt admittendi, viros doctrina ſelectos requirunt: quin etiam Bullæ Summorum Pontificum Iulii & Pauli III. ad hunc gradum viros litteris conſpicuos exigunt.

2 Qua-

Quinam à Provinciali examinatores conſtituendi.

2 Quatuor, qui ſunt argumentaturi, & illum examinaturi, hi eſſe debent, qui hujusmodi judicium de doctrinæ ſufficientia merito facere poſſint; cujusmodi ordinarie ii tantum eſſe videntur, qui eas facultates publice profeſſi ſunt aut profitentur, vel certe qui omnium judicio ſunt in illis bene verſati. Monere autem Provincialis Præpoſitum Generalem debet, quosnam in ſua Provincia ad id munus deputaverit.

A Generali confirmandi.

Quot aſſertiones tuendæ.

3 Quatuor ſaltem aſſertiones ex quatuor partibus S. Thomæ, & tres ex curſu Philoſophico, Logica ſcilicet, Phyſica, & Metaphyſica, quarum una quæque tria membra, aut puncta ſaltem habeat, defendere debebit, qui examinandus eſt.

Quomodo examen faciendum.

4 Examen hoc fieri debet coram Provinciali, aut certe Rectore illius Collegii, in quo fit examen; nec alii quam Examinatores adeſſe debent, qui plane intelligant ſui muneris eſſe, eos, qui examinandi ſunt, ſerio, & non perfunctorie aut leviter, ſed ut vere de doctrina fiat periculum, an tanta ſit, quanta in Conſtitutionibus requiritur, ut ſupra dictum eſt, examinare.

Quomodo Examinatoribus judicium ferendum.

5 Abſoluto examine, Examinatores ſuam ſententiam in conſultatione non dicant, ſed re prius Domino commendata, & omni humano affectu ſepoſito, quisque ſeparatim, quid in hac re, videlicet de ſufficientia doctrinæ tantum ſentiat, breviter ac diſerte ſcriptum Provinciali tradat, (qui ſuum etiam mittet, aut qui ejus loco examini præfuerit) præterea judicium idem ad Præpoſitum Generalem mittat, addens etiam, ſi quid ſignificandum occurrat, quod Provinciali aperiendum non cenſuerit. nulli autem præter hos quid quisque ſenſerit omnino communicet: quod etiam ſecretum maxime Provinciali commendatur.

Quinam excipiantur ab examine.

6 Ab hoc examine excipiendi videntur omnes, qui pro dignitate & cum ſatisfactione audientium has facultates profeſſi ſunt aut profitentur: vel qui actum generalem mane & veſperi in Theologia habuerint, ſi iis Patribus, qui Provincialis judicio diſputationibus intereſſe debuerint, ſatisfecerint.

Quæ

Quæ in Patrum Procuratorum Congregatione anno 1600. à Patribus excogitata ſunt, & à R. P. N. Claudio Aquaviva Præpoſito Generali ad Provincias miſſa.

PARS IV.

1.

NE in poſterum Provinciales minus diligenter quam oporteat, in id incumbant, intelligant, hanc eſſe unam ex præcipuis officii ſui curis; ſibique magna ope nitendum, ut informationes de promovendis ſuis temporibus opportune mittantur P. N. Generali: & ſi rei tanti momenti defuerint, ſibi etiam imponendam eſſe pœnitentiam, ita ut in provincia intelligatur, rem maxime cordi eſſe P. Generali.

Provincialibus promovendorum cura ſtrictè commendatur, etiam pœnitentia intentata.

2 Ad eaſdem querelas tollendas, & ut informationes citius, ſyncerius, & ſuo tempore ad P. N. Generalem perferantur; ii qui ex officio deſignantur ad exigendam rationem officii Provincialium in fine triennii uniuſcujusque Provincialatus, diligenter inquirant, an Provinciales ſervaverint omnia, quæ de informationibus ad P. Generalem opportune mittendis præſcripta ſunt: & ſingillatim num aliquem, de quo mittenda eſſet informatio, quacumque ex cauſa præterierint.

Provincialis viſitandus in fine.

3 Qui ex aliis provinciis adveniunt in Provinciam aliquam Societatis, non promoveantur in illa Provincia, niſi prius acceptis informationibus ab ea, ex qua diſceſſerant, aut in qua diutius verſati ſunt. Et Provinciales illarum provinciarum, unde diſceſſerunt illi, teneantur ſaltem ſemel ſuo tempore proponere iſtos præviis informationibus, ſicut alios, quos habent in Provincia; dummodo ſint juxta formulam in miniſteriis exercitati.

Quomodo informationes capiendæ de iis, qui ex una Provincia in aliam commeant.

4 Ne in informationibus contingant defectus, ex quibus juſtæ querelæ oriri poſſint; ut eæ in poſterum ſynceriſſime fiant, onerentur conſcientiæ Informatorum, & Conſultorum Provincialium, & Provinciales ipſi diligentiſſime obſervent, ne prædicti, aut eorum aliquis ſit ulla ratione ſuſpectus. Et nos quidem hic quod in nobis erit, id unum in primis curabimus diligenter, cum hujusmodi informationes una cum PP. Aſſiſtentibus examinandæ cenſendæque erunt, ut qualitatis potius informatorum ratio, quam numeri habeatur: & probatiores aliis præferantur. Demum, ſi qui ex Conſultoribus Provincialis eum non noverint, de quo conſultatur, judicio Provincialis præter Conſultores vocetur ad conſultationem unus aliquis ex gravioribus, cui ille, de quo agitur, notus ſit.

Quomodo ſynceræ fiant informationes.

Scripto defectus tradantur.

5 Ne conquerantur, ut faciunt multi, quod moniti non ſint de defectibus, propter quos retardatur eorum promotio; hæc admonitio in poſterum ſcripto tradatur: & ſcribant Provinciales P. N. Generali de monitione ſcripto facta, cum declaratione defectuum.

Praxis conficiendarum informationum de promovendis ad gradus.

PARS V.

I.

Provincialis quando, à quibus, & quomodo informationes conficiat.

PROVINCIALIS cum ſingula Collegia viſitat, informationes de promovendis, ſi qui in illis ſunt, accipiat; quæ à quatuor ut minimum ſumi debent, qui eos bene norint, juxta §. 7. formulæ. Ex reſponſionibus autem, quas ab iis, qui informarunt, de ſingulis capitibus habuerit; propriam de unoquoque promovendo informationem componat, apponatque numerum eorum, qui idem ſentiunt, hoc fere modo.

Informatio de P. N. N. à quatuor, vel pluribus Patribus accepta.

Ad 1.

Ætas.

P. N. N. Romanus, annorum 40. robuſtus, vel infirmus, &c. ante ingreſſum operam dabat Philoſophiæ, vel Theologiæ, vel Iuri, &c.

Tempus Societatis.

Ad 2. Admiſſus eſt Mediolani anno 1580. 20. Martii, omnibus experimentis in Novitiatu probatus: vel experimenta non perfecit ob infirmam valetudinem; non enim potuit peregrinari, vel inſervire infirmis.

Progreſſus in virtutibus.

Ad 3. In virtutibus bene, vel mediocriter, vel parum profecit, ut omnes Informatores, vel duo tantum ſentiunt. Sui contemptum non habet, vel habet, &c. ſecundum omnes, vel unum, vel tres. Eſt obediens, vel non, vel parum, aut multum profecit in obedientia, paupertatis affectu, &c. De Inſtituto bene ſentit, illudque amat, vel contra: ita duo ſentiunt, &c. In vocatione non vacillavit, vel aliquando vacillavit ob hanc, vel illam cauſam, &c. (Non intelligimus autem in vocatione vacillaſſe quempiam, ſi dum in probatione verſaretur, fuit de vocatione tentatus, &c.) ab ea tamen non defecit, &c.

Quod autem de tribus his capitibus dictum eſt, faciendum in reliquis.

Confectæ informationes cum Conſultoribus communicandæ.

3 Peracta autem ſua de unoquoque promovendo informatione, eas omnes cum ſuis Conſultoribus examinabit, judiciumque illorum de informationum veritate ſingulis informationis capitibus apponet, tam ſi conſentiant

ſentiant cum iis, qui informarunt, quam ſi ab illis diſſentiant, tacitis tamen Conſultorum nominibus, hoc qui ſequitur modo.

Ad 3 In virtutibus bene, vel mediocriter, vel parum profecit, ut omnes Informatores, vel duo tantum ſentiunt: quibus conſentiunt Conſultores omnes, vel duo, vel unus, &c. Sui contemptum non habet, vel habet, ſecundum omnes; vel unum, vel tres, &c. Aliter tamen ſentiunt omnes, vel duo Conſultores; quibus videtur ſui contemptor, &c. Quomodo informantium, & Conſultorum judicia attexenda.

4 Abſoluto in hunc modum informationum examine, judicium, utrum ille promovendus videatur an non, & ad quem gradum promovendum cenſeant, tum ipſe Provincialis, tum Conſultores, ſecretis & ſeparatis litteris ad Præpoſitum Generalem ſcribant. A Provinciali, & Conſultoribus ſeparatim ad Generalem ſcribendum.

5 Scribat etiam Provincialis, à quibus de unoquoque informationem acceperit, & cum quibus Conſultoribus eas examinarit: non erit autem neceſſe, quod quisque in ſingulis capitibus dixerit, ponere: ſed ſatis erit, ſi id fiat, cum in aliqua reſponſione de re alicujus momenti inter ſe non conſentiunt: tunc enim in informatione ponendum erit, unum, duos, vel tres ex Informatoribus, vel Conſultoribus ita ſentire; alterum, vel alios in contraria eſſe ſententia: & in charta aliqua ſeparata ſcribendum, eos, qui contra ſentiant, eſſe PP. talem vel talem. Scribendum quoque à quibus acceptæ, & quibuscum communicatæ.

6 Animadvertant Provinciales, informationes de promovendis non ſolum claro & diſtincto charactere ſcribi debere, ſicut & litteræ Provincialis & Conſultorum, cum margine ad excipiendam ſententiam noſtram ſufficienti, dum à nobis cum Patribus Aſſiſtentibus recognoſcuntur, appoſita anni nota, quo facta fuerint; ſed in diverſis prætcrea foliis, ſeorſim ab iis, quæ de idoneis ad gubernandum conſcribuntur; cum ſeparatis in Archivio loculis, ut facilius reperiantur, aſſervandæ ſint. Ceterum Conſultores cum Provinciali, qui ſua ſimul judicia privatis ad id litteris transmittent, eumdem illum numerum, & ordinem promovendorum, qui in informationibus erit deſcriptus, retinebunt, in ſuis quisque litteris ad nos ſcribendo: ita ut de primo & ſecundo primo ac ſecundo loco, atque ita deinceps de reliquis ſcribant, ad ſingulos numeros, ejus, de quo agunt, nomen, & cognomen adſcribendo; tum de ſingulis ſignificando, primum, quemnam ad gradum idoneos cenſeant, an ad quatuor ſcilicet votorum aut trium profeſſionem, an vero ad vota Coadjutorum ſpiritualium; deinde, an ſtatim promovendos judicent, an adhuc differendos, ut clarius apparebit in paradigmate. Quomodo ſcribendæ informationes. Idem numerus ab omnibus in ſcribendo ſervandus.

Litteræ de promovendis quamdiu aſſervandæ, & ſubinde legendæ.

Quomodo ad eumdem de iiſdem reſcribendum.

7 Litteræ noſtræ de promovendis, quas certo aliquo in libro tamdiu conſervari oportet, quoad expediti fuerint de quibus agitur; ne qua oriatur perturbatio aut oblivio apud ſequentes Provinciales, ſubinde ab illis revolvendæ ac legendæ ſunt, ut mature ad nos referant, an executioni mandatum fuerit, quod conſtitueramus. Qua in re ad nos ſcribendo id obſervabunt, ut priore loco verba ipſa litterarum noſtrarum producant, appoſita nota diei & anni, à quo datæ. deinde, quid juxta eas actum, effectumve ſit, ſubjiciant, ut ſummam tandem de unoquoque ſententiam pronuntiemus.

PARADIGMA

Formulæ ſcribendi ab iis, qui ad Præpoſitum Generalem de promovendis, ſicut de aptis ad gubernandum, ſeparatis quisque litteris, ſuam ſententiam judiciumque ad eumdem mittere debebunt, juxta paragraphum ſextum, Cap. 5. Praxis conficiendarum, &c.

PARS VI.

I.

PAter Blaſius Coriolanus ad profeſſionem quatuor votorum mihi promovendus videtur, vel profeſſione quatuor votorum dignus videtur, &c. ſed per annum differendus.

2 P. Melchior Miraldus dignus mihi quidem videtur profeſſione trium votorum, & quamprimum ad eum gradum promovendus.

3 P. Franciſcus Verelinus formandus mihi videtur, ſed ad annum differendus, ut matureſcat magis.

4 P. Diomedes Rinaldinus, etſi ad profeſſionem quatuor votorum peridoneus mihi videtur ob præclara ejus talenta; differri tamen poterit ad duos annos, cum ſit adhuc juvenis, & novus in Societate.

5 P. Gaſpar Armellus, quamprimum ad profeſſionem quatuor votorum, vel trium promovendus erit, vel cito formandus.

6 P. Nicolaus Pepelinus, ob inſignem ejus virtutem, dignus eſſet profeſſione quatuor votorum: ſed cum in eo multa deſiderentur, quamprimum ad profeſſionem trium votorum promovendum cenſeo.

7 P. Theo-

7 P. Theodorus Cangoſcus, etſi idoneus quidem erit ad profeſſionem quatuor votorum, vel trium, omnino differendus, monendus, & ſerio juvandus in ſpiritu mihi videtur.

8 P. Lælius Bobalinus, etſi formandus quidem eſſet, cum ſufficiens in eo deſideretur doctrina; quia tamen inſigne talentum habet concionandi, vel gubernandi, judico promotum iri oportere ad profeſſionem quatuor votorum, &c.

Paradigma informationis juxta formulam de promovendis ad gradus.

PARS VII.

Informatio de P. N. N. à quatuor Patribus accepta, & cum Conſultoribus examinata.

I.

P. N. N. Romanus, annorum 40. robuſtus, vel infirmus, &c. ante ingreſſum operam dabat Philoſophiæ, vel Theologiæ, vel Iuri, &c. Ætas, & ſtudium.

2 Admiſſus eſt Mediolani anno 1580. 20. Martii, omnibus experimentis in Novitiatu probatus præter peregrinationem, &c. quam non obivit ob infirmam valetudinem, &c. Tempus admiſſionis in Societatem.

3 In virtutibus bene profecit, vel parum, vel mediocriter, vel fere nihil, ſecundum omnes; vel, ita ſentiunt duo ex Informatoribus, quibus conſentiunt omnes, vel duo Conſultores. Sui contemtum non oſtendit ſe habere, vel habet; vel in ſui contemptu bene profecit, aut parum, &c. ita ſentiunt omnes, vel duo, vel plures, quibus aſſentiunt Conſultores, vel diſſentiunt, &c. In obedientia, & paupertatis affectu nonnihil, vel multum profecit: Inſtitutum amat, vel non amat; de eo bene, vel non bene ſentit, &c. In vocatione non vacillavit, ut ajunt Informantes: duo tamen ex Conſultoribus credunt ſemel vacillaſſe, vel, idem ſentiunt Conſultores, vel, non vacillavit ſecundum omnes. A vocatione ſemel, vel bis, vel numquam defecit, vel quia durioris erat judicii, vel altiora ſtudia appetebat, defecit, &c. De profectu in virtutibus.

4 Poſt abſolutum in Societate, vel extra, Philoſophiæ curſum, quadriennium, vel unum, aut duos annos ſtuduit Theologiæ, atque in his ſtudiis bene, vel parum, vel mediocriter, vel pluſquam mediocriter profecit. De tempore & profectu in ſtudiis.

Ita ſentiunt omnes, idemque affirmant Conſultores, vel, ita affirmant tres ex Informantibus: Conſultores autem contra ſentiunt cum altero Informante, &c. Poſt abſoluta ſtudia, per annum, vel per biennium illa repetiit, vel non repetiit, & Patribus legendis operam dedit, vel non dedit, cum bono profectu, vel mediocri, &c. Iuris Canonici peritiam non habet, vel mediocrem habet, vel bonam, &c. vel antequam Societatem ingrederetur, ſtudia Theologica abſolvit cum bono profectu, vel mediocri, vel modico; vel in Societate poſt Philoſophiæ curſum, in quo mediocriter, vel parum profecit, vel audita tantum Logica; ſtuduit Caſibus conſcientiæ per biennium, cum modico, vel mediocri profectu, &c. Ita omnes ſentiunt.

De tertio probationis anno.

5 Abſolutis ſtudiis tertium probationis annum peregit cum bona, vel mediocri, vel modica ſatisfactione. Ita duo Informantes, quibus conſentiunt Conſultores: vel tertium probationis annum ex parte per ſex, aut octo menſes fecit, quia infirmus erat, vel ob neceſſitates Provinciæ cum eo diſpenſatum eſt de Præpoſiti Generalis licentia; vel quia non proficiebat, & aliis erat impedimento, &c. Ita omnes Informantes: diſſentiunt tamen duo, vel plures Conſultores: vel tertium probationis annum non fecit, quia tunc non erat in uſu, vel quia fuit dilatus propter occupationes vel infirmam valetudinem, &c. vel quia ingreſſus eſt abſolutis ſtudiis. Abſolvit autem tertium probationis annum menſe Majo anni 1595.

Quamdiu docuerit.

6 Docuit Grammaticam, vel litteras Humaniores, vel Rhetoricam, vel Philoſophiam, vel Theologiam, vel Caſus conſcientiæ uno, vel pluribus annis, cum eruditione, & magna doctrinæ exiſtimatione, vel mediocri, vel modica, & cum multa, vel mediocri ſatisfactione Noſtrorum, ut ſentiunt Informantes: contrarium tamen affirmant Conſultores, &c. ajunt enim ingenio eſſe obſcuriore.

Quamdiu ſe in miniſteriis exercuerit.

7 Conciones habuit per ſex annos cum modica, vel magna gratia, & ſatisfactione audientium: ad id munus enim magnum, vel modicum talentum habet: vel externis ſatisfacit in concionibus, quia curioſa & delectabilia potius, quam utilia ſolet tractare, &c. Ita ſentiunt duo, vel tres, vel omnes Informantes; ſecus autem ſentiunt duo, vel tres ex Conſultoribus, &c. Confeſſiones audivit ab octo annis cum fructu & ædificatione, & huic muneri eſt, vel non eſt applicatus propter ſcrupulos, &c. In miſſionibus, in quibus per annum verſatus eſt, bene, vel male, & cum fructu, vel infru-

infructuoſe ſe geſſit: ita unus ex Informantibus. Contrarium tamen aſſerunt Conſultores cum reliquis.

8 Fuit Rector vel Miniſter in Collegio Mantuano tribus, vel pluribus annis, quod munus magna cum humilitate, modeſtia, integritate, & caritate obivit: deſiderabatur tamen in eo major prudentia, ut tres ex Informantibus, & unus ex Conſultoribus affirmant. Ideoque Noſtris quidem bene, vel mediocriter, vel parum ſatisfecit, non tamen externis, vel contra. Ita omnes Informantes: quibus adhæret unus tantum ex Conſultoribus. vel, numquam fuit Superior in Societate, &c. Quæ ſatisfactione gubernaverit.

9 Sequitur, vel non ſequitur extraordinarias opiniones, & peregrinum aut alienum à noſtro Inſtituto procedendi modum, in rebus ſpiritualibus tractandis, præſertim in orandi modo, &c. Ita ſentit unus ex Informantibus, cui adhærent omnes Conſultores. Non eſt, vel eſt proprii judicii amator, & in affectibus parum eſt mortificatus, vel affectus habet mortificatos. Ita omnes ſentiunt, tam Informantes, quam Conſultores. De Peregrinis opinionibus.

10 Eſt, vel non eſt devotus, & orationi deditus; zelum animarum habet, vel non habet. Ita ſentiunt duo, vel tres; contrarium tamen affirmant omnes Conſultores. In negotiis promovendis, & difficultatibus ſuperandis eſt, vel non eſt ſtrenuus; eſt enim timidioris naturæ, licet fiducia ſit in Deo fretus: ita ſentiunt omnes. Optat labores & incommoda pati pro Chriſto, etiam inter Gentiles: ardenter enim cupit mitti ad Indos, vel labores pro Chriſto non appetit, ſed refugit, nimius enim eſt in propriis commodis curandis. Ita tres ex Informantibus, licet duo ex Conſultoribus illum excuſent ob infirmam valetudinem. De ſtudiis orationis, & devotionis.

11 Regendi munus, aut dignitatem non ambit, vel ambiiſſe videtur: id enim tres ex Informantibus, & duo ex Conſultoribus affirmant, licet negent alii. Ad Sacerdotium, vel altiora ſtudia non adſpiravit, vel adſpiravit: ita duo Conſultores credunt, licet omnes alii contrarium cenſeant. Profeſſionem procuravit, ut duo affirmant. Alii vero ajunt, illum oſtendiſſe quidem deſiderium profeſſionis, non autem illam procuraſſe. Indifferens creditur, vel non creditur ad quemcumque gradum, & ad quævis Societatis miniſteria. Dubitant duo ex Conſultoribus de ejus indifferentia ad quævis miniſteria; ajunt enim ſe difficilem oſtendiſſe ad audiendas confeſſiones. De ambitu.

CAPVT

Caput XIX.

De Catalogis.

Qui tertio quoque anno à ſingulis Provinciis in Vrbem mitti debent.

R. P. N. Claudii Aquavivæ Præpoſiti Generalis juſſu recognita, & anno 1589. in Provincias miſſa.

PARS PRIMA.

I.

Catalogi rerum utilitas.

QVONIAM paucæ admodum Provinciæ ſunt, quæ per Procuratorem ſingulis trienniis cum primo & ſecundo catalogo perſonarum, alterum catalogum Domorum & Collegiorum cum ſuis reditibus mittant, qui Rerum catalogus dici poteſt; cujusque & Conſtitut. par. 9. cap. 6. §. 3. & Inſtructio quædam anni 1579. meminit; operæ pretium viſum eſt, Provinciales omnes monere, ne hunc catalogum prætermittant. Nam quam hic ſit utilis & neceſſarius, res ipſa indicat, ut ſcilicet Domus ſeu Collegii cujuslibet præſens ſtatus brevi compendio P. N. Generali ob oculos ponatur. Quamvis enim in cujusque Domicilii fundationum hiſtoriis, huc in Vrbem ad Archivium jam pridem, majori ex parte transmiſſis, eorumdem ſtatus ad illud usque tempus narrationes contineantur (quas idcirco repetere opus amplius non erit, præterquam iis, qui eas nondum miſerunt) præſentem nihilominus cujuslibet ſaltem triennii ſtatum Generalis Præpoſitus ignorare non debet. Quem etſi aliqua ex parte ex annuis litteris habere poſſet; quia tamen illæ à paucis ſuo tempore mittuntur, & ea non attingunt, quæ ad rerum temporalium conditionem pertinent; nec ſi attingerent, facile eſſet inde repetere; propterea neceſſario fuerunt monendi Patres Provinciales, ut juxta ſubjectam formulam curent hunc rerum catalogum, cum ſupradictis duobus aliis perſonarum catalogis, ſingulis trienniis ad R. P. N. Generalem transmitti: atque alterum eorumdem catalogorum exemplar ad P. Aſſiſtentem.

Catalogus Rerum ſingulis trienniis cum aliis per Procuratorem mittendus.

Quomodo conficiendus.

2 Principio igitur recenſebitur numerus Noſtrorum omnium, qui in Provincia ſunt; ſimulque eorum ſeorſim, qui proximo triennio, vel in Societatem admiſſi, vel ab ea dimiſſi, vel vita defuncti ſint: tum Domorum, Collegiorum, & Reſidentiarum numerus ac nomina addantur, dicatur

tur præterea, quot è Noſtris in ſingulis illis Domiciliis habitent. Deinde vero ad ſingula Domicilia ſuis quæque diſtincta capitibus deſcribenda deſcendendo, Noſtrorum, qui in ſingulis ſunt, numerus repetatur; ac præterea addatur, quot in his ſint Sacerdotes, quot Præceptores, quot Scholaſtici, & quarum facultatum; quot item Coadjutores temporales, quinam reditus, vel ordinariæ eleemoſynæ, quantum æris alieni, ac reliqua, juxta ſubſequentem formulam.

PRAXIS.

CATALOGVS
Provinciæ Romanæ.

PARS II.

I.

SVNT in Romana Provincia de Societate 549. in Profeſſorum Domo 90, in Collegio Romano 190, Tuſculi decem, in Domo Probationis 90, in Pœnitentiariorum Collegio 21, in Germanico 13, in Anglicano ſex, in Maronitarum duo, in Seminario viginti duo, Tibure duodecim, Senis octodecim, totidem Maceratæ, Florentiæ viginti tres, Peruſii ſexdecim, Recineti quatuordecim, in Lauretano Collegio 45. & quatuor in Illyrico. Admiſſi hoc triennio in Societatem 100. dimiſſi 9. vita functi 15. *Numerus perſonarum recenſendus.*

Domus Profeſſorum.

2.

AVCTA eſt inſigni Templo, Illuſtriſſimi Farneſii Cardinalis liberalitate exſtructo, ſuperiore anno conſecrato. Sunt nonaginta è Noſtris; Sacerdotes 50. reliqui fratres poſſunt ali ex eleemoſynis ordinariis circiter ſeptuaginta. æs alienum contractum ad mille coronatos; ad quod in totum, vel ex parte diſſolvendum, habet creditam pecuniam tantam, vel nullam, &c. Vtitur Vinea Collegii bis terve in anno, pro neceſſaria Noſtrorum animi relaxatione. *Quæ in Domibus Profeſſis explicanda.*

Collegium Romanum.

3.

ALIT è Noſtris 190, Sacerdotes 40, Prælectores 18. nempe Grammatices quatuor in totidem Claſſibus; Humaniorum litterarum unum, *Quæ in Collegiis.*

 linguæ

linguæ Græcæ unum, Rhetorices duos, linguæ item hic Græcæ unum, Mathematicarum unum, Philoſophiæ tres, Scholaſticæ Theologiæ duos, Scripturæ unum, Caſuum conſcientiæ duos: Scholares nonaginta, reliquos Coadjutores. Ad omnes has prælectiones nulla obligatione tenetur Collegium, vel tenetur ad has, vel illas, ex fundationis contractu. Annui reditus ſunt novem millium ſcutorum. ex qua ſumma mille ſunt deducendi annui cenſus, qui pro ſumma principali quindecim millium ſcutorum æris alieni contracti penditur, præter alia tria millia commodato accepta: ad quæ diſſolvenda habet in credita pecunia totidem millia, vel his plura, aut pauciora. Ex reliqua ſumma ali poſſunt circiter 150. Eodemque modo pergendum in reliquis Provinciæ Domiciliis.

Index Alphabeticus præfigendus.

4 Quoniam vero multum temporis interdum inſumitur, dum alicujus informatio in primo perſonarum Catalogo quæritur; ad illius faciliorem uſum, ad quemvis ſcilicet è Noſtris nullo negotio inveniendum, Index Alphabeticus nominum tantum & cognominum omnium eorum, qui in ipſo Catalogo continentur, erit eidem præfigendus, addito numero, qui cuique nomini præfixus eſt in primo Catalogo, ac præterea numero paginæ, in qua nomen ipſum deſcribitur. Debebunt enim ſingulæ primi Catalogi paginæ ſuis ordine numeris notari. Exempli gratia,

P Albertus Felix, pag. 6. num. 12.
P. Antonius Magnus, pag. 7. num. 15.
P. Bernardinus Cœlius, pag. 9. num. 14.
P. Bonaventura Turre, 9. num. 18.
P. Camillus Bernardi, 9. num. 6.
P. Cornelius Broeth, 12. num. 7.

CAPUT XX.

De Celebrandis Contractibus

Iuxta morem & Privilegia Societatis.

A. R. P. N. Claudio Aquaviva Præpoſito Generali anno 1581. ad Provincias.

PARS

PARS PRIMA.

I.

Qvoniam, ſicut accepimus, in nonnullis Societatis noſtræ Provinciis adhuc celebrantur contractus congregatis ad pulſum campanæ, vel omnibus Collegiorum Sacerdotibus & fratribus, vel majori aut potiori eorum parte; acceptisque coram Notario & teſtibus ſuffragiis: quæ omnia repugnant Inſtituto & modo procedendi Societatis ac privilegiis illius: ſerio curent Præpoſiti Provinciales, ut contractuum celebrationes per Superiores tantum, auditis nempe Conſultoribus fiant, & ad normam Inſtituti accommodentur. Quod ſi alicubi difficultates moveant externi, quibuscum contrahendum erit, curent Provinciales, ut illis vel per ſe ipſos, vel per Collegiorum Rectores, ac etiam per Iuriſperitos, quos prius ea de re conſuluerint, oſtenſis locis Conſtitutionum, Canonum, & Bullarum, perſuadeant firmiores ac ſecuriores multo fore contractus, ſi juxta privilegia nobis ad id in ſpecie à Sede Apoſtolica conceſſa celebretur; prout eſt in Bulla Pii V. pag. 103. * & Gregorii XIII. 169. * & juxta Conſtitutiones, ac Decreta Societatis, Conſtit. par. 9. c. 3. §. 5. & primæ Congregationis Generalis Decret. 21. tit. 6. quam ſi diverſo quopiam modo; ad quem nos cum privilegia non habeamus, facilius contractus ipſe infirmari, & an alicujus valoris ſit, à multis dubitari poſſit. Nam alioqui magnum præjudicium generaretur primum privilegiis Societatis; quæ per non uſum obſoleſcerent; deinde facilitati contrahendi, ac libertati Societatis, & modo eam gubernandi.

Quinam contractus repugnat Instituto. *Quomodo conficiendi.* *Docendi qui ignorant firmiores eſſe ſi juxta noſtra privilegia fiant.* * *Editionis anni 1615.*

2 Quod ſi pro celebritate contractus, ii quibuscum tranſigitur, velint ut Conſultores celebrationi interſint; quamvis Societatis Inſtituto id magis conſentaneum eſſe videtur, ſi ſolus Superior id faceret; poterunt quidem illi intereſſe, ſed ſic, ut in ea re ſuffragium non habeant deciſivum; ita neque in ipſo contractu dicendum erit, quod ad eam rem conficiendam ſuffragium tulerint: ſed præſentibus N. & N. dicti P. Rectoris Conſultoribus, idem Rector vendidit, &c. Si autem opus fuerit, aut ita videatur, poterit initio contractus aliqua mentio fieri de modo contrahendi Societatis juxta illius privilegia, & Conſtitutiones auctoritate Apoſtolica confirmatas: ut ſi verbi gratia, ita fieret narrativa.

Quando, & quomodo interſint Conſultores.

3 Perſonaliter conſtitutus N. Rector N. aſſerens ſe ad infraſcriptam venditionem vel permutationem, ſufficientem habere poteſtatem à R. P.

Formula contractus celebrandi.

Generali Præpoſito, penes quem omnis facultas celebrandi contractus reſidet, juxta dictæ Societatis Conſtitutiones, & Decreta Apoſtolica auctoritate confirmata, prout, de confirmatione conſtare aſſerit litteris Apoſtolicis fel. record. Pii Papæ Quinti, ſub plumbo expeditis, & ſub Datum Romæ 3. Kalend. Maji 1568. Pontificatus ejus anno 3. & de licentia dicto Rectori conceſſa litteris patentibus, manu ejusdem Præpoſiti Generalis ſubſcriptis, ejusque ſigillo munitis, quarum tenor talis eſt, CLAVDIVS AQVAVIVA, &c. omni meliori modo, quo de jure potuit, idem Rector vendidit, vel commutavit, &c.

Modus informandi R. P. Generalem circa alienationes faciendas.

PARS II.

Explicanda R. P. Generali.

CVM petitur à R. P. Generali licentia alienandi vel commutandi bona aliqua Collegiorum, hic modus ſervandus erit.

Rei alienandæ nomen, confinia, valor.

1 Vt rei alienandæ nomen, confinia, valor, & reditus, & ſi quæ ſunt aliæ circumſtantiæ, explicentur.

Res, vel reditus accipiendus.

2 Simili modo rei, vel reditus, qui in commutatione accipiendus eſt, vel pretio rei vendendæ coëmendus, circumſtantiæ eodem ſcripto comprehendantur.

Rationes.

3 Rationes in utramque partem adducantur.

Quinam ſubſcribant.

4 Rector, & Conſultores, ſi conſentiant in alienationem, ſubſcribant ſcripto hujusmodi tractatus, ſeu informationis: cui ſi qui non aſſentiant, id etiam eodem ſcripto adnotetur, ſimul cum rationibus, quæ hos ad non aſſentiendum moverint.

Scriptum à Provinciali mittatur.

5 Scriptum illud ad Provincialem mittatur; & ipſe ſententiam ſuam ſimul cum eodem ſcripto ad R. P. Generalem mittat.

Quando à Generali dabitur facultas alienandi.

6 Si tractatus, vel informatio de re alienanda prædicto modo detur, concedet, ſi expediens videbitur, R. P. Generalis licentiam ſimul & confirmationem alienationis; confirmando ex nunc, pro eo tempore, quo alienatio fiet, quia conſtabit de evidenti utilitate, expreſſis nempe in informatione utriſque rebus, alienanda ſcilicet, & emenda, ſeu commutanda, cum utriusque circumſtantiis.

Quando nulla occurrit in ſpecie res coëmenda,

7 Si autem adſit neceſſitas vendendi, nec occurrat in ſpecie res pretio venditionis coëmenda, dicatur ſaltem in genere, quod ſit utilius emere poſ-

poſſeſſionem, vel reditus tales, &c. qui frequenter venales occurrant. Et tunc poterit etiam eodem modo dari confirmatio, ſimul cum licentia vendendi. alias licentia quidem dabitur, non tamen confirmatio, quia neque conſtabit de utilitate ulla: immo ſi pecuniam pretii rei vendendæ diu vacuam fore probabiliter timeretur, omnino expediret ſimiles alienationes non fieri.

8 Intelligant etiam omnes Superiores, quotquot alienabunt, diſtricte illis ex nunc prohiberi à R. P. N. Generali, ne pecunias pretii rei venditæ in alios ullo modo ſumptus diſtrahant, præterquam in rem, vel reditum, cujus emendi cauſa fuerit data facultas vendendi; vel certe in ſimilem, aut meliorem, ſi interim occurrat: & quamdiu id non fiat, pecuniam pretii hujusmodi in depoſitum cuſtodiant, donec res alia coëmatur. Severe omnibus interdicitur alienatio, &c.

9 Idem intelligendum erit, quando pretium cenſus alicujus redimibilis reſtituitur Collegio, ut illud eodem modo ſervetur ad ſimiles vel meliores reditus comparandos. Idem judicium de cenſu redimibili.

CAPVT XXI.

De modo, qui ſervari debet cum Sodalitates B. Virginis ad Primariam Romanam aggregari petunt.

R. P. N. Claudii Aquavivæ Præpoſiti Generalis juſſu 1585. ad Provincias.

I.

ROMANA B. Virginis Annuntiatæ Sodalitas Summi Pontificis Gregorii XIII. auctoritate confirmata, quia reliquas tempore anteceſſit, & ejus exemplo omnes deinceps inductæ ſunt, Primariam Summus Pontifex illam appellari voluit, eique certas indulgentias impertiri: facultatem deinde Præpoſito Generali Societatis IESV conceſſit, ut reliquas Congregationes auctoritate Apoſtolica erigere, easque huic Primariæ conjungere poſſet. Quam facultatem Sixtus V. extendit ad aggregandas etiam plures Congregationes in eodem Collegio, vel Domo, vel in Seminariis; & Clemens Octavus in quibuscumque Reſidentiis, ſub quovis titulo, etiam non ſtudentium, ita ut eisdem indulgentiis, quibus iſta, fruerentur; ſic tamen, ut reliquæ indulgentiæ, quas tum iſti Romanæ, tum ceteris omnibus Congregationibus antea conceſſerat, intelligantur omnes revocatæ. Romana Congregatio, *Primaria* Pontificia auctoritate appellata. Præpoſito Generali conceditur facultas erigendi & aggregandi Sixti V. & Clem. VIII. extenſio.

 2 Quare

Quot litteræ ſcribendæ.

2 Quare ut deinceps in hac Sodalitatum aggregatione certa aliqua formula, & omnibus communis ſervetur, viſa eſt R. P. N. Generali hæc tenenda. Primum, ut Provincialis Rectores ſuos admoneat, quorum in Collegiis jam ſunt ejusmodi Congregationes, ut earum Præfectis & Aſſiſtentibus ſignificent, eſſe illis binas epiſtolas ſcribendas, alteram ad Reverendum Patrem Generalem, penes quem eſt omnis poteſtas, qua petant ſuam Congregationem inſtitui certo aliquo ſub titulo, & aggregari ad hanc Primariam Collegii Romani, cum ejus indulgentiis: alteram ad ipſum Præfectum & Aſſiſtentes hujus Primariæ; rogando ut hæc eadem apud Patrem Noſtrum procurent. Quod ipſum intelligendum eſt de Collegiis, ubi nondum ſit ulla erecta Congregatio. Cum enim Rectori, accedente etiam Provincialis judicio, videbitur, tot eſſe perſonas & tales, ut nova Congregatio inſtitui debeat; jubebunt aliquos ex iis, qui id cupiunt, binas item litteras huc ſcribere, eodem plane quo diximus argumento. Atque hoc modo debebunt Congregationes omnes denuo erigi ac confirmari. Quod ut ad Dei, & Virginis Matris, ſub cujus umbra militant, honorem ac gloriam cedat, ipſius infinitam bonitatem ex animo precor.

Titulus declarandus.

Quando facienda aggregatio.

Quorum expenſis aggregationes ſcribendæ.

3 Poſtremo duo hic adſcribenda viſa ſunt notatu digna, alterum, quod ædificationi magnopere conducit, ne expenſæ, quæ in exſcribendis litteris patentibus, pro aggregationibus Sodalitatum Beatæ Virginis, & pro communicatione bonorum operum Societatis fieri conſueverunt, ab aliis quam ab ipſis Provinciis ſuſcipiantur; quibus ſumptibus faciendis peculiari aliqua ratione, ne Collegia aut Domus graventur, Provincialis erit proſpicere. Alterum eſt, quod puritati paupertatis noſtræ deſerviet, ut noſtri intelligant, atque omnino ſibi perſuadeant, Congregationes, quarum directio à Societate ſuſcipitur, nullo modo bona immobilia aut certos reditus admittere poſſe, cum nec Societas, penes quam eſt erigendi aggregandique facultas, capax ſit eorum redituum; nec ipſa Sodalitia, quæ per ſe ſtabile ac perpetuum quoddam corpus conſtituere nequaquam poſſunt, cum ejusmodi ea eſſe oporteat, ut quandocumque noſtri ſubducere ſe voluerint, eo ipſo diſſolvantur: quod ægre fieret, ſi corpus unum efficerent, certoque reditu potirentur. Accederet inter alia multa illud etiam incommodi, quod ſi Sodalitates noſtræ reditus certos haberent, eſſent omnino, ſicut & aliæ externorum Confraternitates, viſitationibus Ordinariorum obnoxiæ,

Certos reditus non poſſunt admittere.

noxiæ, quo uno maxime præſidio à Conſtitutione Clementis Octavi ne comprehenderemur, immunes fuimus.

REGVLÆ
Quæ à Patribus Reviſoribus generalibus Romæ in recognoſcendis Noſtrorum libris ac ſcriptis obſervandæ ſunt.

I.

MVneris ſui gravitatem ex eo metiri Reviſores debent, quod Præpoſito Generali operam navant in re maximi momenti, hoc eſt in librorum edendorum examine & cenſura. Propterea enim ex variis nationibus in unum collecti ſunt homines præſtanti judicio & doctrina, ut Generalis eorum fide diligentiaque adjutus, facilius providere poſſit, tum cetera, quæ in Noſtrorum ſcriptis ſpectare debent; tum maxime, ut doctrinæ ſoliditas & uniformitas, quam Conſtitutiones requirunt, in Societate conſervetur. Muneris Reviſorum gravitas.

2 In libris ergo, quos recognoſcendos accipient, ut congruentem pro cujusque argumento & qualitate curam adhibeant, hoc obſervabunt: ut eos quidem, qui in Theologicis ſpeculativis, aut in controverſiis verſantur, morumve doctrinam tradunt, quatuor integrum librum examinent. Quod ſi quando pauciores forte eſſe contigerit, Patrem Generalem moneant, ut quid tunc facto opus ſit, ipſe ſtatuat. Sacrarum vero litterarum commentarios, qui ex propoſito controverſias dogmatice non miſcent (in his enim quatuor etiam eſſe debent) librosque, qui ſacras aut Eccleſiaſticas hiſtorias, concionesve ad populum, aut quæſtiones Philoſophicas complectuntur, tres omnino perlegant. Qui vero leviora continent, quam ut à ſingulis Cenſoribus omnia legi neceſſe ſit, ut qui in humanioribus litteris aut profanis verſantur hiſtoriis, duo ſaltem integros evolvant: ac tum etiam in his reliqui Reviſores partem illorum aliquam inſpiciant, quantum nimirum ſatis ſit, ut cum aliis poſtea conferre, & de libris ipſis judicare una poſſint. Quot librorum cenſores requirantur.

3 Iudicium porro illorum duplex erit. Unum, ut diſpiciant, an liber talis ſit, qui à Societate in lucem edi jure poſſit. In quo ſi edi debere non fuerit judicatum, non erit, quod ulterius progrediantur: ſed ſuum Duplex Reviſorum de libris judicium.

hoc

hoc judicium ſtatim referent ad P. Generalem, ut, quod facto opus ſit, ipſe conſideret ac ſtatuat. Alterum, ut cum operæ pretium eſſe duxerint, ut edatur, tum de cenſuris deinceps deliberent ac definiant, an corrigi liber debeat, juxta ea, quæ vel ipſimet obſervarint vel ex Provinciis miſſa fortasſe fuerint. Quocirca cum librum aliquem accipiunt recognoſcendum, curent, ut ſimul cum libro tradantur cenſuræ ex Provincia miſſæ, ſi quæ ſint, cum reſponſis auctoris ad cenſuras.

In rebus gravioribus quomodo procedent; quid cavebunt.

4 In rebus majoris momenti, conveniens erit, ut prius adducantur rationes in utramque partem: tum vero, procedatur ad ferendum ex omnibus auditis judicium. Caveant autem in formandis cenſuris, ne utantur verbis, quæ offendere poſſint ſacram Inquiſitionem: quod fieret, ſi propoſitiones nullâ hactenus à ſacra Inquiſitione notatas, graviore cenſurâ, puta hæreſis, erroris, temeritatis &c. ipſi damnarent. Simpliciter itaque cenſeant ac judicent de Propoſitionibus; an ea in Scholis noſtris, aut in libris, qui à Noſtris eduntur, permitti debeant.

Cenſuram ſubſcriptam quando & quomodo & cui exhibebunt.

5 Abſolutis cujusque libri conſultationibus, tum ejus libri approbationem, tum cenſuras, Patri noſtro ſubſcriptas exhibebunt; ut de his ſtatuat, quod convenire videbitur. Subſcribent quidem omnes, ſi in eas major pars conſenſerit. Si quis vero vel in approbatione libri, vel in aliqua cenſura diſcrepaverit, vel omiſſum aliquid fuerit, quod ei dignum cenſura videatur, ſeparatim id ad P. Generalem cum ſuis rationibus, vel eodem folio, vel diverſis, ut placuerit, ſcribet, ſi rem dignam judicaverit, de qua P. Generalis moneatur. Cum vero paria erunt utrimque ſuffragia; eæ quidem cenſuræ inter communes non ponantur: ſed ad P. Noſtrum ſimul afferendæ erunt utriusque partis rationes, ut pro re nata ſtatuat, quod expedire judicabit.

In cenſura ferenda quid maxime ſpectabunt.

6 Cenſuras librorum ad ea maxime dirigent, quæ in ratione ſtudiorum præcipiuntur, in regulis communibus, videlicet Præceptorum, facultatum ſuperiorum 5 & 6. Profeſſoris Scripturæ 1. 2. 6, 8, 10 & 11. Profeſſoris Scholaſticæ Theologiæ 2, 3, 4, 5. & Profeſſoris Philoſophiæ 2. & 3. ſoliditatem uniformitatemque doctrinæ, juxta Conſtitutiones noſtras & Decretum 55. Quintæ Congregationis ſemper intuendo. Neque in ea re Noſtrorum Scriptorum, ſicubi à communi via deflectant, ducantur exemplo, quidquid aliqui è noſtris ante ſcripſerint. Vnde, ut approbetur à Reviſoribus opinio aliqua, non ſufficit, quod idonei alicujus auctoris ſit: requiritur inſuper ut

non

non ſit contra Doctorum axiomata, communemque Scholarum ſenſum. Atque in univerſum loquendo, non ſolum admitti nihil debet, quod Fidei pietatique Chriſtianæ non prorſus congruat; ſed neque aliud quidpiam, quod alios merito poſſit offendere, vel Societatis exiſtimationem religioſamque circumſpectionem dedecere videatur.

7 Providebunt itaque 1. Ne in libris Noſtrorum novæ & à communi doctrina diſcrepantes opiniones inducantur. 2. Ne communes rationes, quibus Religionis Chriſtianæ dogmata confirmant Theologi, convellantur. 3. Ne à D. Thomæ Doctrina juxta Conſtitutiones & Congregationum Decreta in Theologicis diſcedatur. 4. Ne quid contineant, quod vel ad jura Principum, immunitates, jurisdictionem & Privilegia, vel materiam ſtatus, ut vocant, pertineat: vel alia quavis ratione nationum provinciarumque res aut perſonas ſic attingat, ut juſta ſequi poſſit offenſio. In iis porro, qui contra hæreticos ſcribunt, obſervabunt præcipue, an cum doctrinæ ſoliditate ſtylum ita moderentur, ne plus æquo acerbitatis habere, aut alia ratione levior merito cuiquam videri poſſit. Quid providebunt.

8 Quodcumque argumentum tractetur, tale ſit, ut ædificationi utilitatique futurum cenſeatur: & in eo ita verſetur auctor, ut non mera eorum, quæ ab aliis ſcripta ſunt, repetitio videri queat, ſed ſua ipſe propria, eaque digna luce habeat: talisque præterea ſit liber, ut mediocritatem in ſuo genere non mediocriter ſuperet, hominumque de Societatis lucubrationibus judicio & expectationi reſpondeat.

9 Diligenter quoque animadvertent, ut Noſtri de ſe invicem, ut par eſt, honorifice loquantur: neque præ ſe ferant animum ex profeſſo Scriptorem ex noſtris ullum, ejusque opiniones aut rationes potius impugnandi, quam ſuam ſententiam ſtabiliendi. Quod ſi aliquando ab alicujus peculiari ſententia cogantur diſcedere, id modeſte faciant: ſimilique etiam cautione utantur erga externos Doctores Catholicos.

10 Nullum librum ſcriptumve à quoquam recognoſcendum accipient, præterquam à P. Generali, aut ejus nomine à P. Secretario. Singula deinde recognita eidem P. Generali reddent, & cum his cenſuras uniuscujusque manu, die annoque adſcriptis, ſubnotatas & obſignatas. Quod ſi contingat, ut liber, qui mittitur recognoſcendus, non ſit emendate ſcriptus charactere, qui ab omnibus Reviſoribus legi poſſit: neque ſit per ſuos numeros & paginarum diſtinctiones ita digeſtus, ut notari poſſint loca ani- A quo & quales libros accipient recognoſcendos.

madverſione digna; id ſignificabunt P. Generali, ut moneantur Cenſores Provinciarum aut Provinciales ipſi, quod hujusmodi Romam mitti permiſerint.

Secreti ſint tenaces.

11 Nec cenſuras, nec ſcripta, quæ recenſebunt, priusquam edantur, cuiquam oſtendent ſine P. Generalis facultate; ſecretique maxime tenaces ſint; ita ut nemini, quæ in conſultationibus acta ſunt, aperiant: multo minus, cujus ſententiæ hic vel ille fuerit. Nullius libri ſcriptive patrocinium ſuſcipient, ita, ut evincere velle videantur: neque judicii ſui propenſionem aliis oſtendent: quamvis interrogati reſpondere poſſint, ſe hoc vel illud opus recognoſcere.

Quorum notitia Reviſoribus neceſſaria.

12 Pro directione, neceſſe eſt ut Bullas & Brevia ad doctrinam & mores pertinentia, quæ à Summis Pontificibus eduntur, habeant. Item Decreta, quæ à ſacra Inquiſitione aliisque Congregationibus, & à Magiſtro ſacri Palatii prodeunt. Immo expediret, ut ea quoque habere curarent, quæ alibi ab Inquiſitoribus & Univerſitatibus in eo genere decernuntur: & hæc ſibi comparari curabunt à Procuratore Generali.

Cenſurarum.

13 Cenſurarum exempla in libro ad id deſtinato apud ſe retinebunt. Rationes quoque, quibus moti ſunt, vel in eodem, vel in alio libro, qui Acta contineat, annotabunt: maxime, ſi quæ fuerit opinionum diverſitas ad memoriam & documentum poſterorum. Quod ſi neceſſe erit eos juvari alicujus alterius operâ, id Superiori proponent.

Et libri recogniti exemplar Romæ ſervabunt.

14 Librorum, qui ab ipſis recogniti & approbati fuerint, exemplaria in Vrbe retineri debent, cum cenſuræ in Provincias mittentur; tum ad alios eventus; tum ut conſtare poſſit auctorem nihil poſtea mutaſſe, aut edidiſſe non approbatum. Quod ſi hoc ſervari non potuerit; ſaltem loco exemplaris ſcripti, impreſſum mittatur Reviſoriæ, cum cenſura conferendum & aſſervandum.

Cenſores in Provinciis easdem Regulas ſervent.

15 Qui erunt in Provinciis deſtinati, ut recognoſcant libros, qui edendi proponuntur, ſuperiores regulas habeant; ſeque perinde ac Romani Reviſores teneri ſciant, ut, quæ in iis continentur, cautiones omnes in libris examinandis obſervent: ſuas cenſuras Provinciali tradant, à quo etiam libros examinandos accipere debent: ſic tamen, ut id neſciant eorum Auctores; quo majori cum libertate ac ſinceritate judicare de iis poſſint.

Et ſint auctoribus incogniti.

F I N I S.

INDEX

INDEX ORDINATIONVM PRÆPOSITORVM GENERALIVM,

Quæ hoc Libro continentur.

CONTRACTÆ, ET EXCERPTÆ.

QVæ ad Provinciales præcipuè ſpectant. Cap. 1. pag. 4
Quæ ad Superiores Locales. C. 2. 8
De tertio anno Probationis) Cap. 3.
Pro Provincialibus.) 12
Pro Inſtructore. 13
Pro iis, qui tertium annum agunt probationis. 16
Monita Generalia, quæ ad religioſam Noſtrorum directionem ſpectant. Cap. 4. 19

INTEGRÆ.

De Caſibus reſervatis in Societate. Cap. 5. 23
Pro Superioribus, & Confeſſariis Societatis. Cap. 6. 26
De promovendis ad Ordines ſacros. Cap. 7. 28
De Libris Ordinationum. C. 8. 29
De viſitandis Provincialibus. Cap. 9. 31
Pro Conſultoribus capita ſcribendi. Cap. 10. 33
De Confeſſariis Principum. C. 11. 35
De dimittendis Cap. 12. 39
De junioribus Scholaſticis. Cap. 13. 43
De iis, qui in prædiis vacationum tempore morantur. Cap. 14. 45
De manifeſtatione delicti. Cap. 15. 46
De acceptandis Collegiis. C. 16. 50
De aptis ad gubernandum. C. 17. 52
De promovendis ad gradus Societatis. Cap. 18. 59
De Catalogis, qui tertio quoque anno in Vrbem mitti debent. C. 19. 72
De contractibus celebrandis. Cap. 20. 74
De modo, qui ſervari debet, cùm ſodalitates B. Virginis ad primariam Romanam aggregari petunt. Cap. 21. 77
Regulæ, quæ à Patribus Reviſoribus Generalibus Romæ in recognoſcendis Noſtrorum libris ac ſcriptis obſervandæ ſunt. 79

INDEX ALPHABETICVS,

Eorum, quæ in his Ordinationibus continentur.

A

ABſolutio à reſervatis pro domeſticis. pag. 24. pro iter agentibus. 27. pro Superioribus. 28

Accipere ab externis ad uſum proprium, & diſpoſitionem nihil licet. 20

Ædificare Superiores nihil debent inconſulto Provinciali. 10

Ædificia, quæ à Fundatoribus exigenda. 51

Alienandarum rerum informatio quomodo concipienda. 76

Annuæ externis non oſtendendæ. 21

Archivium Provinciæ, quos libros habere debeat. 30

B

BIbliotheca à Fundatoribus exigenda. 51

Bonis ſuis ſe abdicare, vel de illis diſponere poſt vota nemo poteſt ſine facultate. 22

Bonorum diſtributio quando, & quomodo inſtituenda. 5

Bulla Cœnæ in omnibus domiciliis exponenda. 9

Bullæ Novitiis, in tertio anno, & gradum ſuſcepturis oſtendendæ. 4

C

CAſus conſcientiæ ſcire debent omnes ordinandi. 29. Eorum reſolutiones ex Vrbe miſſæ in libros referendæ. 30. 31. Reſervandi omnibus Regularibus communes. 23. Alii præter illos in Societate reſervati. 25

Catalogi rerum, & perſonarum quomodo confici debeant. 72. Eorum duplex exemplum Romam mittendum. ib. 74

Cenſuram ſubſcriptam Reviſores quando, & quomodo, & cui exhibebunt. 80. In cenſura ferenda quid maxime ſpectandum Reviſoribus. ibid. Quid providendum. 81. Cenſurarum exempla Reviſores apud ſe retinebunt. 82

Coadjutores ſpirituales poſt ſeptennium ab ingreſſu formandi. 60

Coadjutores temporales per annum ſaltem in novitiatu retinendi, nec publicis officiis applicandi ante biennium. 7. Quando & quales formandi. 62. Quales ad prædia mitti & quomodo in iis verſari debeant. 11. Conferentias habeant loco doctrinæ Chriſtianæ, cum in ea ſatis ſunt inſtructi. ibid.

Collegia eleemoſynas admittere, quæ poſſint. 6

Collegiorum Hiſtoria Romam mittenda. 73

Collegiorum acceptandorum triplex ratio. 50. Infima capitum, ut minimum xxx. 51. Media LX. 52. Suprema C. ibid. Indica, & Tranſalpina excipiuntur. ibid.

Communio infra hebdomadam quatenus externis permittenda. 10

Compendii privilegiorum uſus & impreſſio. 9

Concionatoribus ſingularitates, & exemptiones minime concedendæ. 7. De iis, qui cibis quadrageſimalibus veſci non poſſunt. 7

Confeſſariis Societatis notitia per confeſſionem habita uti non licet. 10. 24. Nec ad uſus proprios quidquam accipere. 20. Nec ordinariam infra hebdomadam communio-

munionem concedere. 10

Confeſſariis Principum obſervanda. 35. Quomodo, & à quo petentibus concedendi. 38. Eorum inſtructio Principibus oſtendenda. ibid.

Confeſſarii Noſtrorum Conſultores non ſint. 5. Quomodo in caſibus reſervatis gerere ſe debeant. 23. &c.

Confeſſarii Superiorum, cum illis diſpenſant. 8. Eos abſolvere poſſunt à reſervatis. 28

Conſcientiæ ratio qua ſecreti cura excipienda. 7

Conſuetudinum liber in ſingulis Domibus, & Collegiis. 30

Conſultores ne ſint Confeſſarii Noſtrorum. 5. ſubinde mutandi. 6. quæ legere debeant. 34. quibus de rebus ad Generalem ſcribere. ibid. Res privatas ſeorſim ſcribant. ibid. Quandonam ex officio ſcribere debent, & ut litteris ſuis CC. notam apponant. ibid.

Conſultores Provincialis de aptis ad gubernandum Generali qua ratione ſcribant. 57. Qua item de promovendis. 61. 67. 68.

Contractuum celebrandorum ratio. 75.

D

Dimiſſi à Societate, aut eam deſerentes quomodo poſt reditum vota repetant, & probentur. 4

Dimittendi uſus, ac neceſſitas. 39. In dimittendo, quæ conſideranda. 40. Informatio ad Generalem mittenda. 40. Ejus poſtea judicio acquieſcendum. 42. De iis, qui dimiſſionem petunt 41. De iis, qui occultas ob cauſas dimittuntur. ibid. & 48. De iis, qui alias in Provincias dimittendi deſtinantur. 42

Dimittendi publicis miniſteriis non occupandi. 42. Quando ante dimiſſionem puniendi. 40

E

Eccleſiæ noſtræ ſepulcrorum inſignia, & titulos habere non debent. 4

Eleemoſynæ quales, & à quibus Collegiis admitti queant. 6. ſeq. Quænam item poſtquam noſtri aliquo in loco concionati ſunt. ibid. Importunius non petendæ. 20

Examen matutinum, Sacerdotum. 19. Diebus feſtis omittitur, ubi habita eſt concio. ibid.

Examen de ſufficienti doctrina ad profeſſionem in fine ſtudiorum. 59. Quale eſſe debeat. 63. Ab eo eximendi profeſſores, & qui Theſes publice defenderunt. 64

Examinatores eſſe qui debeant, & quomodo ſententiam ferre. 64

Exercitia ſpiritualia novis Superioribus facienda. 5. Ab his tertius annus inchoandus. 13. 16. Quotannis omnibus noſtris obeunda. 23

F

Feminarum ſuperfluæ viſitationes reſecandæ. 5

G

Generalis de promovendis reſponſa qua ratione exequenda. 67

Graduum apta diſtributio ad ordinem, & firmitatem pertinet Societatis. 59. Ad gradum tempeſtive omnes proponendi. 59 Profeſſi triennio poſt ſtudia, & tertium annum probationis. 60. Coadjutores ſpirituales poſt ſeptennium ab ingreſſu. ibid. Coadjutores temporales poſt decennium. 63. Simul proponendi, qui ſimul ſunt ingreſſi. 60. qui ob defectus differuntur, de iis monendi ſunt. 61. 65. 66. Et certior cur quiſque differatur faciendus Generalis. 60. Ad gradum ſimul deſignati ordine ſuo vota faciant. 60

Gubernationi apti diligenter à Provinciali nominandi, & inſtruendi ſunt. 53. De his

his mittendæ tertio quoque anno ad Generalem informationes. 54

H

Hiſtoria Domorum, & Collegiorum Romam mittenda. 5. & tertio quoque anno ejus ſupplementum. 72

Hora conſiderationis Superioribus obſervanda. 9

Horologia rotata Noſtris vetita. 22

Hortus in Collegiorum fundatione requiritur. 51

I

Imagines multi valoris non permittendæ Noſtris. 22

Informationes de aptis ad gubernandum. 53. A quibus accipi & quomodo confici debeant. 54. Quibus de rebus. 55. Conſultoribus Provincialis communicandæ. 54. Earum praxis. 56. paradigma. 57

Informationes de promovendis ad gradus. 59. A quibus capiendæ, & quomodo conficiendæ. 61. Quibus de rebus. ib. Conſultoribus Provincialis communicandæ. 66. Earum praxis. ibid. Paradigma. 68 De Coadjutoribus temporalibus quales eſſe debeant. 63. De iis etiam mittendæ qui è Provincia recens in aliam migrarunt. 65. Quomodo de iis capiendæ, qui ex alia venerunt. ibid. Secretæ ſint. 59. 61. Sinceræ. 65

Inſtructor tertii anni qualis eſſe debeat. 12. De probandorum defectibus & talentis monendus. ibid. Ejus officii regulæ & inſtructio. &c. ibid. Sigillum habet. 15. Confeſſarius eſt eorum quos inſtruit. ibid. Quæ in illos ſit ejus auctoritas. ibid. De ſingulorum ſtatu monere debet Provincialem. ibid.

Interceſſiones puo aliis apud Superiorem quibusnam, & quatenus permiſſæ. 21

Iter agentes ſuperflua ne coëmant, nec pecuniam ab exteris conquirant. 21. Quomodo à reſervatis abſolvendi. 27. Quæ pro illis ſuffragia, ſi decedent. 9

L

Libri noſtris prohibiti. 8. 9. Quorum uſus in tertio anno permittitur. 14. Ordinationum, in ſingulis Collegiis. 29. In Archivio Provinciæ. 30. Libris nemo *Ad uſum* inſcribat, nec ullos cum migrat alio aſportet. 22

Litteræ noſtris quales & quomodo ſcribendæ. 20. Quales iis qui in tertio anno. 15. Quæ ad Generalem, mediatosque Superiores ſcribuntur, vel ab aliis accipiuntur, immediatis non oſtendendæ. 20. Romam de negotiis ad ſolum Generalem ſcribendæ. ibid. Si res Procuratoris ope indiget, P. adſcribendum. ibid. Quæ *ſoli* inſcribuntur, ſecreta tantum contineant. ib.

Litteris Conſultorum CC. nota imponenda. 34. Conſultorum Provincialis litteræ de aptis ad gubernandum. 57. De promovendis. 61. 67. 68

M

Magiſtro Novitiorum confeſſiones illorum audire licet. 25

Manifeſtatio delicti cujusvis æquo animo Noſtris ferenda. 46. A quo, quando, & quomodo facienda. ibid. ſq. Quomodo in ea gerere ſe debeat Superior. 48

Miniſter peculiaris juniorum Scholaſticorum, ejusque officium. 43. 44

Miniſtri quales deligendi. 8. Quæ illis poteſtas concedenda. 11. Quid in eos poſſint, qui tertium annum agunt. 15. Quid in juniores Scholaſticos. 43. 44. Quomodo ſe geſſerint, qui in tertio anno, ſcribere debent Provinciali. 13. 15. Miniſtro ſi quis dicat, *Nolo facere*, caſus eſt reſervatus. 11

Miſſiones obeuntibus obſervanda. 7

Miſſiones eorum qui in tertio anno. 14

Monia-

Monialium cœnobia Noſtri confeſſionum cauſa ne ingrediantur. 10

N

NEgotia aliorum apud Superiorem tractare cui liceat. 21. Externorum Romæ non tractanda. 19. Publica ſtatus Noſtris interdicta. 22. Sæcularia ad quosvis pertinentia Noſtros ne occupent. ibid.

Notitia per confeſſionem habita uti licere; Noſtri ne doceant. 10. Vti Superiores vetat Pontifex. 24

Novitii bonis ſuis ne ſe abdicent ſine facultate Generalis. 22. Terni, aut quaterni in ſingulis cubiculis. 10. Sacerdotes celebrant quo die vota emittunt. 6

Novitiis Bullæ oſtendi, quæ debeant. 4. Oſtendenda quæ de manifeſtatione delicti declaravit VI. Congregatio. 50

O

ORdinationum libri in ſingulis Domibus, & Collegiis. 29. In Archivio Provinciæ. 30

Ordines ſub finem ſtudiorum ſuſcipiendi. 12. Suſcepti à Noſtris in Provinciæ libro notandi. 31. Quales eſſe debeant ordinandi. 28. 29.

P

PApyri forma Romam mittendorum. 5

Patriam adire Noſtris quî liceat. 5

Pauperibus non congruentia Noſtris ne permittantur. 21

Paupertatis votum ea rei quantitas violat, quæ ſatis ad furtum mortale. 21

Eidem repugnat re aliqua, ut propria uti, aut de bonis ſuis ſine facultate diſponere. 21. 22.

Præfectus ſpiritus juniorum Scholaſticorum, ejusque officium. 43

Principum confeſſarii. 35. Sepulcra in Eccleſiis noſtris. 4. Negotia quæ ad rationem ſtatus pertinent. 22. Familiaritas non captanda. ibid.

Procuratores Romæ negotia externorum ne tractent. 19

Promiſſio ingrediendæ Societatis votum eſt peculiare. 22

Provincialis futuros Superiores erudiat. 6. 8 Quid ſcribere Generali debeat, cum mutandi ſunt. 6. Videat quam caute rationem conſcientiæ à ſuis exigant. 7. Ne permittat, ut quidquam non neceſſarium ædificent. 10. Studioſe deligat, & inſtruat aptos ad gubernandum. 53. In viſitatione informationes capiat de aptis, & promovendis. 54. 59. Superfluas mulierum viſitationes reſecet. 5. Inquirat circa regulam XVIII. Sacerdotum. 19. Conſultet ſingulis menſibus de ſtatu totius Provinciæ. 8. Romam ſuo tempore mittat informationes de promovendis. 59 Tertio quoque anno informationes de aptis ad gubernandum. 54. Et catalogos rerum, ac perſonarum. 72. Quomodo de bonis alicui loco applicandis informare Generalem debeat. 6. Quo pacto Noſtros in patriam mittere. 5. Quæ circa tertium annum curare. 12. Quæ circa Scholaſticos in villis morantes. 45. Quæ in dando Principibus Confeſſario. 38. Quæ circa dimittendos. 39. Diſpenſare poteſt in cibis Concionatorum. 7. In probationibus eorum, qui redeunt ad Societatem. 4. Vt pœnitentes infra hebdomadam communicent. 10. Vt biennii ſpatium junioribus Scholaſticis contrahatur. 43. In uſu librorum prohibitorum. 9. In uſu Compendii privilegiorum. 9. Vt Romam ituri externorum negotia ſuſcipiant. 19. Notitia per confeſſionem habita uti licere, ne doceant Noſtri provideat. 10, Neminem ad gradum admittat ſine expreſſo Generalis mandato. 60. Quomodo à reſervatis abſolvatur. 28. Quibus de rebus officio defunctus rationem reddere debeat. 31

R

REcreationis tempus quomodo tranſigendum. 23

Recreationes eorum, qui tertium annum agunt. 15. 18.

Recreationis dies pro Scholaſticis in Collegio, vel in vinea. 44

Regulæ 9. & 10. Summarii de manifeſtatione delicti declaratio. 46

Regulæ XXIV. expoſitio. 22

Regulæ item XXVI. de ſilentio. 23

Regulæ XVIII. Sacerdotum. 19

Reliquiaria Noſtrorum aurei valorem non excedant. 22

Reviſorum muneris gravitas. 79. Duplex Reviſorum de libris judicium. ibid. In rebus gravioribus quomodo procedent; quid cavebunt. 80. Cenſuram ſubſcriptam quando, & quomo-

quomodo & cui exhibebunt. ibid. In cenſura ferenda quid maximè ſpectandum Reviſoribus ibid Quid providendum. 81. A quo & quales libros accipient recognoſcendos ibid. Secreti ſint tenaces. 82. Quorum notitia Reviſoribus neceſſaria. ib. cenſurarum exempla apud ſe retinebunt, ibid. Et libri recogniti exemplar Romæ ſervabunt. ibid.

S

SAcerdotes novi quomodo in miniſteriis occupandi. 5. Novitii celebrant quo die vota faciunt. 6

Sacerdotum examen matutinum. 19. Qua cura Regulam XVIII. obſervare debeant. ibid.

Scholaſtici juniores in Collegiis biennii ſaltem ſpatio ſeorſim habitant. 43. Quomodo, & per quos illo tempore regendi. ibid.

Scholaſticis cum in villa, ſeu prædio verſantur obſervanda. 45. Eorum recreatio hebdomadaria quomodo inſtituenda. 44

Sepulcrorum inſignia in Eccleſiis noſtris. 4

Silentium ubi maxime ſervandum. 23

Socius Provincialis de eo ſemel quotannis ſcribat ad Generalem. 8

Socius teſtis in omni viſitatione retinendus. 19. Referre Superiori debet ſi quid ſecus accidat. ibid.

Sodalitates Beatæ Virginis quo pacto ad primariam aggregentur. 77

Suffragia pro iis, qui extra ſuas Provincias moriuntur. 9

Superiores locales Generalis onus participant. 9. Deſignati, antequam ineant, duos menſes in librorum Noſtrorum lectione ponant. 8. Exercitiis ſpiritualibus ſe recolligant. 5. Horam conſiderationis obſervent. 9 Inquirant, an Præfectus rerum ſpiritualium ſuo munere fungatur. ibid. Et an ſerventur, quæ ſtatuta de confeſſionibus, viſitationibusque mulierum. 10. In exigenda ratione conſcientiæ ſecretum ſervent. 7. Vitiorum linguæ auctores inquirant, & puniant. 10. Caveant ne Noſtri, notitia per confeſſionem habita uti licere, doceant. ibid. Conſultent priusquam de re aliqua Provinciali ſcribant. ibid. In conſultationibus ordinariis aliquid legant ex regulis, &c. 11. Initio menſis conſultent de executione. ibid. Quomodo gerere ſe debeant in manifeſtatione delicti. 48. In danda facultate abſolvendi à reſervatis. 26. Quomodo ipſi ab illis abſolvi poſſunt. 28. Iuniorum ſcholaſticorum curam quo pacto exerceant. 43. Quæ circa bona Collegiis ſuis applicanda obſervare debeant. 6. Quomodo de rebus alienandis informare. 76. Quo item modo contractus celebrare. 75. A ſubditis exigere non poſſunt, ut ipſis confiteantur. 24. Nec uti notitia per confeſſionem habita. 10. Ædificare nihil poſſunt inconſulto Provinciali. ibid. Nec facultatem ſuis dare, ut ad proprios uſus ab externis accipiant. 20

Superiores ſubinde mutandi. 6. Eorum mutatio quo pacto cum Generali tractanda. ibid.

T

TErtius annus probationis peractis ſtudiis, omnibus obeundus. 12. Qui illum acturi ſunt, de ſuis defectibus monendi. ibid. Inſtructori ſuo confiteantur. 15 In iis quæ ad domeſticam diſciplinam ſpectant, à Rectore & Miniſtro pendent. ibid. Quæ illis Bullæ oſtendi debeant. 4. Qui libri concedi. 15. Eorum regulæ, & inſtructio. 16. &c. De iis qui in tertio anno non proficiunt. 13

V

VIatica Noſtris qualia eſſe debeant. 21

Viſitantis Provincialem inſtructio. 31. 33.

Vota eorum qui redeunt ad Societatem. 4

Votum peculiare continetur in promiſſione ingrediendi Societatem. 22

F I N I S.

COMPEN-

COMPENDIVM PRIVILEGIORVM *ET* GRATIARVM SOCIETATIS IESV.

Juxta editionem excuſam



ANTVERPIÆ,

Apud JOANNEM MEVRSIVM.

SVPERIORVM PERMISSV.

IN COMPENDIVM PRIVILEGIORVM SOCIETATIS IESV

PRÆFATIO.

CVm Societas noſtra Dei benignitate ac Summorum Pontificum liberalitate ſatis inſtructa & ornata ſit multis ac magnis gratiis & facultatibus, tam peculiariter ipſi conceſſis, quàm etiam aliis, quarum per Apoſtolicam communicationem ampliſſima acceſſio eidem facta eſt; operæ pretium fore judicavimus, ſi, quæ præcipuæ, noſtroque uſui magis accommodatæ ſunt, in compendium redigerentur. Quoniam verò juxta litteras Apoſtolicas nullius privilegii ſeu gratiæ hactenus conceſſæ vel in poſterum concedendæ uſus poteſt in Societate licitus eſſe, niſi per ſolius Præpoſiti Generalis communicationem; idcircò ſuis in locis annotatum eſt, quænam gratiæ, quibus ac quatenus conceſſæ, aut limitatæ vel etiam reſervatæ ſint. Vbi verò nihil horum adſcriptum fuerit, hoc ipſo conſtare debet, gratias hujuſmodi ſicut ſonant, conceſſas eſſe. Ceterùm neceſſarium eſt, ut modus gratiis utendi, qui in pleriſque communicationibus præſcriptus eſt, diligentiſſimè ab omnibus obſervetur. Porrò nullis aliis gratiis & privilegiis, quacumque etiam communicatione Societati noſtræ illa competant, quæ in hoc Compendio comprehenſa non ſint, ulli umquàm uti licebit. Si tamen illorum uſus alicubi neceſſarius fuerit, is à Præpoſito Generali impetrandus erit: aut ſi periculum in morâ eſſet, cenſeatur Provincialibus & Viſitatoribus eo dumtaxat in caſu communicatus; dummodò Societatis inſtituto non repugnet: qui nihilominus

ominus Præpoſitum Generalem de hujusmodi uſu, ejusque cauſſa quamprimum poterunt, certiorem reddere tenebuntur. Denique nomine Provincialium, Præpoſitorum & Rectorum, quorum non rarò in Compendio fit mentio, ſubintelligendi quoque ſunt Viceprovinciales, Vicepræpoſiti ac Vicerectores, quando nimirum nullus eſt Provincialis, Præpoſitus aut Rector, vel adeò longè abeſt, ut pro rei exigentiâ conſuli non ſatis commodè poſſit: qui omnes etiam nomine Superiorum in hoc Compendio ſignificantur. Nam reliquis Reſidentiarum & Miſſionum Superioribus eorum Superiores, à quibus vel mittuntur, vel ſub quorum curâ & directione vivunt, eas ex ſibi conceſſis facultates juxta Conſtitutiones communicare poterunt, quas pro ratione locorum, temporum & perſonarum communicandas judicabunt. De omnibus verò hujus Compendii facultatibus illud in univerſum intelligatur, ut quemadmodum ad Superiores pertinet ſuis ſubditis facultates communicare, vel communicatis, aut conceſſis etiam aliundè, & à quovis, etiam à Præpoſito Generali, vel à Summo Pontifice, utendi poteſtatem facere; ita eorumdem fore, illarum eis uſum, cum expedire judicaverint, vel limitare, vel etiam omnino ſuſpendere. Et quoniam in hoc Compendio ſæpenumerò fit mentio de Profeſſis tum Societatis, tum aliorum Ordinum, advertendum eſt juxta diverſa Societatis privilegia, quidquid de illis dicitur, intelligi etiam debere de noſtris, qui tria vota ſimplicia poſt biennium emiſerint; niſi fortè aliquid in aliquo loco excipiatur. Poſtremò illud erit etiam advertendum, in iis facultatibus, in quibus Concilium Tridentinum circa earum uſum vel moderationem aliquid diſponit, id ſuis locis fuiſſe adnotatum. In quibus autem nihil de Concilio dicitur, proviſum fuiſſe intelligatur, ut liber nobis ſit earum uſus.

COM-

COMPENDIVM PRIVILEGIORVM ET GRATIARVM SOCIETATIS IESV.

ABSOLVTIO.

§. 1.

OMNES Confeſſarii Societatis habent facultatem abſolvendi quoſcumque Chriſti fideles ad eos undecumque accedentes, eorum confeſſionibus diligenter auditis, à quibuſcumque peccatis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis; & à quibuſcumque ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis ex illis reſultantibus, iis exceptis, quæ in Bullâ Cœnæ Domini continentur. PAVLVS III. litteris Apoſtolicis pag. 25. Et quamvis aliqui Ordinarii prætendunt prædictam facultatem quoad caſus per illos reſervatos nihil operari, imò ei eſſe derogatum à GREGORIO XIII. juxta ea quæ in quadam epiſtolâ ad unum ex eis miſſa, Illuſtriſſimus Cardinalis S. Sixti ſubjungit in hæc verba, videlicet: *Hac de re ubi Congregatio accuratè egiſſet, deinde ad S. D. N. retuliſſet, illius Sanctitas etiam de ſententiâ Congregationis cenſuit, Ex facultatibus per Mare magnum, aliáve privilegia regularibus conceſſa, factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in caſibus ſibi ab Epiſcopo reſervatis*, &c. Nihilominùs declaravit idem GREGORIVS XIII. die x. Maii, anno MDLXXXIII. non eſſe intentionis ſuæ, quòd per talem epiſtolam ſit derogata dicta Societatis facultas: eamque quatenus opus ſit de novo confirmavit. Habetur in Vivæ vocis oraculis, pag. 131.

Facultas abſolvendi quoſcumque ab omnibus, exceptis quæ in Bullâ Cœnæ.

Hæc facultas addita extenſione, de quâ ſit mentio verbo Confeſſarius §. 2. *communicatur omnibus Confeſſariis à Superioribus deputatis, & ab Ordinario*

Communicatur omnibus Confeſſariis à Superioribus deputatis

tatis, & ordinario approbatis.

dinario loci, juxta formam Concilii Tridentini ſeſſ. 2.3. c. 15. de Reform. approbatis, præterquàm reſpectu excommunicatorum generaliter ab homine, quos Superiores tantùm, & ii qui ab eis ſpecialem licentiam obtinuerint, poterunt abſolvere: excommunicatos autem nominatim ab homine; & illos regulares, qui licentiam non habuerint extra ſuum Ordinem confitendi, ne Superiores quidem abſolvent.

Superioribus cautè utendum.

Caveant autem Superiores ne in uſu hujus facultatis Ordinarios offendant: ſimulque admoneant pœnitentes, abſolutionem à cenſuris, ſi quam impendent, nihil eis prodeſſe in foro exteriori.

§. 2.

Facultas abſolvendi diripientes bona naufrag.

Poſſunt Confeſſarii Societatis abſolvere eos qui bona naufragantium rapuerint, injunctâ eis reſtitutione, ubi & quomodò ea fieri poterit. GREGORIUS XIII. die XVIII. Maii, MDLXXXIV. in Vivæ vocis orac. pag. 133.

§. 3.

Facultas abſolvendi ab hæreſi.

Poteſt Præpoſitus Generalis per ſe, vel per alios abſolvere quoſcumque ab hæreſi in foro conſcientiæ. Conceſſit IULIUS III. Vivæ vocis oraculo primùm, ut in Vivæ vocis oraculis pag. 9. deinde per Breve in litteris Apoſtolicis, pag. 73. Confirmavit verò, & de novo conceſſit GREGORIUS XIII. die XVIII. Martii, MDLXXXIV. pro reliquis orbis partibus, Hiſpaniâ exceptâ, in Vivæ vocis oraculis, pag. 123.

Communicatur Provincialibus, ſed extra Hiſpaniam.

Communicatur Provincialibus, ſed extra Hiſpaniam, ut habet privilegium, cum poteſtate ut re maturè conſideratâ, quando ſibi videbitur in Domino expedire, in caſibus particularibus poſſint id aliis communicare.

§. 4.

Facultas abſolvendi à lectione librorum prohibitorum.

Facultatem abſolvendi quoſcumque à lectione librorum prohibitorum in iis locis, ubi poſſumus abſolvere ab hæreſi, conceſſit GREGORIUS XIII. die VI. Novembris anno Domini 1583. prout in Vivæ vocis oraculis, pag. 132.

Conceditur omnibus Superioribus.

Conceditur omnibus Superioribus, & iis quibus ipſi communicaverint. Sed ſi libri prohibiti editi ſunt ad ſtabilienda dogmata hæretica, non poterunt communicare hanc facultatem, niſi in caſibus particularibus, perſpectis circumſtantiis.

In iis verò provinciis, in quibus ex peculiari conceſſione amplior eſſet facultas, liber permittitur illius uſus.

§. 5.

§. 5.

Qui mittuntur ad triremes poſſunt abſolvi per noſtros à quibuscunque caſibus, ſicut in articulo mortis. PIVS IV. in Vivæ vocis oraculis, p. 30.

Facultas abſolvendi miſſos ad triremes.

Hæc facultas abſolvendi damnatos ad triremes omnibus Superioribus communicatur, & iis quibus ipſi commiſerint. Quod autem attinet ad caſus Bullæ Cœnæ, videantur quæ inferiùs dicuntur in verbo Bulla Cœnæ. *Idque in ſequentibus §§. quoad eosdem caſus etiam obſervetur.*

Communicatur omnibus Superioribus.

§. 6.

Ii qui ſub obedientiâ & correctione Societatis degunt, poſſunt abſolvi per Præpoſitum Generalem, & alios quos ipſe deputaverit, ab omnibus peccatis, ante vel poſt ingreſſum Societatis commiſſis, & ab omnibus Eccleſiaſticis & ſecularibus ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine latis, præterquàm ab his quatuor, quæ in Bullâ SIXTI IV. continentur, nempe relapſus in hæreſim, ſchiſma, litterarum Apoſtolicarum falſificatio, & delatio prohibitorum ad infideles, de quibus in Monumentis Minorum, fol. 143. Volentes tamen ingredi Societatem & abſolvi, ut præfertur, reincidunt in priſtinas ſententias, niſi mox ingredi, & peractis experientiis ſecundùm Conſtitutiones Societatis, vota emittere parati ſint, etiamſi ſuper hoc induciæ eis à Prælatis Societatis concedantur. PAVLVS III. in litteris Apoſt. pag. 40. & ſeqq.

Facultas abſolvendi noſtros ab omnib..s.

Communicatur hæc facultas Superioribus, & iis quibus ipſi commiſerint; exceptâ hæreſi, & apoſtaſiâ ab Eccleſiâ, incurſis poſt ingreſſum in Societatem, quæ Præpoſito Generali reſervantur.

Communicatur Superioribus.

§. 7.

Abſolvendi ab hæreſi, & à relapſu etiam in hæreſim, eos omnes qui ſub Societatis obedientiâ vivunt, ſi quis (quod Deus avertat) in eam incideret, etiam in Hiſpaniâ, facultatem conceſſit GREGORIVS XIII. die 18. Martii. 1584. ut in Vivæ vocis orac. pag. 133.

Facultas noſtros abſolvendi ab hæreſi, & à relapſu.

§. 8.

Facultate conceſſâ Minoribus de Obſervantiâ Vltramontanis, poſſunt Præpoſitus Generalis, ac Provinciales Societatis Vltramontani abſolvere noſtros Vltramontanos ſibi ſubditos; & diſpenſare cum eis, quoties opus fuerit, à relapſu in hæreſim, aut apoſtaſiam; & eorum pœnas à jure conſtitutas commutare augendo vel minuendo, penſatis qualitate & quantitate, aliisque debitis circumſtantiis: dummodò talium relapſorum cri-

Facultas noſtros abſolvendi & ab hæreſi & apoſtaſia.

mina

mina publica, & notoria apud ſæculares non ſint; ut ex hoc ſcandalum oriri poſſit. ALEXANDER VI. in Monum. Mino. fol. 70. conc. 164. & refertur, quamquàm non ſatis plenè in Comp. eorundem. Verbo *Abſolutio Ord. quoad Fratres. §. 18.*

Hæc facultas reſervatur Generali.

Si quis ex noſtris (quod Deus avertat) indigeret abſolutione, de quâ proximo & præcedenti §. *agitur, quando res non eſt dubia, facultas abſolvendi reſervatur Præpoſito Generali. Sed ne pœnitens cogatur tamdiu ſine abſolutione manere, communicatur Præpoſitis Provincialibus, ita tamen ut moneatur pœnitens manere ſub pœnâ peccati mortalis integram obligationem, vel ſi Præpoſito Generali præſentandi, vel rem eidem manifeſtandi, eo modo, qui ſervatâ ſigilli integritate, Provinciali videbitur.*

§. 9.

Facultas noſtros abſolvendi in ſæculo excommunicatos ob delationem lignaminum ad infideles.

Iuxta conceſſionem ejuſdem ALEXANDRI VI. quæ habetur in ſupplemento Minor. fol. 99. conceſſ. 358. & refertur in eorumdem Comp. verbo *Abſolutio Ord. quoad Fratres* §. 19. Præpoſitus Generalis, ac Provinciales poſſunt abſolvere noſtros, qui exiſtentes in ſæculo incurriſſent cenſuram Eccleſiaſticam propter delationem lignaminum, ſeu ferramentorum ad partes infidelium.

Communicatur omnibus Superioribus.

Hæc facultas communicatur omnibus Superioribus, & aliis Confeſſariis, quibus ipſi judicaverint.

§. 10.

Facultas abſolvendi noſtros ab omnibus, etiamſi conſulenda eſſet Sedes Apoſtol.

Per Privilegium Benedictinis conceſſum, ut in manuſcriptis fol. 38. poſſunt Præpoſiti Domorum ac Rectores abſolvere omnes, qui in Societate propoſuerunt, perpetuum Deo reddere famulatum, à quibuſcumque peccatis, & quacumque ſententiâ excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, etiam ſi talia forent, propter quæ Sedes Apoſtolica eſſet conſulenda; præmiſſa ex parte eorum ſatisfactione, & impoſitâ eis per eos pœnitentiâ.

Communicatur Superioribus.

Hæc facultas communicatur Superioribus in ea nominatis, præterquàm in his quæ excepta fuerunt ſuprà § *6. 7. & 8.*

§. 11.

Noſtris interdicitur uſus Cruciatæ, Iubilæorum &c. quoad abſolutionem.

Declarat Summus Pontifex non eſſe, nec fore umquam mentis ſuæ, aut Sedis Apoſtolicæ, ut perſonæ Societatis absque expreſſâ Superioris ejusdem Societatis licentiâ utantur facultatibus, quæ in Iubilæis, Bullis Cruciatæ, Confeſſionalibus, aut aliis quibusvis Apoſtolicis indultis, quæ Communi-

munitatibus, aut privatis perſonis, aut piis locis, quomodocumque aliter hucusque conceſſa ſunt, aut in poſterum concedentur, etiamſi in illis expreſſè indulgeatur, ut omnes Regulares, etiam Mendicantes, ejusmodi facultatibus uti poſſint. Si quando autem uſus aliquarum ex hujusmodi facultatibus perſonis de dictâ Societate à Superioribus ejusdem Societatis concedetur, nulli earum licere niſi intra numerum eorum, qui ad Confeſſiones perſonarum ejusdem Domus aut Collegii audiendas deputati ſunt, Confeſſarium eligere, niſi ratione itineris, aut aliâ de cauſſâ ab eisdem Superioribus, aliis Confeſſariis intra aut extra Societatem confitendi facultas ad id ſpecialiter daretur: ſecusque facta irrita & inania eſſe decernit GREGORIVS XIII. in litteris Apoſtol. pag. 145. & ſeqq. Vide plura in hanc ſententiam, verbo *Gratiarum uſus.* §. 2. CLEMENS VIII. in litteris, in formâ Brevis anno MDXCV.

Superiores poterunt licentiam noſtris concedere ad uſum prædictarum facultatum, quoad caſus reſervatos & reliqua, ſi quando videbuntur concedenda; & quod ad indulgentias attinet, vide infrà verbo Indulgentia *ad finem.* Qualis uſus à Superioribus concedendus.

Qualiter Superiores poſſint per ſeipſos abſolvere ſubditos ab omnibus, à quibus Epiſcopi poſſunt abſolvere Clericos & laicos ſibi ſubditos, etiam ex vi Concilii Tridentini, vide infrà verbo Prælati. § 3.

Quoad modum abſolvendi ab excommunicatione in foro conſcientiæ, vide infrà in verbo Excommunicatio. §. 2. *& quòd facultates hoc verbo contentæ, quæ Bullæ Cœnæ repugnant, hodie perſeverent, vide verbo* Bulla Cœnæ. §. 2.

Quæ verò hîc dicuntur de abſolutione à cenſuris quoad externos, intelligantur de abſolutione in Sacramento pœnitentiæ.

ÆDIFICIA.

§. I.

CONCEDITVR Societati facultas ædificandi, & recipiendi Collegia, Domos, Eccleſias, & Oratoria in quibuscumque mundi partibus: & inhibetur ac mandatur omnibus & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliisque Eccleſiarum Prælatis, & locorum Ordinariis, ac quibusvis aliis Poteſtatibus Eccleſiaſticis, & ſecularibus, ne nos, aut noſtras Domos, Eccleſias, Facultas ædificandi & recipiendi Collegia, &c.

aut Collegia ædificare volentes, quoquo modo in hujuſmodi conſtructionibus impediant, perturbent, aut moleſtent. PAVLVS III. pag. 46. & 47.

§. 2.

Idem conceſſit Pius IV. etiam intra 140. cannas.

Privilegium præcedenti §. contentum confirmavit, & de novo conceſſit PIVS IV. etiam intra centum quadraginta cannas à Conventibus aliarum Religionum, etiam Mendicantium, & non obſtantibus earum privilegiis. Ac etiam mandavit Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis in dignitate conſtitutis, ut per ſe, vel alium, ſeu alios, quoties pro parte alicujus de Societate fuerint requiſiti, privilegii hujusmodi litteras ſolemniter publicantes, faciant noſtros contentis in eisdem gaudere: non permittentes eos ſuper his, aut eorum aliquem per quorumvis Ordinum Religioſos, aut alias perſonas, etiamſi Pontificali ſeu Regali auctoritate fungantur, quovis quæſito colore, quomodolibet moleſtari. pag. 81. & ſeqq.

Limitata per Concil. Trid. conceſſit Gregorius XIII.

Quamvis privilegia his duobus §§. contenta per Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 3. de Regul. limitata fuerint, priſtinam nihilominus vim obtinent per privilegium à GREGORIO XIII. *conceſſum poſt idem Concilium, ut §. ſequenti habetur.*

§. 3.

Privilegia aliorum Ordinum de non ædificando intra cannas revocavit Gregorius XIII. quoad Societatem.

GREGORIVS XIII. Privilegia aliorum Ordinum ſuper non ædificatione intra cannas, quoad Societatem tantum, Motu proprio ſuſpendit, revocavit, & invalidavit; ac ſilentium perpetuum impoſuit quibusvis contra præſentis privilegii tenorem venientibus vigore cujusvis confirmationis, aut novæ conceſſionis dictarum cannarum quomodolibet, & pari Motu etiam conſiſtorialiter, ac quibusvis derogationibus ſpecificatis obtentarum, & in futurum obtinendarum. Inſuper conceſſit Societatis Presbyteris, & ipſi Societati, ut quascumque Domos, Collegia, Eccleſias, & alia ædificia erigere, ac per eos ubivis locorum erecta inhabitare; ac quæcumque loca, Domos, Eccleſias, Oratoria, & alia cujuscumque ſtructuræ ædificia, ipſis quomodolibet relicta vel oblata recipere, acceptare, emere, poſſidere, & retinere: ac in eis omnes & ſingulas functiones & miniſteria Societatis exercere libere & licite poſſint. pag. 163. & 164. Vbi etiam privilegia ſuperioribus §§. contenta confirmat; mandatque præterea, ne à locorum Ordinariis, aut aliis quibusvis, circa præmiſſa impediantur. pag. 165.

Facultas ædificandi Collegia, &c. ab eodem conceſſa.

Facultas ædificandi Domos & Collegia reſervatur Generali.

Domus & Collegia non poſſunt erigi ſine ſpeciali facultate Præpoſiti Generalis, ad quem etiam referenda res erit antequam intra præfatum cannarum

rum ſpatium à Conventibus aliarum Religionum ædificium erigatur. Quod ſi aliquando periculum eſſet in mora, poſſunt Provinciales, adhibito ſuorum Conſultorum conſilio, poteſtatem facere noſtris ædificandi & habitandi intra cannas. De uſu tamen hujus facultatis, & cauſſis propter quas opus fuerit ea uti, ad Præpoſitum Generalem, cum primum commode poterunt, referant.

ALIENATIO.

§. 1.

PEr litteras Apoſtolicas IVLII III. pag. 62. adjuncta pag. 69. & ſeqq. poteſt Præpoſitus Generalis ſimul cum Congregatione Generali alienare Domos vel Collegia. Nec circa hoc quidquam in oppoſitum definit Bulla PII V. pag. 106. & ſeq. ſiquidem de aliis agit contractibus. Facultas alienandi Domos & Collegia Generali conceditur per Pium V.

§. 2.

Poteſt Præpoſitus Generalis Societatis pro tempore exiſtens, vel ipſa Societas dum erit generaliter congregata, per ſe vel alios, informatione extrajudicialiter ac ſummarie & ſimpliciter accepta, vel etiam eâ omnino omiſſâ, bona Domorum, etiam Probationis, Collegiorum, & aliorum locorum ejusdem Societatis ſtabilia, & etiam mobilia pretioſa, præſentia & futura, pro illorum utilitate ſeu neceſſitate, quibuscumque perſonis, tam Eccleſiaſticis quam ſæcularibus, cujuscumque gradus, ordinis, & dignitatis exiſtentibus, etiam Collegiis, Communitatibus, & Vniverſitatibus, ad eam rationem quæ facilius inveniri poteſt, & pro pretio reperibili vendere, alienare, permutare, in emphyteuſim, ſeu livellum, ad tres generationes, vel in aliud longum tempus dare, locare, etiam cum donationis ſeu inveſtituræ receptione, ac repræſentata pecunia, ſine tamen diminutione ſoliti illorum reditus: necnon generaliter & ſpecialiter obligare, & hypothecare, ſuper illis cenſus quoscumque redimibiles imponere, & vendere: necnon de bonis eisdem compromittere, & quomodolibet ſuper illis tranſigere; illisque ſimpliciter, vel liti deſuper habitæ, & actionem etiam in non poſſeſſorem, cedere, & renuntiare, utilitatemque venditionum, & aliorum hujusmodi, vel etiam neceſſitatem, aut aliam cauſſam propter quam fiant, ſimpliciter, & absque figura judicii cognoſcere, judicare, definire, & penitus terminare libere & licite. GREGORIVS XIII. in litteris Apoſtolicis pag. 202. & ſeq. ubi aliam extendit facultatem, de qua pag. 171. Facultas alienandi ſtabilia, & etiam mobilia pretioſa quomodo Generali concedatur per Greg.

§. 3.

Solæ ſufficiunt patentes Generalis pro venditionibus,&c.

Contrahentes habita ſola Præpoſiti Generalis, vel congregatæ Societatis, per litteras patentes more ipſius Societatis, vel alias, confirmatione, aut conſenſu, ſolo contractu ſecuri exiſtunt: nec tenentur demonſtrare utilitatem, ſeu neceſſitatem venditionum, commutationum, & aliarum alienationum, de quibus §. præcedenti: nec item tenentur pretium in æquivalentia vel meliora bona converſum, nec aliquid aliud demonſtrare. Ibidem pag. 204.

§. 4.

Contractus initi, & ineundi valent confirmatione Generalis, &c.

Quicumque contractus ſuper prædictis initi usque ad hujus conceſſionis tempus perpetuo valent: parteſque ipſæ ad illorum obſervationem omnino obligantur: & tam ipſi hactenus initi contractus, quam ineundi in futurum, quibus ipſius Generalis Præpoſiti pro tempore exiſtentis, vel etiam congregatæ Societatis, conſenſus ſeu confirmatio acceſſerit, alia Sedis Apoſtolicæ confirmatione & approbatione non indigent. Ibidem.

Informationes ad Generalem mittendæ.

Informationes autem ad Præpoſitum Generalem mittendæ ut licentiam alienandi concedat, fiant juxta Inſtructionem ad Provinciales menſe Auguſto MDLXXXI *transmiſſam.*

Facultas alienandi mobilia non pretioſa, & pretioſa quomodo concedatur.

Poſſe alienare mobilia non pretioſa, conceditur omnibus Superioribus, auditis Conſultoribus. Pretioſa etiam quæ centum; Provincialibus vero quæ ducentorum ducatorum valorem non excedant, in utilitatem tamen Domorum, ſeu Collegiorum. Quæ vero ad Eccleſias pertinent, quamvis minoris pretii ſint, non niſi in Eccleſiæ ipſius ornamentum pretium impendere posſint.

§. 5.

Facultas vendendi, alienandi, &c. non obſtante ultima teſtatorum voluntate.

Poſſunt Præpoſitus Generalis, ac Provinciales, pro emergentibus neceſſitatibus, & evidentibus utilitatibus Domorum, Collegiorum, & locorum Societatis vendere, alienare, ac permutare quælibet bona immobilia, ac etiam ultra triennium locare, ultimis teſtatorum voluntatibus non obſtantibus, dummodo id in prædictorum utilitatem cedere dignoſcatur, habita diligenti informatione à duobus aut tribus bonis viris locorum in quibus bona conſiſtunt: ſuper quo non modo eorum, ſed Præpoſiti Generalis ac Provincialium prudentia requiritur, & conſcientia oneratur. Conceſſit LEO X. Minoribus, ut in privilegiis Auguſtinianorum fol. 88. pag. 2. & ſequenti.

Facul-

Facultas hæc ſoli Præpoſito Generali reſervatur, nec niſi rariſſime ea utetur. In illius autem uſu non ſolum mittatur ad Præpoſitum Generalem informatio, de qua in hac ipſa facultate fit mentio, ſed ſervetur etiam inſtructio, de qua proxime præcedenti §. 4. dictum fuit. Soli Generali reſervatur.

ALTARE.

NOn obſtante deciſione Concilii Tridentini ſeſſ. 22. in decreto de obſervandis & vitandis in celebratione Miſſæ, poſſunt noſtri Presbyteri in Miſſionibus, quæ à Superiori fiunt, ſervata alias forma conceſſionis PAULI III. pag. 42. (videlicet cum debita reverentia & honore) ſacrificium Miſſæ ſuper Altari viatico celebrare ubique gentium, etiam in caſtris militum, modo loca, etſi communia & profana, tuta & honeſta ſint; & Præpoſitus Generalis, aut per eum Provinciales Præpoſiti eo tum utendum fore judicaverint. Poteruntque ibi ipſi Presbyteri ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare fidelibus, ad illud ſumendum debite præparatis. GREGORIUS XIII. pag. 193. & ſeq. Vſus Altaris portatilis qualis.

Quomodo poſſint conſecrari altaria Societatis, vide verbo *Eccleſia. §. 1.*

APOSTATÆ.

§. 1.

SI quis poſt emiſſa vota ſecundum Societatis Conſtitutiones, ab ea ad ſeculum receſſerit, etiam prætextu cujusvis indulti conceſſi aut concedendi, absque expreſſa ſui Superioris licentia, ad id ab eo ſpecialiter obtenta, ipſo facto eſt excommunicatus: & abſolvi nequit, niſi à Romano Pontifice, vel Superiore Societatis. Habetur in litteris à PIO V. editis pag. 100. & ſequenti. Ad ſæculum recedentes ſine Superioris licentia excommunicantur, & nequeunt abſolvi.

§. 2.

Deficientes à Societate poſt tria vota, etſi ſimplicia, elapſo biennio probationis emiſſa, tamquam veros apoſtatas poſſe puniri; & excommunicationis latæ ſententiæ, ac aliis apoſtatarum pœnis, Sedi Apoſtolicæ vel Generali Præpoſito Societatis reſervatis, ſubjacere; nec ante abſolutionem, & à Societate dimiſſionem matrimonium contrahere poſſe, & aliter contractum nullum & irritum eſſe; habetur in Conſtitutione GREGORII XIII. pag. 231. Deficientes à Societate ſubjacent pœnis, &c. per Gregorium.

§. 3.

Idem per communicationem privilegiorum, &c. niſi intra octo dies redierint.

Iisdem pœnis ſubjacent fautores, &c.

Conceditur Provincialibus.

Per privilegium conceſſum Minoribus, Noſtri ab Ordine recedentes, niſi poſt mandatum cujusvis Superioris eisdem factum, intra octo dies proximos ad Obedientiam redierint, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurrunt, ſoli Summo Pontifici reſervatam: eidemque ſententiæ ſubjacent omnes qui iis auxilium, conſilium vel favorem præſtiterint. Habetur in ſuppl. Minorum fol. 50. conceſſ. 147.

Conceditur Provincialibus facultas abſolvendi per ſe vel alios, eos qui ſine licentia diſcesſiſſent, poſtquam redierint.

§. 4.

Noſtros detinentes ipſo facto excommunicantur.

Per privilegium conceſſum Minoribus ab INNOCENTIO IV. de quo in Monum. fol. 260. pag. 1. conceſſ. 651. & in eorum Comp. verbo *Apoſtatæ*, §. 5. qui retinent Noſtros ſine licentia recedentes, ipſo facto ſint excommunicati.

§. 5.

In apoſtatas Societatis poteſt Generalis animadvertere.

Si quis animo indurato poſt emiſſa vota ſive Profeſſorum, ſive Coadjutorum, ſive Scholarium, absque Superioris licentia exierit, & in ſæculo, vel etiam in alio Regulari loco, degere præſumpſerit; licebit Præpoſito Generali, aliisque Superioribus Societatis illum tamquam apoſtatam, etiam per auxilii brachii ſæcularis invocationem, ſummarie & ſine figura judicii, ad Societatem revocare, capere & incarcerare, ac debitæ pœnitentiæ ſubjicere. PIVS V. in lit. Apoſt. pag. 97. & ſeq.

Quibus hæc facultas concedatur.

Contra vagantes in ſæculo transfugas omnibus Superioribus conceditur hæc facultas: ſed contra commorantes in aliqua alia religione, ſolis Provincialibus. Vtrique vero circumſpecte, & habita ratione ædificationis, ea utantur.

§. 6.

Poſſunt capi & incarcerari etiam in Curia Romana.

Poteſt Præpoſitus Generalis per ſe vel alios à ſe deputatos, Profeſſos apoſtatas, etiamſi in Romana Curia inveniantur, capere, incarcerare, & alias ſuæ diſciplinæ ſubmittere, ex privilegio Carmelitis conceſſo, de quo in Monum. Min. fol. 186. conceſſ. 469.

§. 7.

Poſſunt excommunicari etiam in Romana Curia.

Præpoſitus Generalis, aliique inferiores Præpoſiti, per ſe vel per alios, poſſunt ſententiam excommunicationis in Societatis apoſtatas promulgare. PAVLVS III. pag. 41. Poteſtque hoc idem Præpoſitus Generalis per ſe vel

vel per alios à ſe deputatos, ſi tales apoſtatæ ſint Profeſſi, etiamſi in Romana Curia inveniantur. Ex privilegio Carmelitis conceſſo, de quo in Monum. Min. fol. 186. conceſſ. 469.

Facultas hæc conceditur Provincialibus. Provincialibus conceditur.

§. 8.

Poteſt Præpoſitus Generalis, per communicationem privilegii conceſſi Miniſtris & Cuſtodibus Minorum, Profeſſos à Societate diſcedentes excommunicare: eosque ſic excommunicatione notatos tenentur Prælati ab eodem requiſiti, pro excommunicatis publicè denuntiari curare. Conceſſit INNOCENTIUS IV. ut in Mon. Min. fol. 121. conceſſ. 163. Facultas excommunicandi Profeſſos, recedentes à Societate.

Hæc facultas communicatur Provincialibus cum ea ratione de qua in præcedenti §. 5. Provincialibus communicatur.

§. 9.

Nemo poſt emiſſa vota ſecundum Societatis Conſtitutiones, ſive Profeſſus, ſive Scholaris, ſive Coadjutor ſit, ad alium Ordinem præterquam Carthuſienſium, niſi de expreſſa licentia ipſius Præpoſiti, aut Sedis Apoſtolicæ, tranſire poteſt. PAULUS III. in lit. Apoſt. pag. 41. Idem cavetur, ne quis faciat ſine expreſſa licentia ſui Superioris; & latius confirmatur à PIO IV. in litteris per PIUM V. editis, ut patet pag. 99. & ſeq. propoſita pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, Romano Pontifici vel Superiori Societatis reſervatæ, tam in Religioſos qui præfatos recipiunt, quam in ipſos receptos, recedentes etiam prætextu cujusvis indulti conceſſi aut concedendi, etiam quæſito colore ob frugem melioris vitæ, aut ſtrictioris obſervantiæ, quodque ſecus facta non teneant. Statuitur item in iisdem litteris, quod tranſeuntes ad Carthuſienſes intra tres menſes, ad alium vero Ordinem infra tempus eis à Superiore ſuo præfigendum, dictos Ordines actualiter ingredi; & ſi in illis permanere nolint, aut non poſſint, absque ulla mora ad Societatem regredi teneantur ſub præfata excommunicationis pœna; quam tam ipſi, quam illos recipientes, vel eis auxilium, conſilium, vel favorem præſtantes etiam incurrant.

De tranſitu ad alios Ordines, præterquam Carthuſienſem.

Pœna eorum qui eos recipiunt.

Intra tres menſes regredi tenentur ſub pœna excommunicationis.

Facultas transeundi ad aliam Religionem dare poterit ſolus Præpoſitus Generalis. Soli Generali reſervatur.

§. 10.

Per privilegium Minimorum, de quo in eorum libello fol. 37. pag. 1. ſi poſt licentiam obtentam ad aliam Religionem transeundi, ex ea poſt profeſſio- Facultas procedendi tamquam in apoſtatas.

feſſionem emiſſam receſſerint, & ad ſæculum redierint, vel ad alium laxiorem tranſierint, contra ipſos, ut contra alios apoſtatas, procedere poſſunt Societatis Superiores.

Conceditur Provincialibus.

Hæc facultas conceditur Provincialibus, ea tamen utantur remoto ſcandalo.

§. 11.

Secundo tranſire ad Carthuſienſes non licet ſine conſenſu Generalis.

Conceſſit PIUS V. Vivæ vocis oraculo, ut ſi quis ex noſtra Societate in Carthuſienſium Ordinem tranſire vellet, tres ei menſes præſcriberentur: intra quos ſi non ingrederetur, vel non admitteretur, vel non perſeveraret, redire teneatur, & non ei amplius liceret reſpectu Carthuſiæ à Societate ſine Præpoſiti ejus conſenſu recedere. Habetur in Vivæ vocis oraculis fol. 43. Idemque per Breve confirmavit, ac de novo conceſſit GREGORIUS XIII. & quoad præterita etiam valere, ac eos qui ſecus fecerint, in excommunicationis, & alias apoſtatarum cenſuras & pœnas eo ipſo incurrere, à quibus non niſi à Romano Pontifice, vel à Generali Societatis Præpoſito abſolvi poſſe decrevit. Et præſentis gratiæ communicationem omnibus aliis, etiam qui ſua privilegia cum Societate participant, vel participare poterunt, prohibuit. pag. 241.

§. 12.

Profeſſi è Societate egreſſi cauſſa, etiam in Romana Curia, ad Papam avocatur.

Facultate Canonicis Sancti Salvatoris, & Eremitis S. Auguſtini conceſſa, ſi quis Profeſſus è Societate egreſſus, cauſſam ſuper ea re in Curia Romana committi obtinuerit, ubi ad inhibendum, aut alia hujuſmodi agendum itum fuerit, cauſſa hujuſmodi ad ipſum Summum Pontificem avocatur, omninoque extinguitur. Habetur in manuſcriptis fol. 66. & in lib. privil. Eremitarum S. Auguſtini fol. 41. pag. 2.

§. 13.

Profeſſi Societatis ejecti noſtra miniſteria exercere non poſſunt.

Profeſſis apoſtatis, ſive pro ſuis culpis ejectis à Societate, niſi ad alium Ordinem de licentia Præpoſiti Generalis aut Provincialis, ſeu Summi Pontificis tranſierint; inhibitum eſt, ne confeſſiones audire, docere, ſeu prædicare præſumant. Quod ſi aliud temere attentaverint, poſſunt Generalis & Provinciales excommunicationis ſententiam in illos promulgare. Conceſſit INNOCENTIUS IV. Minoribus, ut in Monum. fol. 120. conceſſ. 261.

Sed dimiſſi poſſunt.

Hoc privilegio non intendimus eos obligare, qui à Societate quacumque ex cauſſa legitime dimittuntur.

Vide

Vide verbo *Profeſſi* §. 2. Et de nullitate matrimonii ſi quis contrahere attentet, vide verbo *Matrimonium*.

APPELLATIO.

§. I.

NOn licet à correctione Regulæ Societatis ſecundum Ordinationes ejus factæ, appellare: & appellatio per nullum Iudicem admitti poteſt. PAVLVS III. pag. 39. Non licet appellare à correctione Societatis.

§. 2.

Privilegio conceſſo Canonicis Sancti Salvatoris, nulli de Societate ab Inſtitutis, Ordinationibus, correctionibus & mandatis Congregationis generalis, aut Præpoſiti Generalis, aut aliorum Superiorum, ad quemcumque, etiam ad Summum Pontificem & Sedem Apoſtolicam, niſi de ſpeciali Summi Pontificis licentia appellare licet: appellationesque deſuper pro tempore interpoſitæ, & inde ſecuta irrita habentur. IVLIVS II. in manuſcriptis, fol. 66. Et per privilegium conceſſum Ciſtercienſibus, de quo in eiſdem manuſcriptis fol. 43. pag. 2. à Præpoſito Generali, aut Viſitatoribus per ipſum deputatis, ab eorum reformationibus ſeu correctionibus, appellare non poſſunt ſubditi, etiam ad Sedem Apoſtolicam (niſi à Generali Congregatione, & in caſu denegatæ juſtitiæ, aut pro notoria injuria) ſub pœna excommunicationis, Sedi Apoſtolicæ reſervatæ. Non licet appellare ab Inſtitutis, &c. etiam ad Pontificem ſine licentia ejusdem. Nec à Generali, &c.

BENEDICERE.

§. I.

TEr facultatem Minorum de Obſervantia poſſunt omnes Præpoſiti ac Rectores Cœmeteria, Eccleſias, & Oratoria Societatis pro ejusdem Societatis uſu tantum, ſolemni benedictione benedicere. Conceſſit LEO X. ut habetur in Supplem. Min. fol. 16. conceſſ. 55. & refertur in Compendio eorumdem, verbo *Benedicere* §. 14. Præpoſiti & Rectores poſſunt benedicere Eccleſias, & in uſum Societatis tantum.

Hac facultate uti poſſunt omnes prædicti, non tamen publice, nec niſi Ordinarii abeſſent, aut id gravate facerent. Quomodo uti hac facultate poſſint.

§. 2.

Poteſt Præpoſitus Generalis ſacrare & benedicere corporalia, veſtes, & ea quæ ſacris uſibus neceſſaria ſunt. Conceſſit IVLIVS II. per ejus Bul- Generalis poteſt ſacrare & benedicere corporalia, &c.

lam ſub data IV. Nonas Aprilis MDXII. Priori Generali Congregationis Canonicorum Sancti Salvatoris, prout habetur in manuſcriptis, fol. 67.

§. 3.

Etiam Præpoſiti & Rectores poſſunt.

Per facultatem INNOCENTII VIII. vivæ vocis oraculo conceſſam Abbatibus ac Prioribus principale regimen habentibus Congregationis S. Iuſtinæ de Padua, quæ habetur in privilegiis impreſſis, fol. 123. poſſunt Præpoſiti Domorum ac Rectores benedicere corporalia, veſtimenta, ceteraque ornamenta eccleſiæ, & ad cultum divinum pertinentia & tam ſuæ eccleſiæ, quam etiam undecumque delata, & tam à noſtris quam ab aliis deferantur.

Poteſt aliis communicari à Provinciali.

Hæc facultas cum præcedenti conceditur omnibus in ea comprehenſis, & aliis Superioribus, quibus Provinciales communicandum dixerint. Quod ad benedictionem tamen ad exterrorum uſum, non niſi neceſſitas urgeat, & Prælati diſtent, & ſine illorum offenſione.

Vide verbo *Eccleſia*. §. *1.* & *2.*

BENEFACTORES.

Vide verbo *Generalis*. §. *7.*

BONA SOCIETATIS.

§. 1.

Generalis poteſt admittere Eccleſias, &c. oblatas.

POteſt Præpoſitus Generalis Domos, eccleſias & Collegia à quovis conſtructa, ſeu teſtamento mandata, vel quovis modo oblata cum omnibus ad id neceſſariis, & opportunis, ac locum pro hujusmodi conſtructione nobis oblatum recipere. PAVLVS III. pag. 46. & ſequenti.

§. 2.

Domus, &c. auctoritate Apoſtolica cenſentur erectæ.

Domus, Eccleſiæ, Collegia, Cellæ, & Oratoria ubilibet per noſtros conſtructa, vel nobis donata, eo ipſo auctoritate Apoſtolica erecta confirmataque ſunt ac cenſentur. PAVLVS III. pag. 47. & ſatis etiam PIVS IV. pag. 83. Pariter quæcumque bona, niſi ad prædictæ Sedis collationem pertineant, pro Collegiorum dote, ſeu Scholarium ibi commorantium ſuſtentatione donata, relicta, & legata, eo ipſo prædicta auctoritate perpetuo applicata & appropriata ſunt ac cenſentur. PAVLVS III. dicta pag. 47.

Præpoſito & Congregationi Generali reſervata.

Solius Congregationis generalis, & Generalis Præpoſiti eſt acceptare Domos & Collegia; ac bona etiam, quæ obligationem aliquam adjunctam, vel conditionem gravantem habent.

§. 3. Abs-

§. 3.

Abſque alia Sedis Apoſtolicæ conceſſione poſſumus apprehendere & capere loca quæcumque, Domos, Eccleſias, etiam Parochiales, & cujuscumque Ordinis ſint aut conditionis, Societati & ejus perſonis per quoscumque oblata. Conceſſit IVLIVS II. Congregationi Sancti Salvatoris per litteras ſub plumbo anno MDXII. IV. Nonas Aprilis, ut in manuſcriptis, pag. 69. Facultas admittendi Domos & Eccleſias etiam parochiales. &c.

Eccleſias, etiam Parochiales, accipiendi facultas conceditur, quoad ædificia tantum, non quoad reditus, & curam animarum, & ſervata limitatione præcedentis §. Qualis ſit uſus.

§. 4.

Poteſt Præpoſitus Generalis, per ſe vel per alium ſeu alios, quæcumque loca ſæcularia vel regularia, necnon Eccleſias, Eremitoria & Monaſteria cujusvis Ordinis, etiamſi forent ſtrictioris Obſervantiæ (in quibus tamen ea non teneretur) cum earum bonis omnibus, mobilibus & immobilibus, libere recipere; ſi pia largitione fidelium illa ſibi donari contigerit, aut ad id eisdem Eccleſiis, Eremitoriis & Monaſteriis præſidentes, ſive in illis degentes perſonæ, ſeu eorum major pars, aut illi quorum intereſt, conſentiant. Ipſaque etiamſi aliis Eccleſiis, Monaſteriis, ſeu locis ſint unita, in Collegia ſeu Domos erigere atque fundare, & ad Societatis Inſtitutum & obſervantiam reducere, omnemque alium Ordinem in eis ſupprimere. MARTINVS V. aliique Pontifices Fratribus Mendicantibus S. Hieronymi, ut in manuſcriptis, fol. 36. pag. 1. Facultas admittendi loca ſecularia, regularia, &c.

§. 5.

Quicumque auſus fuerit occupare res quascumque, etiam ſi ſit pecunia, quæ ad perſonas Societatis, ſeu Domos aut Collegia pertinent, niſi à Noſtris monitus per tridui ſpatium omnia integre reſtituerit, excommunicationis ſententiam incurret, à qua abſolvi, niſi à Sede Apoſtolica, & in mortis articulo, non poteſt. LEO X. Eremitis S. Auguſtini, ut in libro privilegiorum ejusdem Ordinis, fol. 46. pag. 2. Occupantes noſtra poſt triduum excommunicantur.

Monendi quidem facultas omnibus Superioribus, per ſe vel alios exercenda, communicatur; non tamen curetur, ut ſic moniti declarentur excommunicati inconſulto Præpoſito Generali. Qualis ſit uſus.

§. 6.

Bona feudalia Societati donari poſſunt. CÆLESTINVS V. Congrega- Facultas accipiendi bona

feudalia & emphyteotica.

gregationi Cæleſtinorum, ſub datis Aquilæ v. Kalendas Octobris anno primo, habeturque in manuſcriptis, fol. 21. pag. 1. Per conceſſionem autem LEONIS X. factam Societati Caritatis de Vrbe, anno MDXIX. v. Kalendas Februarii, quæ habetur in privilegiis impreſſis, fol. 135. pag. 2. bona feudalia & emphyteotica, etiam Eccleſiaſtica Societati noſtræ donari poſſunt, ſeu relinqui, modo ad ea onera teneatur, ad quæ donator ſeu teſtator occaſione hujusmodi bonorum tenebatur, & quæcumque alia, quæ ipſe donator ſeu teſtator etiam impoſuerit: & ſi ad certum numerum generationum aut nominationum, eadem bona conceſſa fuerant, Societas noſtra non perpetuo, ſed per viginti annos pro qualibet generatione ſeu nominatione hujusmodi bona tenere poterit. Per privilegium autem conceſſum Congregationi S. Georgii in Alga, de quo in impreſſis, fol. 115. pag. 1. licet inveſtituras livellorum, & feudorum, quas de jure tenemur recipere, non recipiamus, tamen propter hoc non fit devolutio ad dominum, nec incurritur in commiſſum.

Qualis uſus.

Facultas recipiendi bona feudalia erit penes Præpoſitum Generalem, recipiendi vero emphyteutica absque conditionibus gravantibus communicatur Provincialibus.

Facultas ſecum transferendi, & ædificia vendendi præter Eccleſias.

Poſſunt Noſtri cum de prioribus locis ſuis ad alia loca ſe transferunt, tam ædificia, ſeu omnem ædificiorum materiam locorum, quæ dimittunt (dedicatis Eccleſiis dumtaxat exceptis) quam libros, calices, & paramenta ſecum ad alia loca transferre: ac ædificia ipſa cum ſolo, & aliis ad eadem loca pertinentibus (præter eccleſias) vendere, ipſorum pretium in aliorum locorum, ad quæ Noſtri ſe transferunt, ædificationem, ſeu alias in eorum utilitatem convertere. Conceſſum eſt à CLEMENTE Minor. anno MCDXXXIX. ut in Monum. fol. 142. Conceſſ. 340. addita inhibitione ad Epiſcopos, ac alios Prælatos ac perſonas ſæculares, ne dicta loca ſeu bona occupare, accipere vel uſurpare, aut quoquo modo ſibi vendicare præſumant.

Vide verbo *Titulus*, & verbo *Privilegia* §. 9. & verbo *Simonia*. Et quoad validitatem renuntiationis & obligationis bonorum, quam Noſtri more Societatis facere ſolent. vide verbo *Concilium* §. 2.

BVLLA COENÆ.

§. 1.

Bullæ Cœnæ in Collegio unum publice habeatur exemplar.

ETSI à PIO V. injunctum fuerit, ut omnes Confeſſarii transſumptum Bullæ Cœnæ per eum decretæ apud ſe haberent, noſtri tamen ejusdem Ponti-

Pontificis conceſſione ab hoc fuerunt exempti: declaravitque ſatis fore, ſi in ſingulis Collegiis vel Domibus unicum haberetur, quod in eo loco affigeretur, in quo omnes Confeſſarii legere illud poſſent, habetur in Vivæ vocis orac. fol. 42. in fin. & ſeq.

§. 2.

Quod nullæ Societatis facultates cenſeantur revocatæ per Bullam Cœnæ Domini, conceſſit GREGORIVS XIII. die 18. Martii MDLXXXIV. prout in Vivæ vocis orac. pag. 133. Per Bullam Cœnæ noſtræ facultates non revocantur.

BVLLA CRVCIATÆ.

Vide verbo *Abſolutio.* §. *11.*

CALIX.

An noſtri laici poſſint tangere calices, vide verbo *Sacra* §. *1.*

CANONICA PORTIO.

Vide verbo *Exemptio.* §. *P.*

CASVS RESERVATI.

A quibus reſervatis Noſtri poſſint abſolvere, ſeu abſolvi, vide verbo *Abſolutio.*

CAVSSA.

PEr privilegium Abbati & Conventui Monaſterii S. Pauli extra muros Vrbis, Ordinis S. Benedicti conceſſum, quamdiu in Regulari obſervantia permanſerimus, in omnibus noſtris cauſſis cum quibusvis perſonis, & ante quoslibet Iudices, ſummarie & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta procedi debere. NICOLAVS V. confirmans litteras EVGENII datas Romæ apud S. Petrum ann. MCDXLVII. III. Kal. Mart. Pontificatus ſui anno 1. & habetur in regiſtro, lib. 2. de Regul. fol. 150. referturque in manuſcript. fol. 40. pag. 1. & melius ac ad longum, fol. 73. pag. 2. Idemque habetur inter privilegia Montis Oliveti, ut in impreſſis, fol. 47. & ſeq. In noſtris cauſis ſummarie procedendum.

CENSVRÆ.

An noſtri à cenſuris abſolvant, & an abſoluti aliquo caſu reincidant, vide verbo *Abſolutio.*

CENSVS.

Vide verbo *Alienatio. §.3.*

CESSATIO A DIVINIS.

Vide verbo *Interdictum.* § *4.5.6. & 7.*

COLLECTÆ.

Vide verbo *Exemptio.* §.*4.*

COLLEGIA.

§. 1.

Collegia Societatis poſſunt habere reditus. PAVLVS III. pag. 14. & IVLIVS III. pag. 66.

§. 2.

Collegiorum gubernatio eſt penes Generalem.

Omnimoda Collegiorum gubernatio eſt penes Præpoſitum Generalem. PIVS V. pag. 107. Collegia poſſe recipi, & ſimul atque conſtructa & dotata fuerint auctoritate Apoſtolica erecta cenſeri; habetur verbo *Bona.* 1. & 2.

COMMVNICATIO gratiarum, & piorum operum.

§. 1.

Quas gratias communicent Præpoſiti inferiores.

PRÆPOSITI inferiores poſſunt de licentia Præpoſiti Generalis communicare quibusvis de Societate gratias ſibi communicatas per Præpoſitum Generalem, vel Provincialem. IVLIVS III. pag. 77. juncta communicatione GREGORII XIII. de qua inferius §. 5.

§. 2.

Omnia privilegia, &c. conceduntur Præpoſito, & omnibus Societatis æque principaliter.

Omnia privilegia, etiam ſpeciali nota digna, immunitates, exemptiones, facultates, conceſſiones, indulta, indulgentiæ, peccatorum remiſſiones, gratiæ tam ſpirituales quam temporales, litteræque Apoſtolicæ, etiam juſtitiam ſive mixtim concernentia, etiam per modum extenſionis, aut communicationis, aut alias conceſſa, ſeu concedenda quibusvis Ordinibus Fratrum & Sororum Mendicantium, illorumque Congregationibus, Conventibus, & Capitulis, ac utriusque ſexus perſonis, ac illorum Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, Hoſpitalibus, & aliis piis locis, conceduntur Præpoſito, ac omnibus Societatis perſonis, Domibus ac Collegiis, non ſolum

ſolum ad illorum inſtar, ſed pariformiter, & æque principaliter. PIVS V. pag. 119. & ſeq.

§. 3.

Per privilegium conceſſum Minoribus per CLEMENTEM VII. de quo in Compen. eorumdem impreſſo, in octava forma in fine, Noſtri, Eccleſiæ, ac loca noſtra gaudent omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus, indultis, indulgentiis, peccatorum remiſſionibus, & gratiis, quibusvis Congregationibus Ordinum Mendicantium quomodolibet conceſſis & concedendis. Gaudent præterea quibusvis facultatibus & gratiis noſtræ profeſſioni regularis obſervantiæ non contrariis, aliis Ordinibus quibuscumque non Mendicantibus, quomodolibet conceſſis & concedendis, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi nobis conceſſa ſpecialiter fuiſſent. Pariter per facultatem Prædicatorum, Nos, Domus noſtræ, Eccleſiæ, & alia loca, poſſumus frui omnibus privilegiis Mendicantium, & aliorum quorumcumque Ordinum, Congregationum & Confraternitatum, Fratribus & perſonis, Eccleſiis & Monaſteriis, Domibus & Oratoriis, & aliis piis locis per IVLIVM III. ſuosque Prædeceſſores conceſſis. Conceſſit IVLIVS III. Ordini Prædicatorum, ut in eorum lib. fol. 209. pag. 2. & ſeq.

Noſtri, Eccleſiæ, &c. gaudent omnibus & ſingulis privilegiis Mendicantibus conceſſis, & concedendis. Gaudent iisdem dummodo Profeſſioni noſtræ non repugnent, & aliis Ordinibus conceſſis & concedendis.

§. 4.

Vt gratiis & privilegiis, de quibus in duobus proxime præcedentibus §§. mentio fit, uti poſſimus, opus eſt, ne Inſtituto Societatis, & voluntati ac beneplacito Præpoſiti Generalis, ſeu deputatarum perſonarum refragentur, ut patet ex litteris PII V. pag. 121.

Quomodo ſupradictis utendum.

§. 5.

Omnia aliorum privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, conceſſiones, indulta, indulgentiæ, remisſiones, gratiæ & litteræ, Societati conceſſa, de quibus in præcedentibus paragraphis mentio fit, necnon & quæ ipſi Societati nominatim, vel ejus Præpoſito, aut perſonis ſeu locis hactenus conceſſa ſunt, ſeu in poſterum concedentur; Præpoſito Generali conceſſa intelliguntur, qui illa per ſe ipſum, vel alium, ſeu alios, ab eo vel de ejus commisſione electos, ſeu eligendos, quibuscumque perſonis de Societate, ſub ejusdem Obedientia degentibus, & quæ in ea tria vota conſueta, etiam ſimplicia emiſerint, communicare libere poterit. Nec aliter ceteræ perſonæ Societatis prædictis privilegiis, facultatibus & aliis præmisſis

Omnia privilegia, &c. Generali conceſſa intelliguntur; & ceteris de ejus licentia.

uti

uti aut gaudere poſſunt: illorumque uſus juxta Societatis Inſtitutum, Conſtitutiones, & morem eſſe debet. GREGORIVS XIII. pag. 143. & 144. qui poſtea vivæ vocis oraculo conceſſit, ut prædicta communicatio Novitiis etiam fieri poſſit, ut habetur in Vivæ vocis oraculis. pag. 126.

Conceditur etiam Novitiis.

Hanc communicationem poterunt concedere Superiores Novitiis, ſicut & ceteris.

§. 6.

Communicatio privilegiorum extenditur etiam ad vivæ vocis oracula.

Communicatio privilegiorum, quam Societas habet cum aliis Mendicantibus, ad ea etiam extenditur, quæ vivæ vocis oraculo ab eis impetrata, aut eis in genere donata ſunt: & quidquid alicui eorum hoc modo, aut quovis alio hactenus conceſſum eſt, aut in poſterum concedetur, id omne Motu proprio, & ex certa ſcientia Noſtris conceſſum etiam cenſendum eſt. IVLIVS II. Auguſtinianis, ut habetur in Suppl. Minor. fol. 95. conceſſ. 309.

§. 7.

Omnium bonorum ſpiritualium Religionum particeps eſt Societas.

Omnium jejuniorum, ac aliorum quorumcumque ſpiritualium bonorum, & piorum operum, quæ in omnibus Religionibus, ac ubicumque in toto orbe pro tempore fiunt, participes ſunt perſonæ Societatis. Conceſſum eſt ante IVLIVM III. Confraternitati Caritatis de Vrbe, & Hoſpitali ſancti Spiritus in Saxia, ut in privilegiis impreſſis fol. 135. & 140. p. 1.

Qualis uſus facultatum hoc verbo relatarum.

Sciant Noſtri per facultates hoc verbo relatas non poſſe eos, aut loca ulla Societatis, uti quocumque aliorum privilegio, exceptis iis quæ hoc Compendio continentur, ac juxta modum, quo in eo communicantur: quod ſi in aliquo particulari caſu aliquo alio privilegio uti oporteat, ſervetur modus in hujus Compendii præfatione præſcriptus.

Vide verbo *Gratiarum uſus*, & verbo *Generalis. §. 7.*

COMMVTATIO.

§. 1.

Facultas commutandi omnia vota, exceptis ultramarinis, &c. Etiam jurata.

Confeſſarii Societatis poſſunt commutare omnia vota, exceptis ultramarinis, & Petri & Pauli de Vrbe, S. Iacobi in Compoſtella, Caſtitatis, & Religionis. PAVLVS III. pag. 16. quam facultatem cum eadem exceptione extendit GREGORIVS XIII. ad vota jurata, dummodo commutatio non fiat in præjudicium tertii. habetur pag. 147.

Communicatur omnibus Confeſſariis.

Communicatur hæc facultas omnibus Confeſſariis approbatis, eodem modo tamen quo facultas abſolvendi, quæ habetur ſupra verbo Abſolutio. §. 1.

§. 2. Ii,

§. 2.

Ii, ad quos pertinet officium admittendi eos qui ingredi volunt Societatem, poſſunt commutare votum ſimplex ingrediendi aliam Religionem, etiam determinatam, in vota conſueta Societatis, quando is, cui facienda eſt commutatio, devotionem ad id ſentiret, vel Societas, aut qui ipſum admittit, vocationem ejus eſſe potius ad Societatem noſtram, quam ad aliam Religionem exiſtimaret. Conceſſum eſt hoc à ſummo Pœnitentiario, habente ad id facultatem, ut eſt in Vivæ vocis oraculis, pag. 13.

Facultas commutandi votum ſimplex alterius Religionis.

§. 3.

Omnes Præpoſiti Domorum, ac Rectores, ſeu Viſitatores Societatis, ſine prædict. limitatione de qua in §. præcedenti, poſſunt diſpenſare cum ingredientibus in Societatem in voto Religionis, etiamſi arctiorem Religionem ingredi voviſſent: ſi quis tamen à Societate ante profeſſionem receſſerit, diſpenſatio nulla erit. Conceſſit hoc EVGENIVS IV. Congregationi S. Iuſtinæ, ut habetur in privilegiis Dominicanorum fol. 252. Per Privilegium vero ejusdem EVGENII IV. conceſſum Congregationi S. Georgii in Alga, de quo in impresſis fol. 113. poſſunt recipi in Societatem quicumque aliquam Religionem intrandi, & ibi permanendi ex quavis cauſſa votum fecerint.

Facultas diſpenſandi in voto ſimplici Religionem ingrediendi, etiam arctiorem.

Hac facultate ſoli, & magna cum conſideratione utentur Provinciales, niſi ipſi eam in caſu aliquo alicui communicarent: & cum uſi fuerint, admoneant Præpoſitum Generalem.

Solis Provincialibus communicatur.

§. 4.

Per facultates conceſſas Prælatis Ordinis Minorum poſſunt omnes noſtri Præpoſiti ac Rectores commutare ex uno uſu ad alium neceſſarium legata, quæ relinquuntur noſtris Collegiis aut Domibus, dummodo id fiat ſine ſcandalo eorum, ad quos ſolutio talium legatorum pertinet. SIXTVS IV. in Supplem. Min fol. 95. conceſſ. 317. referturque in eorum Comp. verb. *Commutare* §. 1. quam concesſionem ampliavit LEO X. in rebus donatis per viventes, ſi tamen, ut dictum eſt, non ſequatur ſcandalum prædictorum: habetur in dicto Supplem. fol. 93. pag. 2. conceſſ. 293. & refertur in Comp. ubi ſupra: §. 2.

Facultas communicandi legata, &c. Generali reſervata.

Hanc commutationem poterunt concedere Superiores Novitiis, ſicut & cæteris.

De commutatione ultimæ voluntatis in alienationibus, vide verbo *Alienatio.* §. ult.

CONCILIVM TRIDENTINVM.

§. 1.

Declarationes Concilii Tridentini circa res & Inſtitutum Societatis.

QVotieſcumque à Societate, vel à Præpoſito Generali dubia aliqua circa Concilium Tridentinum proponuntur, quæ Inſtitutum vel res Societatis concernant, mens PII V. fuit, ut Cardinales ad declarationem ejusdem Concilii deputati poſtquam ea declaraverint & determinaverint, reddant publicum teſtimonium declarationis & determinationis factæ: habetur in Vivæ vocis oraculo. fol. 44.

§. 2.

Non obſtante definitione per Concil. Trident. remanet integrum Inſtitutum quoad renuntiationem, &c.

Declaravit PIVS V. non obſtare definitionem Concilii Trident. ſeſſ. 25. cap. 16. de Regul. quin licitum ſit Societati, perinde atque ante dictam Synodum licebat, facere quæcumque ad ejus Inſtitutum pertinent, quoad renuntiationem, obligationem, profeſſionemque faciendam finito tempore Novitiatus. ita declaravit PIVS V. ut in Vivæ vocis orac. fol. 47. & ſeq. juncto fol. 50. in fine. cum ſeq.

§. 3.

In foro conſcientiæ uti poſſumus omnibus gratiis, etiam derogatis per Concilium.

Poſſumus uti in foro conſcientiæ omnibus gratiis per anteceſſores PII V. Minoribus conceſſis, etiam quoad illas ex eis, quæ ſunt reſtrictæ ſeu derogatæ per Concilium Trident. prout eisdem conceſſit idem PIVS V. Vivæ vocis orac. die XIII. Martii, an. MDLXVI. & refertur in manuſcript. fol. 79. pag. 2.

Intelligentia hujus paragraphi.

Quæ hoc §. dicuntur, intelligantur de privilegiis hoc Compendio contentis, ut dicitur verbo Communicatio, *in fine, & de occultis ſeu non manifeſtis. Nam pro hujusmodi tantum fieri ſolent ſimiles conceſſiones vivæ vocis oraculo.*

CONFESSARIVS.

§. 1.

Noſtris omnes confiteri poſſunt.

OMnes Chriſti fideles poſſunt confiteri Noſtris, licentia ſuorum Rectorum minime requiſita. PAVLVS III. pag. 48.

Communicatur omnibus Confeſſariis.

Hæc facultas communicatur omnibus Confeſſariis, de quibus ſupra verbo Abſolutio. §. 1.

§. 2. Con-

§. 2.

Confeſſarii noſtri ac Prædicatores ab aliquo Ordinario ſemel approbati, & à ſuis Superioribus ad hujusmodi munera deputati, quandocumque, ſive mari, ſive terra iter faciunt, poſſunt, non repugnantibus tamen Curatis Parochialium Eccleſiarum, verbum Dei prædicare, & quorumcumque Chriſti fidelium confeſſiones audire, dummodo id non faciant in oppidis, aut locis, in quibus Ordinarii exiſtunt, niſi eorum licentia deſuper obtenta. GREGORIVS XIII. pag. 146. & ſeq.

Noſtri concionari, & confeſſiones ubique audire poſſunt non repugnantibus curatis, &c.

Qui è noſtris mittentur fructificaturi in aliqua diœceſi, & ſi in itinere poterunt, ſicut & reliqui Societatis operarii, uti hac facultate, etiam intra eandem diœceſim, ad quam deſtinati ſunt, per eam tamen excurrere non debent, antequam recta ad Epiſcopum, vel eo abſente ad ejus Vicarium, tendant, illi ſe offerant, & facultatem fructificandi obtineant: quod ſi longe abſint, petant per litteras.

Ad miſſiones miſſi per diœceſim excurrere non poſſunt.

§. 3.

Poſſunt noſtri Sacerdotes deſignati per Præpoſitum Generalem, aut de ejus licentia per alios Superiores Societatis, & à locorum Ordinariis approbati, vel approbandi, etiamſi nullo gradu ſint inſigniti, aperire litteras ſacræ Pœnitentiariæ, deſtinatas Magiſtris in Theologia, vel in jure Canonico Doctoribus: & auditis confeſſionibus recurrentium ad ipſos, impoſitâ illis pœnitentia in litteris expreſſa, vel de jure infligenda, eos abſolvere, ac in foro conſcientiæ quascumque ſibi verbo vel ſcripto commiſſas abſolutiones, diſpenſationes, & pœnitentiarum injunctiones excipere, & exequi. GREGORIVS XIII. pag. 198.

Facultas aperiendi litteras Pœnitentiariæ.

Ad hanc facultatem aperiendi dictas litteras deſignantur omnes Superiores, alias approbati juxta hanc conceſſionem, & omnes alii Confeſſarii, quos ipſi ad id deputaverint.

Conceditur Superioribus.

§. 4.

Quilibet de Societate debet confiteri Præpoſito, vel ab eo ſecundum Ordinationes Societatis deſignato Confeſſario, niſi ſuper hoc à dicto Præpoſito alium Confeſſarium eligendi habuerit facultatem. PAVLVS III. pag. 41.

Noſtri Superiori, aut per eum deſignato confiteri debent.

§. 5.

Fratres, quibus per litteras INNOCENTII IV. conceſſa eſt facultas, ut confesſiones generaliter audiant, non poſſunt Noſtrorum confesſiones audire.

Fratres noſtrorum confeſſiones audire non poſſunt.

audire. Conceſſit INNOCENTIVS IV. Ordini Prædicatorum, ut habetur in Monum. Min. fol. 72. & in eorundem Supplem. fol. 115. ad princ.

§. 6.

Relaxatio juramenti.

Confeſſarii noſtri quælibet juramenta, ſine præjudicio tertii, relaxare poſſunt Noſtris. CLEMENS VII. Confraternitati hoſpitalis imaginis Salvatoris S. Ioannis Later. ut in privilegiis impreſſis fol. 132. pag 2.

Communicatur etiam Superioribus.

Hæc facultas communicatur Superioribus & aliis Confeſſariis, quibus ipſi judicaverint communicandam.

§. 7.

Quas indulgentias Noſtri poſſunt concedere.

Indulgentias, quas noſtri Confeſſarii nonnumquam poſſunt concedere, & quibus, vide verbo *Indulgentiæ.* §. 9. 15. & 25. Item qualiter ſint nullæ confeſſiones Noſtrorum factæ aliis quam deputatis Confeſſariis, vide ſupra verbo *Abſolutio.* §. 11. vide etiam verbo *Diſpenſatio.* §. 6.

CONFESSIONALE.

Impetrans confeſſionale, qua pœna plectendus.

QVicumque Noſtrorum Confeſſionale aliquod absque expreſſa licentia impetrare præſumit, eo ipſo impetratis caret, ac per decennium præeminentia Societatis, ſi quam habet, ipſo facto privatur: nec ſuper privatione hujusmodi ab alio ullo quam à Romano Pontifice diſpenſari poteſt. CLEMENS VII. Congregationi S. Georgii in Alga, ut in privilegiis impreſſis fol. 116. Vide verbo *Abſolutio.* §. 11.

CONFIRMATIO.

GREGORIVS XIII. Societatis Inſtitutum, (de quo latius pag. 222. & ſeq. Conſtitutiones & privilegia confirmavit pag. 214. & 220. GREGORII XIV. pag. 279, PAVLVS V. pag. 305.

Vide etiam quæ notantur infra verbo *Privilegia.* §. 11. & verbo *Conſtitutiones.*

CONGREGATIONES SOCIETATIS.

§. 1.

PRimariæ quædam electiones in Congregatione fiunt. GREGORIVS XIV. in ſua Conſtit. pag. 278.

§. 2.

In Congregationibus procedatur juxta Conſtitutiones & decreta, idem pag. 280.

CON-

CONSERVATOR.

§. 1.

SOCIETAS, & ſingulæ ejus perſonæ, & familiares Clerici, tam in cauſis civilibus quam criminalibus & mixtis, ſive actores ſint, ſive rei, omnes & ſingulos Archiepiſcopos, Epiſcopos & Abbates, necnon alias perſonas in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutas, Canonicos Metropolitanarum Eccleſiarum, vel Cathedralium, & Vicarios Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in ſpiritualibus eorumque Officiales generales, ubilibet conſtitutos, contra quaſcumque Communitates, & Collegia hujuſmodi in ſuos Conſervatores, & Iudices ordinarios aſſumere poſſunt. PIVS V. in Bulla per GREGORIVM XIII. edita pag. 127.

Facultas Conſervatores aſſumendi.

Circa id quod hoc §. *dicitur quoad familiares, advertatur admonitio, quæ ponitur verbo* Familiares.

Limitatio hujus paragraphi.

§. 2.

Conſervatores & Iudices ſic electi, etiamſi ſunt extra loca, in quibus deputati fuerint, habent poteſtatem, ut tam per ſe quam per alios Societatem defendant: nec permittant illam ſuper bonis, & privilegiis tam Apoſtolica, quam ordinaria, & alia rite Regia auctoritate conceſſis, aliiſque rebus ad ipſam pertinentibus, à quibuſcumque perſonis tam ſecularibus quam Eccleſiaſticis indebite moleſtari aut gravari. d. pag. 127. & ſeq.

Conſervatores etiam extra loca in quibus deputantur habent auctoritatem.

§. 3.

Conſervatores, & Iudices ſic electi, cum fuerint requiſiti ſuper noſtrorum bonorum reſtitutione, & privilegiorum obſervatione, necnon ſuper injuriarum & damnorum compenſatione, poſſunt appellatione poſtpoſita per cenſuras Eccleſiaſticas quoties opus fuerit usque ad auxilii brachii ſecularis invocationem procedere. In d. litteris. p. 128. & ſeq.

Conſervatores poſſunt procedere per cenſuras, etiam per auxilium brachii ſecularis.

§. 4.

Quando Iudicibus & Conſervatoribus hujuſmodi tutus non pateret acceſſus ad loca, in quibus morari contingeret eos, qui monendi, inhibendi, atque citandi ſunt; poſſunt hæc per edicta publica efficere, locis publicis ea affigendo, de quibus eſſet veriſimilis conjectura, quod ad ipſorum monitorum, citatorum, & inhibitorum notitiam valerent pervenire. ubi ſupra pag. 129.

Quando Conſervatoribus tutus non patet acceſſus, per edicta publica præſtare poſſunt ſuum officium.

§. 5.

Poſſunt variis pœnis coërcere rebelles.

Poſſunt præterea eisdem detentoribus, injuriatoribus, contradictoribus, & rebellibus inhibere ſub cenſuris, & pœnis, etiam pecuniariis, ſuo arbitrio moderandis, libereque ſuam jurisdictionem exercere: non obſtantibus, quibusvis inhibitionibus ſibi factis, etiam prætextu quarumvis litterarum conſervatoriarum, aut privilegiorum conceſſorum & concedendorum. In d. litteris pag. 130.

§. 6.

Poſſunt interdicere.

Poſſunt item Eccleſiaſtico ſubjicere interdicto loca, ad quæ prædictas perſonas declinare contigerit, & in quibus ſcienter ſtare permiſſæ fuerint. Ibidem.

§. 7.

Inchoata per alium perfici poſſunt.

Quilibet Conſervatorum & Iudicum præfatorum poteſt proſequi articulum per alium inchoatum, etiamſi idem inchoans nullo canonico impedimento præpeditus ſit. Iisdem litteris pag. 131.

§. 8.

Vt in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti nobis faveant.

Mandatur cuilibet in Eccleſiaſtica dignitate conſtituto, & Metropolitanæ vel alterius Cathedralis Eccleſiæ Canonico, quatenus à nobis, vel procuratoribus noſtris requiſiti, per ſe vel alios, privilegia noſtra conceſſa & concedenda, ſolemniter publicent, & efficacis defenſionis præſidio nobis aſſiſtentes, faciant pacifica poſſeſſione, ſeu quaſi eorumdem gaudere. Conceſſit SIXTUS IV. Minoribus, ut in eorum Monum. fol. 144. & ſeq. conceſſ. 354. juncta conceſſ. 356. Tenenturque præterea omnes perſonæ alias de jure capaces, pro parte Noſtrorum requiſitæ, niſi legitimo impedimento detentæ fuerint, jurisdictionem & conſervationem noſtram ſub excommunicationis pœna ſuſcipere. Habetur in d. Monum. fol. 116. conceſſ. 279.

Etiam alii de jure capaces ſub pœna excommunicationis.

§. 9.

Facultas eligendi Conſervatores contra Eccleſiaſticos.

Item per privilegium in amplisſima forma conceſſum Minimis per CLEMENTEM VII. ut in eorumdem privil. libello fol. 86. poſſumus eligere nobis Conſervatores contra quascumque perſonas Eccleſiaſticas tam Regulares quam ſeculares, nec non laicos, Communia civitatum & diœceſum.

§. 10.

Conſervatores volentes exe-

Ii quos in Conſervatores eligere poſſumus per Bullam PII V. conceſſam

ſam Ordini Prædicatorum XXIII. Septembr. an. MDLXXI. & impreſſam Romæ anno MDLXXII. excommunicationis, ſeu ſuſpenſionis latæ ſententiæ pœnam incurrunt, ſtatim quod munus ſive officium Conſervatoris hujuſmodi acceptare, ac debite & plenarie exequi neglexerint, & reſervatur abſolutio Summo Pontifici. qui, ipſo facto excommunicantur.

Privilegiis hujus verbi uti poterunt Provinciales, & alii ſubordinati Superiores de eorum licentia. Circa ſuperiora autem advertantur ea loca Concilii, quæ citantur infra verbo Exemptio §. *1. nec non & cap. 11. de Reform. ſeſſ. 24.* Provincialibus conceditur.

CONSTITVTIONES.

§. I.

PRÆPOSITVS cum Sociis in Congregatione Generali, accedente majori ſuffragiorum parte, quaſcumque particulares Conſtitutiones, quas ad finem in Societate propoſitum conformes eſſe judicaverint, condendi jus habent. PAVLVS III. pag. 6. juncta pag. 10. Itemque eas mutare, alterare, caſſare, & alias de novo condere poſſunt, quæ ſimul ac conditæ erunt, auctoritate Apoſtolica confirmatæ cenſentur. Idem PAVLVS pag. 22. Poſſunt iidem eodem modo, quæ dubia eſſe poterunt in Societatis Inſtituto declarare. IVLIVS III. pag. 62. Præpoſitus cum Generali Congregatione condendi jus habet quaſcumque Conſtitutiones, etiam mutandi, declarandi.

§. 2.

In aliis, quæ non ſunt ita magni momenti, Præpoſitus Generalis, fratrum conſilio, quatenus ipſe opportunum judicaverit, adjutus, quæ ad Dei gloriam, & commune bonum pertinere videbuntur, per ſeipſum ordinandi, & jubendi jus totum habet. IVLIVS III. pag. 64. & 65. Poteſt Generalis alia non ita magni momenti ex conſilio AA. ordinare.

Circa declarationem Conſtitutionum, Vide infra verbo *Generalis* §. 5. & 6. & circa confirmationem, verbo *Confirmatio*; & circa earum aut inſtituti impugnationem, aut interpretationem verbo *Inſtitutum* §. 1. & 2. De declaratione Inſtituti, vide infra.

CONTRACTVS.

§. I.

SOCIETATIS contractus non capitulariter, ſed more ipſius Societatis, ac juxta illius Conſtitutiones & Decreta, per Præpoſitum Generalem, vel ipſam Societatem, eſſe celebrandos, conceſſit PIVS V. confirmans circa hoc eaſdem Conſtitutiones, & Decreta. p. 107. juncta p. 108. Contractus celebrandi Societatis conſuetudo.

§. 2 Ha-

§. 2.

Omnes habentur rati eorumque ſuppleti defectus.

Habentur rati omnes contractus Societatis, celebrati usque ad diem 12. Maij Anno Domini 1568. quibus ſolemnitates, & ceremoniæ de jure obſervandæ, bona fide fuerunt omiſſæ. PIVS V. in vivæ voc. orac. fol. 53. in fine, & ſequenti.

Vide verb. *Alienatio* §. 2. & ſeq. & verbo *Generalis* §. 4. & verbo *Titulus.*

CORPORALIA.

Tactus & benedictio corporalium.

AN noſtri laici poſſint tangere ac lavare corporalia, Vide verbo *Sacra.* §. 1. Vide etiam, quæ circa eorum benedictionem habentur, verbo *Benedicere.* §. 2. & 3.

CORRECTIO.

§. 1.

Forma in correctionibus tenenda.

IN infligendis correctionibus & punitionibus Noſtrorum delinquentium, Prælati Societatis, ad quos id noſcitur ſpectare, poſtpoſitis juris apicibus, libere procedere poſſunt, ſecundum conſuetudines approbatas, & generalia Inſtituta Societatis facta, aut facienda, obſervatis in hoc deliberatione ac maturitate debita. Conceſſit BONIFACIVS IX. Minoribus, ut in Monum. eorum fol. 202. pag. 2. conceſſ. 440.

Omnibus Superioribus.

Hæc facultas communicatur omnibus Superioribus.

§. 2.

Facultas excommunicandi noſtros, incarcerandi, &c.

Omnes Præpoſiti, per ſe vel alios quosvis, Societatis inſolentes, & qui id mereri videbuntur, poſſunt libere excommunicare, capere, incarcerare, & aliàs ſuæ diſciplinæ ſubmittere; & ad id, ſi opus fuerit, auxilium brachii ſecularis invocare. PAVLVS III. pag. 4.

Quibus Superioribus communicetur.

Communicatur omnibus Superioribus quoad alia ab excommunicatione, reſpectu cujus facultas ſit penes Provincialem, prout dictum eſt verbo Apoſtatæ. § 4.

An à correctione Regulæ liceat appellare. Vide ſupra verbo *Apellatio.*

DECIMÆ.

Vide verbo *Exemptio.* §. 4. 5. & ſeq.

DE-

DECLARATIO.

CIrca declarationem noſtrarum Conſtitutionum & privilegiorum ac noſtri inſtituti, Vide quæ dicuntur verbo *Generalis*. §. 5. & 6. Item vide quæ peculiariter circa privilegiorum declarationem habentur verbo *Privilegia*. §. 4. Pro declaratione autem dubiorum conſcientiæ, vide verbo *Scrupuli*. Declaratio privilegiorum & conſtitutionum.

DIGNITAS.

PRæpoſitus Generalis abſque Societatis conſenſu, vel aliquis ex Sociis hujuſmodi abſque Generalis Præpoſiti expreſſa licentia, electioni ſeu proviſioni de illius in quamcumque dignitatem per quemcumque Principem, vel quodcumque Capitulum, aut alios ad id auctoritatem habentes, factæ conſentire, aut ut ad illam admitti, ſeu alicujus prælationis & dignitatis in eadem Societate, ſi eam occulta aut manifeſta ambitione quæſiſſe convincetur, capax eſſe nullatenus poteſt. PAVLVS III. pag. 39. Omnibus, etiam Generali, interdicitur acceptatio cujuscumque dignitatis extra Societatem.

Ad ſacerdotium vel ad profeſſionem, ad cujusvis gradus mutationem nemini adſpirare licet, GREGORIVS XIV. conſt. pag. 284.

DISPENSATIO.

§. 1.

POteſt Præpoſitus Generalis, per ſe vel per alios ad id deputatos, diſpenſare cum iis omnibus, qui ſub Obedientia Societatis degunt, ſuper irregularitate, ſi quam incurrerint, eo quod excommunicati, aut ſuſpenſi, aut interdicti, aut in loco interdicto divina officia celebrarint, aut Ordines ſuſceperint, niſi exceſſus diſpenſandorum ſit adeo gravis, ut ad Sedem Apoſtolicam ſint remittendi juxta explicationem SIXTI IV. Sic tamen diſpenſari, niſi mox Ordinem intrare, & peractis experientiis ſecundum Societatis Conſtitutiones vota emittere parati ſint, etiamſi ſuper hoc induciæ eis à Prælatis Societatis concedantur, eo ipſo in priſtinas ſententias reincidant. PAVLVS III. pag. 40. & ſeq. Facultas diſpenſandi ſuper irregularitate.

Hac facultate uti poſſunt omnes Superiores. Communicatur omnibus Superioribus.

§. 2.

Præpoſitus Generalis, & de ejus licentia Provinciales, ac eorum Vicarii, & loca tenentes, poſſunt cum Religioſis Societatis defectum natalium quovis modo patientibus, & quavis ex cauſſa irregularibus, præterquam homicidii voluntarii, bigamiæ, & mutilationis membrorum, poſt- Facultas diſpenſandi ſuper defectus natalium irregularitate, non omni.

quam in Societatis Ordine vota emiſerint, diſpenſare, ut ad ſacros Ordines, ac eorum uſum; &, ut prædictum defectum natalium patientes ad quamvis adminiſtrationem Societatis eligi, recipi, & aſſumi, liciteque eam exercere poſſint. PAVLVS III. pag. 48. idemque ferme habetur in Monum. Minor. fol. 144. conceſſ. 352.

Conceditur Provincialibus.

Hæc facultas conceditur Provincialibus. Siquis vero poſt ingreſſum in Societatem inciderit in irregularitatem, quæ dicitur ex defectu lenitatis, conceditur etiam reliquis Superioribus, & Confeſſariis facultas cum eo diſpenſandi.

§. 3.

Facultas diſpenſandi cum noſtris ſuper irregularitate homicidii cum limitat.

Poſſunt Præpoſitus Generalis ac Provinciales diſpenſare cum Noſtris ſibi ſubditis in irregularitate homicidii: dummodo tales homicidæ non ſint certi, quod ipſi actualiter occiderunt, nec pro certo ſciant, quod fuerunt tales mandatores vel auxiliatores homicidii, quod ſine illis nullo modo fuiſſet tale homicidium perpetratum. Conceſſit hoc SIXTVS IV. Ordini Min. ut in eorum Monum. fol. 66. conceſſ. 102.

Hæc facultas reſervatur Præpoſito Generali.

§. 4.

Facultas diſpenſandi in omnibus cum noſtris in foro conſcientiæ.

Poteſt Præpoſitus Generalis, & alii quinquaginta ex Præpoſitis Domorum ac Rectoribus, ab eo pro tempore nominandi, cum Noſtris diſpenſare in omnibus caſibus, nullo excepto, in foro conſcientiæ tantum. Diſpenſatio autem in homicidio voluntario citra altaris miniſterium conceditur. SIXTVS IV. Carthuſienſibus ſub Datis Romæ apud S. Petrum Anno Domini 1481. xvij. Kal. Aprilis Pontificatus ſui anno II. & habetur in Manuſcript. fol. 48.

Quibus Superioribus concedatur.

Hæc facultas communicatur Provincialibus. Sed in irregularitate ex bigamia, & ex homicidio voluntario procedente, ſoli Præpoſito Generali reſervatur.

§. 5.

Facultas diſpenſandi cum noſtris ſuper omni irregularitate etiam in caſibus Papæ reſervatis.

Poteſt Præpoſitus Generalis in foro conſcientiæ diſpenſare cum perſonis noſtræ Societatis ſuper omni irregularitate etiam in illis caſibus, in quibus Papa ſibi vicem reſervat, ſcilicet in morte, in membrorum obtruncatione, & enormi ſanguinis effuſione; dum tamen aliquid eorum trium notorium non ſit, & hoc propter ſcandalum. Conceſſit MARTINVS V.

Priori-

Prioribus S. Benedicti Vallis Oleti, ubi habetur originale, & refertur in Comp. Min. verb. *Diſpenſatio. §.* 14.

§. 6.

Per Privilegium Monachorum S. Hieronymi in Hiſpania, quilibet Noſtrorum poteſt ſemel in vita diſpenſari in foro conſcientiæ à Confeſſario per Superiorem deputato ſuper irregularitate, quacumque occaſione contracta. Conceſſit SIXTUS IV. ut in libro Privilegiorum dicti Ordinis, titulo 12. fol. 36. & refertur in Manuſcriptis fol. 59. pag. 2.

Quilibet ex Noſtris poteſt ſemel in vita diſpenſari à Confeſſario deputato ſuper irregularitate qualicumque.

Hæc facultas communicatur omnibus Superioribus, & aliis Confeſſariis, quibus ipſi eam commiſerint, præterquam in irregularitate ex bigamia, & aliis tribus caſibus in ſuperiori §. contentis, qui Præpoſito Generali reſervantur.

Communicatur omnibus Superioribus.

Facultatum, quæ proxime præcedentibus quatuor §§. continentur, uſus eſſe non poteſt, in quibus eæ Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 7. repugnant; niſi in foro conſcientiæ tantum, in quo licet illis uti juxta ea, quæ habentur Verbo Concilium Tridentinum §. 3.

Vſus facultatum dictarum.

§. 7.

Poteſt Præpoſitus Generalis, per ſe vel per alios Profeſſos quos elegerit, diſpenſare cum noſtris circa jejunia & cibos prohibitos. IVLIVS III. pag. 73. Per extenſionem tamen GREGORII XIII. de qua verbo *Communicatio gratiarum.* §. 4. id facere poteſt per quemlibet alium Societatis. Per conceſſionem autem EVGENII IV. factam Monachis S. Hieronymi, ut refertur in Comp. Min. Verb. *Iejunium.* §. 7. Præpoſiti Domorum ac Rectores poſſunt dare licentiam de conſilio Medici, vel ſine eo, ſi commode non poſſit haberi, ut noſtri familiares Domorum aut Collegiorum infirmi, ſeu debiles, poſſint comedere carnes, & ova, ſeu alia ſanis interdicta in Quadrageſima, & aliis jejuniis Eccleſiaſticis ſine licentia Diœceſani; vel quod non teneantur jejunare in prædictis temporibus etiam ſine conſilio Medici.

Facultas diſpenſandi circa jejunia, & cibos prohibitos cum noſtris.

Etiam cum noſtris familiaribus.

Hæc facultas, quoad gratiam à IVLIO III. *factam communicatur omnibus Superioribus, & iis quibus ipſi commiſerint. Facultas vero* EVGENII *ſolis Superioribus.*

Quibus communicetur.

§. 8.

Poſſunt noſtri Confeſſarii, ſi ſint viri docti, & juxta formam Concilii Trid. approbati, ex commiſſione Provincialis diſpenſare in foro conſcientiæ

Facultas diſpenſandi ad petendum debi-

tum cum conſanguineis.

ſcientiæ ad petendum debitum cum iis, qui conſanguineum vel conſanguineam ſui conjugis poſt Matrimonium carnaliter cognoverunt. PIVS V. Franciſcanis de obſervantia 27. Septembris anno 1569. ut in Manuſcript. fol. 79.

Conceditur Provincialibus.

Facultas hæc conceditur Provincialibus, & aliis Confeſſariis, quibus ipſi per ſe, vel per alios eam commiſerint, admonito pœnitente, ut ſi conjugi ſit ſuperſtes, iterum ne contrahat absque diſpenſatione impedimenti inceſtus impedientis, ſi eo loco voluerit contrahere, ubi illud non fuerit conſuetudine legitime abrogatum.

§. 9.

Facultas diſpenſandi ad petendum debitum cum ligatis voto ſimplici caſtitatis.

Poſſunt noſtri Confeſſarii, ſi ſint viri docti, & juxta formam Concil. Trid. approbati, ex commiſſione Provincialis diſpenſare ad petendum debitum cum his, qui poſt votum ſimplex Caſtitatis matrimonium contraxerunt. Conceſſit PIVS V. Franciſcanis 26. Octobris anno 1569. ut in Manuſcript. fol. 79.

Communicatur Provincialibus.

Communicatur iis, quibus & præcedens gratia fuit communicata, admonito pœnitente, ut ſi conjugi ſupervivat, votum ſervet.

§. 10.

Facultas diſpenſandi in votis, etiam Epiſcopo reſervatis.

Per facultatem Benedictinis conceſſam à MARTINO V. poſſunt noſtri Confeſſores deputati diſpenſare in votis, etiam Epiſcopo reſervatis habetur in manuſcript. fol. 39. pag. 2. & in Compendiolo Benedictinorum Vallis Oleti pag. 45 & ſeq.

Communicatur omnibus Superioribus.

Hæc facultas communicatur omnibus Superioribus, & aliis Confeſſariis, quibus ipſi eam commiſerint.

Vide plura de diſpenſatione.

Vide quæ habentur verbo *Commutatio.* §. 2. Et qualiter noſtri Superiores poſſint per ſe ipſos diſpenſare cum noſtris ſibi ſubditis in omnibus irregularitatibus, & aliis, perinde ac poſſunt Epiſcopi cum Clericis & laicis ſibi ſubjectis, etiam vigore Concilii Trid. Vide juxta ea, quæ habentur infra verbo *Prælati.* §. 3. Vide item quod peculiariter dicitur circa Vltramontanos quoad relapſum in hæreſim, vel apoſtaſiam verbo *Abſolutio.* §. 8. Et quod contentis hoc verbo non obſtet Concilium Trident. in foro conſcientiæ, Vide verbo *Concilium.* §. 3.

DO-

DOMVS.

§. 1.

QVOMODO Domos ubique poſſit habere Societas; & eo ipſo quod ſunt conſtructæ, vel donatæ, cenſentur erectæ & confirmatæ Apoſtolica auctoritate, Vide verbo *Bona.* §. 1.

Facultas ubique habendi domos, &c.

§. 2.

Domus probationis Societatis poſſunt habere reditus. PIVS IV. 19. Auguſti. 1561. confirmavit pag. 89. & GREGORIVS XIII. in ſua Conſtitutione VIII. Kal. Iulii. 1584. pag. 224. adjuncta pag. 229.

Domus probationis habere poſſunt reditus.

DONATIONES.

Vtrum donationes piæ commutari poſſint, ex uno uſu in alium, Vide verbo *Commutatio*, §. 3. & alia circa donationes, Vide verbo *Bona*. §. 1. 4. & 6.

DVBIA.

Vide quæ dicuntur ſupra verbo *Declaratio*.

ECCLESIA.

§. 1.

POSSVNT noſtri facere benedici aut conſecrari Eccleſias Societatis cum Cœmeteriis, & primum lapidem poni per quoſcumque Epiſcopos, ſi Diœceſani ultra quatuor menſes id facere diſtulerint. PAVLVS III. pag. 47. Idem quoad altaria conſecranda conceſſit HONORIVS Minoribus, ut in eorum Mon. fol. 101. conceſſ. 212.

Facultas benedicendi, & conſecrandi Eccleſias, & Cœmeteria.

§. 2.

Poſſunt omnes Præpoſiti, ac Rectores, etiam aqua per eos benedicta, præſertim in locis remotis, ubi Epiſcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non poſſunt, libere & licite, reconciliare noſtras Eccleſias, Cœmeteria, & Oratoria, & eorum quodlibet, ſanguinis ſeu ſeminis effuſione, ſeu alias quomodolibet pollutas, ſeu polluta, quoties opus fuerit. Conceſſit LEO X. præfatis Minoribus, ut habetur in eorum Supplem. fol. 16. pag. 2. & refertur in eorumdem Compend. verbo *Benedicere.* §. 14.

Facultas & qualis reconciliandi Eccleſias.

Hæc facultas omnibus Superioribus communicatur.

Communicatur omnibus Superioribus.

§. 3.

Poſſunt omnes Præpoſiti ac Rectores, in ſuis eccleſiis & capellis exhumare corpora defunctorum, & ad alias ſepulturas in eiſdem eccleſiis ſuis

Facultas corpora exhumandi.

ſuis transferre de conſenſu illorum, quorum intereſt. Conceſſit LEO X. Minoribus, ut in eorum Supplemen. fol. 58. pag. 2. conceſſ. 162. adjuncto fol. 60. pag. prima ante finem.

Vſus ſit privatus.

Hujus facultatis uſus ſit privatus tantum non ſolemnis vel publicus.

§. 4.

Facultas transferendi & mutandi Eccleſias.

Adveniente caſu neceſſitatis, poſſunt eccleſiæ noſtræ transferri & mutari de uno loco ad alium; & locus prioris Eccleſiæ reduci ad uſus humanos ſecundum commoditatem dictorum locorum, & Collegiorum, ſeu Domorum, modo tamen materia ædificiorum ponatur in eccleſia alia. Conceſſit LEO X. Vivæ vocis orac. Minor. ut habetur in eorum Supplem. fol. 92. pag. 2. conceſſ. 277.

Communicatur Provincialibus.

Hæc facultas communicatur omnibus Provincialibus: eâ tamen non utantur, niſi raro, & erecta cruce.

§. 5.

Noſtras Eccleſias aut loca infringentes excommunicantur ipſo facto.

Qui auſu temerario præſumpſerint Eccleſias, aut loca noſtra infringere, aut in illis violentiam damnabilem exercere, ipſo facto incurrunt excommunicationem, à qua abſolvi nequeunt, niſi per Sedem Apoſtolicam, vel per Conſervatores ab eadem Noſtris aut Societati deputatos. Conceſſum eſt Franciſcanis, ut in eorum Monum. fol. 105. conceſſ. 226. & Dominicanis, ut in eorum privilegiis. fol. 55. pag. 1.

Quas indulgentias conſequantur, qui noſtras Eccleſias, aut alia pia loca Societatis viſitant, Vide infra verbo *Indulgentiæ*. Vide etiam quod habetur verbo *Miſſa*. §. 2 & verbo *Immunitas*, & verbo *Benedicere*. §. 1.

ELEEMOSYNÆ.

Nobis eleemoſynas prohibere conantes quibus pœnis ſubjacent.

MANDATUR Ordinariis, eorumque Vicariis, ſeu Officialibus, & Curatis, ac aliis quibuscumque, qui ne Chriſti fideles nobis eleemoſynas erogare præſumant, ſuadere ac etiam ſub cenſuris inhibere, ac erogantes excommunicatos fore, prædicare, ſeu prædicari facere, ſeu pronunciare præſumunt, ut ab hujusmodi perſuaſionibus, inhibitionibus, & mandatis omnino abſtineant: perſuadentesque, & inhibentes, & huic mandato non curantes obtemperare, niſi pœnituerint, & perſuaſiones, & inhibitiones, ac prædicta revocaverint, intra triduum poſtquam fuerint requiſiti, eo ipſo Ordinarii incurrunt interdictum ingreſſus eccleſiæ, ac ſuſpenſionem à regimine, & adminiſtratione ſuarum eccleſiarum: inferiores vero ab eis, ſententiam

tentiam excommunicationis ipſo facto incurrunt. Conceſſit Sixtus IV. Minor. ut in eorum Monum. fol. 149. pag. 1. conceſſ. 363.

Facultas requirendi, de qua in hoc §. *communicatur Provincialibus, & iis, quibus ipſi commiſerint.* Communicatur Provincialibus.

Vide quod circa eleemoſynas habetur verbo *Commutatio.* §. 4.

EMPHITEVSIS.

AN Emphiteutica bona poſſint nobis donari, Vide verbo *Bona.* §. 6. An & quomodo poſſint bona Societatis dari in Emphiteuſim, Vide verbo *Alienatio.* §. 2.

EVCHARISTIA.

§. 1.

POTEST Societas in ſuis Eccleſiis decenter tamen, ſacroſanctam Euchariſtiam ſervare. PAVLVS III. pag. 49. Facultas Euchariſt. tenendi.

§. 2.

Omnes Chriſti fideles, quovis anni tempore, Rectorum Parochialium Eccleſiarum licentia minime requiſita, poſſunt à Noſtris ſacram Euchariſtiam accipere, præterquam in feſto Paſchæ Reſurrectionis Dominicæ, & in mortis articulo, niſi neceſſitas urgeat PAVLVS III. pag. 49. Omnibus licet quocumque tempore Euchar. ſumere à noſtris, Paſchate excepto.

Quamvis in Societatis Conſtitutionibus part 7. cap. 4. D. exponatur feſtum Paſchæ juxta communem conſuetudinem, intelligi eam hebdomadam, quæ ipſum diem Reſurrectionis præcedit, & ſimul eam, quæ ſubſequitur; excipi vero eos, quos jus ipſum excipit, nec non qui jam ſuis parochiis ſatisfecerint; per privilegia tamen Minorum reſtringi poteſt prædicta expoſitio ad ipſum diem Reſurrectionis: is enim ſolus dies exceptus eſt Minoribus de Obſervantia, per NICOLAVM V. *&* SIXTVM IV. *juxta id, quod in* §. *ſequenti dicitur: cujus quidem facultas, & hujus etiam* §. *communicatur omnibus Sacerdotibus, numquam tamen in alienis Eccleſiis ſine licentia eorum, ad quos pertinet, hoc Sacramentum miniſtrabunt.* Quomodo intelligatur dies Paſchatis.

§. 3.

Poſſunt Noſtri Sacerdotes miniſtrare Sacramentum Euchariſtiæ omni tempore, præterquam in die Reſurrectionis Domini, imo etiam dicto die licebit, ſed tunc non niſi accedente Rectoris Parochialis, aut Diœceſani licentia, ut conſtat ex Monum. Min. fol. 114. conceſſ. 149. & 150. juncto Supplem. fol. 58. conceſſ. 160. Etiam die Paſchatis de licentia Parochi.

§ 4. Pos-

§. 4.

Poteſt in noſtris Eccleſiis Sacramentum miniſtrari à noſtris, aliisque perſonis.

Communicatur Superioribus.

Poſſunt Noſtri, in noſtris eccleſiis miniſtrare, ac miniſtrari facere Sacramentum Euchariſtiæ quibuscumque perſonis, quoties opus fuerit. Conceſſit IVLIVS II. Minimis, ut habetur in Supplem. Minor. fol. 11. pag. 2. conceſſ. 143.

Communicatur Superioribus, & iis quibus ipſi commiſerint.

Vide quæ habentur infra verbo *Sacramenta*, & ſupra verbo *Altare.*

EXCOMMVNICATIO.

§. 1.

Quomodo excommunicatio proferenda.

Qui libet Superior uti poteſt.

SI Præpoſiti aut Rectores ſententiam excommunicationis in aliquem noſtræ Religionis in Congregatione vel Communitate ferre velint, non tenentur eam ſcripto proferre, non obſtante pœna juris. LEO X. Min. ut in eorum Supplem. fol. 93. pag. 2. conceſſ. 291.

Si in aliquo caſu opus eſſet hac facultate, quilibet Superior, qui excommunicare poteſt, ea uti poterit.

§. 2.

In abſolutione ab excommunicatione non tenentur ſervare formam.

Noſtri Confeſſores abſolvendo in foro conſcientiæ excommunicatos, non tenentur ſervare formam, quæ obſervatur in publicis abſolutionibus, ſcilicet flagellationem cum Pſalmo *Miſerere mei*, &c. LEO X. Minorib. ut in eorum Suppl. fol. 59. conceſſ. 174.

§. 3.

Niſi nominatim noſtri non poſſunt excommunicari, &c.

NICOLAVS IV. noluit Fratres ligari aliqua ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, vel hominis, niſi nominatim fieret mentio: nec ſufficeret, ſi diceret in ſententia generali, ut perinde valeant, ac ſi eſſent nominati expreſſe. Habetur in Cæremoniali, ſeu Pontificali in Bibliotheca Vaticana.

A quibus Excommunicationibus Noſtri poſſint abſolvere, Vide verbo *Abſolutio*. Et an Noſtri poſſint commorari in terris excommunicatorum, &c. Vide verbo *Hæretici.* §. 1. Vide etiam circa hoc verbum, quæ habentur verbo *Correctio.* §. 2. & verbo *Apoſtatæ*, §. 7. verbo *Interdictum*, ac verbo *Prælati*. §. 2.

EX-

EXEMPTIO.

§. 1.

SOcietas, & univerſi illius Socii, ac perſonæ, illorumque bona quæcumque ab omni Superioritate, jurisdictione, & correctione Ordinariorum ſunt exempta, ac libera, ſuſceptaque ſub Sedis Apoſtolicæ Protectione. PAVLVS III. pag. 42. & idem corroboratur privilegio conceſſo Prædicatoribus, de quo in Supplemen. Minor. fol. 80. pag. 1. & ſeq. Iuxta quod tam perſonæ, quam res Societatis eximuntur à jurisdictione quorumlibet Ordinariorum, & Prælatorum, ac perſonarum Eccleſiaſticarum, ac in jus & proprietatem B. Petri, & Sedis Apoſtolicæ & ſub eorum ſpeciali & immediata protectione ſuſcipiuntur: ita quod præfati Prælati, aut quævis alia perſona nequeat etiam ratione delicti, ſeu contractus, vel rei de qua agitur, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipſa conſiſtat, jurisdictionem quomodolibet exercere. Pariter qui ſunt de Societate per litteras Apoſtolicæ Sedis, aut Legatorum, ſeu Delegatorum ipſius conveniri à quocumque minime poſſunt, niſi hujusmodi Apoſtolicæ litteræ de hoc indulto, & Ordine noſtro expreſſam faciant mentionem. Conceſſum eſt Min. ut in eorum Monum. fol. 140. conceſſ. 120.

Societas, ejusque bona eximuntur ab ordinariis.

Immediate ſubjiciuntur Sedi Apoſtolicæ.

Neque ab aliquo conveniri poſſunt.

Quibus tamen caſibus Tridentina Synodus nos Epiſcopis ſubjecerit, patet multis locis, ut ſeſſ. 5. c. 2. de Reform. ſeſſ. 6. c. 3. de Reform. ſeſſ. 7. c. 7. & 14. de Reform. à verſu Addendo *& infra. Item ſeſſ. 23. c. 16. §.* Nullus, *& ſeſſ. 24. c. 1. de Refor. Matrim. verſ.* Quod ſi quis Parochus, *& c. 2. de Refor. & ibidem c. 4. verſu* Nullus. *Item ſeſſ. 25. c. 4. verſ.* Qui vero, *& ſeq. & c. 11. & 13. quoad præcedentias, & 14. ac 16. in fine de Regul. præter alia, quæ ſuis locis in hoc Compendio nonnumquam reperientur.*

Quibus in caſibus per Concil. Trid. ſubjicimur Epiſcopis.

§. 2.

Eos, qui in Societatem admiſſi, biennio probationis peracto, tria vota ſubſtantialia, tametſi ſimplicia emiſerint, aut in futurum emittent, à quorumvis Ordinariorum, & Delegatorum, ſeu aliorum Iudicum jurisdictione omnino exemptos eſſe. Habetur in Conſtitutione GREGORII XIII. pag. 230.

Noſtri poſt tria vota ſubſtantialia etiam ſimplicia, ab ordinariis eximuntur.

§. 3.

Nullus ex Religioſis, ſub Obedientia Societatis degentibus, à quibusvis quacumque Eccleſiaſtica, vel ſeculari dignitate ſeu auctoritate fungentibus, etiamſi Cardinales ſint, vel Patriarchæ, Synodi, Communitates,

Noſtri ſine Superioris conſenſu ad quodvis officium ſive

exercitium etiam à Cardinalibus, &c.

Capitula, aut officii hæreticæ pravitatis Inquiſitores, ac Commiſſarii, vel Iudices, tam ipſius officii, quam Ordinarii, vel Delegati, ad quodvis munus, officium, vel exercitium, etiam in defectum aliorum, abſque expreſſo ſui Superioris conſenſu, ac etiam mandato adigi, vel cogi poteſt. GREGORIVS XIII. pag. 235.

§. 4.

Non tenentur ſolvere Decimam etiam Papalem,

De Domibus, ac Collegiis, & eorum prædiis, hortis, aliiſque locis, quæ juxta noſtrum inſtitutum habere poſſumus; aut de iis, quæ pro eiſdem emendis, nobis pro tempore legari, aut donari contigerit; & denique de aliis bonis per Societatem, ejuſque Collegia poſſeſſis & obtentis; non tenemur ſolvere aliquam Decimam etiam Papalem, ſeu Canonicam portionem exhibere, nec ad præſtationem procurationum, aut exactionum, collectarum, vel proviſionum quarumcumque, nec ad id etiam per litteras Apoſtolicas compelli, niſi ejuſmodi litteræ de hoc indulto de verbo ad verbum, ac de Societate fecerint mentionem. Quod ſi per Sedem Apoſtolicam ex piis legatis, diſpoſitis, vel relictis aliqua pars alteri piæ, vel non piæ cauſſæ ſit conceſſa, aut concedetur, Noſtri, ac noſtra, ſeu nobis legata & relicta, aut aliàs in noſtrum favorem diſpoſita, ſub his conceſſionibus non comprehenduntur; niſi de nobis, & hoc indulto, & Pontificis voluntate ſpecifica fiat mentio in eiſdem, & non per clauſulas generales idem importantes. PAVLVS III. pag. 45. & ſeq.

§. 5.

Præcedentis §. ampliatio per Gregor.

Ea quæ præcedenti §. ſunt præſcripta, cum ſpecifica mentione Domuum probationis confirmavit PIVS IV. pag. 90. & ſeq. exemptionemque pro potiori cautela concedendo à quibusvis Decimis, etiam Papalibus, prædialibus, perſonalibus, quartis, medietatibus, & aliis fructuum partibus, ſubſidiis etiam caritativis, & aliis ordinariis oneribus, etiam pro expeditione contra infideles, defenſione patriæ, ac alias quomodolibet, etiam ad Imperatorum, & inferiorum Principum inſtantiam impoſitis; & quamvis in ipſa impoſitione caveatur, quod nulla prorſus exemptio cuiquam adverſus illa ſuffragetur. Idemque per omnia confirmavit GREGORIVS XIII. pag. 181. & ſeq. ubi quoad hoc derogat diſpoſitioni cap. *Nuper.* de Decimis.

§. 6.

Eximuntur et-

Eadem exemptione, quoad pleraque ex dictis, gaudet Societas per privile-

privilegium EVGENII IV. conceſſum Monialibus S. Claræ; quod habe-tur in Monum. Min. fol. 40. pag. 2. & ſeq. ubi & quoad gabellas expreſſe exemptio conceditur: habetque præfatum privilegium inſignes clauſulas, ne derogari poſſit. Similiter & quoad pleraque ex prædictis ſuffragatur aliud privilegium EVGENII conceſſum Dominicanis, de quo in Supplem. Min. fol. 80. ubi expreſſe etiam eximuntur, ne pedagia, & thelonea, & alias exactiones quibusvis Regibus, ſeu aliis perſonis Eccleſiaſticis, vel ſecularibus ſolvere teneantur. im à gabellis, &c.

§. 7.

Per privilegium conceſſum Ordini S. Ioannis Hieroſolymitani, eximuntur etiam Noſtri ampliſſime à quacumque jurisdictione, & à quacumque collecta, ſeu contributione ratione perſonarum, vel rerum, etiam ad refectionem pontium, fontium, furnorum, murorum, ſeu eccleſiarum, etiamſi forſan eatenus per abuſum, ſeu alterius privilegium, vel negligentiam, etiam per longiſſimum tempus taliter obſervatum non fuiſſet. Conceſſit CLEMENS VII. ut habetur in Manuſcrip. fol. 74. pag. 1. Eximuntur à quacumque collecta ſeu contributione ratione perſonarum, vel rerum ad refectionem pontium, &c.

§. 8.

Per Privilegium item Congregationis Canonicorum S. Salvatoris, definitum eſt, ne quis Rex, Principes, Duces, Marchiones, Barones, Milites, Nobiles, Laici, Communitates, Vniverſitates, Magiſtratus, Rectores, & Officiales Civitatum, Terrarum, Caſtrorum, & dioeceſum quarumcumque noſtris ſeu rebus ſeu perſonis audeant vel præſumant gabellas, talias, datia, collectas etiam pro pontium refectionibus, aut viarum reparationibus, aliave onera ſeu gravamina inferre, indicere, vel imponere; aut indicta & impoſita exigere, ſub excommunicationis & maledictionis æternæ poenis: quas, niſi præſentium habita notitia prorſus deſtiterint, ipſo facto incurrant. Habetur in Manuſcript. fol. 68. pag. 1. Simileque omnino ex privilegiis Camaldulenſium habetur eodem libro fol. 22. pag. 2. Supradicta non poſſunt noſtris imponi à Regibus & Principibus.

Facultas, ut fiat dicta notificatio, communicatur Provincialibus, & iis quibus ipſi commiſerint. Supradictorum notificatio communicatur Provincialibus.

§. 9.

Per privilegium Minorum, de quo in Monum. eorum fol. 260. conceſſ. 656. imponentes angarias, vel alias impoſitiones, vel alia quævis damna Noſtris, ſunt excommunicati ipſo facto: & ſi contumaces ab his non deſtiterint, à ſolo Papa poſſunt abſolvi. Imponentes ipſo facto excommunicantur.

§. 10.

Noſtri non tenentur viſitare aut inquirere, vel Monialium curam ſuſcipere.

Non tenentur Noſtri etiam per litteras Apoſtolicas niſi de hoc indulto, & Societate expreſſam fecerint mentionem, officium correctionis, ſeu viſitationis, aut inquiſitionis Monaſteriis, vel Eccleſiis, ſeu quibuscumque perſonis impendere, vel procedere ad cognitiones cauſarum, citationes partium, & denuntiationes ſententiarum, interdicti, vel excommunicationis: nec denique recipere curam Monialium, ſeu quarumlibet perſonarum religioſarum. PAVLVS III. pag. 44. & ſeq. Nec item cogi posſunt ad audiendas Monialium confeſſiones, ut à CLEMENTE conceſſum eſt Minoribus, prout habetur in eorum Monum. fol. 140. conceſſ. 321.

Notanda circa Concil. &c.

Obſervandum nihilominus eſt circa hoc, quod definitum eſt in Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 12. de Reg. §. 11.

§. 11.

Non poſſunt cogi ad teſtimonium perhibendum.

Noſtri non tenentur jurare de calumnia. Conceſſit HONORIVS III. Carthuſienſibus, ut in manuſcript. fol. 48. pag. 1. Nec inviti cogi poſſunt ad teſtimonium perhibendum. IVLIVS II. Canonicis S. Salvatoris, ut d. Libro fol. 67. pag. 2.

§. 12.

Plures Noſtrorum exemptiones.

Per privilegium EVGENII IV. conceſſum Monachis S. Benedicti Congregationis Italiæ, quod refertur in Compen. Minor. verbo *Exemptio.* §. 33. cogi non poſſumus ad hoc ut in noſtris locis Miſſæ, aut alia divina celebrentur, Ordines conferantur, vel agitentur cauſſæ civiles, ſeu criminales, proceſſiones convocentur, aut Synodus; conventus, ſeu quævis congregationes tam Eccleſiaſticarum, quam laicarum perſonarum congregentur, ſeu quod loca noſtra deputentur ad uſum, hoſpitium, habitationem, detentionem, & incarcerationem Eccleſiaſticarum, vel laicarum perſonarum. Et præſumens attentare contra omnia, aut aliquod prædictorum, cujuscumque conditionis, aut ſtatus ſit, niſi facta ei de hujusmodi indulto notitia, deſtiterit, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat.

Contravenientes excommunicantur.

Provinciali communicatur.

Facultas notificandi, cujus in hoc §. fit mentio, communicatur Provincialibus, & iis, quibus ipſi commiſerint.

Vide verbo *Prælati.* §. 2. & verbo *Proceſſiones*, & verbo *Privilegia.* §. 11. & verbo *Inquiſitores.*

EX-

EXTREMA VNCTIO.

POſſunt Noſtri iis, qui intra ſepta Collegiorum ſeu Domorum infirmati fuerint, Extremam unctionem Apoſtolica auctoritate libere & licite, Parochialis Presbyteri, vel alterius cujuscumque Epiſcopi, vel Superioris licentia, vel aſſenſu nullatenus requiſito, miniſtrare. Conceſſum eſt Benedictinis, ut in Compend. Minor. verbo *Vnctio extrema.* §. 1. Infirmis intra noſtras domos adminiſtrari poteſt Extrema unctio.

Vide verbo *Sacramenta*, & verbo *Familiares*, *§. 1. & 2.*

FAMILIARES.

§. 1.

POSSVMVS adminiſtrare omnia Sacramenta iis omnibus, qui in noſtris morantur obſequiis, eosque in noſtris Cœmeteriis ſepelire: PAVLVS III. pag. 42. Et per conceſſionem MARTINI V. Monachis S. Benedicti factam, ut in Compend. Minor. verbo *Familiares.* §. 10. poſſunt Noſtri miniſtrare familiaribus noſtris, tam intra, quam extra ſepta Collegiorum ſeu Domorum commorantibus, Eccleſiaſtica Sacramenta, quoties opportunum fuerit. Quibus noſtri miniſtrare poſſint Sacramenta.

Præter Confesſionis & Euchariſtiæ Sacramenta, familiaribus Extrema unctio poterit adminiſtrari, atque adeo iis ſolis, qui in Domibus, Collegiis, Reſidentiis, & aliis locis Societatis habitaverint. Id etiam de ſepultura intelligatur. Extra ſepta vero cum illis perinde, atque cum aliis agatur, prout habetur verbo Sacramenta. Declaratio præcedentis.

§. 2.

Poſſunt Noſtri famulis noſtrarum Domorum ac Collegiorum in habitu ſeculari deſervientibus, quoties opus fuerit, etiam Paſchatis tempore, & in mortis articulo, in noſtris Domibus, Collegiis, & Eccleſiis, Euchariſtiæ & Extremæ unctionis Sacramenta miniſtrare: & ſepulturæ beneficium, cujusvis licentia ſuper hoc minime requiſita impendere. LEO X. Minimis, ut in eorum privilegiis fol. 57. Noſtris famulis etiam Paſchatis tempore omnia Sacramenta miniſtranda.

Hæc facultas conceditur Superioribus, & quibus ipſi eam communicaverint. Communicatur Superioribus.

§. 3.

Famuli & ſervitores noſtri poſſunt eligere Confeſſorem de Societate, qui audita eorum confeſſione, pœnitentiam ſalutarem eis injungendo, abſolvat eosdem ab omnibus criminibus, exceſſibus, & cenſuris Eccleſia- Noſtri famuli poſſunt abſolvi à Noſtris à quibuscumque,

 ſticis:

homicidio voluntario excepto.

ſticis: & diſpenſet cum eis in omnibus irregularitatibus, ſi quas forte contraxerint (homicidio voluntario, & mutilatione membri ſemper exceptis) & eis remiſſionem generalem, & plenariam omnium peccatorum imperti-ri valeat: & hoc idem poſſit in articulo mortis. SIXTVS Minor. Vivæ vocis oraculo, ut in Monum. eorum fol. 68. conceſſ. 131.

Declaratio præcedentis.

Per hoc tamen non conceditur Noſtris in caſibus Bullæ Cœnæ ſe immiſcere. Et quod attinet ad facultatem diſpenſandi in irregularitatibus, electus ex Noſtris ea non utatur, niſi fuerit Superior, aut de Superioris licentia; idque in foro conſcientiæ tantum.

§. 4.

Qui ſunt in ſervitio Societatis conſequuntur plenariam indulgentiam.

Omnes qui ſunt in ſervitio Societatis, conſequuntur indulgentiam plenariam in morte, & ſemel in vita de reſervatis. SIXTVS IV. Ordini Minorum, ut in eorum Monum. fol. 66. conceſſ. 96. & in Compen. eorumdem verbo *Familiares*. §. 6.

§. 5.

Dum ſunt in noſtra domo, non poſſunt excommunicari.

Per privilegium ALEXANDRI IV. conceſſum Fratribus Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani, nemo, ſine ſpeciali mandato Romani Pontificis, ſervientes Societati, etiam laicos, donec in ſervitio Domus fuerint, excommunicationi vel interdicto poteſt ſubjicere: & aliter lata, irrita eſt ſententia & inanis. Refertur in Comp. Minor. verbo *Familiares*. §. 11.

Advertenda ex Conc. Trid.

Advertatur tamen ad id quod habetur in Concilio Trident. ſeſſ. 7. cap. 14. de Reform. & ſeſſ. 14. cap. 4. & 5. de Refor. & ſeſſ. 24. cap. 10. & 11. de Refor. Item advertatur, quod in caſibus, in quibus privilegia noſtra nobis non inſerviunt, privilegium §. *iſtius circa eosdem caſus noſtris familiaribus nil proderit.*

Vide verbo *Interdictum*. §. 2. & 4. cum admonitione, quæ ibi habetur in fine ejusdem verbi. Vide etiam quod habetur verbo *Conſervator*. §. 1.

FEVDALIA BONA.

Vtrum bona feudalia poſſint donari Societati, Vide ſupra verbo *Bona*. §. 6.

FVNDATORES.

Vide verbo *Indulgentiæ*. §. 30.

GENERALIS.

§. 1.

PRÆPOSITUS Generalis cum primum electus eſt juxta Societatis Conſtitutiones eo ipſo fit verus ipſius Religionis Præpoſitus, cum libera & omnimoda cura & adminiſtratione omnium, quæ ad felix regimen, & proſperam directionem Societatis pertinent: poteſtque plenam exercere jurisdictionem in omnes ſub ejus Obedientia degentes, ubicumque commorantes, etiam exemptos, etiam quaſcumque facultates habentes. PAVLVS III. pag. 37. Per privilegium vero Eremitarum S. Auguſtini, eo ipſo quod electioni de ſe factæ conſentit, auctoritate Apoſtolica confirmatus intelligendus eſt; & libere adminiſtrare & exercere poteſt, quæ ad ſuum officium pertinent, rejecta quavis appellatione ſubditorum ſibi ratione dicti officii, quæ ab ejus præceptis, monitionibus, ordinationibus, mandatis & decretis Regulari diſciplina eorumdem quomodolibet interponi continget. Habetur in privileg. dicti Ordinis fol. 35. pag. 2. & refertur in Supplem. Minor. fol. 133. pag. 1.

Generalis ſtatim poſt electionem fit verus Societatis Præpoſitus cum libera adminiſtratione, &c.

§. 2.

Præpoſitus Generalis poteſt ſuos quocumque locorum, etiam inter fideles mittere ac revocare: & à Sede Apoſtolica ſine certi temporis limitatione miſſos, cum expedire ad Dei gloriam, & animarum auxilium judicabit, alio transferre. PAVLVS III. pag. 38.

Poteſt ſuos mittere etiam ad infideles & revocare.

§. 3.

Si qui è Noſtris ad prædicandum crucem, vel ad inquirendum contra hæreticam pravitatem, ſeu ad alia ſimilia negotia deputati fuerint, poteſt Præpoſitus Generalis, cum expedire judicabit, eos removere, & alio transferre: ipſisque, ut ſuperſedeant injungere, ac alios in eorum locum ſubſtituere. PAVLVS III. pag. 39.

Etiam cum ad inquirendum contra hæreticos mittuntur.

§. 4.

Omnis facultas celebrandi contractus eſt penes Præpoſitum Generalem. PIVS V. pag. 107. & ſeq.

Facultas celebrandi contractus.

§. 5.

Facultate conceſſa Ordini Prædicatorum, poſſunt Præpoſiti Generales Societatis, auctoritate Apoſtolica declarare (quoad ſerenitatem illarum conſcientiarum, quæ ſibi ſubjectæ ſunt dumtaxat) dubia, quæ ſuper noſtris

Facultas declarandi dubia Conſtitutionum, &c.

Con-

Conſtitutionibus, privilegiis, indultis, gratiis, & exemptionibus à Sede Apoſtolica conceſſis & concedendis emerſerint. IVLIVS II. in privilegiis Prædicat. fol. 173.

§. 6.

Dubia Conſtitutionum &c. ad Generalem remittenda.

Si quid dubii de pertinentibus ad Inſtitutum, Conſtitutiones, & privilegia Societatis oriri contigerit, ad Sedem Apoſtolicam vel ad Generalem Præpoſitum, aut ad eos, quibus id ipſe commiſerit, referatur. GREGORIVS XIII. in ſua Conſtit. pag. 231.

Declaratio præcedentis.

Hæc facultas intelligitur juxta Canonem xxj. quartæ Congregationis generalis.

§. 7.

Facultas communicandi bona ſpiritualia Societatis.

Facultate conceſſa Minoribus, poteſt Præpoſitus Generalis communicare ſuffragia indulgentiarum, orationum, ac beneficiorum ſpiritualium totius Societatis, Procuratoribus, & aliis quibuscumque devotis, & benefactoribus ejusdem Societatis. VRBANVS V. in Monum. Minor. fol. 261. pag. 1. conceſſ. 671.

§. 8.

Tranſſumpta ſeu copiæ privilegiorum valent, ſi manu alicujus Notarii ſignata ſint.

Per privilegia Eremitarum S. Auguſtini, omnia exemplaria, ſeu tranſumpta privilegiorum, quæ Societati fuerint conceſſa per Breve, vel ſupplicationem cum clauſula, ut ſola ſignatura ſufficiat, ſi manu alicujus Prælati, aut publici Notarii ſignata, aut Generalis Præpoſiti ſigillo firmata fuerint, eamdem omnino vim habent, tam in judicio, quam extra, ac ſi plumbeo ſigillo obſignata eſſent. IVLIVS II. & LEO X. in privilegiis ejusdem Ordinis fol. 41. & 47. Habeturque in Monum. Minor. fol. 267. pag. 2. & ſeq. conceſſ. 698. & in Supplem. eorumdem fol. 123. pag. 1.

§. 9.

Eligere Superiores eſt Generalis.

Electio Superiorum tam Provincialium & Viſitatorum, quam quorumcumque localium, eſt penes Præpoſitum Generalem. GREGORIVS XIV. in Conſtit. pag. 280.

§. 10.

Gradum conferre.

Graduum diſcretio, & officiorum diſtinctio eſt in manu generalis. idem pag. 281.

§. 11.

Auctoritas, &c.

Omnis auctoritas, omnesque facultates per dictæ Societatis Conſtitutio-

tutiones, & Apoſtolica diplomata Generali conceſſæ, inviolatæ conſerventur. idem pag. 281. Generali conſervatur.

§. 12.

Omnes facultates ad correctionem & punitionem aliis Ordinibus conceſſæ, Societati ejusque Præpoſito conceduntur. idem pag. 283. Facultas corrigendi, &c.

§. 13.

Perpetuitas Generalis, & electio ad vitam, ejusque in Vrbe ordinaria reſidentia, & ſub uno capite omnium nationum collectio, confirmantur & approbantur. PAVLVS V. pag. 314. Perpetuitas, &c. Generalis.

Vide verbo *Benedicere.* verbo *Communicatio gratiarum.* §. 4. verbo *Notarius.* verbo *Collegia.* & alibi ſæpe in hoc Compendio.

GRADVS.

§. 1.

Scholares Collegiorum Societatis exiſtentium in Vniverſitatibus alicujus Studii generalis degentes, ſi prævio rigoroſo & publico examine in eisdem Vniverſitatibus reperti fuerint idonei, & Rectores Vniverſitatum eos gratis promovere recuſaverint; in prædictis Collegiis à Præpoſito Generali, vel de ejus licentia à quovis ex inferioribus Præpoſitis, vel Rectoribus hujusmodi Collegiorum, cum duobus vel tribus Doctoribus ſeu Magiſtris, per eosdem eligendis, promoveri poſſunt ad Baccalaureatus, & Magiſterii, Licentiaturæ, ac Doctoratus gradus. IVLIVS III. pag. 75. Facultas promovendi ad gradus in Vniverſitat.

§. 2.

Iidem Scholares Collegiorum exiſtentium extra Vniverſitates, abſoluto ſuorum ſtudiorum curſu, & rigoroſo examine præcedente, à Præpoſito Generali, vel de ejus licentia à quovis ex Præpoſitis vel Rectoribus hujusmodi Collegiorum, cum duobus vel tribus Doctoribus vel Magiſtris per eosdem eligendis ad prædictos gradus poſſunt promoveri. IVLIVS III. ubi ſupra. Facultas promovendi extra Vniverſitates.

Nomine Scholarium in iis duobus §§. *intelliguntur Scholares qui ſunt de Societate.* Quinam Scholares.

§. 3.

Præpoſitus Generalis, per ſe vel aliquem ex Præpoſitis vel Rectoribus Collegiorum noſtrorum, tam in Vniverſitatibus ſtudiorum generalium, quam extra illas exiſtentium, in quibus ordinarie ſtudiorum Artium libera- Quinam ex externis promovendi.

lium & Theologiæ lectiones habebuntur, curſusque ordinarii peragentur noſtræ Societatis Scholares, & pauperes externos, qui dictas lectiones frequentaverint, & etiam divites, ſi Vniverſitatum officiales eos promovere recuſaverint, cum per examinatores noſtræ Societatis idonei ſunt inventi (ſolutis tamen per divites ſuis juribus Vniverſitatibus) in noſtris Collegiis quarumcumque Vniverſitatum, & in aliis extra Vniverſitates conſiſtentibus, quoslibet alios Scholares, qui ſub eorumdem Collegiorum obedientia, directione, vel diſciplina ſtuduerint, ad prædictos gradus, ac alias in reliquis juxta tenorem litterarum IVLII III. promovere poſſunt. PIVS IV. pag. 91. & ſeq.

§. 4.

Poſſunt promoveri per Præfectum.

Poteſt Præpoſitus Generalis prædictos gradus, prout dictum eſt, conferre per præfectum ſtudiorum cujuslibet Collegii Societatis, in quo Artium vel Theologiæ facultates pro tempore legentur. GREGORIVS XIII. pag. 190.

§. 5.

Gaudent privilegiis, &c.

Quicumque per Noſtros modo prædicto ad gradus promoventur, gaudere poſſunt omnibus privilegiis & prærogativis, quibus gaudent qui in Vniverſitatibus, rigoroſo examine prævio, ac alias juxta inibi obſervari ſolitos & requiſitos uſus, promoventur. IVLIVS III. ac PIVS IV. pag. 75. & ſeq. & pag. 92.

§. 6.

Gradus judicium, &c. Generali reſervatur.

Graduum diſcretio & judicium, atque Coadjutorum, tam ſpiritualium quam temporalium, ſimulque Profeſſorum promotio juxta Conſtitutiones in manu Præpoſiti Generalis eſt. GREGORIVS XIV. conſtit. p. 281.

§. 7.

Tempus promotionis.

Tempus promotionis ad hujusmodi gradus nullo modo certum, ſeu determinatum eſſe oportebit. GREGORIVS XIV. conſtit. pag. 281.

§. 8.

Qui ad gradum admittendi.

Selecti tantum ſpiritus & doctrinæ viri, & multum diuque exercitati, ac in variis probationibus virtutis & abnegationis ipſorum, cum omnium ædificatione & ſatisfactione ſatis cogniti, admittendi ſunt ad gradus, & nonniſi cum Societati, vel ejus Generali fuerit ab eis plene in Domino ſatisfactum. GREGORIVS XIV. conſtit. pag. 282.

§. 9. Ad

§. 9.

Ad profeſſionem, & cujuscumque gradus mutationem nemini aſpirare licet. GREGORIVS XIV. conſtit. pag. 284. Mutatio gradus prohibita.

Facultates promovendi, de quibus in ſuperioribus §§. quoad noſtros reſervantur Præpoſito Generali; quoad externos vero conceduntur Provincialibus, per ſe vel per Rectores aut ſtudiorum Præfectos exercendæ. Nam Rectoribus & cancellariis Vniverſitatum quoad externos manet ſua facultas. Quibus Superioribus reſerventur.

Vide verbo *Schola.* §. 3.

GRATIARVM VSVS.

§. 1.

POſſe Præpoſitum Generalem & Societatem ubique locorum juxta noſtri Inſtituti rationem, Conſtitutiones, ac modum procedendi proprium, peculiaresque obſervationes & conſuetudines, uti, frui, & gaudere omnibus facultatibus, & privilegiis, aliisque gratiis ſibi, ſeu Domibus, Collegiis, locisque noſtris, communiter vel diviſim, vigore quarumcumque facultatum etiam ad inſtar aut æque principaliter, etiam per communicationem, ſeu alias quomodolibet conceſſis. Decrevit, & conceſſit GREGORIVS XIII. pag 143. Vbique gaudemus privilegiis, &c.

Vide verbo *Abſolutio.* §. 11.

§. 2.

GREGORIVS XIII. die 29. Octobris 1584. Vivæ vocis oraculo declaravit, mentis ſuæ non eſſe, ut per Bullas Cruciatæ, aut Iubilæorum, vel alias ſimiles conceſſiones ſub quacumque derogatione aut tenore, etiamſi in eis dicatur, quacumque prohibitione ſublata, vel etiam Vivæ voc. orac. Pœnitentiariis S. Petri, aut quibusvis aliis hactenus factas, vel in poſterum faciendas, cenſeatur derogatum privilegiis, regulis, aut ordinationibus Societatis, præcipue vero indulto illi per eumdem GREGORIVM XIII. die III. Maji 1575. conceſſo, ſcilicet ne perſonis Societatis, absque expreſſa Superiorum eorumdem licentia, uti liceat facultatibus in Iubilæis, Bullis Cruciatæ, Confeſſionalibus, aut aliis quibusvis Apoſtolicis indultis, quomodocumque hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis. Declaravit præterea poſſe Superiorem, dum hujusmodi licentiam concedit, limitare eam ad uſum unius aut alterius facultatis, & prohibere uſum reliquarum, etiam eadem Bulla aut indulto contentarum. In Vivæ voc. orac. fol. 134. Per bullam Cruciatæ & Iubilæi non derogatur privilegiis & regulis. Interdicitur uſus talium bullarum.

HABITVS.

Qualis habitus Societatis.

Sacerdotes Societatis, quod ad habitum pertinet, honeſtorum Sacerdotum communem, & approbatum uſum ſequentur. IVLIVS III. pag. 67.

HÆRETICI.

Facultas in terris hæreticorum, &c. commorandi.

POSSVNT Noſtri in excommunicatorum, & hæreticorum vel ſchiſmaticorum, ſeu infidelium terris libere commorari, & cum eisdem converſari (de licentia tamen Præpoſiti Generalis) & ab eis tunc, & etiam quando per ipſas illos tranſire contigerit, neceſſaria vitæ depoſcere ac recipere. PAVLVS III. pag. 44.

Communicatur omnibus.

Omnes hoc privilegio uti poterunt.

Vide quæ habentur verbo *Abſolutio.* §. 2. & 5. adjunctis iis, quæ ad verbum *Bulla Cœnæ* dicuntur. Vide etiam & quæ habentur verbo *Inquiſitor hæreticæ pravitatis.*

HOMICIDIVM.

Vide verbo *Diſpenſatio.*

HORÆ CANONICÆ.

§. 1.

Facultas poſtponendi officium Miſſæ.

POSSVNT Noſtri ex facultate Præpoſiti Generalis, aut ejus quem ipſe ad id ſubſtituerit, ſine ſcrupulo officium divinum Miſſæ poſtponere juſtis de cauſſis, ſuper quo conſcientia licentiam impertientis oneratur. IVLIVS III. pag. 75.

Quibus communicetur.

Hac facultate, dum opus fuerit, uti poterunt itinerantes. Reliqui vero ex conceſſione Superioris.

§. 2.

Quando tempus officii præveniri poſſit.

Ratione itineris, aut alterius occupationis, quando creditur, quod majori cum devotione dicetur Divinum officium, poteſt illud à Noſtris recitari mane totum usque ad Completorium incluſive. PIVS V. Minor. ut in manuſcript. fol. 79. pag. 2.

§. 3.

Ante ſolis occaſum.

Poteſt à Noſtris absque ullo ſcrupulo matutinum officium ante ſolis occaſum recitari. Idem PIVS V. eisdem ubi ſupra.

§. 4.

Defectus quomodo ſupplendi.

Quando aliquid Divini officii (non tamen ex dolo) omittitur, poſſunt Noſtri illud ſupplere, dicendo pſalmum aliquem, aut orationem Domini-

minicam, aut ſalutationem Angelicam. INNOCENTIVS VIII. Minor. ut habetur in Monum. fol. 69. conceſſ. 149. & in Supplem. fol. 99. conceſſ. 362.

§. 5.

Noſtri in foro conſcientiæ dicendo horas & alia officia Divina, ſatisfaciunt præcepto cap. *Dolentes.* de celebrat. Miſſ. de dicendo ſtudioſe pariter & devote, etiamſi propter aliquam fatigationem, vel aliam cauſſam dicant ſedendo, aut deambulando, vel non integre proferendo verba, prout ſunt ſcripta propter negligentiam, aut imperitiam, vel malam prolationem naturalem, propter defectum linguæ, ſeu alias qualitercumque ore imperfecto dicant, aut cum mentis diſtractione, & ſenſuum vagatione, dum tamen non ex malitia hoc faciant. Et quod qui cum talibus male proferentibus, vel alios ſupradictos defectus facientibus, dicunt officium, non teneantur recitare ab aliis imperfecte dicta, aut ab eis non integre audita propter diſtantiam localem, vel ſtrepitum, ſeu aliam cauſſam: ſed ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ qualitercumque audiendo, quæ alii debent dicere. Conceſſit LEO X. Minor. ut in eorum Supplem. fol. 59. pag. 1. conceſſ. 169. adjuncto, fol. 60. pag. 1. Quomodo defectus ſupplendi in horis recitandis.

§. 6.

Non tenentur Noſtri dicere horas Canonicas in choro. PAVLVS III. IVLIVS III. & GREGORIVS XIII. pag. 14. 67 & 136. Non tenentur in choro recitare.

Quam Indulgentiam conſequantur Noſtri recitantes divinum officium ex libro, Vide infra verbo *Indulgentiæ.* §. 18. Vide etiam, quæ habentur verbo *Interdictum.* §. 7. & verbo *Infirmi.* Indulgentia in horis recitandis.

IEIVNIVM.

§. 1.

POSSVNT Noſtri per facultatem factam omnibus de Congregatione S. Iuſtinæ de Padua, dum in Quadrageſima, & Vigiliis quæ jejunantur de præcepto, equitando iter faciunt, ſumere mane aliquid per modum conſuetæ collationis, & veſperi cœnare. SIXTVS IV. ut in impreſſis fol. 123. pag. 1. Ientaculum matutinum.

§. 2.

Per facultates Minorum poſſunt Noſtri ſine violatione jejunii, maxime Concionatores, cum actu concionantur, juxta ſuam conſolationem Anticipatio horæ Iejunii.

anticipare, vel poſtponere horam comeſtionis, & ſerotinæ collationis. Conceſſit LEO X. ut in Supplem. fol. 39. pag. 1. conceſſ. 281.

Hanc facultatem ex cauſſa communicare poterunt omnes Superiores.

Vide verbo *Diſpenſatio.* §. 7.

IMMVNITAS.

§. 1.

Confugientes ad noſtras Eccleſias non poſſunt capi.

CONFVGIENTIBVS ad noſtras eccleſias, manus violentæ injici prohibentur à quocumque ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Conceſſit CLEMENS VII. Ordini S Ioannis Hieroſolymitani, & litteræ ſunt inſertæ & confirmatæ à PIO IV. Anno 1560. & habentur in libro privilegiorum ejusdem Religionis. fol. 19. & apud nos in manuſcript. fol. 74. pag. 1.

§. 2.

Nomine Eccleſiarum veniunt etiam Domus, &c.

Fugientes ad noſtras Eccleſias ſecuritate gaudent: appellatione autem Eccleſiarum veniunt Domus noſtræ ſeu Collegia Societatis, cum hortis, hortalitiis, clauſtris, officinis, & locis omnibus infra illarum ambitum incluſis. Conceſſit INNOCENTIVS VIII. Servitis, ſub Datum Romæ apud S. Petrum Anno 1487. VI. Kal. Iunii. Pontificatus ſui anno III. & refertur in manuſcript. fol. 51. pag. 1.

Vide verbo *Communicatio gratiarum.* §. 2. & quod habetur verbo *Eccleſia.* §. 5.

IMPETRARE.

Vide loca quæ citantur infra verbo *Indulta.*

INCARCERARE.

Vide verbo *Correctio.* §. 2. & verbo *Exemptio.* §. 12. & verbo *Apoſtata.* §. 5.

INDVLGENTIÆ.

Indulgentiæ Stationum Vrbis.

POSSVNT Noſtri Indulgentias omnium Stationum Vrbis eisdem diebus in propria Eccleſia vel Domo conſequi, dummodo viſitent quinque altaria, vel in uno quinque Pſalmos, aut ſi neſciunt legere, alias Orationes dicant. PIVS V. in Vivæ voc. orac. pag. 52.

§. 2. Eas-

§. 2.

Eaſdem Stationum Indulgentias conſequuntur Noſtri viſitando aliquam Societatis Eccleſiam, vel aliam, in qua pro tempore ex Obedientia eſſe contigerit, ſi inibi ante illius altare majus quinquies orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam devote dixerint, ut conceſſum eſt Minimis per IVLIVM II. prout habetur in Comp. Minor. verbo *Indulgentiæ Stationum quoad Fratres* §. 10. & per conceſſionem factam Minoribus, & Prædicatoribus, ab INNOCENTIO VIII. Eaſdem Indulgentias, & alias nobis conceſſas; in noſtris Eccleſiis conſequuntur Noſtri, qui per Obedientiam extra Domos & Collegia reperiuntur, dicendo quinquies *Pater Noſter*, & *Ave* in quacumque eccleſia & loco ea dixerint pro intentione, & propoſito illius Indulgentiæ. Similiter infirmi eadem recitando in valetudinariis, & cellis, ac etiam lectulis, quando commode aliter non poſſunt. Habetur in Monum. fol. 69. conceſſ. 160. & in Supplemen. fol. 100. conceſſ. 390. Et generaliter quando aliqua neceſſitate vel infirmitate eſſent præpediti, vel in itinere conſtituti, ita quod eccleſias pro conſequendis indulgentiis, & aliis gratiis Societati conceſſis adire non poſſunt, illas conſequentur, dicendo dumtaxat illud quod in Eccleſia dicturi erant. Habetur in ſummario privilegiorum S. Iuſtinæ in privilegiis impreſſis fol. 121. pag. 2.

Idem.

Conſequuntur etiam Noſtri extra Domos, & Collegia.

Similiter infirmi.

§. 3.

Quicumque Noſtrorum quinquies *Pater*, & *Ave*, cum *Gloria Patri* ad finem cujuslibet pro felici ſtatu Sanctæ Matris Eccleſiæ, & ſemel *Pater*, & *Ave* pro intentione concedentis cum *Gloria Patri*, ſimiliter ad finem dixerit, quacumque hora diei, vel noctis, & quocumque loco dicantur, ſcilicet choro, Eccleſia, Clauſtro, Oratorio, ac Cella, conſequetur Indulgentias tam Vrbis, quam Hieruſalem, & S. Iacobi in Compoſtella, ac quam conſequuntur viſitantes ſecunda die Auguſti Eccleſiam S. Mariæ Portiunculæ, ſive de Angelis in Aſſiſio. LEO X. Minor. Habetur in Comp. Minor. verbo *Indulgentiæ Stationum*, *quoad Fratres*. §. 15. & in Supplem. fol. 60. p. 2. conceſſ. 180. adjuncto fol. 42. pag. 2. ad finem conceſſ. 134.

Quomodo conſequi poſſimus Indulgentias Vrbis, &c.

§. 4.

Omnes perſonæ quæ recipiuntur in Societatem, in earum ingreſſu, & morte, Plenariam omnium ſuorum peccatorum veniam & Indulgentiam conſequuntur. IVLIVS II. Minimis, ut in eorum privilegiis fol. 33. p. 1.

Plenaria pro ingreſſu, &c.

§. 5. Sa-

§. 5.

Plenariæ diebus Dominicis, & Feſtis B. Virginis.

Sacerdotes noſtri, qui Dominicis diebus, aut in ſolemnitatibus Domini, aut B. Mariæ celebrant; item & Noſtri omnes, quando communicant, Indulgentiam plenariam conſequuntur. INNOCENTIVS VIII. ut in Monument. fol. 69. conceſſ. 148. & 150. & in Supplemen. fol. 43. pag. 1. conceſſ. 137.

§. 6.

Indulgentiæ pro Corona D. N.

Toties quoties Noſtri Coronam Domini IESV, quæ dicitur continere 33. *Pater noſter*, & totidem *Ave Maria*, & Coronam B. Mariæ Virg. 63. *Ave Maria*, & de decem in decem unum *Pater noſter*, dixerint; Plenariam Indulgentiam conſequuntur. Infirmi vero ac ſenes in decrepita ætate conſtituti, eamdem lucrabuntur dicendo unum Pſalmum, vel Hymnum Virginis, vel Domini Noſtri. Conceſſit LEO X. ut in Supplem. Minor. fol. 42. pag. 2. ad finem cum ſequen. adjuncto fol. 60. pag. 2. conceſſ. 180.

§. 7.

Supradictæ Indulgentiæ per modum ſuffragii.

Prædictæ Indulgentiæ de Corona Domini Salvatoris, & B. Virginis, & ſimiles conceſſæ per LEONEM X. usque ad quartum ſui Pontificatus annum die 3. Februarii, ejusque Prædeceſſores, poſſunt per Noſtros animabus Defunctorum per modum ſuffragii applicari. Conceſſit idem LEO X. Minor. ut in eorum Supplem. fol. 94. conceſſ. 302.

§. 8.

Plenaria pro Cantico graduum.

Dicentes Canticum Graduum, Indulgentiam plenariam conſequuntur. LEO X. Minor. S. Claræ, ut refertur in Comp. Minor. verbo ***Indulgentia plenaria quoad Fratres.*** §. *19.*

§. 9.

Plenaria pro ad Congregationem generalem venientibus.

Poſſunt noſtri Confeſſarii iis qui ad generalem Congregationem veniunt: vel tunc, vel infra 20. dies ſequentes plenariam Indulgentiam impertiri, SIXTVS IV. Ciſtercienſ. in manuſcr. fol. 47.

§. 10.

Plenaria in viſitatione Collegiorum, &c.

Omnes Provinciales, peracta viſitatione ordinaria in Domibus, & collegiis ſuæ Provinciæ, habent facultatem concedendi Indulgentiam plenariam omnibus cujuslibet domus, ſeu collegii ſic viſitati. Conceſſit LEO X. Minor. ut in eorum Supplem. fol. 93. pag. 1. conceſſ. 285. Et hoc ipſum poſſunt Viſitatores finita viſitatione, ut infra verbo *Viſitatores.*

§. 11.

§. 11.

Omnes Indulgentias plenarias, & non plenarias, quæ ſunt Romæ in ſingulis Eccleſiis, quocumque tempore & die, eodem tempore & die poſſunt Noſtri in noſtris eccleſiis lucrari. SIXTVS IV. Minor ut in eorum ſupplemen. fol. 97. pag. 2. conceſſ. 351. Et per litteras GREGORII XIII. nobis conceſſas, Noſtri in qualibet mundi parte exiſtentes, ante altare ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti in noſtris eccleſiis orationes ad Deum fundendo pro ſanctæ Eccleſiæ Romanæ exaltatione, hæreſum extirpatione, & inter Principes Chriſtianos fovenda pace, aut alias pro cujuscumque peculiari devotione, conſequuntur omnes Indulgentias etiam plenarias, & peccatorum remiſſiones, quas conſequerentur, ſi Indulgentiarum ipſarum diebus eccleſias, & loca pia his decorata in locis in quibus Noſtros moram trahere contingeret, viſitarent. GREGORIVS XIII. pag. 196.

Poſſumus in noſtris Eccleſiis lucrari plenarias & non plenarias Romæ.

Indulgentia pro noſtris ubique.

§. 12.

Per conceſſionem vero LEONIS X. omnes Indulgentiæ conceſſæ viſitantibus Domos, Eccleſias, & Oratoria Mendicantium, ſunt conceſſæ ſimiliter nobis viſitantibus noſtras Eccleſias, Domos, vel Oratoria, perinde ac ſi cuilibet Eccleſiarum noſtrarum, Domuum, & Oratoriorum ubilibet conſiſtentium conceſſæ fuiſſent. Habetur in ſupplemen. Minor. fol. 56. conceſſ. 157. Et ſimiliter Noſtri viſitando Eccleſias noſtras, conſequi poſſunt eodem modo Indulgentias, quas tunc conſequerentur, ſi viſitarent quasvis eccleſias aliorum Ordinum, etiam non Mendicantium, Congregationum, & Confraternitatum, & aliorum piorum locorum, juxta communicationem quam habemus, de qua ſupra verbo *Communicatio gratiarum*. §. 3.

Pro viſitantibus Eccleſias noſtras.

Pro noſtris viſitantibus noſtras Eccleſias.

Excipi tamen debent ab his, quæ hoc §. continentur Indulgentiæ conceſſæ pro feſtivitatibus Sanctorum cujusvis prædictorum Ordinum, aut Congregationum, &c. Pari ratione juxta ea quæ dicuntur à Collectore in Compen. Minor. Verbo Interdictum. *2. Conceſſ. 10.*

Quænam excipiantur.

§. 13.

Dicentes unum *Miſerere*, Indulgentiam plenariam conſequuntur. Conceſſit SIXTVS IV. ut eſt in privilegiis Canonicorum Regular. Lateranen. & habetur in manuſcript. fol. 50. pag. 2. in fine. Dicentes autem unum *Miſerere* in quolibet altari, conſequuntur Indulgentias Vrbis, illius diei. Conceſſum eisdem, ut habetur in d. p.

Indulg. plenaria pro *Miſerere*.

Indulgentiæ Vrbis.

§. 14.

Indulg. plen. dicentibus Miſſam Concept. B. V.

Noſtri, qui dicunt Miſſam Conceptionis B. Virginis, vel audiunt illam, ac intendunt orare pro LEONE X. qui id conceſſit, & pro univerſali Eccleſia, Indulgentiam plenariam conſequuntur. Habetur in Comp. Min. verbo *Indulgentia plenaria quoad Fratres. §. 17. & 18.*

§. 15.

Indulgentia pleniſſima pro noſtris in mortis articulo.

In mortis articulo Confeſſarius Societatis poteſt Noſtris pleniſſimam Indulgentiam impertiri, & reſervatur vero articulo mortis. Conceſſit SIXTVS IV. Ciſtercienſ. ut eſt in manuſcript. fol. 47. pag. 1.

§. 16.

Indulg. plenar. pro noſtris in mortis articulo nomen IESV nominantibus.

Quicumque ex Noſtris pœnitens & contritus nomen IESV in mortis articulo nominaverit, plenariam omnium peccatorum ſuorum, etiam de quibus, niſi morte præveniretur, confiteretur, Indulgentiam conſequitur. Conceſſum eſt per Leonem X. Confraternitati Caritatis de Vrbe, ut habetur in privilegiis impreſſis. fol. 72. pag. 2. & 135 pag. 2.

§. 17.

Noſtri recitantes Pſal. *Miſerere*, &c. Indul. totius orbis conſequuntur.

Noſtri dicentes in eccleſia ſingulis diebus in perpetuum Pſalmum *Miſerere* cum Oratione pro Pontifice, ſcilicet, *Deus omnium fidelium Paſtor*, &c. Vel *Omnipotens ſempiterne Deus*, &c. lucrantur omnes, & ſingulas Indulgentias, quæ ſunt conceſſæ Eccleſiis & locis totius orbis. Conceſſit IVLIVS II. perſonis Congregationis Lateranenſis, Anno 1506. 1. Iul. in manuſcript. fol. 50. pag. 1.

§. 18.

Recitanti officium per librum, Indulg.

Qui ſolverint officium divinum per librum, conſequuntur remiſſionem dimidiæ partis peccatorum commiſſorum illa die, qua prædictum ſolvunt officium. Conceſſit LEO X. Minor. ut in Supplement. fol. 94. pag. 1. conceſſ. 294.

§. 19.

Euntium ad Congreg. gener. Indulg.

Euntibus per Obedientiam ad Congregationem generalem, conceditur Indulgentia unius anni, & 40. dierum. Euntibus autem ad Congregationem provincialem, centum dierum. Habetur in Comp. Minor. verbo *Indulgentia non plenaria, quoad Fratres. §. 1.*

§. 20.

Flectentium genua in verſu *Te ergo* Indulg.

Cum cantatur in Matutino *Te Deum Laudamus*, flectentes genua, in verſiculo, *Te ergo quæſumus*, &c. tres quarantenas. Et ad *Gratias agamus*,

in Præ-

in Præfatione, centum dies Indulgentiæ conſequimur: ſufficit tamen Sacerdotibus ſi in Miſſa, ad *Gratias agamus*, ſe inclinent. Ita ex privileg. Carthuſien. habetur manuſcript. fol. 48. pag. 1.

§. 21.

Sabbato in Ramis Palmarum, poſſumus liberare unam animam à Purgatorio, dicendo Pſalmos pœnitentiales, vel quinquies *Pater noſter*, & *Ave Maria*, ante Sacramentum Altaris; & pro Papa LEONE X. qui id conceſſit, unam Coronam B. Virginis. Idemque pariter poſſumus in die feſto S. Ioannis Evangeliſtæ, & die ejusdem ante portam Latinam. Conceſſum eſt Minoribus, ut in eorum Suppl. fol. 61. pag. 1. conceſſ. 148. Indulg. liberandi animam à Purgat.

§. 22.

Tam Noſtri, quam quilibet alii Chriſti fideles dicentes 15 *Pater*, & *Ave*, pro exiſtentibus in peccato mortali, toties quoties id fecerint, tertiæ partis peccatorum remiſſiones conſequuntur. Habetur in Supplem. Min. fol. 94. pag. 2. conceſſ. 300. Indulg. pro Noſtris orantibus pro exiſtentibus in peccato mortali.

§. 23.

Omnes Chriſti fideles, qui vere pœnitentes, & confeſſi, ac communicati, in die Circumciſionis, vel alio, per Præpoſitum Generalem, ſeu per Superiorem loci viſitandi, ſemel pro ſemper nominando, aliquam Eccleſiam, ſeu Capellam, aut pium locum Societatis, ubicumque Noſtros habitare contigerit, (dummodo ſi ſint plures Eccleſiæ Societatis in eadem civitate, terra, aut loco, una tantum ad id per Præpoſitum Generalem ſtatuatur, annis ſingulis, præterquam Iubilæi, à primis Veſperis usque ad occaſum Solis ejusdem diei, devote viſitaverint, & ibi quinquies orationem Dominicam, & totidem ſalutationem Angelicam recitaverint, vel alias ad Deum orationes pro ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione fideique Catholicæ incremento effuderint, plenariam Indulgentiam in forma Iubilæi conſequentur. GREGORIUS XIII. pag. 188. adjunctis litteris PAULI III. pag. 49. & ſeq. Indulg. plen. pro viſitantibus noſtras Eccleſias.

In electione autem locorum præferatur ſemper Eccleſia Domus profeſſæ. Electio locorum.

§. 24.

Quicumque Chriſti fideles, qui vere pœnitentes, & confeſſi, aut propoſitum temporibus à jure ſtatutis confitendi habentes, eccleſias, & alia pia loca Societatis in diebus Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Corporis Chriſti, necnon diebus Veneris, & Dominicis totius anni, ac Quadra- Indulg. pro viſitantibus Eccleſias noſtras in die Circumciſionis, &c.

geſimalibus, usque ad octavam Paſchæ viſitaverint, & inibi ſemel *Pater*, & *Ave* recitaverint, & verbum Dei, ſi in illis prædicetur, devote audierint, ſeptem annos, & totidem quadragenas, de injunctis eis pœnitentiis conſequentur. PAVLVS III. pag. 50.

§. 25.

Indulg. plen. ſemel in vita, &c.

Omnes Chriſti fideles, qui confeſſi, & corde contriti fuerint, aut confitendi firmum propoſitum habuerint, ac in honorem & devotionem Paſſionis Chriſti preces devote effuderint, & poſtea idoneo alicui Societatis Presbytero, aut Societati, Præpoſitove Generali Obedientiam præſtanti confitentur, plenariam Indulgentiam ſemel in vita conſequuntur, in forma Eccleſiæ conſueta. PAVLVS III. in Vivæ vocis orac. pag. 6. & ſeq.

§. 26.

Indulgentia pro quotidie viſitantibus Eccleſias noſtras.

Quolibet anni die, viſitans eccleſias noſtras, conſequitur annum, & 244. dies, & qualibet die Quadrageſimæ, conſequitur annos quatuor, dies 236. Indulgentiæ. Habetur in Monum. Minor. fol. 71. conceſſ. 181. & 182.

§. 27.

Indulg. pro audientibus conciones noſtrorum.

Venientibus communiter ad ſermones annuales audiendos ad loca noſtra, conceduntur ſimiliter anni tres, & dies duo indulgentiarum. Habetur in Supplem. Minor. fol. 3 conceſſ. 401. Et per conceſſionem Minoribus factam, conceduntur iis qui audiunt Prædicationes Noſtrorum, anni quindecim Indulgentiarum. Habetur in Monument. Minor. fol. 260. conceſſ. 649.

§. 28.

Indulg. plenar. pro parentibus Noſtrorum.

Patres & matres eorum, qui ſunt de Societate, præſentium & futurorum, etiam defunctorum in Purgatorio exiſtentes, Indulgentiam plenariam conſequuntur. Conceſſit CALIXTVS III. Minoribus, ut in Monum. fol. 65. pag. 2. conceſſ. 90. prout refertur in Comp. Minor. verbo *Indulgentiæ, quoad ſeculares*. §. 1.

§. 29.

Indulg. pro Procuratoribus noſtris, &c.

Procuratores noſtri, & eorum Subſtituti, necnon eorum filii, parentes, fratres, & uxores, poſſunt promereri Indulgentias Stationum Romæ, ſicut Noſtri, recitando in noſtris eccleſiis quinque *Pater noſter*, & *Ave Maria* pro Summo Pontifice, & felici ſtatu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ illis diebus, ſicut ſunt Romæ. Conceſſit INNOCENTIVS VIII. ut habetur in Supplem. Minor. fol. 99. pag. 2. conceſſ. 367. Per conceſſionem autem eisdem

Mino-

Minoribus factam, de qua in eorum Monum. fol. 70. p. 2. ante finem, Medici ordinarii Noſtrorum gaudent eiſdem indulgentiis, quibus & Procuratores locorum.

§. 30.

Noſtri de Societate, ac ejusdem utriusque ſexus Tutores, & Fundatores, & Procuratores, ac eorum liberi ſemel in vita & in morte plenariam omnium peccatorum veniam, & indulgentiam conſequuntur. Conceſſum eſt Minimis, ut in eorum Libello fol. 33. pag. 1. & in Supplem. Minor. fol. 11. conceſſ. 45. Indulg. plenar. ſemel in vita pro Noſtris, & fundatoribus, &c.

Omnibus Noſtris, etiam Novitiis, fit facultas conſequendi non ſolum indulgentias hoc verbo contentas, ſed & quascumque alias quomodocumque conceſſas, ſeu inpoſterum concedendas. Communicatur etiam Novitiis.

INDVLTA.

Non licet Noſtris uti indultis Pontificum, aut ea poſtulare, aut obtenta retinere, absque facultate Superiorum Societatis, juxta ea quæ habentur verbo *Abſolutio*. §. 9. & verbo *Privilegia*. §. 3. Similiter de Confesſionali impetrato, vide ſupra verbo *Confeſſionale*. Interdicitur uſus indultorum Pontificiorum.

INFIRMI.

§. 1.

PRÆPOSITVS Generalis, & alii quibus ipſe ſuam auctoritatem ad id communicaverit, commutare poſſunt Divinum officium Noſtrorum, quos infirmitate excuſandos judicaverint, in aliud opus pium, ſeu leviorem orationem, durante tamen infirmitate IVLIVS III. pag. 75. Commutatio officii divini pro infirmis.

§. 2.

Per privilegium Fratrum S. Hieronymi, Noſtri infirmi, ſenes, ac valetudinarii, qui tenentur ad Horas Canonicas, ſatisfaciunt recitando aliquos pſalmos, vel id quod ſuis Confeſſoribus viſum fuerit. Conceſſit MARTINVS V. ut refertur in Comp. Minor. verbo *Infirmi.* §. 11. Satisfaciunt recitando aliquos pſalmos.

§. 3.

Per privilegium conceſſum ab EVGENIO IV. Fratribus S. Hieronymi, Noſtri infirmi ſeu debiles ſatisfaciunt Horis Canonicis, ad quas tenentur, Satisfaciunt audiendo ab alio.

tur, audiendo eas ab alio, vel ab aliis recitari. Refertur in Comp. Minor. verbo *Infirmi.* §. 13.

Quibus communicetur.

Facultatibus hujus Verbi uti poſſunt omnes Superiores, & etiam Confeſſarii, ſi Superiori videbitur.

Vide verbo *Indulgentiæ.* §. 2. & 6. & vide etiam verbo *Profesſi.* §. 1.

INQVISITORES.

Vide verbo *Exemptio.* §. 3.

INSTITVTVM.

§. 1.

Interdicitur diſputatio, vel impugnatio noſtri Inſtituti, &c.

OMNIBVS cujuscumque ſtatus, gradus, & præeminentiæ exiſtant, præcipitur in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub pœnis excommunicationis latæ ſententiæ, necnon inhabilitatis ad officia, & beneficia ſecularia, & quorumvis Ordinum Regularia, eo ipſo absque alia declaratione, incurrendis, Sedi Apoſtolicæ reſervatis; ne Societatis inſtitutum, Conſtitutiones, aut Conſtitutionem ipſam, quam præmiſſorum occaſione GREGORIVS XIII. VIII. Kal. Iunii 1584 edidit, aut quemvis hujus, vel ſupradictorum omnium articulum, vel aliud quid ſupradicta concernens, quovis diſputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæſito colore; directe vel indirecte impugnare, vel contradicere audeant. GREGORIVS XIII. in eadem Conſtitutione pag. 237. & 238.

§. 2.

Diſtrictior præcedentis inhibitio.

Diſtrictius inhibetur, ne quis, ſive extra, ſive intra Societatem, niſi de illius Præpoſiti Generalis, aut inferiorum Præpoſitorum licentia, notationes, declarationes, gloſſas, vel ſcholia ulla ſuper Inſtituto, Conſtitutionibus, privilegiis, ac aliis contentis in Conſtitutione GREGORII XIII. edita VIII. Kal. Iunii 1584. facere; vel ea, niſi quantum verba ipſa ſonant, interpretari, aut de eis diſceptare, ſeu ſcrupulum cuiquam injicere, vel in controverſiam, aut dubium revocare audeat quoquo modo: nec gloſſas, aut interpretationes, ſive impreſſas, ſive ſcriptas ad id pertinentes legere, docere aliisve tradere, vendere, vel apud ſe retinere præſumat. GREGORIVS XIII. in eadem ſua Conſtit. pag. 238.

De Societatis Inſtituti declaratione vide verbo *Conſtitutiones.* §. 1. & 2. & verbo *Generalis.* § 5. & 6.

§. 3. Ne

§. 3.

Ne Societatis Inſtitutum, Conſtitutiones, aut Decreta, vel ex iis, aut illa concernentibus quippiam impugnent, vel alterari curent; aut contra, vel præter ea agant, vel quippiam ulli alii alterandum, præterquam Romano Pontifici, idque immediate, vel per Legatum, aut Societati, vel Præpoſito proponant. GREGORIVS XIV. Conſtit. pag 284. & 285. Idem per GREGOR. XIV.

INTERDICTVM.

§. 1.

POSSVNT Noſtri in locis, in quibus degunt, & eos pro tempore morari contigerit, tempore interdicti quavis, etiam Apoſtolica, auctoritate appoſiti, januis clauſis, & excommunicatis ac interdictis excluſis, ſubmiſſa voce, Miſſas & alia Divina Officia celebrare, Sacramenta recipere, & aliis miniſtrare, dummodo ipſi cauſſam non dederint interdicto, nec contingat id ipſis ſpecialiter interdici. PAVLVS III. pag. 42. Facultas celebrandi tempore interdicti.

§. 2.

Si quando in terris, in quibus aliqui ex Noſtris reſederint; vel in eorum perſonas ſententiam excommunicationis, aut interdicti promulgari contigerit; pueri, ſeu familiares, noſtris ſervitiis deputati, & eorum, ac Societatis negotiorum procuratores, & operarii hujuſmodi ſententiis obnoxii minime habeantur: ibique poſſunt audire divina, niſi eisdem cauſſam dederint, vel eosdem ſpecialiter excommunicari, ſeu interdici contigerit. PAVLVS III. d. pag. 42. & ſeq. Idem pro noſtris familiaribus, &c.

§. 3.

Per privilegia Auguſtinianorum, quæcumque conceſſa ſunt Societati pro tempore interdicti generalis, ea omnia conceſſa intelliguntur pro tempore interdicti ſpecialis. IVLIVS II. prout habetur in privilegiis ejuſdem Ordinis fol. 43. pag. 2. ante finem, ut in Supplemen. Minor. fol. 95. conceſſ. 310. Idem privilegium de interdicto ſpeciali.

§. 4.

Per privilegium Monachorum S. Benedicti in Hiſpania, poſſunt Noſtri tempore interdicti generalis, vel ſpecialis, à jure vel ab homine quomodocumque lati, libere in noſtris Domibus, & Collegiis ſuis, Eccleſiis, aut capellis recipere ad audiendum Miſſam, & alia divina officia, quoscumque familiares, officiales, & ſervitores cujuscumque Domus, aut Collegii Noſtrorum, Privilegium pro adminiſtrandis Sacramentis familiaribus, &c.

ſtrorum, ac eis Euchariſtiam & alia Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, eorumque corpora tumulare, ſive tumulari facere, dum tamen nullus iſtorum dederit cauſam interdicto, ſecreto tamen modo, januis clauſis, & campanis non pulſatis. Conceſſit EVGENIVS IV. ut refertur in Comp. Minor. verbo *Interdictum* 3. §. 11.

Quomodo intelligantur.

Quod hic de Sacramentis dicitur, intelligatur juxta id quod verbo Familiares, *§. 5. in Communicatione dictum eſt.*

§. 5.

Quænam poſſint Noſtri tempore interdicti.

Poſſunt Noſtri tempore interdicti & ceſſationis à divinis, quacumque auctoritate etiam Apoſtolica impoſitorum (dummodo hujuſmodi interdicto cauſſam non dederint, nec id eis contigerit ſpecialiter interdici) apertis januis, pulſatis campanis, nominatim interdictis & excommunicatis excluſis, Miſſas, proceſſiones, & alia divina officia ſolemniter in cantu celebrare, quoties profeſſionem emiſerint, aut primam Miſſam celebraverint, ſeu eos in eccleſiis, vel cœmeteriis Domorum, vel Collegiorum, ſeu aliorum locorum noſtræ Societatis humanda cadavera Eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ contigerit. LEO X. eiſdem Religioſis Congregationis S. Benedicti in Hiſpania; & refertur in Comp. Minor. verbo *Interdictum* 2 §. 10.

Qualis uſus.

Poſſunt Noſtri in Divinis Officiis more Societatis celebrandis, & Noſtrorum ſepulturis, uti hoc privilegio, ubi ceteri Religioſi uterentur, & Prælati non offenderentur, alioquin ne utantur.

§. 6.

Idem tempore ceſſationis à Divinis.

Ex declaratione facta Minoribus per LEONEM X. conceſſum eſt Noſtris in foro conſcientiæ, quod in forma obſervationis nulla ſit differentia inter ceſſationem à divinis, & interdictum quodcumque. Habetur in Supplem. Min. fol. 59. conceſſ. 165.

§. 7.

Horæ canonicæ tempore interdicti.

Tempore interdicti aut ceſſationis à Divinis poſſumus in foro conſcientiæ duo vel plures extra eccleſiam in domibus noſtris officium Divinum dicere: & quando extra chorum horas dixerimus, ſi transeuntes perſonæ interdictæ caſu aliquid audierint, nullam propterea cenſuram incurremus. Nec tenemur evitare laborantes in noſtris Domibus, aut Collegiis, diebus quibus laboraverint, etiamſi non ſint famulares, & ſervitores, continui commenſales noſtri, & eis ſolvatur ſalarium. Conceſſit SIXTVS IV. & habetur in Supplem. Minor. fol. 56. conceſſ. 166. & 167.

Non tenemur evitare, &c.

Non

Non obſtantibus his, quæ in hoc verbo dicta ſunt, mandante Epiſcopo, Noſtri interdicta non ſolum à Sede Apoſtolica, ſed etiam ab Ordinariis promulgata publicare ac ſervare debent, ut decrevit Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 12. de Regul. Qualis uſus.

Vide verbo *Conſervator.* §. 6. & verbo *Prælati.* §. 2.

INTERPRETATIO.

Vide verbo *Declaratio.*

IRREGVLARITAS.

Vide verbo *Diſpenſatio.* & verbo *Titulus.*

IVBILÆVM.

CVi poſſint confiteri Noſtri tempore Iubilæi, vide verbo *Abſolutio.* §. 11. Iubilæum vero, quod Societati conceditur, habetur verbo *Indulgentiæ.* §. 23. ubi etiam vide quod in fine ejusdem Verbi habetur. Tempore Iubilæi confeſſiones Noſtrorum.

IVDEX.

Vide verbo *Appellatio.* & verbo *Conſervator.*

IVRAMENTVM.

Vide verbo *Confeſſarius.* §. 6. & verbo *Commutatio.* §. 1.

LAICI.

Vide verbo *Sacra*, §. 1.

LECTORES.

PRÆPOSITVS Generalis habet poteſtatem ubilibet deputandi Lectores Theologiæ & aliarum facultatum, quos ex Noſtris in Domino idoneos judicaverit, alterius licentia ad id minime requiſita. PAVLVS III. in litter. Apoſtolicis. pag. 50. Facultas deputandi lectores Theologiæ, &c.

Hæc facultas conceditur Provincialibus juxta ordinem præſcriptum in eorum Regulis. Communicatur Provincialibus.

LEGATA.

Legata pia, quæ Societati relinquuntur, an à Superioribus commutari poſſint, vide verbo *Commutatio.* §. 3. & 4.

LIBRI PROHIBITI.

§. 1.

Facultas legendi libros hæreticos, ad oppugnandum.

PRæpoſitus Generalis conſideratè, cum delectu, & re conſultata cum ſuis Aſſiſtentibus, poteſt concedere Noſtris facultatem legendi libros hæreticos, & alios prohibitos, ad oppugnandum. GREGORIUS XIII. poſt PIUM V. ut habetur in litter. Apoſtolicis pag. 138.

§. 2.

Facultas legendi libros non hæreticos, prohibitos tamen,

Poſſunt Noſtri uti libris non hæreticis, licet habeant annotationes & ſcholia auctorum hæreticorum, aut auctores ipſi mali ſint ſi libri non ſint editi ad ſtabilienda dogmata hæretica, dummodo nomen auctoris, ſi ſit hæreticus, aut in Indice prohibitus, & ſi quid inter legendum impium occurrerit, deleatur. ibid. & pag. ſeq.

Communicatur Provincialibus.

Soli Provinciales poſſunt hanc facultatem, & ſequentes concedere, niſi judicarent eamdem poteſtatem alicui Præpoſito, aut Rectori magnæ alicujus Domus, aut Collegii, aut alicui idoneæ perſonæ eſſe communicandam; quod tamen faciant conſiderate & cum delectu.

§. 3.

Facultas emendandi libros.

Conceditur Noſtris, qui à Superiore deputati fuerint, facultas emendandi libros eorum qui ad nos vel in Scholis vel extra illas recurrere ſolent, quando auctores pii ſunt, ſed habent prava ſcholia vel annotationes; aut quando auctores, aut impreſſores ſunt impii, non tamen libri: aut cum auctores ſunt ethnici, ſed habent ſcholia, annotationes, vel quid hujusmodi, propter quod prohibiti ſunt, donec purgentur, dummodo errores, & nomina malorum auctorum, vel impreſſorum deleantur, in d. litteris GREGORII pag. 138.

§. 4.

Etiam Scholaſticorum.

Conceſſit item GREGORIUS, quod Noſtri, non ſolum noſtros, quos in Collegiis, aut Domibus haberent, ſed etiam Scholaſticorum ad noſtras ſcholas confluentium libros ethnicorum auctorum propter ſcholia, annotationes, commentaria, aut impreſſorum in Indice prohibitos, ſi ad id à Præpoſito Generali per ſe ipſum vel per alios deputati forent, emendare, & ſcholaſticis prædictis utendos relinquere poſſint, deletis tamen erroribus, & nominibus auctorum prohibitorum. pag. 135.

§. 5.

§. 5.

Noſtri in libris ſuis, poſſunt mandare executioni ea, quæ in catalogo & decreto Sanctæ Romanæ & Vniverſalis Inquiſitionis præcipiuntur, ad effectum ut illi retineri poſſint. Ibidem. Noſtri poſſunt exequi ea, quæ in catalogo, &c.

§. 6.

Omnes prædictæ facultates, quæ à PIO V. GREGORIO XIII. vivæ voc. orac. & quæcumque aliæ ſuper hujusmodi libris habendis, legendis, aut corrigendis, usque ad 8. Ianuarii, Anni Domini 1575. Societati conceſſæ ſunt, approbantur & confirmantur: omnes defectus, ſi qui forſan in eis intervenerunt, ſupplentur: & facultates ipſæ, quatenus opus ſit, de novo conceduntur. in d. litteris p. 140. Supplentur omnes defectus.

Præmiſſa omnia conceduntur non obſtantibus Bullis in Cœna Domini legi conſuetis, ceterisque contrariis quibuscumque. Ibidem, & verbo *Bulla Cœnæ.* Conceduntur omnia præmiſſa, non obſtantibus Bullis.

LICENTIA.

An licentia nobis facta ad commutanda aliqua vota, &c. per Prælatos Eccleſiarum, expiret eorum morte, vide verbo *Sede vacante.* Votorum commutatio.

LITES.

Vide verbo *Cauſſa.* & verbo *Conſervator.*

MATRIMONIVM.

OMnes, qui in Societatem admiſſi, biennio probationis à quolibet eorum peracto, tria vota ſubſtantialia, tametſi ſimplicia, emiſerint, emittentve in futurum, inhabiles eſſe antequam à Societate dimittantur, ad matrimonium contrahendum; contractusque hujusmodi nullos & irritos decrevit GREGORIVS XIII. edita Conſtitutione pag. 237. Poſt tria vota inhabilitas ad matrimonium.

MEDICI.

OMnes Noſtri, qui Medicinæ periti fuerint, poſſunt mederi quibuscumque perſonis infirmis, ſive noſtræ Societatis ſint, ſive extranei & ſeculares, absque ullo conſcientiæ ſcrupulo, aut aliquarum ſententiarum & cenſurarum Eccleſiaſticarum, vel aliarum pœnarum incurſu; quando tamen Medici ſeculares commode haberi non poſſunt: dummodo id faciant de ſuorum Superiorum licentia, & citra aduſtionem, & inciſionem per ſeipſos faciendam. GREGORIVS XIII. pag. 152. & ſeq. Facultas medendi.

Hanc facultatem concedere poſſunt omnes Superiores.

Conceditur Superioribus.

Quas indulgentias conſequantur Medici noſtri Ordinarii, vide ſupra verbo *Indulgentiæ*. §. 29.

MISSA.

§. 1.

Omnes poſſunt audire Miſſas in noſtris Eccleſiis.

OMnes Chriſti fideles, qui concionibus Noſtrorum intervenerint, poſſunt ejusmodi diebus in Eccleſiis, in quibus Noſtri concionabuntur, Miſſas & alia Divina Officia audire, & Sacramenta recipere, ita ut non teneantur pro his adire ſuas parochias. PAVLVS III. pag. 43.

§. 2.

Audientes Miſſas in noſtris Eccleſiis ſatisfaciunt præcepto.

Audientes Miſſas in noſtris Eccleſiis, Dominicis aliisque feſtivis diebus, non contempto proprio Sacerdote Parochiali, ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ, nec in aliquam labem peccati mortalis, pœnamve propterea incurrunt. Conceſſit LEO X. ut habetur in Suppl. fol. 27. pag. 2. conceſſ. 90. Idemque poſtea confirmavit ipſemet LEO, ut in eodem Suppl. fol. 46. in fine, & ſequenti.

§. 3.

Poſſunt Noſtri celebrare ante auroram, &c.

Poſſunt Presbyteri Societatis celebrare Miſſas per horam ante auroram, & infra horam poſt meridiem, itineris, vel alterius legitimi impedimenti cauſſa, de licentia Præpoſiti Generalis, vel cujuslibet alterius ad id ab eo deputati. GREGORIVS XIII. pag. 189.

Communicatur Superioribus.

Hæc facultas communicatur omnibus Superioribus, & iis quibus ipſi commiſerint.

Vide verbo *Altare.* & verbo *Horæ Canonicæ.* §. 1. & 5. & verbo *Interdictum.* §. 4. & 5.

MISSIONES.

Vide verbo *Generalis.* §. 2. & 3. & verbo *Prælati.* §. 1.

MONIALES.

AN Noſtri poſſint compelli ad Monialium curam recipiendam, &c. Vide verbo *Exemptio.* §. 10.

NOTARIVS.

Facultas deputandi Notarios, &c.

PRæpoſitus Generalis, ac Provinciales in unaquaque eorum Provincia poſſunt creare & deputare in Notarios, unum, duos, tres, quatuor, vel quin-

quinque, aut plures Religioſos Societatis, qui probi ſint, & fide doctrinaque idonei, qui intimare poſſint, quoties requiſiti fuerint, omnia & ſingula mandata, privilegia, conceſſiones, & indulta, ac Societati, ſeu ejus perſonis conceſſa, & emanata, reſcripta Apoſtolica, quibusvis perſonis ſecularibus, aut Eccleſiaſticis: eosque monere, & requirere, juxta prædictorum tenorem, aliaque omnia opportuna exequi, & de his publica coram teſtibus requiſitis inſtrumenta conficere, quibus eadem adhibeatur fides in judicio & extra, ac ſi per alios authenticos Notarios fuiſſent authenticata; ac eosdem ſic intimatos, monitos, & requiſitos eis arctari debere. Conceſſit PIVS V. Ordini Prædicatorum, adjecta pœna ſuſpenſionis à Divinis quoad Archiepiſcopos & Epiſcopos; & excommunicationis ipſo facto quoad inferiores, adjectis item maximis clauſulis derogatoriis. Habetur in privilegiis impreſſis. fol. 192. cum ſeq. & in dicto privilegio fit ampla derogatio etiam Conciliorum.

Facultas hæc communicatur Provincialibus: qua tamen non utantur niſi quando prædicta per externos commode fieri non poterunt. Communicatur Provincialibus.

NOVITII.

§. 1.

TAm in eorum admiſſiones ad Societatem, quam ad Scholaſticorum vota poſt biennium novitiatus juxta Societatis morem per Superiores admittendi ſunt. GREGORIVS XIV. Conſtit. pag. 281. Superiores admittunt.

§. 2.

Tam in Novitiis, cujuscumque generis illegitimis admittendis, quam in diſpenſationibus ad quælibet officia, gradus, & dignitates in Societate ipſis cujusvis generis illegitimis concedendis formam, & rationem omnimodam in illis Apoſtolicis diplomatis, ac privilegiis quibusvis, necnon in Conſtitutionibus, Decretis, & Regulis expreſſam libere & licite proſequi & retinere poſſe Societatem decernit, & quatenus opus ſit de novo concedit GREGORIVS XIV. in litteris pag. 294. Superiores tam in Novitiis admittendis, quam in diſpenſationibus cum eis retinent auctoritatem, &c.

OFFICIA.

§. 1.

ABſolutio ab Officiis, aut privatio, à nullo Iudice peti poteſt. PAVLVS III. p. 39. Propriique cujusque gradus judicium, & officiorum diſcretio, Abſolutio ab officiis. Officiorum diſtributio.

tio, ac diſtributio tota eſt in manu Præpoſiti Generalis, vel eorum, quos ipſe ſibi ea cum auctoritate ſubſtituerit. IVLIVS III. pag. 61.

§. 2.

Facultas circa Officium.

Facultas Officium anteponendi, & poſtponendi penes eſt Societatem. IVLIVS III. pag. 74. Eamque facultatem extendit, ut illud poſſit etiam Miſſæ ſacrificio ex cauſa poſtponi. Idem Pontifex.

Omnibus Sacerdotibus conceditur.

Hæc facultas conceditur omnibus Sacerdotibus.

ORACVLA.

Valor vivæ vocis oraculi.

NOn minoris ſunt efficaciæ & valoris Vivæ vocis oracula, quam ſi per Bullam aut Breve ad perpetuam rei memoriam eſſent conceſſa, & hoc in foro conſcientiæ tantum. Conceſſit LEO X. Minoribus, ut in Suppl. fol. 58. pag. 2. & conceſſ. 161.

Vide verbo *Communicatio gratiarum.* §. 6.

ORATORIA.

Facultas celebrandi in Oratoriis, &c.

DAtur facultas, ut in Oratoriis & Capellis, quæ Provinciales Societatis per ſeipſos in Domibus, Collegiis, & aliis locis, ubi aliqui Societatis reſidebunt, approbaverint; & ad Divinum cultum dumtaxat deputaverint, Miſſæ, & alia Divina Officia celebrari poſſint, nullius alterius, ad id requiſita licentia. GREGORIVS XIII. pag. 147.

Conceditur Provincialibus.

Non utentur Provinciales hac facultate, niſi in locis remotis ab oppidis, in quibus Ordinarii exiſtunt, aut ubi probabiliter timetur, quod illi cum opus fuerit, difficiles ſe exhibebunt ad hujusmodi Oratoria deputanda.

ORDINES.

§. 1.

Facultas ad ſacros Ordines, &c. promovendi.

POteſt Præpoſitus Generalis præſentare noſtros cuicumque Catholico Antiſtiti, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habenti: isque ſic præſentatos, absque omni promiſſione vel obligatione ipſorum ordinandorum, ad omnes ſacros Ordines promovere. PAVLVS III. pag. 43.

Declaratio.

Advertatur, hanc facultatem declarari per §. *ſequentem.*

§. 2.

Facultas Noſtros promovendi ante profeſſionem.

Noſtri, qui tria vota Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ in Societate emiſerunt, de licentia Præpoſiti Generalis poſſunt promoveri ad omnes ſacros Ordines, etiam ante ſolemnem profeſſionem emiſſam, ſi modo ſint ætate,

ætate, moribus, & doctrina idonei; non obſtante Conſtitutione PII V. quæ decretum Concilii Tridentini ſeſſ. 22. cap. 2. de Reform. ad Regulares non profeſſos extendit. GREGORIVS XIII. pag. 136. & ſeq.

§. 3.

Præcipitur & interdicitur omnibus Epiſcopis, & aliis Antiſtitibus, ne à Noſtris promovendis, qui licentiam à Præpoſito Generali Societatis pro tempore exiſtente, vel ab eo delegatis habuerint, quædam requirant vel exigant, in litteris Apoſtolicis proxime citandis contenta: ſed ipſos etiam absque ulla functione in ipſis Ordinibus, aut obſervatione interſtitiorum ad illos ſuſcipiendos; aut Inquiſitione de cantu, officiis, & cæremoniis Eccleſiaſticis idoneitate, proprii Ordinarii licentia, & aliis in alios requiſitis, ad minores, ac etiam extra tempora à jure ſtatuta, tribus Dominicis, vel aliis Feſtis diebus, etiam continuis, ad ſacros, etiam Presbyteratus, ordines promoveant, ac ſi illi omnibus requiſitis eſſent præditi. GREGORIVS XIII. pag. 212. & ſequent. Vbi etiam prohibet hujus gratiæ communicationem, etiam iis qui ſua privilegia cum Societate participant & participare poterunt.

Debent ab Epiſcopis promoveri Noſtri ſine interſtitiis, &c.

Non communicatur cum aliis.

Facultates quæ præcedentibus §§. continentur, communicantur omnibus Provincialibus, excepta facultate extra tempora, quæ in Europa reſervatur Præpoſito Generali.

Extra tempora Generali reſervatur.

§. 4.

Societatis Religioſi emiſſis votis ſimplicibus promoveri poſſunt ex GREGORII XIV. Conſtit. ad Sacerdotium pag. 283.

Noſtri poſt vota promoveri poſſunt.

PARAMENTA.

Vide verbo *Sacra*. §. 2.

PRÆDICATORES.

POſſunt Noſtri, qui idonei reperti fuerint, deputari à Præpoſito Generali ad prædicandum in quibusvis locis, atque adeo in plateis. PAVLVS III. pag. 20. Etiamſi in ſacris Ordinibus non ſint conſtituti. GREGORIVS XIII. pag. 250.

Facultas concionatores deputandi, &c.

Deputatio approbatorum Provincialibus conceditur, & quibus ipſi commiſerint. Ceterum per Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. c. 2. Noſtri in eccleſiis noſtris, ut prædicare poſſint, ultra deputationem Superiorum, egent benedictione Epiſcoporum: in alienis autem, egent eorumdem Epiſcoporum licentia.

Conceditur Provincialibus.

Ipſis

Ipſis vero Epiſcopis contradicentibus Noſtri nec in noſtris nec in alienis eccleſiis poſſunt prædicare: ut habetur eodem Concilio ſeſſ. 24. cap. 4. de Reform. Privilegium tamen, de quo ſupra verbo Confeſſarius. §. 2. *vim ſuam retinet,*

Vide verbo *Confeſſarius. §. 2.*

PRÆLATI.

§. I.

Deputati ad miniſteria Prælatorum ſub correctione Societatis ſunt.

PRæpoſiti noſtræ Societatis non tenentur deputare noſtros ad ullum miniſterium Prælatorum, niſi auctoritate litterarum Sedis Apoſtolicæ, quæ expreſſam de Societate, & hoc indulto mentionem faciant: quod ſi aliquos deputent, nihilominus deputati ſub correctione Ordinis exiſtunt, poſſuntque ab eiſdem Superioribus, cum id expedire judicaverint, removeri. PAVLVS III. pag. 39.

Notandum.

Servetur tamen quod habetur in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 12. de Regul.

§. 2.

Nullus Noſtrorum ab externo excommunicari, &c. poteſt.

Nullus Prælatus poteſt contra aliquem Noſtrorum, aut contra alios noſtra cauſa ferre ſententiam excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti contra privilegia Societatis, per PAVLVM III. conceſſa usque ad xv. Kalen. Novembris, anno Domini 1549. & ſi feratur, eſt irrita. PAVLVS III. pag. 43.

Vide tamen, quæ notantur verbo Exemptio. §. I. *in fine.*

§. 3.

Facultas Superiorum in ſubditos.

Omnes Præpoſiti Societatis, ac Rectores, quo ad Religioſos Societatis ſibi ſubditos, poſſunt per ſeipſos idem omnino, quod poſſunt Epiſcopi in Clericos & laicos ſibi ſubjectos, tam quoad facultatem abſolvendi, & diſpenſandi in irregularitatibus, de quibus in Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6. quam alias quaſcumque facultates. Conceſſit PIVS V. Fratribus Prædicatoribus XXII. Iulii anno 1571. & refertur in libro privilegiorum Minorum. fol. 127. pag. 2.

Reſervatur Generali.

Hæc facultas reſervatur Præpoſito Generali, niſi prout in particulari ſuis locis reperitur communicata in hoc compendio.

Vide verbo *Sede Vacante.*

PRÆ-

PRÆSCRIPTIO.

NVlla præſcriptio minor quam ſexaginta annorum, vel contra bona, perſonas, & loca Societatis, etiam de rebus forſan præſcriptis, in quibus adhuc iſtud tempus non eſt abſolutum, & aliis in poſterum omnibus futuris temporibus. Conceſſit EVGENIVS IV. de plenitudine poteſtatis, Ordini S. Benedicti Valliſolcti, ut habetur in manuſcriptis fol. 38. pag. 2. Et ſimile conceſſit etiam IVLIVS II. Congregationi Sancti Salvatoris, ut in eisdem manuſcriptis. fol. 68. pag. 2. Præſcriptio non minor 60. annis valet contra Societatem.

PRIVILEGIA.

§. 1.

NOSTRORVM privilegiorum per PAVLVM III. usque ad XV. Kalend. Novembris anno Domini 1549. conceſſorum, interpretatio reſervatur Sedi Apoſtolicæ. PAVLVS III. pag. 43. Quin vero inhibitum eſt omnibus Prælatis, ne præſumant interpretari privilegia nobis conceſſa, ſive clara ſint quæ interpretatione non indigent, ſive dubia contineant. Conceſſit CLEMENS IV. Prædicatoribus, ac Minoribus, ut patet ex libro privilegiorum Eremitarum S. Auguſtini. fol. 77. pag. 2. Vide verbo *Inſtitutum*. §. 2. Interpretatio privilegiorum Papæ reſervatur.

Per hoc privilegium non derogatur illi de quo infra §. 4. *&* *ſupra verbo* Generalis §. 5.

§. 2.

Si quando contigerit per unum aut plures actus contra privilegia, indulta, gratias, & immunitates Societati conceſſa, aut ipſorum aliquod à quocumque, cujuscumque conditionis, dignitatis, gradus, & ſtatus exiſtat ex negligentia, ſeu ignorantia præſentium, & futurorum, quibus ea conceduntur, aut alia quavis cauſa aliter attentari, vel obſervari, ſcienter vel ignoranter; nullum tamen propter hoc præjudicium indultis, gratiis, & immunitatibus ipſis generatur: ſed illa in ſuo vigore, & pleno robore firmitatis perpetuo permanent. Sic habetur ex privilegiis Canonicorum Regul. Lateranen. in manuſcript. fol. 50. pag. 1. Per unum aut plures actus non derogatur privilegiis, &c.

§. 3.

Nulla perſona Societatis privilegium aliquod contra communia ipſius Societatis ſtatuta poſtulare audeat, aut obtentum retinere. Conceſſit hoc VRBANVS IV. Præmonſtratenſibus, ut in manuſcriptis fol. 59. pag. 1. Si qui vero impetrabuntur hujusmodi à Sede Apoſtolica, vel ejus Legatis, ſub quacumque Interdicitur noſtris procuratio, & uſus exemptionis.

cumque forma, vel expreſſione verborum, irrita ſunt & inania. Conceſſit CLEMENS VII. Abbati & Conventui Ciſtercii Cabilon. diœceſis, habeturque in manuſcriptis fol. 44. pag. 1. Et hoc idem latius habemus per litteras LEONIS X. pro Eremitis S. Auguſtini, juxta quas, ſi privilegia à Noſtris fuerint impetrata contra Regulam, aut Conſtitutiones, aut mores Societatis, nullius momenti, ac pro infectis habenda ſunt, etiamſi à Sede Apoſtolica ſint conceſſa, niſi eisdem LEONIS litteris de verbo ad verbum, conſentiente Societate, ſit derogatum. Habetur in privilegiis dicti Ordinis. fol. 47. pag. 1.

§. 4.

In dubio in favorem Societatis interpretandum.

Quoties dubium fuerit in intellectu privilegiorum noſtræ Societatis, ſemper per Iurisperitos, & alios Iudices, in favorem Societatis fiat interpretatio. Conceſſit ALEXANDER VI. Congregationi Benedictinorum Valliſoleti, ſub datis Romæ Kalendis Aprilis Anno 1501. Pontificatus ſui anno octavo, & habetur in manuſcriptis fol. 39. pag. 2.

§. 5.

Per non uſum non derogatur privilegiis.

Poſſumus uti privilegiis nobis conceſſis, etiamſi propter ſimplicitatem, aut juris ignorantiam, eis non fuerimus uſi retroactis temporibus, dummodo eis non ſit per præſcriptionem, vel alias legitime derogatum. Conceſſit NICOLAUS IV. Carthuſienſibus, referturque in Compend. Minor. verbo *Privilegia*. §. ult. & habetur brevius in manuſcript. fol. 48. pag. 1.

§. 6.

Quæ privilegia facta Generali valeant.

Omnia privilegia facta Præpoſito Generali, vel Societati, ſive per ſe, ſive per communicationem, ſive ſint facta in forma Brevis, ſive per ſupplicationes expedita, in quibus placuit ut ſignatura ſola ſufficeret, eamdem omnino vim & efficaciam habent, tam in judicio, quam extra judicium, ac haberent ſi plumbeo ſigillo eſſent obſignata. Conceſſit IULIUS II. pro Eremitis S. Auguſtini, in eorum privilegiis fol. 42. pag. 2. Idemque conſtat ex alia LEONIS conceſſione, facta pro eisdem Eremitis, ut in eisdem privilegiis. fol. 47. pag. 1.

§. 7.

Originalibus privilegiorum aliorum Ordinum uti poſſumus.

Privilegiis originalibus, aut tranſumptis authenticis Ordinum Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, Minorum, Minimorum, ac Servorum B. MARIÆ, exhibitis in favorem Eccleſiarum, Domorum, ac Collegiorum, ſeu perſonarum Societatis, eadem fides, tam in judicio, quam extra haben-

da eſt, ac ſi pro & in favorem Societatis à Sede Apoſtolica emanaſſent, & eidem immediate conceſſa forent. Conceſſum eſt Dominicanis, ut in eorum privilegiis. fol. 157. lit. B. & C. in Supplem. Min. fol. 69.

§. 8.

Nullæ litteræ, ſeu privilegia Apoſtolica, quibusvis perſonis & quibusvis Collegiis, Capitulis, Vniverſitatibus, ſeu Conventibus, conceſſa contra tenorem privilegiorum, quæ nobis conceſſa ſunt, præjudicant Societati, ejusve Domibus, locis, aut perſonis, niſi in eis cum expreſſione Ordinum, etiam Mendicantium, & illorum Religioſorum de Societate, & illius, ac ejus Domibus, ac nobis conceſſis privilegiis, necnon quoad concedenda privilegia, & litteras, de Præpoſito Generali Societatis, qui pro tempore erit, ſpecialiter & expreſſe, ac de verbo ad verbum mentio facta fuerit. Conceſſit EVGENIVS IV. Dominicanis, ut in eorum privilegiis. fol. 108. pag. 1. & ſeq. Per privilegia vero Benedictinis per EVGENIVM LEONEM conceſſa, de quibus in manuſcriptis. fol. 42. pag. 2. & ſeq. alia etiam debent concurrere, ut aliquod ex noſtris privilegiis derogatum cenſendum ſit.

Privilegia aliis conceſſa contra noſtrum tenorem Societati non præjudicant.

§. 9.

Si qua læſio facta ſit per quosvis cujusvis ſtatus, quocumque modo vel forma, vel in futurum fiet perſonis, juribus, & rebus, ac bonis Societatis, licet culpa Noſtrorum, aut Procuratorum Societatis, ſeu Domorum, aut Collegiorum, ipſo jure non tenent, nec eſt opus reſtitutionem in integrum pro læſione hujusmodi impetrare. Conceſſit IOANNES XXIII. in favorem Monachorum Congregationis Montis Oliveti, ut habetur in privilegiis impresſis. fol. 18. pag. 2. voluitque idem Pontifex ibidem, ut ea Conſtitutio etiam ad præterita traheretur.

Læſio facta perſonis, juribus, &c. non tenet, &c.

§. 10.

Quicumque alicui concesſionum noſtrarum temere contraire auſi fuerint, excommunicationem incurrent, & ut tales ſunt publicandi: quod ſi ſint Clerici, præter hoc privantur dignitatibus & beneficiis Eccleſiaſticis, ita ut libere posſint impetrari. Concesſit LEO X. Auguſtinianis, ut in eorum privilegiis. fol. 46. pag. 2.

Excommunicantur temere contradicentes.

§. 11.

Omnia privilegia Societatis, facultates, exemptiones, immunitates, gratiæ, & indulta, tam per ſuos Prædeceſſores, quam à ſe conceſſa, Mo-

Omnia privilegia, &c. approbantur à Gregorio XIII.

tu proprio, certaque ſcientia, ac de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis approbat atque confirmat GREGORIVS XIII. pag. 210. & 235.

Vide verbo *Communicatio gratiarum.* & verbo *Generalis.* §. 8. Et qualiter perſonæ Eccleſiaſticæ, in dignitate conſtitutæ, teneantur noſtra privilegia publicare, &c. Vide juxta ea quæ habentur verbo *Conſervator.* §. 8. Et quod non derogentur per Bullam Cœnæ tempore GREGORII XIII. Vide verbo *Bulla Cœnæ.* §. 2.

PROCESSIONES.

Exemptio à proceſſionibus.

EXimuntur & liberantur Noſtri ab intereſſentia in ſupplicationibus ſeu precibus, & proceſſionibus publicis; inhibenturque Ordinarii quavis dignitate fulgentes, ne Noſtros ad intereſſendum dictis proceſſionibus quovis modo cogere, ſeu ſuper præmiſſis inquietare, ſeu inquietari facere audeant, vel permittant. GREGORIVS XIII. pag. 155. & ſeq.

PROCVRATOR.

Facultas Procuratoris generalis.

PRocurator Generalis Societatis à Præpoſito Generali inſtitutus, eo ipſo omnium Provinciarum, locorum, ac perſonarum Societatis quasvis cauſſas, etiam ſpeciale mandatum requirentes, juxta poteſtatem ſibi à Generali Præpoſito traditam agere poteſt. Conceſſum eſt à MARTINO V. Dominicanis, ut in eorum privilegiis fol. 106. pag. 2. & à BONIFACIO VIII. ut in privilegiis Auguſtin. fol. 79. pag. 1. & præced.

Explicatur in regulis.

Poteſtas ordinaria ea cenſebitur à Præpoſito Generali tradita, quam Procurator in officio ſuo præſcriptam habuerit.

De indulgentiis, quas Noſtri Procuratores externi conſequuntur, vel conſequi poſſunt, vide verbo *Indulgentiæ.* §. 29. & ſeq. & vide etiam quod habetur verbo *Interdictum.* §. 2.

PROFESSI.

§. 1.

Ipſorum habitatio in Collegiis.

NOſtri, qui ſenio confecti ſunt, vel infirmitate gravati, & ad operandum in vinea Domini non idonei, etiamſi Profeſſi ſint, poſſunt de licentia Præpoſiti Generalis, vel inferiorum, quibus hanc facultatem communicaverit, habitare in Collegiis, & ex eorum reditibus ſuſtentari. IVLIVS III. pag. 77.

Hanc

Hanc licentiam poſſunt Provinciales concedere, ſi prius Præpoſitus Generalis commode admoneri nequeat: poſtquam vero conceſſerint, Præpoſitum Generalem admoneant. Reſervatur Generali.

§. 2.

Poteſt Præpoſitus Generalis etiam Profeſſos, quos judicaverit, à Societate emittere; ipſique de ipſius licentia non tantum ad Carthuſienſium, ſed ad quemvis alium Mendicantium, vel non Mendicantium, paris, laxioris, aut arctioris obſervantiæ Ordinem, per ipſum Præpoſitum Generalem illis præſcribendum (de conſenſu tamen ſuperiorum loci illius quo deſtinabuntur) demigrare: in eiſque profeſſionem per illius Monachos, alioſve Regulares emitti ſolitam, emittere, habitumque ſuſcipere, eorumque conſueta uti diſciplina. Ipſiſque inhibetur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne quid contra præſentium tenorem audeant attentare. GREGORIVS XIII. pag. 209. ubi & prohibet hujus gratiæ communicationem etiam his, qui ſua privilegia cum Societate participant, & participare poterunt. Facultas mittendi noſtros ad quaſcumque religiones.

An hodie poſt Concilium Tridentinum ſit licitum differre profeſſionem finito novitiatu, ut ante Concilium licebat, vide ſupra verbo *Concilium Tridentinum*. Vide etiam quod habetur ſupra verbo *Apoſtatæ*. §. 10.

PROVINCIALES.

Mortuo Provinciali in partibus longinquis ac remotiſſimis, poteſt alius ejus loco eligi, dum alius per Generalem Præpoſitum mittitur. PAVLVS III. pag. 51. Provincialis electio in locum demortui.

Non utantur Noſtri hoc privilegio: ſed ubi opus erit ſequantur etiam extra Europam quod IV. Congregatio generalis præſcripſit Can. 22. Qualis uſus.

Vide verbo *Indulgentiæ* §. 10 & verbo *Notarius*.

QVARTA.

Vide verbo *Exemptio*. §. 5

RELIGIOSVS.

Motu proprio, certaque ſcientia, ac de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, declarando ſtatuit ac decernit GREGORIVS XIII. non ſolum eos, qui in Coadjutorum formatorum, ſive ſpiritualium ſive temporalium. Societatis gradus & miniſteria admittuntur, ſed & alios omnes, qui in ea biennio probationis peracto tria Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ vota pu- Tria vota ſimplicia emittentes in Societate vere religioſi ſunt.

 blica,

blica, licet ſimplicia, emiſerint, emittentve in futurum, vere & proprie religioſos fuiſſe, & eſſe, & ubique ſemper ab omnibus cenſeri & nominari debere, non ſecus atque ipſos tum Societatis, tum quorumvis aliorum Regularium Ordinum Profeſſos. pag. 220. adjuncta nova ejusdem Pontificis confirmatione pag. 236.

Vide verbo *Vota.*

RELIQVIÆ.

Facultas reliquias mittendi ex Vrbe.

POſſunt Noſtri mittere Reliquias extra Vrbem pro conſecratione altarium. Conceſſum eſt Minoribus, ut in Monum. fol. 70. conceſſ. 174. Ceterum Vivæ vocis oraculo, conceſſit PIVS V. ut quas reliquias ab amicis habere poſſemus, abſolute extra Vrbem fas eſſet mittere. Habetur in Vivæ voc. orac. p. 46.

Reſervatur Generali.

Nemo hac facultate utatur ſine ſpeciali licentia Præpoſiti Generalis.

RESERVATIO.

Vide verbo *Caſus reſervati.*

RESTITVTIO.

Quomodo à noſtris aliena reſtituenda.

SI ii qui Societatem ingrediuntur, diverſis perſonis, quæ ſciri & inveniri non poſſunt, aliqua bona reſtituere tenentur; poſſunt omnes Præpoſiti ac Rectores in locis ſibi commiſſis, bona ipſa in pios uſus convertere, prout ſecundum Deum viderint expedire. Conceſſum eſt Franciſcanis, ut in Monum. fol. 141. pag. 2. conceſſ. 334. & ſimul in privilegio Dominicanorum, de quo in eorum privilegiis fol. 153. pag. 2. ac alio Canonicorum Regularium Lateran. de quo in manuſcriptis fol. 50. hoc ipſum conceſſum eſt.

Quibus Superioribus reſervetur.

In rebus parvi momenti, hoc eſt, usque ad ſummam viginti ducatorum, ſit facultas Superioribus localibus applicandi extra Societatem: Provincialibus vero, extra Societatem ſit libera facultas quamcumque ſummam applicandi; intra Societatem vero usque ad ducentos ducatos tantum.

Vtrum in læſionibus neceſſaria ſit reſtitutio in integrum, vide quæ habentur ſupra verbo *Privilegia.* §. 9.

SA-

SACRA.

§. 1.

NOſtri qui inſerviunt eccleſiis Societatis in Sacriſtæ officio, & ſi ſacros ordines non habeant, ſi modo primam habeant tonſuram, poſſunt tangere calices & corporalia. Conceſſit ſummus Pœnitentiarius, habens tunc ad id poteſtatem, ut in Vivæ voc. orac. pag. 12. & ſeq. Per privilegia tamen Minorum omnes laici poſſunt tangere Eccleſiaſtica paramenta, calices, & corporalia debita cum reverentia, ac eadem corporalia lavare cum expedierit. Conceſſit SIXTVS, ut in Suppl. fol. 97. conceſſ. 343. juncta conceſſione CALIXTI III. quæ habetur in Monum. fol. 65. pag. 2. conceſſ. 9.

Facultas pro laicis tangendi calices, &c.

Hac facultate uti poterunt ii quibus Superior commiſerit.

Communicatur Superioribus.

§. 2.

Veſtes & pannos profanos in paramenta, & alios Eccleſiaſticos uſus, ſecura conſcientia convertere poſſumus. Conceſſit SIXTVS IV. Minoribus, ut in Supplem. fol. 97. pag. 2. conceſſ. 344.

Vſus profanorum in paramenta.

SACRAMENTA.

POSSVNT Noſtri Chriſti fidelibus Euchariſtiam & alia Sacramenta, ſine alicujus præjudicio, miniſtrare, Diœceſanorum locorum, Rectorum Parochialium, & aliarum Eccleſiarum, aut quorumvis aliorum licentia minime requiſita. PAVLVS III. pag. 26.

Facultas miniſtrandi Sacramenta.

Facultas quidem adminiſtrandi Euchariſtiam omnibus Sacerdotibus conceditur, juxta id quod dictum eſt verbo Euchariſtia. §. 2. *De Pœnitentiæ autem Sacramento jam dictum eſt verbo* Abſolutio, *& verbo* Confeſſarius.

Communicatur omnibus Sacerdotibus.

Vide verbo *Euchariſtia.* §. 2. & 3. & verbo *Abſolutio. §. 1.*

De extrema unctione quoad familiares, vide verbo Extrema unctio, *& verbo* Familiares: *quæ quoad reliquos poterit etiam, in neceſſitate tamen, & ſine præjudicio, adminiſtrari. Baptiſmus autem in neceſſitate omnibus, quod jus commune habet. Matrimonium vero nulli, niſi in Provinciis illis, in quibus neceſſitatis cauſſa id à Generali Præpoſito permiſſum fuerit.*

De ceteris Sacramentis.

SCHOLÆ.

§. 1.

PRÆCEPTORES Societatis tam qui litteras humaniores, quam qui liberales artes ac Theologiam docent, etiam in locis ubi ſunt Vniverſitates, lectiones ſuas publice legere in noſtris Collegiis poſſunt, dummodo

Facultas docendi etiam in locis Vniverſitatum.

per duas horas mane, & per unam horam poſt meridiem cum lectionibus Vniverſitatum non concurrant. PIVS V. pag. 112. Quin vero ſatis erit per unam horam de mane, & alteram de ſero non concurrere cum Vniverſitatum Lectoribus, qui id poſtulaverint. GREGORIVS XIII. pag. 190.

Communicatur Provincialibus. *Provinciales hac facultate uti poterunt: cum Vniverſitatibus tamen prudenter agant.*

§. 2.

Facultas audiendi. Omnes Scholaſtici hujusmodi lectiones audire poſſunt, & alias Scholaſticas exercitationes in noſtris Collegiis frequentare. PIVS V. pag. 112. & ſequent.

§. 3.

Noſtri promoveri poterunt ad gradus. Quicumque Scholaſtici in noſtris Collegiis Philoſophiæ aut Theologiæ auditores fuerint, in quavis Vniverſitate ad gradus admitti poſſunt: & curſuum, quos in prædictis Collegiis confecerint, ratio habeatur; ita ut ſi in examine ſufficientes inventi fuerint, non minus, ſed pariformiter ac ſi in Vniverſitatibus ipſis ſtuduiſſent, ad gradus quoscumque admitti poſſint & debeant. Idem pag. 112.

§. 4.

Excommunicantur moleſtare audentes, &c. Diſtrictius inhibetur Rectoribus Vniverſitatum, & aliis quibuscumque ſub excommunicationis infligenda pœna, ne Collegiorum noſtrorum Rectores aut Scholares in præmiſſis per PIVM V. conceſſis, quovis quæſito colore moleſtare audeant. Ibidem.

SCHOLASTICI.

Vide quæ dicuntur præcedenti verbo *Scholæ.* & verbo *Gradus.*

SCRVPVLI.

§. 1.

Poteſtas in rebus dubiis ad ſcrupulos tollendos. PRæpoſitus Generalis, ac Provinciales, adhibito, ſi res magni momenti fuerint, aliquorum Patrum conſilio, in rebus dubiis & ſcrupulis conſcientias ſubditorum tangentibus, auctoritate Apoſtolica determinare poſſunt in foro conſcientiæ, ac eorum determinationi ſubditi ſecura conſcientia poſſint ac debeant ſtare. Conceſſit LEO X. Minoribus, ut in Suppl. fol. 59. pag. 2. conceſſ 172.

Conceditur Provincialibus. *Vt hoc auctoritate Apoſtolica poſſint facere, conceditur Provincialibus: quod tamen raro facient, & cum fecerint, Generalem admoneant.*

§. 2.

§. 2.

Omnes Noſtri qui ſunt nimis ſcrupuloſi, poſſunt in omnibus dubiis, ſuam conſcientiam tangentibus, ſecura conſcientia ſtare determinationi ſui Præpoſiti, vel Rectoris. Conceſſit LEO X. ut habetur in Suppl. fol. 93. pag. 1. conceſſ. 287. Noſtri in ſcrupulis acquieſcere poterunt Superioribus.

SEDE VACANTE.

Licentia nobis conceſſa à Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, audiendi confeſſiones ſubditorum ſuorum, prædicandi, & aliqua vota in alia pietatis opera commutandi in ſuis civitatibus, & diœceſibus, ipſis mortuis, uti poſſumus, donec viduatis Eccleſiis proviſum fuerit de Paſtore. Conceſſum eſt Dominicanis, ut in eorum privilegiis, fol. 55. pag. 2. & Franciſcanis, ut in Monum. fol. 113. conceſſ. 244. Facultates ab Epiſcopis conceſſæ durant Sede vacante.

Advertatur quod etſi in hac gratia aliud videatur innui, tamen dicta facultas non exſpirat etiam donec per ſucceſſorem revocetur. Notandum.

SENEX.

Vide quæ habentur verbo *Infirmi*. §. 2. & verbo *Indulgentiæ*. §. 6.

SEPVLTVRÆ.

Inhibitum eſt omnibus religioſis, & aliis ſecularibus, ne aliquorum defunctorum corpora in noſtris cœmeteriis ſepelire, aut in eccleſiis noſtris Miſſarum ſolemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca noſtra tumulandi feruntur, ibidem exequias celebrare ſine noſtro aſſenſu præſumant. Conceſſum eſt Minimis, ut in eorum Mari magno, de quo in eorumdem libello fol. 38 pag. 2. Poſſumus autem libere in eccleſiis & cœmeteriis noſtris omnes, qui in eis ſe ſepeliri deliberaverint (exceptis excommunicatis, interdictis, ac publice uſurariis) ſalva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumentur, ſepelire: ut eiſdem Minimis conceſſum eſt, & habetur dicto fol. pag. 1. & ſeq. Interdicitur omnibus jus ſepeliendi in noſtra Eccleſia. Facultas ſepeliendi, &c.

Hæc facultas, quod attinet ad inhibendum, omnibus Superioribus communicatur: quoad ſepeliendum autem Præpoſito Generali reſervatur, juxta inſtitutum. Reſervatur Generali.

Vide verbo *Eccleſia*. §. 3. & verbo *Familiares*. §. 1. & verbo *Interdictum*. §. 4. & 5.

SIMONIA.

Diſpenſatio in conventionibus circa beneficia, &c.

IN unionibus, annexionibus, incorporationibus, & reformationibus, ſeu receptionibus Monaſteriorum, Prioratuum, vel aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum pro noſtra Societate faciendis, poſſunt omnes Præpoſiti ac Rectores cum Prælatis, & perſonis quæ monaſteria, ſeu beneficia hujuſmodi obtinent, voluntque dimittere in commodum Societatis, vel alicujus Domus, ſeu Collegii ejuſdem Societatis, inire conventiones, & pacta, quæ illicita, & quando Apoſtolica confirmatione carerent, expreſſe prohibita cenſerentur. Conceſſit LEO X. Camaldul. ut in manuſcript. fol. 22. pag. 2. Et idem ferme conceſſit ALEXANDER Benedictinis, ut eodem, fol. 41. pag. 2.

Reſervatur Generali.

Hac facultate nullus utatur: & ſi quid de præſenti occurrat, conſulatur Generalis.

SOCIETAS IESV.

§. 1.

Declaratur Societas mendicans.

SOcietas, ejuſque perſonæ mendicantes eſſe declarantur à PIO V. pag. 118. & ſeq. & omnes qui tria vota elapſo novitiatus biennio, in Societate emittunt, eſſe vere religioſos, habetur in declaratione GREGORII XIII. de qua latius ſupra verbo *Religioſus.*

§. 2.

Impedientes vel moleſtantes ingreſſuros noſtram Societatem excommunicantur.

Iuxta privilegium EVGENII IV. conceſſum Benedictinis, prohibitum eſt, ne quis cujuſcumque ſtatus ſit aut conditionis, audeat venientem de ſeculo ad religionem in noſtra Societate, impedire, vel alienare, vel moleſtare, ſub pœna excommunicationis, à qua non niſi in articulo mortis valeat abſolvi ab alio quam per Sedem Apoſtolicam. Habetur in manuſcrip. fol. 38. pag. 2. Item per privilegium conceſſum Congregationi Sancti Salvatoris, de quo in dicto loco fol. 66. pag. 1. qui ſupradictis, vel eos recipientibus occaſione prædicta injuriam vel moleſtiam irrogare præſumpſerint, ſi hujus privilegii notitiam habuerint, vel qui illud ignoraverint, poſtquam ad illius notitiam pervenerint, ſi à præmiſſis injuriis & violentiis non deſtiterint, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt, à qua præterquam in mortis articulo conſtituti, niſi à Sede Apoſtolica abſolutionis beneficium nequeant obtinere.

Habita notitia non deſiſtentes, ipſo facto excommunicantur.

Facul-

Facultas hæc notificandi communicatur Superioribus. De facultate autem declarandi vide verbo Apoſtatæ. Vſus.

Vide verbo *Commutatio.* §. 2. & 3. & verbo *Exemptio.* & verbo *Communicatio gratiarum.* Item & verbo *Alienatio.* §. 2. & alibi ſæpe in hoc Compendio, ſed præcipue in dictis locis.

§. 3.

Poteſtatem dimittendi tamquam rem magni momenti ad Societatis conſervationem eſſe omnino retinendam. GREGORIVS XIV. Conſtitut. pag. 283. Poteſtas dimittendi.

SODALITAS.

§. 1.

PRimaria Congregatio auctoritate Apoſtolica erigitur & inſtituitur, cum Indulgentia plenaria pro ſodalibus in ingreſſu, & mortis articulo. GREGORIVS XIII. in litteris pag. 256. Plenaria pro omnibus in die Annuntiationis, & quinquies in anno pro Sodalibus. Item Indulgentia toties quoties pro Sodalibus, qui corpora Defunctorum aſſociaverint, & ſimiles. Idem pag. 257. Indulgentia plenaria.

§. 2.

Sodales ubivis locorum poſſunt conſequi prædictas Indulgentias. Idem pag. 258. Item Indulgentias ſtationum Vrbis, viſitantes Eccleſiam Societatis, ubi adſit, vel aliam quamcumque. Idem pag. 259. Poſſunt Sodales ubique conſequi.

§. 3.

Præpoſito Generali, ſeu Vicario pro tempore exiſtenti, facultas conceditur quaſcumque alias Congregationes in Collegiis extra Vrbem erigendi & aggregandi. Idem pag. 259. Aggregatis quævis Primariæ indulta & Indulgentias concedendas. Item pag. 260. Item facultas Congregationes viſitandi, ſtatuta condendi, examinandi, & approbandi. Idem p. 261. Generalis poteſt erigere, &c. Congreg.

§. 4.

Præcedentis facultatis extenſio ad plures etiam non Scholarium, Congregationes, in quibusvis Societatis locis erigendi, aggregandi, & aggregatis Primariæ, & aliarum Congregationum Indulgentias communicandi & concedendi. SIXTVS V. in Bulla extenſionis pag. 269. & ſeq. Extenditur prædicta facultas.

§. 5.

Extenditur facultas quaſcumque alias ſimiles Congregationes erectas, & in poſterum erigendas inſtituendi & aggregandi, Primariæ Colle- Extenditur ad Reſidentias.

gii Romani: illiusque Indulgentias, & gratias ſpirituales per quoſcumque Romanos Pontifices conceſſas communicandi, ad quaſcumque Reſidentias Societatis, conceſſit CLEMENS VIII. anno 1601. pag. 301.

SVBSIDIA.

Vide verbo *Exemptio.*

TITVLVS.

Defectus in titulis, & unionibus beneficiorum ad annum 1570. ſupplentur.

PEr gratiam conceſſam Prædicatoribus, omnes tituli à Sede Apoſtolica, vel illius Legatis, bonorum temporalium, ac uniones beneficiorum Societatis usque ad diem XVIII. Ianuarii anno Domini 1570. conceſſi, confirmantur, & de novo conceduntur: defectus quicumque illi ſint, ſupplentur: abſolutio à fructibus male perceptis, & à cenſuris propterea incurſis in utroque foro conceditur, & in irregularitate diſpenſatur. Tenentur tamen Noſtri adimplere pœnitentias, quas Confeſſores, quos ipſi ad id elegerint, propter præmiſſa injunxerint. PIVS V. ut in privilegiis impreſſis. fol. 185. & ſeq.

Vſus.

De electione Confeſſarii ſervetur regula & privilegium Societatis, de quo verbo Abſolutio. §. 11. *& verbo* Gratiarum uſus. §. 2. *Quod attinet ad uniones præcedens privilegium revocatum fuit per* GREGORIVM XIII. *ut in ejus Bulla ſub data Kalend. Martii anno 1572. quæ incipit*, In tanta.

TRANSLATIO AD ALIVM ORDINEM.

Vide quæ habentur verbo *Apoſtatæ.* §. 10. & 11. & verbo *Profeſſi.* §. 2.

VISITATORES.

Indulg. plenar. pro noſtris in viſitatione.

POſſunt Viſitatores noſtræ Societatis in ſingulis Collegiis & Societatis locis abſoluta viſitatione concedere Noſtris benedictionem & Indulgentiam plenariam, & hoc in perpetuum. Vivæ vocis oraculo, conceſſit GREGORIVS XIII. ut in Vivæ vocis orac. pag. 126. in fine.

VNIONES.

Revocationes unionum, &c.

VNionibus Monaſteriorum, Eccleſiarum, Prioratuum, aut aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum factis Societati, vel faciendis per Sedem Apoſtolicam, nullum præjudicium fit per quaſcumque revocationes & annulla-

nullationes unionum per LEONEM X. ejusque ſucceſſores factas, niſi in eis litteræ unionum de verbo ad verbum insererentur, & fieret individua & ſpecifica mentio de ipſis Monaſteriis, & locis, & Societate. Conceſſit LEO X. Camaldulen. ut in manuſcriptis fol. 23. pag. 1. & ſeq. Simileque omnino privilegium quoad revocationes per ſe aut ſucceſſores ſuos factas, conceſſit IVLIVS II. Congregationi Sancti Salvatoris, ut in eisdem manuſcriptis. fol. 69. pag. 1. & ſeq. Habetur & circa hoc privilegium ab EVGENIO IV. Benedictinis conceſſum, ut in dicto loco. fol. 38. & latius fol. 41. pag. 1.

Poteſt nihilominus Epiſcopus examinare uniones, an ſint ſubreptitiæ, juxta diſpoſitionem Concilii Trident. ſeſſ. 7. c. 6. de Reform. & ſeſſ. 24. c. 13. Verſ. *In unionibus.*

Vide verbo *Simonia.*

VOTA.

§. 1.

TRia Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ vota, poſt biennium probationis in Societate emiſſa, etſi ſimplicia, ex Apoſtolica inſtitutione & declaratione, vere ſubſtantialia religionis vota eſſe, & in illis non niſi per Sedem Apoſtolicam diſpenſari poſſe, nulloque alio modo, quam per legitimam à Societate dimiſſionem ea ceſſare, habetur in Conſtit. GREGORII XIII. pag. 236.

Tria vota ſimplicia ex Apoſtolica inſtitutione, & declaratione, vere ſubſtantialia eſſe.

§. 2.

In ſimplicibus Societatis votis, nec contractus vitioſe claudicat, nec injuſtitia ulla intercedit. GREGORIVS XIII. in ſua Conſtit. pag. 279.

Non claudicat contractus &c. in votis ſimplicibus.

De votorum commutatione, vide verbo *Commutatio*; & de eorum diſpenſatione, vide quæ dicuntur verbo *Diſpenſatio*. §. 10.

Vota Societatis, vide verbo *Religioſus*. §. 1. Et quoad irritationem Matrimonii, vide verbo *Apoſtata.*

FINIS.

R. *P. Everardus piæ mem. Compendium facultatum, & gratiarum Societatis noſtræ ad Provincias transmitti mandaverat: cujus uſum voluit per triennium Noſtros experiri. Cumque varia ex variis locis in Vrbem poſtea allata eſſent, & ab omnibus Compendium abſolutum, atque perſpicuum, ut maxime neceſſarium, efflagitaretur; R. P. N. Claudius Aquaviva ejusdem Societatis Generalis Præpoſitus, recognitum & auctum tandem evulgari atque communicari decrevit. Porro ipſorum privilegiorum verba ita ſunt ex ſuis locis deſumpta, ut erant, ſtylo nihil immutato, quo & fidelius ac ſyncerius referrentur, & melius ac certius intelligi poſſent. Meminerint vero Provinciales quod ad librum hunc communicandum attinet, Regulam xxxviii. Communium, ab omnibus eſſe diligentisſime ſervandam, atque adeo ipſis Superioribus magna in ea re prudentia, ac circumſpectione agendum. Vſus vero cum ex præfatione libello præfixa, tum ex communicatione ipſis facultatum paragraphis adjuncta, facile cuique patebit. Datum Romæ xxv. Novembr.* M. D. LXXXIV.

Mandato ejusdem R. P. N. Generalis Præpoſiti,
Iacobus Ximenez Secretarius.

Animadverſio circa Libros Privilegiorum, qui in hoc Compendio citantur.

N*E quis ob varias impresſiones librorum, qui in hoc Compendio citantur, decipiatur; advertendum eſt, eos citari ex impreſſionibus, quæ ſequuntur.* Compendium Minimorum, *ex impresſione Neapolitana, anni 1573.* Compendium Minorum, *impreſſum Salmanticæ, anno 1532.* Monumenta, *impreſſa Salmanticæ, anno 1511. menſe Iunii.* Supplementum *impreſſum Barcinonæ, anno 1523.* Privilegia Auguſtin. *ex impresſione, quæ caret anno & loco.* Privilegia Dominicanorum, *ex impresſione facta Romæ apud Antonium Bladum, non adjecto impresſionis anno.* Compendiolum Benedictinorum, *ex impresſione Salmanticenſi, anno 1569. Alia vero ſunt in Archivio Societatis, nimirum, quæ citantur ex privilegiis impresſis, quæque ex manuſcriptis, & ea etiam quæ propria ſunt ipſius Societatis, tam in vivæ vocis oraculorum libro, quam in libro litterarum Apoſtolicarum, qui toti Societati communis ac notus eſt, & propterea ſine ullo alio additamento hujus utriusque libri paginæ citantur.*

INDEX

INDEX TITVLORVM.

A.

ABſolutio. pag. 93
Ædificia. 97
Alienatio. 99
Altare. 101
Apoſtatæ. ibid.
Appellatio. 105

B.

BEnedicere. 105
Benefactores. 106
Bona Societatis. ibid.
Bulla Cœnæ. 108
Bulla Cruciatæ. 109

C.

CAlix. 109
Canonica portio. ibid.
Caſus reſervati. ibid.
Cauſſa. ibid.
Cenſuræ. ibid.
Cenſus. 110
Ceſſatio à divinis. ibid.
Collectæ. ibid.
Collegia. ibid.
Communicatio gratiarum. ibid.
Commutatio. 112
Concilium Tridentinum. 114
Confeſſarius. ibid.
Confeſſionale. 116
Confirmatio. ibid.
Congregationes Societatis. ibid.
Conſervator. 117
Conſtitutiones. 119
Contractus. ibid.
Corporalia. 120
Correctio. ibid.

D.

DEcimæ. 120
Declaratio. 121
Dignitas. ibid.
Diſpenſatio. 121
Domus. 125
Donationes. ibid.
Dubia. ibid.

E.

ECcleſia. 125
Eleemoſynæ. 126
Emphyteuſis. 127
Euchariſtia. ibid.
Excommunicatio. 128
Exemptio. 129
Extrema unctio. 133

F.

FAmiliares. 133
Feudalia bona. 134
Fundatores. ibid.

G.

GEneralis. 135
Gradus. 137
Gratiarum uſus. 139

H.

HAbitus. 140
Hæretici. ibid.
Homicidium. ibid.
Horæ Canonicæ. ibid.

I.

IEjunium. 141
Immunitas. 142
Impetrare. ibid.
Incarcerare. ibid.
Indulgentiæ. ibid.
Indulta. 149

Infirmi. ibid.
Inquiſitores. 150
Inſtitutum. ibid.
Interdictum. 151
Interpretatio. 153
Irregularitas. ibid.
Iubilæum. ibid.
Iudex. ibid.
Iuramentum. ibid.

L.

LAici. 153
Lectores. ibid.
Legata. ibid.
Libri prohibiti. 154
Licentia. 155
Lites. ibid.

M.

MAtrimonium. 155
Medici. ibid.
Miſſa. 156
Miſſiones. 156
Moniales. ibid.

N.

NOtarius. 156
Novitii. 157

O.

OFficia. 157
Oracula. 158
Oratoria. ibid.
Ordines. ibid.

P.

PAramenta. 159
Prædicatores. ibid.
Prælati. 160
Præſcriptio. 161
Privilegia. ibid.
Proceſſiones. 164
Procurator. ibid.
Profeſſi. ibid.
Provinciales. 165

Q.

QVarta. 165

R.

REligioſus. 165
Reliquiæ. 166
Reſervatio. ibid.
Reſtitutio. ibid.

S.

SAcra. 167
Sacramenta. ibid.
Scholæ. ibid.
Scholaſtici. 168
Scrupuli. ibid.
Sede vacante. 169
Senex. ibid.
Sepulturæ. ibid.
Simonia. 170
Societas Ieſu. ibid.
Sodalitas. 171
Subſidia. 172

T.

TItulus. 172
Translatio ad alium Ordinem. ibid.

V.

VIſitatores. 172
Vniones. ibid.
Vota. 173

FINIS.

INSTRVCTIONES AD PROVINCIALES ET SVPERIORES SOCIETATIS.

Auctoritate Congregationis VII.

ut Directiones tantùm,

ſeorſim impreſſæ.

Juxta editionem excuſam



ANTVERPIÆ,

Apud JOANNEM MEVRSIVM.

SVPERIORVM PERMISSV.

SVPERIORIBVS SOCIETATIS.

CONTRACTIS paucis è multis Inſtructionibus tam à P. N. Claudio p. m. quam à Patribus in VI. Congregatione deputatis, conſcriptis; reductisque in librum Ordinationum, quæ vim Legis habeant in poſterum; quæ reliquæ erant, intactas cenſuit VII. Congregatio retinendas eſſe, ac ſeorſim imprimendas, ad Superiorum directionem, quibus non parùm in ſuâ gubernatione juvarentur, quales ſunt Induſtriæ, & alia id genus, tum ob multiplicem rerum pulcherrimarum varietatem, ex quarum lectione non exiguus fructus ſperatur, tum ob memoriam tanti viri, tamque de univerſa Societate benè meriti, â quo ſapientiſſimè prodierunt. Faxit Divina Bonitas rectam hanc vivendi juxta Inſtitutum viam ſequamur omnes. Romæ 2. Februarii 1616.

BERNARDVS de ANGELIS
Secretarius Societatis IESV.

INSTRVCTIO I.

Ad renovationes Spiritus.

I.

De promovendis ad ſacros Ordines.

QVAMVIS ex conſtitutionibus noſtri ſcholaſtici ad Sacerdotium ordinariè circa finem ſtudiorum promovendi eſſe videantur; quia tamen Sacerdotes fieri non expedit eos, qui non benè in ſpiritu profecerint (cùm poſt Sacerdotium longè difficiliùs, ſi opus fuerit, à Societate dimittantur) cavendum eſt omnino, ne deinceps qui in ſpiritu & religioſis virtutibus non benè profecerunt, aut in vocatione ſtabiles & firmi non ſunt, ad Sacerdotium promoveantur, etiamſi ſuæ bonæ exiſtimationis jacturam, niſi ordinentur, objiciant. Quare ſervanda diligenter eſt à Provincialibus Inſtructio de ordinandis data anno 1576. & in Conſultationibus, quæ de promovendis ad ordines fiunt, quæ in eâ Inſtructione præſcribuntur, diligenter examinentur: & illud præcipuè accuratè diſcutiatur, quod ad profectum ſpiritualem promovendorum attinet: moneanturque à Provincialibus Conſultores, ut ad Præpoſitum Generalem ſcribant, utrum hæc ordinatio exactè ſervetur.

Quando loco mutandi, & quomodò.

2 Quoniam loci mutatio plerumque morum mutationem non facit, ideò qui in aliquo Collegio malè ſe gerit, non mittatur, ſi fieri poteſt, ad aliud, niſi prius juvetur, ubi deliquit; etiamſi ſpes aliqua ſit ex eâ mutatione, eum qui mutatur profecturum. Si quando tamen Superiori videbitur, aliquem aliò amandandum; mittatur etiam integra & prudens inſtructio de moribus ejus qui mittitur, ad Superiorem ejus loci, ad quem is à Provinciali deſtinatur: ut hac ratione meliùs regi, & in Domino juvari poſſit.

De viatico, &c. pro iter agentibus.

3 Noſtris iter agentibus, ut de neceſſario viatico debitâ cum caritate eſt providendum, ita nullâ ratione permittendum eſt, ut pecunia illis detur ad ſuperflua coëmenda, & quæ Religioſæ paupertati minimè congruunt, ut ſunt curioſa & pretioſa: & multò minùs, ut ab externis, ſeu conſanguineis, cum ædificationis jacturâ, conquiratur.

Interdicitur ſuperfluus rerum uſus.

4 Vt paupertatis puritas, & perfectio diligentiùs à noſtris acquirantur, vigilandum à Superioribus eſt, ne quid in Societatem introducatur, quod vel huic paupertatis perfectioni adverſetur, vel proprietatem aliquam ſapiat.

ſapiat. Quarè ut abuſus ſuperfluarum commoditatum, ſi quis eſt, penitùs tollatur; curent diligenter Superiores, ut omni neceſſitati, habitâ ratione perſonarum, debitâ cum caritatis ſignificatione, provideatur. Ex quo præter multa alia, illud in primis ſequetur commodum, ut eâ ratione faciliùs ſuperflua, & quæ proprietatis ſpeciem habent, tolli poſſint. Quâ in re antiquiores & graviores Patres, & Superiores etiam ipſi, omnibus prælucere debent exemplo.

5 Tollendus videtur ille abuſus, ut alias ordinatum eſt, ne ſcilicet in noſtrorum cubiculis duplices veſtes habeantur; ſed apud veſtium cuſtodem, ut eſt communis Societatis conſuetudo, ſerventur: quod etiam de aliis rebus, quæ in uſu non ſunt, qualia ſunt inſtrumenta quædam ad iter agendum, & his ſimilia, intelligendum eſt. *Abuſus veſtium in cubiculis.*

6 Etſi Regula 90. Provincialis cavetur, ne quidquam noſtri à cognatis vel amicis accipiant; quia tamen videmus paullatim non levem abuſum in hoc irrepſiſſe, cùm noſtri, præſertim Scholaſtici, non rarò ob deſcribendas ab externis ſcriptoribus lectiones, cùm eas ipſi ob infirmam valetudinem ſcribere non poſſunt, pecuniam conquirant; quâ occaſione in alios etiam uſus non neceſſarios ſæpè conniventibus immediatis Superioribus, illam expendunt; ut in poſterum omnis talium rerum occaſio præcidatur, nullâ ratione permittant Superiores, pecuniam à quopiam è noſtris ad tales vel ſimiles uſus conquiri vel accipi. Quòd ſi quis judicio Superioris, qui neceſſitatem intueri debet, indigeat lectionum deſcriptione; id fiat pecuniis Collegii, in quo ille habitat. Quam ob cauſſam Provincialis curet, aliquam pecuniæ ſummam illi Collegio applicare, ne his expenſis extraordinariis, nimiùm gravetur. *Nihil à cognatis, vel amicis accipiendum pro lectionibus ſcribendis.* *Quomodò Superiores indigentibus proſpiciant.*

7 Nullâ ratione permittatur, ut noſtri apud ſe habeant & ſecum ferant quædam quæ pauperibus, quales nos ſumus, minimè conveniunt: ut ſunt horologia rotata, & affabrè facta; Reliquiaria valdè curioſa, & pretioſa; imagines item multi valoris, & ſimilia. *Curioſa & pretioſa interdicuntur.*

8 Ne paupertatis ſanctæ cuſtodia, quæ plurimùm cordi nobis eſſe debet, ullâ ex parte violetur; tollatur abuſus ille, qui apud aliquos, ut audimus, irrepſit; qui rei deformitatem fortè non attendentes, in libris, quos de Superiorum licentiâ apud ſe habent (qui tamen pauci eſſe debent, & certi quidem) inſcribunt *Ad uſum talis*, &c. qui loquendi, vel inſcribendi modus vel prorſus inutilis eſt, vel ſi aliquid efficiat, ut ſcilicet Supe- *Abuſus proprius librorum.*

riores de hujuſmodi libris minùs liberè diſponant; paupertatis perfectioni & puritati apertè repugnat: cum non tantùm in rerum dominio, ſed in illarum uſu etiam paupertas plerumque lædi poſſit. In iis igitur libris, qui communiter à Superioribus cuicumque conceduntur, & aſportari communiter ſolent (ut ſunt Conſtitutiones, vel illarum Summarium, Ioannes Gerſon, vel ſimilis aliquis pius libellus, Officium B. Virginis, & Sacerdotibus Breviarium, Diurnum, nonnullis etiam Bibliorum exemplar, & Summula aliqua Caſuum, & his ſimiles) nihil inſcribendum eſt. Reliquis verò libris, qui alicui conceduntur à Superioribus, vel permittitur, ut eos emi curet (quos tamen in unum, vel aliud Collegium aſportare non licet) inſcribendum tantùm eſt nomen ipſius Collegii vel Domus, cui ſunt applicati.

Quinam permittendi.

INSTRVCTIO II.
Pro Concionatoribus Societatis.

I.

In virtutibus benè fundentur.

CVM Concionatorum munus tanti momenti ſit, & ex præcipuis, quæ Societas ad proximorum ſalutem procurandam exercet; diligenter à Superioribus curandum eſt, ut qui ad hoc munus talentum à Domino acceperunt, benè ab ipſo etiam ſtudiorum tempore in hunc finem inſtituantur, ut poſſint ſuo tempore illud benè ad Dei gloriam, & proximorum ſalutem fructuosè exercere. Quarè ſi qui perſpicientur hujuſmodi eſſe, in humilitate & ceteris virtutibus benè fundentur, quò tutiùs id muneris exequi ſuo tempore poſſint. Nullâ ratione autem ſinantur concionibus aliorum deſcribendis tempus terere.

Quomodò formandi.

2 Quoniam verò Scholaſtici noſtri in domeſticis concionibus frequenter exercentur, non ſolùm ob varias utilitates, ſed etiam ut huic muneri publicè & ad populum ſuo tempore præſtando aſſueſcant; in privatis concionibus, quæ in Refectorio haberi ſolent, non tantum ea, quæ ad Religioſos propriè ſpectant, tractari poterunt, ſed interdum etiam illa, quæ ad populi ædificationem facere cenſentur: nimirum ſi Chriſtianæ virtutes, ut eleemoſyna, caritas in proximum, & ſimilia proponantur: vitia item, ut ambitio, avaritia, ira, & alia hujuſmodi vituperentur. Hæc autem ita explicari poterunt, ut non quaſi ad Religioſos tantùm, ſed veluti ad populum etiam & ad ſeculares homines ſermo dirigeretur.

3 Ad

3 Ad Præfectum concionum pertinebit, thema ſeu argumentum iis, qui concionaturi ſunt, deſignare; ac pro eorum captu unum, aut alterum, aut plures etiam Auctores, qui illud argumentum benè tractarunt, aſſignare: ut ex eorum lectione illi materiam eliciant, ex quâ ſuam poſteà concionem, juxta cujusque propriam inventionem, componant: ac denique viam illis aperiat, prout neceſſe cuique fore perſpexerit, ad benè diſſerendum de argumento, quod tractandum aſſumunt. Conveniet etiam iis, qui concionaturi ſunt, tempus aliquod concedi, juxta Superioris arbitrium, in quo commodè parare ſe poſſint: quod ut multum eſſe non debet, ne nimiùm à ſtudiis diſtrahantur, ita modicum eſſe non expedit, ne imparati ad concionandum accedant. Quarè propter varias occupationes, quibus Scholaſtici diſtinentur, à quibus propter concionem eximi non debent, biduo ſaltem antè monendi erunt. In argumento tractando à Præfecto docendi ſunt.

4 Ad hunc finem, in præcipuo præſertim Provinciæ Seminario, benè exercitatus è noſtris aliquis concionator Præfectus concionum conſtituendus eſt: qui & exemplo ſuo, & pro curâ hac ſibi demandatâ, noſtros diligentiùs exerceat, præcipuè verò tertio & quarto anno Theologiæ: & poſt ſingulas conciones libere & amanter eosdem privatim (re priùs, ſi videbitur, collatâ cum Superiore, aut hujus judicio cum aliis Patribus) moneat, in quo defecerint, quoad vocem, geſtus, & alias boni concionatoris partes: idque illi in proximâ concione emendare ſtudeant; judiciumque Præfecti de emendatione factâ, aut non factâ, iterum intelligant, donec bonum habitum induant. Commendabit verò, condemnabitque tum Superior, tum Præfectus, quæ commendatione aut condemnatione digna videbuntur. Alii verò, ad quos hoc non pertinet, minimè permittantur, nec facilè & immodicè eos laudare, nec liberè carpere. Quomodo exercendi.

5 Vt toni cum fructu juxta ipſorum finem fiant, præficiendus illis omnino erit, qui in concionandi ratione eos qui tonos faciunt, benè & prudenter inſtruere poſſit: idque ſuaviter ipſe præſtabit, antequàm è ſuggeſto illi abeant, commendando quoque ſubinde quæ oportet. Vtilitas verò è tonis major ſperatur, ſi quadrante horæ circiter ii præmoneantur, qui eos facturi ſunt, themate illis aſſignato. De tonis cum fructu faciendis.

6 Non eſt exiſtimandum, ad eundem concionandi modum, vel unius celebris concionatoris imitationem noſtros adigendos eſſe, vel adigi etiam poſſe; communia verò documenta ad proprium, quem quisque à Ab affectatâ imitatione arcendi.

naturâ

naturâ habet concionandi modum & facultatem accommodanda ſunt; cum varia ſit hominum conditio. Monendi igitur omnes ſunt, qui ad hoc munus inſtituuntur, ne alios in voce & geſtu imitari ſtudeant, quando id quod imitantur, quamvis bonum ſit, naturâ conſequi non poſſunt.

Vacent ſacræ Scripturæ, & legendis Patribus ſaltem per biennium.

7 Qui concionandi talentum habuerint, ſi poſt abſoluta ſtudia ſcholaſtica duos annos ad ea repetenda, juxta Reg. 52. Provincialis, poſuerint; poſt tertium annum probationis, antequàm concionandi munus ſuſcipiant, privato ſtudio ſacræ Scripturæ, & legendis Patribus, ac ſanctæ meditationi ſaltem per annum vacent. At verò qui biennium ad repetenda ſtudia non habuerint, per duos annos iis rebus incumbant. Vnde illud etiam commodum ſequetur, quòd tantoperè aliorum concionibus deſcribendis non inhiabunt.

Quales eſſe oporteat.

8 Vt noſtri concionatores fructuoſiùs ſuum munus exequantur, meminerint Regulæ 2. concionatorum: & diligenter curent, ut in ipſis vigeat zelus animarum, caritas, orationis ſtudium & devotio. Imò verò exercitia ſpiritualia ſubinde ab illis ultro & libenter repetita plurimùm ad hæc omnia proderunt. Caveant ſimiliter ab iis, quæ & concionatores plurimùm diſtrahunt, & eorum ſtudia impediunt; & ſpiritum ac devotionem minuunt, ut ſunt nimiæ familiaritates cum externis, eorumdem viſitationes, donaria, præſertim à feminis, facilè admiſſa, & his ſimilia.

A quibus cavendum.

Extra domos ne concionentur, qui cibis Quadrageſimæ, &c.

9 Quoniam verò noſtri ad concionandum in Quadrageſimâ extra Collegium interdum mittuntur, & accidere nonnumquàm poteſt, ut ii qui mittuntur, ob infirmam vel imbecillam valetudinem cibis Quadrageſimalibus veſci non poſſint, ideò ad majorem proximorum ædificationem melius fore judicavimus, ne hujuſmodi concionatores in poſterum extra noſtras Domos in Quadrageſimâ concionaturi mittantur. Cum iis verò, qui in Domibus noſtris concionantur, nemo in hoc diſpenſet inconſulto Provinciali, qui in hujuſmodi diſpenſatione neceſſitatis, & majoris divini obſequii rationem habebit. In victu verò & veſtitu [illegible] lautitia, illæ item ſingularitates & exemptiones, quibus alii meritò offenduntur, concionatoribus minimè concedantur.

Eorumdem frugalitas.

Quamdiu docebunt.

10 Qui talenta ad concionandum oſtendunt, præſertim rariora, non diutius quàm par eſt in docendi munere tam humaniores litteras, quam Philoſophiam & Theologiam detineantur: ne ſi ſecus fiat, quando in iis ſtudiis penè conſenuerint, tunc demum ad concionandum accedant.

INSTRV-

INSTRVCTIO III.
Pro Confeſſariis Societatis.

I.

PRINCIPIÒ; quod habetur in Regula Provincial. 100. de maturitate Confeſſariorum, id in primis curandum, ut multò major ratio maturitatis habeatur in ſpiritu, moribus, & ædificatione: alioqui ætas, quæ conciliare etiam ſolet auctoritatem, non multùm proderit. Prima ergo cura ponatur circa promotionem ad Sacerdotium, juxta ea quæ dicuntur §. 1. ex Deputatione pro renovatione ſpiritus. Cavendum verò, ne ſpe futuræ emendationis adhibeatur hoc medium promotionis ad illos in ſpiritu juvandos, niſi aliunde conſtet emendatio. Ad hæc quod præſcriptum fuit anno 1590. §. 6. de biennio expectando recens ordinatis, ita ſervetur, ut & illo tempore, & etiam poſt illud, antequàm ad mulierum confeſſiones exponantur occupentur virorum confeſſionibus audiendis: tum ut majoribus laboribus aſſueſcant, & fructuoſiùs ac latiùs occupentur; tum ut experiatur Societas, ecquid in hoc miniſterio valeant; tum demum, ut hoc modo maturiores fiant, nec imparati accedant.

Maturitas in moribus, &c.

De promotione ad Sacerdotium.

Non niſi poſt biennium, ad mulierum confeſſiones exponantur.

2 Regula 15. Sacerdotum, ut ad crates mulieres audiantur, omnino ſervetur, etiam in ſummâ frequentiâ, neque excuſationes admittantur, etiamſi ſint puellulæ.

Ad crates mulieres audiendæ.

3 Et quoniam plurima habet incommoda, ſi in confeſſionali longa protrahantur colloquia, omnino Regula 17. Sacerdotum exactè ſervetur, ne de rebus ad confeſſionem non pertinentibus eo loco loquantur. Quòd ſi contingat de aliis rebus ad conſolationem, vel utilitatem illarum eſſe loquendum; id non flexis genibus in confeſſionali, ſed ſtando vel ſedendo breviter & modeſtè, demiſſis oculis (ut Regula dicit) fieri debet. Quare operæ pretium erit, nonnulla loca patentia & decentia in aliquâ templi parte, pro ratione regionis, aſſignare, ad quæ feminæ accedant, ut noſtros alloquantur: ſic enim fiet, ut & colloquia breviùs finiantur, & minùs frequenter accedant, cùm pateat ſermones illos non eſſe confeſſionem; & non offendantur alii, dum exiſtimant, confeſſiones earum, quæ frequenter confitentur, adeò in longum protrahi, & ut omnis occaſio præcidatur. Si pœnitentes prætendant ſcrupulos, inſtruant illas Confeſſarii, ne hiſtorias narrent, & inutilia repetant; & interdum etiam ipſi ſermonem abrumpant.

De non protrahendis colloquiis in confeſſionali.

Extra confeſſionem in patenti loco colloquantur.

Quid cum de ſcrupulis & ſpiritualibus Exercitiis agitur.

Nam ſi vere ſcrupuli ſunt, ubi id illis certo conſtet, nihil opus erit longas orationes audire. Quod ſi agatur de meditationibus, & ſpiritualibus exercitiis, fiat id potius per ſpirituales libellos Granatæ, & aliorum, quos apud ſe legant. Et ſi in aliquo caſu particulari aliter faciendum eſſet, id non fiat, niſi conſulto Superiore.

De generaliter audiendis.

4 Servetur etiam Regula 21. Sacerdotum. Curetur etiam, ne Confeſſiones generales excipiantur earum quæ ſemel generaliter alicui confeſſæ fuerant, niſi id exigeret manifeſta neceſſitas Sacramenti ob confeſſiones invalidas. Quod tamen in hujuſmodi raro admodum probabile eſt poſſe contingere.

Syndici.

5 Conſtituantur ſyndici non modo Æditui, & aliqui ex ſociis, ſed nonnulli proximi Sacerdotes, qui obſervent, & Superiorem moneant, tam de prolixis confeſſionibus, quam de colloquiis, quæ extra confeſſionem protraherentur.

Mane confeſſæ non audiantur à prandio.

6 Quæ matutino tempore ſunt confeſſæ, vel ſequenti die mane confiteri debent, non permittantur à prandio accedere prætextu confeſſionis; ſed ſi acceſſerint, Confeſſarii rejiciant in diem craſtinum, ſi ſunt communicaturæ: & ſi illo ipſo die, quo accedunt, communicaverint, differant ad diem ſequentis confeſſionis.

De ſocio ſecum retinendo.

7 Circa Regulam 18. Sacerdotum, de retinendo ſecum ſocio, omnino exacte ſervandam, invigilent Superiores diligenter, & acceptis his noſtris convocent omnes Sacerdotes, illiſque tum alia quæ ad eos ſpectant, tum præcipue litteras noſtras legant, quas de hac re 15. Iulii anno 1585. ad Superiores dedimus. Iis vero, qui ſuas Regulas 15, 16, 17. & 18. non ſervaverint, monitiones ſeriæ, & pœnitentiæ prima vice injungantur: & quamvis nobis non placuerit univerſim præceptum imponere obedientiæ, ut id ſervent, tamen alicui particulari, qui eo fræno indigebit, poterit, ac etiam debebit Superior id imponere. Quod ſi id non ſervare fuerint deprehenſi, removeantur ſtatim à confeſſione feminarum, & nos moneamur, ut diſpiciamus, an tales in Societate retinendi ſint, utpote qui in re gravi, periculoſa, & tam ſeverè injuncta parere noluerint. Quod ſi locus ubi infirmæ jacent, ita anguſtus ſit, ut per loci diſpoſitionem fieri non poſſit, ut ſocius Patris adſit; cum primum Domum redierint, Superiorem moneant, ut is conſideret, an ſecundo illuc redeundum ſit, vel potius (in quod magis inclinamus) ea cura propriis Parochis relinquenda. Quod ut melius omnino

Monendi.

Etiam removendi à confeſſione feminarum.

Quando locus infirmæ anguſtus eſt.

ſerve-

ſervetur, injungitur Superioribus omnibus, ut in publicis exhortationibus moneant omnes, quod quamvis nulla ſit peculiaris regula, quæ ſocios moneat, ut ipſi Superiori ſignificent cum redierint, an Sacerdos regulam ſervaverit; tamen & ex nonnullis regulis aliis, & ex noſtra hac peculiari ordinatione, ſocii & fratres omnes tenentur, Superiorem eâ de re vere & ſincere monere: quod ſi non fecerint, intelligant, nec ſuæ conſcientiæ, nec Societatis bono ſe ſatisfacturos; & Superiores in eos, tamquam in inobedientes eſſe animadverſuros. Sacerdotes vero, etiamſi maxime ſocii extra remanere vellent, nulla ratione id permittere debent; tum ne illi otioſa colloquia cum aliis miſceant, tum ne ipſi ſint ſine teſte.

Publicè Socii docendi de hac Regula.

8 Circa Communionis frequentiam optandum eſt, ut ſervetur Regula 26. Sacerdotum, ne crebrius, quam octavo quoque die, &c. Sed quoniam in nonnullis civitatibus, ubi paſſim major eſt communionis frequentia, & cum nonnullis perſonis, quæ ab aliquo tempore frequentius in hebdomada communicant, vix fieri poterit; ſaltem illud retineatur, ut in futurum nec Confeſſariis, nec Rectoribus liceat diſpenſare, niſi tantum Provinciali, ut bis in hebdomada fieri poſſit. Cum iis vero, qui conſuetudinem habent frequentius communicandi, curetur quod ſuavius fieri poſſit. Illud tamen non dubium eſt, ſi Confeſſarii ſerio ſibi perſuadeant, id majori proximorum utilitati, Societatis bono, & ædificationi convenire; fore, ut cum utriſque feliciter omnia tranſigantur.

De communionis frequentia.

9 Et quoniam magna jactura temporis & fructus ſpiritualis in miniſteriis, certe plusquam oportet, mos inolevit viſitandi & ſalutandi; omnino neceſſarium duximus ad meliorem regulæ illius obſervationem, quæ de non inviſendis mulieribus agit (eſt autem 72. Præpoſiti, & 70. Rectoris) aliquid certius ſtatuere. Et ſane extra caſum neceſſitatis (qui eſſet, verbi gratia, in aliqua infirmitate, aut luctu, aut morte aliquorum, pii alicujus negotii, & hujusmodi) raro admodum ſpes iſta magni fructus evenire poteſt. Quia tamen modus agendi Societatis, accepta beneficia; & declinatio ruſticitatis cujusdam non permittunt, ut hæc officia noſtris omnibus interdicantur, moderatione aliqua opus erit. Hanc nos commodiſſimam hoc quidem tempore arbitrati ſumus, ut habeatur ratio tum perſonarum, quæ inviſuntur, tum noſtrorum, qui inviſunt. Itaque tria concurrere debent, ut aliqua digna exiſtimetur, quæ à noſtris officii cauſſa inviſatur. Primum, ut ſit perſona nobilis & primaria: neque enim omnibus devotis cujuscum-

De mulieribus inviſendis.

Tria requiſita ad inviſendum.

juſcumque gradus id officii par eſt præſtare: cum ſatis poſſint in noſtris eccleſiis, & confeſſionibus, & piis colloquiis, & juvari & inſtrui. Secundo, ut ſit benemerita non vulgariter de Societate. Tertio, ut in domo illa marito, cognatis, vel hujusmodi, id officii gratum potius quam odioſum eſſe credatur. Ceterum ne in deſignatione hujusmodi perſonarum errari contingat, volumus, cum Provincialis viſitat ſingula Collegia, auditis Conſultoribus deſignet eas, quibus ſine offenſione, præter circumſtantias jam dictas, id negari non debeat: ceteras omnes hujusmodi viſitationes ſuperfluas prohibeat. Noſtri autem, qui id facere poſſunt, videntur eligendi quam pauciſſimi, nimirum Superior, qui quaſi publico nomine pro Collegio id exhibeat (ita tamen, ut valde moderate & circumſpecte id faciat, ut aliis exemplo præluceat) & Confeſſarius; cum quo tamquam Patre ſpirituali perſonæ, quæ viſitandæ ſunt, confidenter agere poſſint; qui ſi prohiberetur, maxime offenderentur. Ceteri vero, ſi quando expediat ut aliquis mittatur, non ipſis petentibus, ſed Superiore ſuo nomine eos mittente, ſi fuerint viri ſerii, graves, & ſpirituales, poterunt interdum id præſtare.

Perſonæ deſignentur.

10 Provinciales autem in Viſitationibus diligenter inquirant, quomodo hæc omnia ſerventur, & nos exacte moneant. Curent etiam, quod aliquando quibusdam litteris univerſalibus commendavimus, ut occaſione miſſionum Confeſſarii interdum mutentur; ne anguſtus ſit fructus, ſi perpetuo cum nonnullis devotulis occupentur.

De iis omnibus Generalis monendus.

11 Curandum, ut noſtri Confeſſarii, juxta Regulam Sacerdotum 8. multum afficiantur ad hoc munus, ut proximis perneceſſarium, & noſtri Inſtituti valde proprium: præcipue vero invigilandum, ne ſint minus affecti minusque prompti erga homines pauperes aut vulgares. Quod ſi hos refugere deprehenderint Præfectus Eccleſiæ, vel Æditui, omnino Superiori ſignificandum erit, ut Confeſſarium officii ſerio monere poſſit.

Ad hoc munus affecti ſint.

Præſertim erga pauperes.

12 Curandum item diligenter, ne numero potius pœnitentium, quam fructu eorum ſpirituali gaudeant; magisque ſoliciti ſint, ut ad veram contritionem pœnitentes promoveantur, vitia emendent, in via ſpirituali dirigantur & promoveantur. Ac quoniam in hac parte notabilis remiſſio ex ſpiritus, ac zeli in Confeſſariis defectu advertitur; de hoc reſuſcitando elaborandum eſt: nec alia media efficaciora videntur, quam orationis, meditationis, ac mortificationis ſtudium, otii declinatio; moderata, & ex ſpiritu Societatis ordinata cum externis converſatio; de ſpiritualibus rebus,

Eorumdem munus & ſpiritus.

bus, & modo juvandi animas cum domeſticis colloquutio, regularum omnium, earum præſertim, quæ de feminarum confeſſionibus præſcribunt, ut ſuperius dictum eſt, exacta obſervatio.

Quare tollendi ſedulo qui ſequuntur abuſus, ſicubi exiſtant: plures horas dare pauculis feminis, ut aliis ad confitendum locus non ſit; alias confiteri volentes arcere, ne filiæ propriæ ſpirituales (ut vocari conſueverunt) expectare cogantur. Abuſus tollendi.

13 Sicubi non eſt introductum, valde cupimus, ut introducatur, quod Romæ & alibi fit, ſi accurrentium frequentia id poſtulet; ut ſcilicet deſignati Sacerdotes ſtatis diebus certis horis in templo reſideant, ut qui confiteri volunt, ad manum habeant Confeſſarium. Deſignentur in templo ſtatis diebus.

14 Quæſierunt nonnulli, qua formula utendum eſſet noſtris in abſolutione ab excommunicatione, & aliis cenſuris, cum decima Regula Sacerdotum omnibus eamdem præſcribat. Reſpondimus, in foro quidem conſcientiæ, quod frequens eſt, utendum formulis, quæ habentur in Directorio P. Polanci piæ mem. Sed in foro exteriori, quod rariſſime eveniet, ſi ex delegatione Prælatorum aliquando contingat, ſequantur formulam in eo Epiſcopatu receptam. De formula abſolvendi à cenſuris, &c.

15 Ad otium autem vitandum, & occurrendum quorumdam noſtrorum querimoniis, dicentium, in parvis aliquibus Collegiis non ſatis eſſe occupationum; quamvis nihil opus ſit ſtatuere aut ordinare, cum ex regulis, & conſtitutionibus, & formula Inſtituti ſatis conſtet, non deeſſe plurima, in quibus juxta gratiam noſtræ vocationis occupari debeamus; tamen ut id Superiores quaſi compendium præ oculis habeant, non erit inutile, ſi quæ nobis à Provincia Romana anno 1590. propoſita fuêre, quorumque copia jam fuit transmiſſa, inſpiciant; ut ſubditi juxta Superiorum arbitrium & voluntatem, habita locorum, temporum, & perſonarum ratione, in iis exerceantur. Ad otium in parvis Collegiis vitandum.

INSTRVCTIO IV.

Ad occupationes varias,

In quibus Sacerdotes operarii Societatis cum fructu exerceri, & tempus utiliter collocare poſſunt: à Congregatione Provinciæ Romanæ anno 1590. propoſitas.

Et à R. P. N. Claudio Aquaviva Præpoſito Generali approbatas.

Occupationum tria capita.

OMNES occupationes, quæ in Collegiis Societatis vel jam ſunt, vel introduci poſſunt, ad tria capita reducuntur: primo ad ſpiritum: ſecundo ad ſtudia: tertio ad proximos.

Pro ſpiritu orationis aſſiduitas, &c.

1 Quoad ſpiritum, in primis opportuna erit oratio, & meditatio extra illam horam aſſignatam à Regula, prout cuique devotio ſuggeſſerit, & quantum per caritatis & obedientiæ occupationes licuerit: dummodo ſemper Confeſſarius, vel Superior conſulatur. Oratio enim non ſolum faciet, ut bene & ſanctè inſumatur illud tempus, ſed etiam expellet alia via otium, quia impellet ad agendum, & quærendos ultro proximos quos juvemus. Atque in hoc capite non ſolum comprehenditur oratio ipſa: ſed etiam lectio librorum ſpiritualium, & omnes ejusmodi ſpirituales mentis exercitationes in Deum.

In ſtudiis præſertim Caſuum conſcientiæ, occupatio.

3 Quoad ſtudia, bonum eſt, ut noſtri Sacerdotes paullo magis delectentur ſtudiis, tum ad otium vitandum, tum propter utilitates quæ conſequuntur. Et ideo non eſt res reſtringenda ad unum tantum genus; ſed poſſunt ſe exercere in pluribus. Primo & præcipue in Caſibus conſcientiæ: deinde in Scriptura ſacra, & ſanctis Patribus: aliquando etiam legere hiſtorias Eccleſiaſticas, & vitas Sanctorum. In quo etiam juverit, ut melius ſervire poſſint quæ leguntur, conficere ſibi compendium non modo Caſuum, ſed etiam ſelectorum exemplorum, quæ deinde ſint uſui inter agendum cum proximis. Confert etiam plurimum, ſi ſæpe legant, & præ manibus habeant librum Exercitiorum ſpiritualium, Directorium P. Polanci, & Methodum juvandi morientes. Sed tamen videndum eſt, ne occupentur in quibusdam ſtudiis inutilibus, ex quibus vel nullus eſt fructus, vel quæ non ſunt proportionata illorum capacitati, quia ſic amittitur tempus. Juvabit etiam, ut ſit major copia librorum varii generis in Collegiis. In particulari, quoad Caſus conſcientiæ, fiant conferentiæ exacte & diligenter de rebus utilibus & practicis, & prævideantur materiæ: quia ſi fiant ut debent, bis in hebdomada, & hoc modo quo diximus, erit hæc inter alia ſatis bona & utilis occupatio.

Zelus cum proximis.

3 Quoad tertium, de proximis, vix poteſt deeſſe occaſio, ſi quis velit, & habeat zelum. Quare hoc præcipuè procurandum, ut noſtri concipiant

cipiant & foveant hunc zelum, ita proprium noſtri Inſtituti. Modi autem & occaſiones juvandi proximos multæ ſunt, & fere in omnibus locis ſunt: ut docere Doctrinam Chriſtianam, tradere exercitia, & quærere & inducere homines ad ea peragenda, cum prudentia tamen; viſitare hoſpitalia & carceres; quærere eleemoſynas pro iis qui ſunt in carcere & Xenodochiis; pacificare inimicitias, facere conciones vel exhortationes in iisdem locis, reducere eos qui ſunt in malo ſtatu, juvare confraternitates, ubi ſunt, juxta noſtrum Inſtitutum, & ubi non ſunt, introducere; adire ſcholas externorum, & in eis, conſentientibus ludi magiſtris, aliquas exhortationes habere: juventutem ad confeſſionem allicere, quamvis melius ſit curare, ut ipſi magiſtri per ſe hoc faciant: viſitare infirmos ad eos conſolandos & ſpiritualiter juvandos; qua ratione juvantur etiam propinqui qui adſunt, & fiunt amici, & facile adduci poſſunt ad frequentanda Sacramenta. Pro hoc etiam confert, cum proximi veniunt ad noſtrum Templum, libenter eos admittere, & audire in confeſſione, etiamſi cum aliquo noſtro incommodo: & cum occurrunt nobis in viis, invitare eos qualibet occaſione, vel levis amicitiæ, tum etiam parentes diſcipulorum noſtrorum conciliare Societati. Juvabit etiam facere interdum conferentias de modo juvandi proximos, verbi gratia, infirmos, vel qui modus tenendus ſit in pacificandis diſcordiis; aut in confeſſione quid remedii dari poſſit huic vel illi peccato. Præterea poſſunt fieri miſſiones ad loca vicina per duos aut tres dies hebdomadæ, ita ut redeant & adſint die Dominico. Juvabit etiam, quod fit erga proximos, non facere caſu, ſed ſcienter & cum conſideratione, animo repetendo, quomodo auditæ ſint confeſſiones in particulari hujus vel illius: quomodo remedium poſitum ſit huic vel illi, qui indigebat: item, quo affectu, quo zelo, qua patientia. Denique curandum eſſet, ut in omnibus locis ubi reſidet Societas, hoc intelligeretur, Societatis profesſionem hanc eſſe, ut præſto ſemper ſit ad proximos; neque illi gratius quicquam eſſe poſſe, quam ad hoc adhiberi omni hora, in omnibus rebus conſentaneis noſtro Inſtituto. Hoc enim faceret, ut omnes ad nos libenter concurrerent.

Modi juvandi proximos.

Conferentiæ de modo juvandi.

4. Sunt etiam quædam obſervanda à Superioribus, & primo, ut ipſi quoque, & quidem omnium maxime, ferveant zelo animarum, & eum præ ſe ferant, & ſæpe animent ſuos, atque ipſis factis oſtendant id ſibi cordi eſſe, fovendo, & promovendo profectus proximi, & præbendo auxilium, quod poſſunt; & inter alia facile dando ſocium, quando petitur. Præterea ipſi

Obſervanda à Superioribus.

quoque

quoque pro parte ſua faciant quod poſſunt, eundo interdum ad hoſpitalia, & ad moribundos: at ſi non eunt ſæpius, conſtet non ire propter occupationes ſui officii. Præterea non faciant ipſi quoque omnia per ſe, & præſertim nobiliores actiones, ſed dividant eas cum ſuis. At cum aliquis ſe excuſat, quod non poſſit, vel non habeat talentum, non facile admittant, ſed animent, quia Deus concurrit & adjuvat. Tollant alias occupationes minus utiles, & quæ tempus præripiunt, animoſque ab utilioribus, neceſſariis, inſtitutoque magis propriis avocant: cujuſmodi ſunt excurſiones, viſitationes, confabulationes cum externis, vel etiam cum noſtris. Curent, ut in omnibus Collegiis ſit unus ſaltem doctus, quia ille exercebit reliquos; & faciant, ut in Collegiis ſemper vigeant aliquæ bonæ exercitationes. Denique Superiores ipſi curent, non ſolum ut cum ſuis conſultent de modo fugiendi otii, & quænam bonæ & aptæ exercitationes introduci poſſint; ſed etiam invigilent, ut his noſtri occupentur. Ipſi enim, cum melius norint ſtatum, & conditionem illius civitatis, & loci, in quo ſunt; facilius poterunt invenire, in quibus poſſint occupari.

INSTRVCTIO V.

De notitia habita per Confeſſionem,

Ne noſtri, vel Superiores, vel alii ea utantur, etiamſi uſus alioqui licitus foret.

A. R. P. N. Claudio Aquaviva Præpoſito Generali tradita anno 1590.

I.

Citantur à Dominico Soto lib. de Ratione ſecreti m. 3. q. 4. & à Navar. c. Sacerdos. de pœnit. d 3 num. 144. & ſeqq.

TAMETSI non deſunt Doctores, qui ſentiant ſalvo Sacramentalis confeſſionis ſigillo, juſtis de cauſſis licere nonnunquam Confeſſario (cum id fieri poteſt ſine ulla revelatæ confeſſionis ſuſpicione) uti extra confeſſionem notitia per confeſſionem habita; tamen quoniam hæc doctrina, & eam exigit in tanta re circumſpectionem, quam ſervare perdifficile ſit; & interim poſſet aliquando retardare ſubditorum libertatem, quam hujus fori ſanctitas, & noſtræ Societatis Inſtitutum requirunt in ſe ipſis rebusque ſuis Confeſſario aperiendis; idcirco viſum nobis eſt in Domino ſtatuere, ſicut & ſevere ſtatuimus, pro reverentia, qua ſemper Societas noſtra coluit hujus Sacramenti inviolabile ſigillum, & libertatem; ut omnes

Supe-

Superiores diligenter caveant, ne vel ipſi, vel noſtrorum aliquis, ſupradi-ctam doctrinam usquam introducant, nec illam publice aut privatim doceant: nec ea utantur ullo modo (niſi forte de pœnitentis licentia) ſed ita prorſus in omnibus caſibus noſtri ſe gerant Confeſſarii, ac ſi in confesſione nihil penitus audiviſſent; ſibique perſuadeant, ut humanarum rerum regimen ab hoc Sacramento longisſime diſtat, ita debere nullatenus ab eo pendere. Interdicitur hujusmodi doctrina, &c.

INSTRVCTIO VI.
Pro Novitiis Societatis.

I.

QVONIAM prima boni ſtatus Societatis origo in admittendis iis conſiſtit, qui noſtro Inſtituto congruunt; ideo Superiores, ad quos admittendi munus ſpectat, in admittendo non ſint nimii, ſed delectum perſonarum habeant: nec noſtrorum, vel aliorum importunitate moveri ſe ſinant: nec bona externa, vel noſtrorum affinitatem, ſed potius ad noſtrum inſtitutum aptitudinem in admittendis ſequantur. Delectus in admittendo.

2 Poſtquam vero in Societatem admisſi fuerint, curent Provinciales, ut patronos non habeant, qui eos, licet ineptos, in Societate retineri curent: ac porro in dimisſionis negotio Magiſtri Novitiorum judicium magni faciant: nec ſe in dimittendo difficiles exhibeant, cum id Novitiorum Magiſter, causſis adhibitis, proponet. Neque enim neceſſe eſt de cujusque Novitii dimisſione inire conſultationem; neque expectandæ ſunt graves culpæ, ob quas Novitius dimittatur. In ineptis dimittendis.

3 Commendent etiam Provinciales Novitiorum Magiſtris, ut exercitia ſpiritualia, juxta eorum Regulas 23. 24. & 28. ab iis, qui Societatem ingrediuntur, fiant: & intelligant moderationem illam, quam Regula interdum concedit, non debere eſſe ordinariam, neque crebro uſurpandam: ſed ſi quando hoc experimentum ob juſtas rationes diſtulerint, non diu differant, cum hæc Exercitia primum & præcipuum locum inter experimenta ſibi vendicent. Reliqua vero experimenta, præſertim Doctrinæ Chriſtianæ, hoſpitalium, & peregrinationis exactè fieri curent, ut in eorum Regulis præcipitur. Quando Exercitia ſpiritualia facienda.

4 In admittendis vero temporalibus Coadjutoribus, circa eorum qualitates, & numerum, ſervent diligenter Provinciales, quæ præſcribuntur in Conſtitutionibus p 1. c. 2. §. 2. & A. Animadvertant præterea, magnam cau- Quales Coadjutores temporales admittendi.

tionem adhibendã eſſe in iis ad hunc gradũ admittendis, qui aliquem in litteris progreſſum fecerint,vel qui milites fuerint,vel qui ſpeciem nobilitatis, vel conſanguineos nobiles habeant,vel dominis ſecularibus in delicatis miniſteriis inſervierint. Præterea non eſſe admittendos homines plane rudes, & diſciplinæ incapaces; cum ad miniſteria Societatis melius obeunda, & ad res ſpirituales percipiendas, bonæ capacitatis eos eſſe oporteat; cujusmodi eſſe ſolent qui legere & ſcribere norunt,vel artificium aliquod habent.

De quibus inſtruendi.

Poſtquam autem admiſſi fuerint,inculcent ſæpius & diſerte(quod & antea in eorum admiſſione factum ſupponitur) eorum vocationem eſſe, ſublevare ſuis corporalibus laboribus eos, qui in vinea Domini in aliis functionibus occupati laborant.Circa eos vero,præſertim dum in Novitiatu ſunt,diligens operaMagiſtri exercenda eſt,ut inſtituantur in externa & religioſa politia,in modeſtia, & modo decenti agendi,præſertim cum externis, & ſimilibus.

Quando è Novitiatu educendi.

5 Vt ſcholaſtici è Novitiatu educendi non ſunt, niſi biennium abſolverint; ita nulla ratione Coadjutores temporales è Novitiatu extrahendi ſunt, niſi per annum integrum in eo fuerint, & bene ſatisfecerint. In Collegiis vero, donec biennium abſolverint, aliquem quaſi Magiſtrum in exercitationibus ſpiritualibus habeant; & cum ad vota ſimplicia ſunt admittendi, ſaltem per menſem ad Novitiatum revocentur, ſi commode fieri poterit, & non obſtet loci diſtantia: alioqui in eodem loco ubi ſunt, per idem tempus ſe colligant, & ad vota præparent. Nullo autem modo permittant Provinciales, ut ante finitum biennium in publicis Æditui, Janitoris, & ſimilibus officiis, in quibus cum externis agitur, exponantur.

Cum vota facturi.

In publicis officiis ne occupentur.

Eorum bona usque ad finem biennii ſerventur.

6 Curent etiam, ut eorum bona, qui in Societatem ingrediuntur, integra, ut ipſi attulerunt, ad finem biennii ſerventur, ſi ſervari tamen poſſunt: ne illis divenditis aut conſumptis, eorum dimiſſio, ſi neceſſaria fuerit, difficilior reddatur. Neque toto hoc tempore quicquam exigatur in uſum Collegii vel Domus Societatis ab eorum tutoribus aut parentibus, quamdiu non ſunt ſcholaſtici approbati, ut cum majori libertate in Domino poſſint juvari, & corrigi, cum oportuerit.

De quibus monendi cum ad Collegia mittuntur.

7 Cum vero è Novitiatu ſcholaſtici educuntur,ut ad ſtudia mittantur, præmonendi ſunt à NovitiorumMagiſtro,non mitti eos ad laxiorem vitam, ſed ut per ſtudia fiant aptiora inſtrumenta ad Dei gloriam, & ſalutem proximorum procurandam, ac proinde ita debere ſtudiis invigilare, ut ſpiritus minime refrigeſcat.

IN-

INSTRVCTIO VII.
Pro Scholaſticis Societatis.

I.

BONA Scholaſticorum Societatis educatio magni momenti ſemper viſa eſt, cum ex iis poſtea tum profeſſi, tum etiam operarii proficiſcantur. Deſignandi ſunt igitur illis non ſolum ii Superiores, qui eos in via Domini, & religioſa perfectione probe inſtruant; ſed boni etiam Confeſſarii, & Præfecti rerum ſpiritualium, qui ſuo munere bene & exacte fungantur. Quin etiam eos Præceptores ut habeant curandum eſt, qui non ſolum doctrinæ ſtudiis eos excolant; ſed bono etiam exemplo ad virtutem incitent.

Sollicita & ſtudioſa Scholaſticorum educatio.

2 Vigilent itaque Superiores, ne aſſueſcant Scholaſtici nimis colloqui cum externis, aut amicis & cum illis familiaritates habere, apud eos prandere; litteras, vel munera dare & accipere, niſi neceſſitas, aut recta ratio aliud ſuadeat. Conſtat enim his omnibus & ſimilibus ſpiritum in noſtris graviter lædi, & religioſæ perfectionis fervorem intepeſcere.

Ne cum externis occupentur.

3 Multo minus permittendum eſt, ut ſcholaſtici Patres antiquiores nimis familiares, ac veluti Patronos apud Superiores habeant: & ſeniores ipſi moneantur, ut ab hujuſmodi patrociniis, tam Scholaſticorum, quam aliorum è noſtris quorumcumque ſibi temperent, juxta ea, quæ de vitandis hujuſmodi interceſſionibus præſcripta ſunt.

Patrociniis ne foveantur.

4 Proderit autem ad Scholaſticorum ſpiritualem profectum, veterem mortificationum conſuetudinem tempore vacationum excitare, propoſitis in hunc finem in tabella mortificationum capitibus. Quin etiam expedire omnino videtur, ut qui in ſpiritu nimis relaxati videntur, quo in eis ſpiritualis fervor excitetur, ad has, & Exercitia etiam ſpiritualia, ſuaviter, omnino tamen inducantur. Imo vero hi, quando opus eſſe judicabitur, à ſtudiis ad tempus, vel etiam ſimpliciter amovendi ſunt, ut melius in ſpiritu proficiant, & in virtutibus ſolidentur.

Mortificationum uſus in vocationibus.

Quomodo tepidiores juvandi.

5 Nec minus operæ ponendum eſt à Superioribus, ut Scholaſtici noſtri eam indifferentiam aſſequantur, juxta Regul. 31. Summarii, ut ſcilicet à Superioribus ſe regi ſinant, nec ſint ſolliciti, quid peractis ſtudiis & tertio probationis anno, ſint facturi: ſolet enim plerumque evenire, ut ſi aliter contingat, quam animo conceperunt, non ſine magna moleſtia, & ſpiritus jactura, perturbentur.

Indifferentiæ aſſueſcere diſcant.

INSTRVCTIO VIII.
Pro Coadjutoribus temporalibus.

Ex deputatione, quæ de illis bene inſtituendis habita eſt in V. Congregatione Generali.

A. R. P. N. Claudio Aquavivâ Præpoſito Generali juxta ejuſdem Cong. Decretum 98. recognita.

I.

Conſervandi, & fovendi in ſpiritu.

CIRCA ſpiritualem Coadjutorum temporalium profectum, non tantum in Novitiatu, ut dictum eſt, vigilandum eſt à Superioribus; ſed multo magis curandum eſt, ut poſtquam è Novitiatu educti fuerint, & vota poſt biennium emiſerint; ſpiritum, quem probationis tempore acquiſierant, diligenti cura conſervent. Quare non ſinantur ſuo more aut arbitrio vivere, ſed eos rerum ſpiritualium Præfecti, & ipſi etiam Superiores frequenter alloquantur, novos præſertim, & qui infirmiores ſunt, & hoc cum tempore recreationis aliquando, tum vero ſeparatim, ſemel ſaltem in hebdomada, conſolando eos & inſtituendo in iis quæ ad ipſorum ſtatum pertinent; capita meditationis ſuggerendo, modum, ac fructum orationis exigendo, & tandem dirigendo, ubi opus fuerit.

Frequens Superiorum & Præfecti allocutio.

De quibus ſingulis hebdomadis inſtruendi.

2 Loco inſtructionis Doctrinæ Chriſtianæ, quæ extra Novitiatum ad Coadjutores haberi ſolet, ſi ſatis in ea inſtructi exiſtimentur, inſtituatur, ſingulis hebdomadis ſpirituale colloquium, ſeu conferentiæ de rebus ad eorum exercitia & captum accommodatis. Quo tempore curandum erit, ut intelligant, quæ in ſeculo vilia aut etiam ſervilia judicantur, ea magni momenti, Deoque valde cara eſſe in Religione, quandoquidem propter Divinum ejus amorem, & reverentiam fiunt: nec ſolum mercedem illorum operum ipſos conſequi, ſed participes etiam eſſe ceterorum omnium bonorum operum, quæ Divina bonitas per noſtram Societatem operari dignatur; ſicut etiam omnium Indulgentiarum, & ſpiritualium gratiarum, quas ceteri conſequuntur. Plurimum autem conferet, id à Superiore ipſo præſtari, ad quem hæc cura maxime pertinet. Hoc enim officio ſibi eos Superior devinciet, dum ſe illos peculiari ſollicitudine complecti & excolere oſtendit; & ipſi viciſſim aperte vident, ſe à Superioribus minime negligi.

3 Quoniam multa poſſent evenire incommoda, ſi facile Coadjutores ſoli permitterentur incedere, expedit omnino, ut quantum fieri poterit, ſemper comitati incedant. Si qui autem ob neceſſitates ſoli egredi permittuntur, ii maturi & graves ſint, & tales à quibus nihil incommodi merito timeatur. Socii autem Procuratorum, & Emptores, præterquam in iis quæ ſunt officii eorum propria, ſoli non eant: feminas vero nulli ſoli adire permittatur. Si quando autem aliquid periculi timeretur, matura mutatione provideatur. Quinam ſine ſocio incedere poſſint.

4 Qui ad vineas, agroſque procurandos mittuntur, ſint ex iis, qui magis in ſpiritu & religioſa diſciplina profeciſſe cognoſcentur. Neque unquam ſoli in ejuſmodi locis morentur, aut certe pernoctent, & quam minimum fieri poteſt in illis permaneant. Quod ſi diutius, aut longius eos abeſſe oporteat, mutentur nonnumquam, aut identidem ad Collegium revertantur, ut in utroque homine reficiantur. Ea vero, quæ per externos in his locis curari poſſunt, ad ea noſtri ne adhibeantur. Quales ad agros mittendi, & ſoli pernoctare non permittantur.

5 Vt quiete juxta ſuam vocationem in Domo Dei laborent, ſevere caveant Superiores, ne in ſuis miniſteriis à ceteris contemnantur: neque officia, quæ pro Dei amore exercent, illis à quopiam tamquam vilia & ſervilia objiciantur. Præterea expedit, ut peritis in ſua cuique arte credatur, nec facile illis etiam ſtudio mortificationis contradicatur. Et tandem ad eam etiam pacem & tranquillitatem conſervandam plurimum faciet, ſi à Miniſtris nimium aliquando non urgeantur. Ne contemptui habeantur. Peritis in arte credendum. A Miniſtro non ſupra modum urgendi.

INSTRVCTIO IX.

De moderatione in dandis litteris ad Generalem adhibenda.

A. R.P.N. Claudio Aquaviva Præpoſito Generali diverſis ſubinde temporibus, anno demum 1599. aucta copioſius, ad Provincias miſſa.

1.

ETsi magna afficior voluptate, ſi quam ſæpiſſime meorum Patrum, Fratrumque litteras perlegam; eſtque pergratum omnes ad me, tamquam ad Patrem, magna fiducia confugere; tamen auctis longa die negotiis, auctaque Dei beneficentia in dies latius Societate, longo jam uſu intelligo, in dandis ad nos litteris, juſtam aliquam moderationem eſſe ſtatuendam. Cauſſæ hujuſmodi Inſtructionis ſcribendæ.

Quod ni fiat, in tantam multitudinem litterarum numerus excreſcet; ut, cum ad omnia reſcribendum fuerit, rebus majoribus, & quæ ad Societatem ſpectant univerſam, in quibusque tranſigendis verſari debet Præpoſiti Generalis induſtria, neceſſarium tempus detrahetur; laborque eorum qui ſunt à ſecretis, id quod ipſa docet experientia, ita augebitur, ut, quamvis apta deſcriptione operæ ſingulis diſtributæ ſint, & jam pridem eorum auctus ſit numerus, brevi tamen impares labori ſuccumbant, neceſſe erit.

2 Quare, re prius bene perpenſa, ſæpiusque cum PP. Aſſiſtentibus communicata, multisque precibus Deo commendata, viſum eſt nonnulla, ad hanc rem valde conducentia, omnibus commendare; regulasque aliquas, & Superiorum temporum ordinationes in memoriam redigere, quæ ſi ſerventur, ſperandum eſt, commodius Provinciarum negotiis conſultum iri. Nam ſupervacuis & inutilibus rejectis, quæ ſæpe utilibus & neceſſariis officiunt, plus operæ ac temporis majoribus & univerſalioribus Societatis rebus inſumetur. Ita & labor eorum, qui in hoc munere verſantur, allevabitur, ut pares eſſe poſſint operi; & nihil de eo fructu detrahetur, quem Patres, Fratresque è litterarum communicatione percipiunt, & optamus omnes.

Aliquæ leges præſcribendæ.

3 Sed antequam ad rem ipſam veniamus, Reverentiam Veſtram admonemus, noſtræ voluntatis eſſe, ut quo tempore noſtram hanc ſanctionem ac moderationem in dandis ad nos litteris Provinciæ ſuæ indixerit, ſimul etiam edicat nullo modo eam ad id genus litterarum pertinere, quibus privatim ſuis quisque de rebus ſubditi nos certiores facere voluerint; integrum eſſe cuique, quæ ad animi ſui fructum, ſpiritualeque auxilium, in Domino expedire judicaverit, ad nos perſcribere: me enim magna cum animi mei voluptate cuncta perlecturum.

Non extenditur ad privatas litteras.

4 His poſitis, Reverentiam Veſtram ſcire oportet, meos prædeceſſores varias ordinationes præſcripſiſſe de modo, tempore, rebus, de quibus ad Præpoſitum Generalem litteras dare opus ſit. Quæ omnes poſtmodum in Formulam ſcribendi ſunt relatæ. Ex quibus ſervandis maximam partem pendet ea, quæ in hoc genere moderatio eſt adhibenda, & quam in primis teneri peroptamus.

Variæ ordinationes hac de re datæ ſervandæ.

5 Quare erit operæ pretium Superiores omnes & Conſultores ipſam Formulam attente perlegere; eorumque unumquemque ea conſiderare, quæ ad ſe pertineant. Ita fiet, ut multis litteris minus neceſſariis ſuperſedeatur.

Formula ſcribendi ſervanda.

deatur. Nam ſi Superiores locorum de ſuis rebus, cum ſuis primum agent Conſultoribus, deinde cum Præpoſitis Provincialibus, qui ex ipſorum regulis, & forma iis præſcripta de rebus ordinariis ſuæ quisque Provinciæ ſtatuere poterunt, non magnum erit negotium ſeptimum Formulæ paragraphum ſervare.

6 Ac ſi operam dabunt, ut ejusdem Formulæ paragraphum decimum obſervent, haud dubie magnus litterarum minus neceſſariarum numerus tolletur: cum ibi præſcribatur, in rebus non urgentibus ordinarium tempus eſſe expectandum. Nam in urgentibus & gravibus omni tempore ſcribendi paragraphus nonus poteſtatem facit. Hinc illa etiam utilitas proficiſcetur: nam ſi Superiores locorum de negotiis rite & ſubordinatione ſervata, cum ſuis agent Provincialibus; rerum adminiſtratio melior erit & facilior, & cum omnium grata voluptate etiam conjunctior. Nam illa ſcribendi ratio directo & ſtatim ad nos, inconſulto Provinciali, contra quam præcipit paragraphus decimus, nihil aliud efficit, niſi ut multiplicentur litteræ, & conſtitutio de rebus longius trahatur; cum ad bonam rerum adminiſtrationem oporteat nos, antequam de re quapiam conſtituamus, Provincialium de unaquaque re ſententiam exquirere: & ſingularum rerum ſtatum naturamque cognoſcere illorum teſtimonio qui totas Provincias adminiſtrant, & præſentes ipſi totam rem inſpiciunt, & quodammodo manibus pertractant.

Præſertim paragraphus decimus.

Quid in urgentibus.

Subordinatio commendatur.

7 Eſt & illud præterea notatum, de eadem re ſcribi ſæpius ad nos: quæ res fruſtra numerum auget litterarum. Quare monendi ſunt omnes Superiores, tum Conſultores, ne cum de re aliqua ſemel ſcripſerint, de re eadem ſcribant iterum, niſi transacto ad reſcribendum tempore, & perferendas ad eos litteras conſtituto. Qua in re illud animadvertant oportet, non ſemper ſtatim atque ad nos litteræ perlatæ ſunt, facultatem eſſe ad illas reſcribendi. Nam, cum ſua cuique Aſſiſtenti ſtata tempora deſcripta ſint ad agendum; ac ſæpenumero diverſarum Provinciarum, atque adeo Aſſiſtentiarum in idem tempus litteræ concurrant, niſi ſtatutus ordo teneatur, magna ſequatur confuſio, neceſſe eſt: ut mirum interdum non ſit, ſi quando ſerius aliquanto, quam vellent aliqui, ad eorum litteras reſcribatur. Atque ob hanc cauſſam, ut occupationibus conſulatur Præpoſiti Generalis, in Formula præſcribitur, ut cum ad ipſum Provinciales ſingulis menſibus, Præpoſiti locales ternis ſcribere debeant, Præpoſitus ipſe Generalis ad Provincia-

Ne de re eadem bis ſcribant, reſponſo non expectato.

vinciales alternis, ad locales ſenis menſibus reſcribat. Quin etiam experimento ii ſcire poſſunt, crebrius etiam, quam Formula præſcribit, eorum litteris reſponderi.

Quæ in litteris *ſoli* ſcribendis ſervanda ſunt.

8 In litteris porro, quæ *Soli* inſcribuntur nonnulla peccantur: atque id eo fit, quod non omnes ſciunt, quæ ratio in iis litteris ſervetur. Perſæpe enim quæ iis litteris continentur, non ejus generis ſunt, quæ ſecreto opus habeant, ita ut non poſſint cum iis, quibus opus eſt, communicari. Imo vero non raro ejusmodi ſunt, ut, niſi cum aliis communicentur, tranſigi nullo modo poſſint: ac nulla alia de cauſſa *ſoli* inſcribi videantur, niſi tantum ut à nobis legantur. Hi ſi ſcirent, nos eas quoque litteras legere ſolere, cum præſertim res poſtulat, quæ illa carent inſcriptione, non dubito, quin illa ſuperſederent. Quare opus eſſet hos hujuscemodi incommodi admonere.

Ne in litteris negotiorum ſecreta admiſceant.

9 Eſt & alterum in eodem genere incommodum, quod multi cum de rebus variis ad nos ſcripſerunt, ad eamdem epiſtolam unum aliquod caput attexunt, quod ſecretum poſtulat; & ob hoc unum caput totam epiſtolam *ſoli* inſcribunt. Quo fit, ut, cum ipſa epiſtola, ob ſecretum non poſſit niſi cum P. Secretario communicari (cum quo de more epiſtolæ, quæ *ſoli* inſcribuntur, communicandæ ſunt) ob illius occupationes negotia reliqua, quæ cum Aſſiſtentibus ſunt communicanda, tranſigi maturo tempore non poſſint. Quare moneantur, ut cum de rebus ſcribunt, quæ inſcriptionem *ſoli* poſtulant, ſi de rebus aliis iis ſcribendum ſit, id ſeorſim faciant alia epiſtola, ab eâ ſejuncta, quæ *ſoli* inſcribenda eſt. In eâ vero, quæ *ſoli* inſcribitur, non niſi de rebus illis agant, quæ ſecretum poſtulant, nec ſunt cum aliis communicanda.

Ratio contractus & inſtrumenti Romam mittenda.

10 Ad hæc, quod ad contractus attinet, contractuumque inſtrumenta, cum Romam mittuntur, à tergo membranæ vel chartæ adſcribatur index & ſumma eorum quæ continentur. Idque eò magis quod multa tam fœdis characteribus deſcripta mittuntur, ut non niſi magno labore, magna temporis jactura, & ægrè intelligantur; ab hominibus præſertim qui quibus de rebus in illis agatur, ignorant.

Quæ in ſcriptione litterarum animadvertenda viſa ſunt.

11 Litteræ, de negotiis præſertim, quæ ad nos ſcribuntur, detur opera ut bonis & perſpicuis characteribus ſint; omiſſis litterarum compendiis abbreviationibusque parum notis. Iuſtus etiam ad oram exteriorem margo relinquatur, ut indices eorum, quæ intus continentur, foras evocari poſ-

ſint.

ſint. Et cum varia capita de rebus variis continent, præſertim ſi vel Superiores, vel Conſultores ipſi litteras dant, ſingula quæque capita per paragraphos ſcribantur, ad initium ſemper caput revocando. Id enim & ad legendi, & intelligendi uſum facilitatemve apprime conducit, non modo in præſens, quandiu de rebus iis eſt agendum; ſed in poſterum etiam tempus, cum ex Archivio, quod ſæpe uſuvenit, ejusmodi litteræ ad eadem vel alia ſimilia negotia, poſt aliquot menſes aut annos ſunt proferendæ. Quæ res in tanto ſcriptorum numero, optimo licet ordine diſpoſita ſerventur omnia, niſi his adjumentis allevetur, laborioſa admodum fit & impedita.

12 Et tum in his tum in aliis etiam litteris duo illa ſerventur, ut & in fine epiſtolæ cujusque nomen adſcribatur & cognomen ejus qui litteras dat (ſunt enim, qui pro ſua modeſtia alterutrum omittunt, altero tantum contenti) & cum dies, qua dantur litteræ adſcribitur, non à feſto tempore illius diei, ſed à numero dierum menſis cujuslibet notetur; ut facilius datarum litterarum ratio iniri poſſit. Denique caveant, ne eodem folio, quod ad nos ſcribunt, ad obvolvendas epiſtolas alias utantur: fit enim plerumque, ut in reſignandis faſciculis, pars aliqua litterarum una cum ſigillo revellatur: quæ deinde nullo modo legi poſſunt.

Nomen, & cognomen in calce adſcribant die non prætermiſſo.

Ne eodem folio, quo ſcribunt, epiſtolas obvolvant.

13 Illud poſtremo hoc loco addere perneceſſe fuit, quod abhinc annos quindecim nonnullis Provinciis præſcripſimus, ad expenſas non exiguas vitandas, quibus unam pro multis æquo plus gravari interdum contingebat, ex Collegii aut Provinciæ, ex qua litteræ mittuntur, ignoratione; ut curent Superiores omnes ſingulis litteris & faſciculis ſui Collegii ac Provinciæ nomen exterius in fronte imponi. Sic enim antequam vel faſciculi diſſolvantur, vel aperiantur litteræ, vecturæ ratio facile conſtabit ei, qui exigendi curam gerit, ut ſuum cuique Provinciæ vecturæ datum referre poſſit. Quod ſi contingat diverſarum Provinciarum vel litteras, vel faſciculos in unum colligare, neceſſe erit ſimiliter in externa facie ſub illius inſcriptione Provinciæ, in qua colligantur, nomen notari: detracto enim ſuperioris faſciculi tegumento, ſingularum litterarum, vel faſciculorum vecturæ ratio diſtincta conſtabit ex illarum inſcriptionibus: vel certe (quod magis probaremus) in magno faſciculo nomina earum omnium Provinciarum, quarum faſciculi includuntur, exterius adſcribi.

De Collegii & Provinciæ nota in litteris & faſciculis facienda.

INSTRVCTIO X.

De Præfectis ſpiritualibus, conſtituendis formandisque.

A.R.P.N. Claudio Aquaviva Præpoſito Generali ad Provincias miſſa anno 1599.

I.

Hujus Ordinationis utilitas.

QVANTA in rei ſpiritualis Præfectura inſit utilitas, quamque ſit munus illud neceſſarium, non noſtræ tantum regulæ, Conſtitutionesque docent, ſed ipſa etiam ratio perſuadet & evincit. Nam cum ad perfectionem noſtræ Societatis viros effingere, formareque debeamus; conſequens eſt, ut ii quoque quidquid agunt ſpirituali ratione, atque in Deum caritate illud agant. Hæc nempe una cura illos ad ſtudium virtutum omnium, ad plenam abſolutamque ſanctitatem aſſiduis debet ſtimulis excitare: ut ipſi & in ſe & in aliis quam maximum lumen, quam maximum communis Domini amorem provocent in dies. Præterea cum in perpetuo ipſi obedientiæ uſu, ac religioſæ diſciplinæ, ſpiritualibusque ad proximos miniſteriis verſari debeant, niſi normæ divini Spiritus ſe conforment, ſoluti, indociles, difficiles, intractabiles, & ſegnes ad laborem ſint neceſſe eſt: non ſecus atque currum aliquem videmus amotis rotis trahi non poſſe; admotis vero, apteque collocatis, facile ad quemcumque uſum accommodari. Et quamquam multis jam annis in eam curam incumbimus, Provincialesque Præpoſitos urgemus, ut rei ſpiritualis conſtituant Præfectos ac Magiſtros; ipſique qui rei magnitudinem intelligunt, maximo opere rem perficere conantur; excuſant tamen idoneorum hominum, qui totam rem ſuſtineant, inopiam.

Quales inſtituti noſtri ratio requirit.

Inopiam excuſant.

Experientia defectus comprobatus.

2 Nos quoque perſæpè multas in eo genere querelas audivimus: idque multo etiam magis perſpeximus, cum non ita multo pridem, qui ſpiritualium rerum ſtatum inſpicerent, inſpectores per Provincias dimiſiſſemus. Ex quo apparet, multa & magni momenti in hac ratione deſiderari.

3 Re igitur Domino precibus commendata, poſt multum de eâ cum Patribus Aſſiſtentibus ſermonem habitum, ſentimus neceſſe eſſe peculiarem aliquam curam ſuſcipere, ut magiſteria totius hujus rationis inſtituantur. Ingens enim ſit error, quemlibet mediocri probitate, mediocri prudentia, recto tantum ſtudio inſtructum, propenſaque ad virtutem voluntate, ad tantum munus idoneum judicari. Quod ſi ad viam ſpiritualem ineundam, homi-

Quales ſint Præfecti ſpiritus.

homines aliorum conſilio indigent ac regimine; cum ingens ſit eorum periculum, qui perito in eo itinere duce carent; ſatis conſtat, eos qui huic muneri deliguntur, magno ad hanc artem ſtudio, magno lumine, magno rerum uſu, magna præterea lenitate, ac dexteritate, & ad agendum cum aliis comitate, & gratia eſſe oportere. Ad hæc magna propenſio, applicatioque animi, dotesque aliæ inſignes accedant, neceſſe eſt. Et cum hæc maxime optemus non tamen ea remedia videmus adhiberi, quæ ad hujusmodi magiſtrorum copiam parandam, opus ſunt.

4 Præterea cum ad ſcholas inſtruendas non majorum ſtudiorum modo, ſed minorum etiam humanitatis, & grammaticæ, varias artes exercitationesque invenerimus, ut idonea ſuppetat copia magiſtrorum; prudentiſſimus quisque optime intelligit, quanto id magiſterium majus ſit ac magis neceſſarium, cum in eo multo minus, quam in altero liceat eſſe conniventes, non modo quia nobilius, majorisque momenti eſt; ſed etiam quia baſis & fundamentum eſt alterius. Siquidem doctrina à ſpiritu ſejuncta, & Societati proximisque magis obeſſe, quam prodeſſe; & Eccleſiæ ſanctæ nulli aut perexiguo adjumento eſſe poteſt. *Vt in litteris, ſic & in ſpiritu perficiendo elaborandum.*

5 Quare omnium primum Provincialis cum ſuis Conſultoribus, aliisque Patribus rerum peritia ſpirituque præditis, re communicata, delectum habeat eorum, qui præter ceteros idonei judicabuntur, qui ad id munus deſtinentur. Atque ad id, tamquam à remotiore quodam principio, è juvenum numero eos deſignet, qui majorem ad hoc munus indolem præſeferre videbuntur; ſilentii, & ſeceſſus amatores, orationis & Divinæ contemplationis ſtudioſos: eosque magiſtris Novitiorum ſocios adjunget, exercebitque interim in aliis ad ſpiritualia exercitia erudiendis. Deinde ad rem ipſam propius accedens, eos in præſens huic muneri præficiet, qui ſtatim manus operi poſſint admovere, maturos ſenes, quos vel longo gubernandi uſu, vel conciones habendi, aut è cathedra Theologiam præſertim explicandi labore feſſos, tamquam ex alto in portum, intermiſſis exercitationibus, in hoc tranquillum ſenectutis otium confugere utile erit. *Quinam ad id munus eligendi.* *Quinam huic muneri præficiendi.*

6 Neque cuiquam otioſa res videri debet, aut infrugifera, vel ſi cum aliquo aliorum conſiliorum incommodo id fiat, navum aliquem hominem à miniſteriis aliis clarioribus ceſſare, dum aliis inſtituendis juvandisque occupatur: imo vero plusquam ceteros efficere certum eſt. Siquidem illorum omnium manibus, qui ab ipſo promoti dignos ſe præbent Societatis adminiſtros, operatur, *Opus non contemnendum.*

Quibus vacent Præfecti.

7 His porro concedendum eſt, ut ſanctæ orationi, ſanctorum Patrum, piorumque librorum lectioni operæ plus ſolito impendant. Conſtitutiones, exercitia B. P. N. eorumque Directorium habeant ſibi familiaria: ad hæc Inſtructiones, Induſtrias, aliaque monita Præpoſitorum Generalium optime teneant. Vt cum in ſermone, tum in uſu tradendo virtutum, illa in promptu habeant, quæ cum gratia noſtræ vocationis ſunt conjuncta.

Quinam libri legendi.

8 E ſanctis Patribus habeant præ manibus S. Baſilii ſcripta omnia, S. Gregorii moralia, S. Bonaventuræ opuſcula; alios præterea Doctores, Guilielmum Pariſienſem, ejusque præcipue tractatus de tentationibus, & reſiſtentiis; de virtutibus, de vitiis & peccatis, de rhetorica divina, & ſimilia; Gerſonem, ejusque præcipue tractatus. Et è noſtris Platum de bono ſtatus religioſi, Roſſignolium de diſciplina Chriſtiana; tum libros de imitatione Chriſti; Sanctorum vitas, è quibus graviſſima eliciuntur documenta; opera denique Ludovici Bloſii magno eſſe poterunt adjumento, ad varias variorum curandas affectiones. Itaque errorem ponant Superiores, ſiqui aliter exiſtimant; ſibique perſuaſum habeant, tum ad idoneam ejus doctrinæ cognitionem, quam in hujus artis magiſtro ineſſe oportet, tum ad auctoritatem nomenque viri vere ſpiritualis obtinendum, maximi eſſe momenti hoc ſtudium: nec ſatis eſſe communem curſum, aut commune hominis cujusque ſtudium aut quantulamcumque hujus doctrinæ cognitionem, qua tinctos eſſe contingat eos, qui hæc aliquando curſim, & quaſi aliud agentes lectitarunt, aut etiam ſubinde meditando volutarunt animo.

Neceſſarium hoc ſtudium.

Non ad externos effundendi.

9 Atque ob hanc cauſſam non debent hi circa externos tamquam ordinariæ operæ occupari: tum quod illa perſæpe occupatio ab opera ſuis præſtanda illos avertit; tum etiam quod revera mens in duas diverſas curas cum aliquo diſpendio diſtrahitur.

Exemplares ſint.

10 Et quoniam hi rei ſpiritualis magiſtri non doctrina ſolum & monitis, ſed exemplo etiam & opera eam viam debent ſpiritualem commonſtrare; neque illos decet ſpiritu eſſe eremitico, totosque uni contemplationi deditos; videndum eſt, ne ita ſint ſanctæ quietis ac ſeceſſus amatores, ut proximorum conſuetudine prorſus abſtineant: ſed aliquas exercitationes, miniſteriaque laboris quidem, humiliationis, utilitatisque majoris, occupationis tamen & illecebræ minoris aſſumant; cujusmodi ſunt carcere detentos, hoſpitalia, ægrotos inviſere, aut breves aliquas ſubinde obire miſſiones: ſed certis, quibuscum uſum habeant, nullis addicantur pœnitentibus:

In humilibus ſe exerceant.

bus: feminis vero, cum quibus nimium plerumque eſt negotii, multo minus.

11 In magnis porro Seminariis, in quibus ad ſtudia aluntur multi, ſatis conſtat hujusmodi magiſtris tantum operæ ſuppetere, ut aliæ occupationes omnes excludantur: ita ut ne ipſis quidem regendis diſcipulorum Congregationibus, aut ſcholarum confeſſionibus audiendis locus relinquatur. Eritque id Provinciali ſummæ curæ, ut in ejusmodi frequentibus Collegiis homines hac doctrina & fervore pietatis inſignes huic muneri præficiantur: ac ſi fieri poteſt, ex iis, qui aliquando Magiſtri fuerint Novitiorum, vel in gubernando magni exempli, & ſpectatæ pietatis fuerint; vel certe in aliis Collegiis id munus cum aliorum probatione ſuſtinuerint. Denique, uti dictum eſt, præſtantiſſimi cujusque, & maximis dotibus inſtructi præclare ſtare operam cenſendum eſt, uno in hoc munere occupari. In Seminariis quales præficiendi.

12 Præfectis ita conſtitutis, Provincialis erit cura, invigilare, eos inſtruere, rationem ab iis, inter viſitandam Provinciam, repoſcere; ex aliisque quemadmodum ſe gerant, cognoſcere. Multum illis tribuat, multamque iis reverentiam conciliet: mandetque Conſultoribus Collegiorum, ut ad ſe, quemadmodum in hoc genere procedatur, accurate perſcribant. Provincialis munus.

13 Omnino duo in hoc genere ſcopuli vitandi ſunt, qui magnæ nonnumquam offenſioni eſſe poſſunt, quo minus tantæ rei magiſterium eum quem volumus, quemque res exigit, felicem curſum ſortiatur. Alter eſt temeraria quædam & inanis Superiorum ſuſpicio, ac prope zelotypia, quaſi rei ſpiritualis Præfectus ſubditorum animos ad ſe alliciens, derivet in ſe Superioris auctoritatem, eaque re neceſſaria membrorum cum ſuo capite conjunctio ſenſim ſolvatur. Alter contra, ne quando Præfectus, per cauſſam conſolandi ſubditos, ad illa ſe porrigat quæ ſunt regiminis, aut impediat elevetve Superioris auctoritatem, id quamvis, ipſo inſcio, alia ex cauſſa contingat. Quare magnopere opus eſt incommoda hæc antevertere initio; magnaque vigilantia cavere, ne quid ejusmodi ſubrepat, fines utrisque conſtituendo. Siquidem Rectori expedit Præfectum amari & in honore haberi: ſic enim adjumento & levamento multis in rebus ipſi erit. Præfecto viciſſim propoſita in primis eſſe debet obedientia, & erga Superiorem amor ſubditorum. Ac ſi quando hæc aut minui ſenſerit aut intepeſcere, ſeſe Angelum pacis interponat: hinc dejectos ſubditorum animos ad perfectionis mortificationisque ſtudium erigendo, & auctoritatem, bonam- Quinam ſcopuli vitandi Superioribus, & Præfectis.

 que

que de Superiore opinionem pro viribus tuendo; hinc Superiorem privatim de rebus illis admonendo, quæ vel expedire, vel impedire judicaverit.

Quotannis Generalis monendus.

14 Optamus præterea à Provincialibus certiores fieri quotannis, quosnam ei muneri in majoribus præſertim Seminariis, quibusve inſtitutionibus præfecerint; & quemadmodum tota res uſu tractetur, & quo fructu, & quod quisque ad eam rem talentum præferat.

Serio Provinciali commendatur.

15 Et quoniam res eſt magni momenti, eaque maximopere indigemus, omni quo poſſum animi affectu Reverentiæ Veſtræ quam accuratiſſime commendo, ut id totum ita ſuſcipiat, ut exiſtimet ad maximam ſui regiminis partem pertinere. Ita, divina favente bonitate, ſpes eſt, multa nobis fore proniora; eosque nos è noſtris laboribus fructus, quos ad Divinæ Majeſtatis gloriam optamus, percepturos; à qua copioſam precamur in omnes benedictionem.

INSTRVCTIO XI.

De paterne exigenda ratione conſcientiæ à ſubditis, & ſecreti fide ſervanda.

A. R. P. N. Claudio Aquaviva Præpoſito Generali anno 1606. ad Provincias miſſa.

I.

CVM reddere conſcientiæ ſuæ rationem res ſit apprime neceſſaria, & accuratiſſime nobis à B. P. N, commendata, ne qua inſcitia ſubditorum, aut minus clara ejus rei cognitione in noſtra Societate aliquando intepeſcat (ex quo incommoda non modica, cum magno rei ſpiritualis damno, & decremento auxiliorum, quæ ipſis ſubditis adhibenda ſunt, & magno etiam communis boni, Divinique obſequii detrimento orirentur) idcirco, quemadmodum omni diligentia noſtrum eſt ſubditos ipſos ad ſuum officium in hoc genere præſtandum adhortari, ob ingentes quæ ex ea re bene transacta percipiuntur utilitates; ita ſumme neceſſarium eſt (quemadmodum à nobis alias ſignificatum ac præſcriptum eſt)ut Superiores pro ſe quisque rem promoveant; tum eam præſeferendo comitatem, paternamque benevolentiam, quæ ſubditos ad ſe totos magna fiducia aperiendos alliciat; tum eam adhibendo prudentiam, ſecreti fidem ac cautelam, & ad eum unum finem conſequendum, cujus cauſſa à beato Fundatore noſtro totam hanc rem inſtitutam eſſe ſcimus, quod eſt ſpirituale auxilium, & idonea ſubditi cujus-

Incommodis occurrendum.

Quæ Superioribus præſtanda.

cujusque perſcrutatio. Quapropter animadvertant Superiores (id quod his litteris maximopere iis injungimus, graviſſimeque præſcribimus) ne hac notitia ita utantur, ut ſubditorum animi offendantur, ſuſpicenturque ſe ob eam rem aut notam aliquam aut periculum adituros, ne minus commode à Superioribus tractentur. **Quænam cautio adhibenda.**

2 Quare Superiores, quamvis ſecretum naturali jure tantum teneatur (nam de ſigillo confeſſionis nihil eſt quod agamus) videant tamen ſumma cura, ut ſecreti fides integra ſit, nihil omnino cuiquam innuendo; multo etiam minus ad conſilium referendo conſultandi cauſſa, quid facto opus ſit: nam ex eo ſubditi à ſua aperienda conſcientia deterrentur vehementer. Licet enim tanti ponderis ea regula præceptumque ſit, ſexcentas tamen Theologicas ratiocinationes, & periculorum ſpecies excogitarent, quare ad ſe tanto cum damno detegendos nulla lege tenerentur. Qua opinione atque avocatione animorum neſcio an pernicioſius quidquam ad bonam adminiſtrationem Societatis eſſe poſſit: quæ intima animi cultura, ſpiritualique inſtitutione magis, quam legibus ullis, pœnisve externis irrogandis ſuos optat alumnos ad perfectionem virtutis edocere. **Secretum ſervetur.** **Damna quæ ex hoc defectu orirentur.**

3 Quare Reverentiæ Veſtræ rem totam quam accuratiſſime commendamus, ut inter viſitandam Provinciam, diligenter cognoſcat qua fide Superiores in hoc genere ſe gerant: ac ſi quis in eo fuerit ſolutior, aut minus quam debet accuratus; det operam, ut pro culpæ gravitate, in eum animadvertatur: ac ſi opus fuerit, de tali Superiore amovendo ab officio nos certiores faciat. Idque ita curetur, non modo ut ſubditi nos ita præcepiſſe, ſed ita etiam exequi mandaſſe ſciant: ut intelligant omnes etiam Superiores, ſi quid aliquando deliquerint, pœnæ obnoxios futuros. Contraque ipſi ſuſpicionum umbras, quæ ſubinde oriuntur, exuant penitus ex animo; in idque magna caritate Superiores incumbant, ut ſubditi ex eorum paterna caritate recreentur, benigneque ſe ab iis tractari lætentur: viciſſimque ipſi ea, qua filios decet, reverentia fiduciaque ad Superiores ſuos, tamquam ad benevolos parentes, in omni re confugiant. Veſtra Reverentia quid egerit in hac cauſſa, quemadmodum per ſe ac per Confeſſarios, ut ab errore ſubditi avocentur contenderit; ſi quid peccatum fuerit, quæ remedia adhibuerit: & quid in eo genere Superiores profecerint, ad nos perſcribat. Redeo ad illud idem, moneoque etiam, rem eſſe maximi momenti, proindeque non mediocrem diligentiam deſiderare. **In viſitatione quid Provinciali præſtandum.** **Communicanda ſubditis hæc ordinatio.** **De quibus Generalis monendus.**

INSTRV-

INSTRVCTIO XII.
Pro iis qui ad Miſſiones, fructificandi cauſſa, proficiſcuntur.
A. R. P. N. Claudio Aquaviva confecta.

I.

Cur ſcripta hæc inſtructio.

AD directionem praximque Regularum eorum, qui ad Miſſiones proficiſcuntur, neceſſarium duximus hanc Inſtructionem perſcribere, ad quam poſſint deinde Provinciales, quæ pro locorum ac Miſſionum varietate opportuna videbuntur, adjicere.

Scopus Miſſionum.

Vnio inter ſe, & cum Deo conjunctio.

2 Finis harum Miſſionum eſt auxilium tot animarum, quæ ex ignoratione rerum ad ſalutem ſuam neceſſariarum, in ſtatu peccati, cum æternæ damnationis periculo verſantur. Proinde omni ſtudio enitantur, ut continuam veramque inter ſe unionem habeant, cum patiendi deſiderio; quandoquidem hæc neceſſaria ſunt fundamenta ad finem propoſitum conſequendum, & ad bonam ædificationem apud omnes conciliandam: meminerintque hanc eſſe vocationem noſtram, in qua primi Patres noſtri ſeſe exercuerunt. Ob eandem cauſſam orationem matutinam, & examen veſpertinum, quoad ejus fieri poterit, numquam prætermittant: & procurent tum in hac, tum in ceteris rebus intimam unionem cum Deo, à quo pendet omnis actionum noſtrarum recta inſtitutio & efficacia.

Quæ loca perluſtrabunt.

Eccleſiam primum adeant, tum Parochum.

Finem miſſionis declarent.

Nemini ſe oneri futuros.

3 Perluſtrabunt loca, quæ in catalogo ſuo deſcripta habebunt; tamdiu in ſingulis conſiſtentes, quamdiu pro numero, & diſpoſitione perſonarum expedire videbitur. Cum primum ad oppidum ſeu vicum, pervenerint, ante omnia primariam Eccleſiam adeant; & poſt brevem orationem, prout temporis ratio, & ipſorum commoditas feret, agant cum Parocho, vel alio Cleri Præpoſito; omnemque illi benevolentiæ ſignificationem exhibendo, caveant ne vel minimo indicio dent ſuſpicionem, quaſi ad eum viſitandum veniant: ſed oſtenſis Patentibus, &c. declarent ſibi hoc unum eſſe propoſitum, ut Doctrinam Chriſtianam tradant, confeſſiones audiant, pacificationes procurent, &c. ac nominatim ut Clero in omnibus probari & ſatisfacere ſtudeant. Doceant præterea ſibi præſcriptum eſſe à Superioribus ſuis, ne cui victus cauſſa ſint oneri: idque adeo ſe curaturos, cum habeant unde vitam ſuſtentent: cubiculum tantummodo deſiderari, à feminarum commercio liberum, & in quo lectuli ſint ad quieſcendum. Quod ſi mundum

mundum aliquod in xenodochio cubiculum erit, alibi non quæratur. Ab eodem Parocho, ſi conſenſerit, deſignabuntur, qui res ad victum neceſſarias pro ipſis comparent: quas quidem ad ſuſtentationem ſufficientes eſſe oportebit, ſic tamen, ut ædificationi ſemper conſulatur. Vbi habitent.

4 Interrogent eumdem Presbyterum de peccatis populi magis uſitatis, de uſuris, concubinatu, inimicitiis, abuſibus, ſuperſtitionibus, &c. ut majori cum luce, & utilitate animarum ſermones ſuos, laboresque dirigant. Conferet plurimum, ſi quam boni nominis ſecularem perſonam ſibi concilient, cujus opera apud alios utantur; procurando ut divina Sacramenta frequenter obeant; & probo pariter alicui Sacerdoti eos inſinuando. Iuvabit etiam ſcholas viſere, ſi ſine offenſione fiat; magiſtrorumque gratiam ineundo, pium aliquod devotionis exercitium inter ſcholaſticos introducere. Et cum tempus vacuum erit, in privatis cum hoc vel illo ſermonibus fructuoſe collocare. Edocendi de peccatis populi. Alicujus boni viri opera utendum. Scholaſtici juvandi, & quomodo.

5 Quo die ad locum pervenerint, in quo ſubſiſtere debent, procuretur quamprimum commoditas populi convocandi. Convocetur autem mane ac veſperi: fiatque exhortatio una, in qua primum diſſeratur de neceſſitate Doctrinæ Chriſtianæ; & de malis, quæ peccato mortali adjuncta ſunt, ut ex eo intelligatur neceſſitas confeſſionis. Deinde exponatur cauſſa & finis adventus ipſorum, bona cum venia & facultate Ordinarii: promulgeturque Iubileum à Sua Sanctitate conceſſum, poteſtas abſolvendi, &c. atque hæc omnia Societatem noſtram ex Inſtituto ſuo facere; cui convenit hoc munus Doctrinæ Chriſtianæ, confeſſionum, &c. ſignificetur etiam nullum hic lucrum quæri, nec pecunias: imo ferri ad ipſos munuſcula quædam rerum piarum. Nulli proinde ſe graves futuros, cum à Superioribus ſuppeditata eis ſint neceſſaria. Significent præterea horis matutinis audituros ſe confeſſiones eorum, qui conſcientias ſuas ſublevare deſiderant. A prandio Doctrinam Chriſtianam tradituros feminis, & pueris, ac puellis: veſperi autem eamdem viris poſt ſalutationem Angelicam explicaturos. Hortentur itaque, ut veniant, & domeſticos ac familiares mittant. Quoties populus convocandus. Materia concionum. Populus de quibus docendus.

6 Si oppidum eſt alicujus momenti, & alius concionator non ſit, Quadrageſimæ præſertim tempore, poterit ſingulis diebus ſummo mane brevis concio fieri per ſemihoræ ſpatium, de Evangelio quidem; ſed ita ut ad rerum neceſſariarum doctrinam traducatur pro captu auditorum. Exemplis autem crebro utantur, & pro re nata populum impenſe hortentur An concionandum, & quando.

ad divini cultus obſervationem, & ad Eccleſiaſticos honore ac reverentia proſequendos.

De quibus Clerus inſtruendus, & quo tempore.

7 Cleri inſtitutio complecti debet brevem notitiam myſterii Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis D. N. quænam ſit materia & forma Sacramentorum, de eorum uſu & exercitio, ac præcipue de ratione confeſſionum audiendarum, & populi inſtruendi; commendando eis diligentiam & munditiem circa cultum divinum. His porro qui è Clero ſunt, dandus eſt Catechiſmus, ſi non habent Directorium P. Polanci, aut F. Medinæ. Fient hæc mane, quando ab audiendis confeſſionibus otium erit, Quod ſi tunc non licebit, detur opera, ut ſero ſub noctem perficiatur.

De feminarum & puerorum confeſſionibus audiendis.

8 Feminarum confeſſiones in templo ſemper audiantur loco non obſcuro; eodemque modo juvenum: ſtudeantque ab eis perſonis quamprimum expediri, quæ movere poſſunt ſuſpicionem.

Quando feminæ, & pueri Doctrinam Chriſtianam docendi.

9 Pomeridianæ horæ ponentur in tradenda feminis puerisque Doctrina Chriſtiana; allicienturque proceſſionibus publicis, feſtis præſertim diebus, in quibus pueri ac puellæ vario cum ornatu appareant, & præmiis imaginum; diligentem operam adhibendo, ut doctrinam accurate perdiſcant; & hortando, ut eam aliarum inanium cantionum loco decantent inter laborandum, & in agris ipſis.

Quando viri Doctrinam docendi.

10 Veſperi poſt ſalutationem Angelicam circa mediam horam noctis, Parocho & aliis Clericis adnitentibus, convocetur ad eccleſiam quam maximus poterit numerus, invitando Gubernatorem, aliosque viros primarios, ut ceteros alliciant, prohibendo ne femina ulla admittatur: ibique explicetur Doctrina Chriſtiana, declarando myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, Symbolum Apoſtolorum, &c. omnem ſermonem concludendo malorum, quæ peccato mortali inſunt, declaratione: horæque circiter ſpatium hac in re collocetur. Quod ſi ad eam unicus ſufficiat; alter interim in privati cujuspiam auxilium incumbat, vel ejus confeſſionem audiendo, vel pacem inter diſcordes componendo.

Caute eleemoſyna elargienda.

11 Si quando incidat, ut aliquid eleemoſynæ pecuniariæ largiendum ſit perſonæ alicui ad gravem neceſſitatem redactæ, caute fiat & ſecreto, ne ſi patefiat, concurſus fiat pauperum; quibus ſi eleemoſyna denegetur, obtrectandi occaſio præbebitur.

Quomodo cum religioſis ſe gerant.

12 Vbi Religioſos cujuslibet ordinis nanciſcuntur, omnem in illos benevolentiæ ſignificationem declarare ſtudeant; eosque in Domino,

quoad

quoad fieri poteſt, lucrifacere. Quod ſi res ferat, juvabit Exercitia ſpiritualia cuipiam illorum, atque etiam Clericorum, tradere.

13 Obſervabunt ſubinde & annotabunt, quæ digna videbuntur, de quibus Prælatum admoneant, ut ea coram poſtea poſt reditum in urbem illi exponant. Itemque præcipua quæque notatu digna pro Annalibus. Quæ ab ipſis annotanda.

14 Dabunt operam, ut inchoëtur, promoveaturque, ubi opportuna res erit, Confraternitas aliqua Sanctiſſimi Sacramenti, vel nominis Dei, vel Roſarii, vel Doctrinæ Chriſtianæ. Romam poſtea ſcribendo, ut ſtabiliri poſſit, juxta Regulam 22. Miſſionum. Confraternitatum Inſtitutio, & quomodo.

15 Qui priore loco in Patentibus nominabitur, Superior erit Miſſionis; alter ejus Admonitor: demum omnes ſibi commendatam eſſe intelligant exactam regularum pro Miſſionibus obſervantiam. Quis in Miſſione Superior.

INSTRVCTIO XIII.

De ſpiritus renovatione procuranda, deque diſciplina religioſa augenda.

CAPVT PRIMVM.

Ad Orationis & Devotionis ſtudium excitandum.

1.

CVM inter illa media, quæ cum Deo inſtrumentum conjungunt, atque diſponunt, ut à Divina manu recte gubernetur; illud unum ad conſervationem, & incrementum ſpiritus efficacius ſit, familiaritas videlicet cum Deo in ſpiritualibus devotionis exercitiis; valde commendatam omnibus eſſe cupimus, & ſerio Superioribus injungimus earum Ordinationum ac Regularum executionem, quæ Orationis augmentum magnopere juvare ac promovere conſueverunt. In primis proderunt ſolemnia illa ac ſtata Religionis noſtræ, ſi frequens viſitatio fiat dum oratur, & ab ipſis interdum Superioribus, ex Regula Præpoſiti 50. & Rectoris 47. ſi pœnitentiæ peccantibus imponantur: ſi in cubiculis ſpiritu ferventiores cum tepidioribus una cohabitent: ſi crebro Noſtros alloquatur de hac re Præfectus ſpiritus, interrogetque modum, quem in orando teneant; doceat, inſtruat, ac dirigat pro rei exigentia: ſi Confeſſarius illis ipſis, quos in re tanti momenti, & ad ſpiritus conſervationem pernecceſſaria deficere intellexerit, ſcrupulum injiciat: ſi in privatis exhortationibus, & conferentiis agatur frequentius

Ex Deputatione pro renovatione ſpiritus.

Pſal. 10. §. 2.

Orationem, ac devotionem promoventia.

de fructuoſe oratione habenda, & de cura rerum ſpiritualium augenda: ſi in ratione reddenda conſcientiæ Superiores diligenter exquirant, quantum in hac re quisque profecerit, inſtruendo, formam docendo, excitandoque (ſi neceſſe fuerit) efficacioribus mediis ad tam ſanctum & perutile religioſæ vitæ opus peragendum. Denique conandum, quoad ejus fieri poterit, ut qui ex Novitiatu ad Collegia ſe conferunt, haud facile eamdem precandi rationem immutent, nec ſine Præfecti ſpiritus, aut Superioris conſilio in ejusmodi rebus progrediantur.

Ex Deputatione pro renovatione ſpiritus.

Quæ viſitationes interdicantur.

2 Si interdicantur id genus viſitationes, quæ nec ad eum finem, quem intendit Societas juxta ſuum Inſtitutum, nec ad ſpiritum vocationis noſtræ prodeſſe poſſunt; idque Superioris arbitrio, cujus erit ſingula prudenter & mature perpendere: iis exceptis, quos minime expedit præterire, tum ob commune bonum Societatis, tum ob majus Dei obſequium, & animarum auxilium: qua de re, ut omnes rei momentum intelligant, ſeriæ exhortationes habendæ erunt.

Ex Deputatione pro renovatione ſpiritus.

Inutilia colloquia.

3 Si omnino interdicantur inutilia, & parum religioſa colloquia ad januam cum externis: nec permittantur, niſi cum ad difficultates Caſuum conſcientiæ explicandas neceſſe fuerit; vel de rebus ſpiritualibus, & ad bonum animarum ſpectantibus agendum erit, vel omnino perneceſſariis, ut prudens caritas faciendum eſſe docuerit Superioris judicio; præſertim viris gravioribus, & valde probatis ad januam accedentibus.

Annuus Exercitiorum uſus.

4 Si vacent omnes quotannis ſpiritualibus exercitiis per octo vel decem dies continuos: atque ut id efficaciter, & omnino fiat, ſtatutus eſt annuus iſte uſus ſpiritualium exercitiorum, tantopere à Congregatione ſingulis commendatus, Superioribus præſertim; quibus curandum erit, ut non modo ſuo ceteris exemplo præluceant, ſed tempus quoque peropportunum ſingulis ad ea cum fructu peragenda, difficultatibus pervictis, attribuant.

Ex Deputatione pro renovatione ſpiritus.

De officio, & Sacro faciendo.

5 Poſtremo proderit non parum, ſi quæ Regulis 2. & 4. Sacerdotum de divino Officio attente, devote, & opportuno tempore recitando, deque ſemihora, ea qua par eſt reverentia, in faciendo Sacro explenda, præcipiuntur, exacte ſerventur. Denique ſi quæ ad pietatem, & devotionem pertinent, religioſe tractentur.

CAPVT SECVNDVM.

De ratione conſcientiæ reddenda.

1. SER-

I.

SERVARI oportet, quæ præſcribuntur in Inſtructione ad reddendam conſcientiæ rationem, quæve in ultima Regula Provincialis de modo accipiendæ rationis conſcientiæ; quæ item de non uſurpanda notitia per confeſſionem, quæ eſt VII. Inſtructio; quæ denique in nova Inſtructione XI. de paterne exigenda ratione conſcientiæ à ſubditis.

Ex Deputationis pro renovatione ſpiritus.

Quæ ſervanda circa rationem conſcientiæ.

2 Operæpretium viſum eſt hîc veluti praxim tam laudabilis in Societate conſuetudinis apponere, quemadmodum caute & paterne in re tanti momenti Superiores ſe gerant. Primum curent, ut ab inutilibus occupationibus liberi, toti in ſuorum Subditorum internam curam, & ſpiritualem profectum omnino incumbant: quæ quidem cura in eo poſita eſt, ut ab iis, qua par eſt diligentia & circumſpectione, exigant rationem conſcientiæ: quæ ſi, ut oportet, à ſubditis reddatur, atque à Superioribus excipiatur, magnum proculdubio momentum habebit ad ſpiritus renovationem & augmentum. Secundo, ut recte fiat, juvabit plurimum, ſi Superiores ſeipſos Patres exhibuerint, quod frequenter commendatum eſt; eosque crebro, & magna caritatis ſignificatione, ut Regula 16. Præpoſiti, & 25. Rectoris habent, vocent, alloquantur, & eos conſolentur, atque in ſpiritualibus inſtruant; ſicque intelligant, ſe non tamquam Iudici ſuam conſcientiam Superiori, ſed tamquam Patri manifeſtare; quo conſilium ab illo, auxilium, & conſolationem accipiant; neque idcirco futurum ut Superior tamquam imperfectum, aut tentatum minus diligat, aut minoris æſtimet; ſed contra majore caritate, ac peculiari affectu complexurus ſit, quem ſyncere & candide juvari velle conſpexerit. Ipſe vero Subditus ſic exiſtimare debet, ſe velut aliud eſſe, atque ſuos defectus. Quare ad Superiorem confugere debet, ut ſimul cum eo ad ejusmodi vitia eradicanda conſpiret; ſimulque etiam media petat, & auxilia, quibus id conſequi poſſit. Superiorum autem erit tam blande & amanter eos excipere, ut hæc ratio conſcientiæ reddita, occaſio fiat non ſemel aut iterum in anno ſtatis temporibus ad eos recurrendi, ſed frequenter eos adeundi: quo efficacius finem hunc Societatis, id eſt directionem, victoriam contra vitia, & virtutum lucra conſequatur. Tertio, efficiant autem, ut Subditi intelligant, aliud eſſe reddere rationem conſcientiæ; aliud quid, generaliter confiteri: quia & regula diverſa eſt utriusque, & diverſus finis, & modus diverſus. Nam confeſſionis finis eſt, proponere ſibi ante oculos totius illius temporis culpas, illasque denuo ma-

Praxis rationem conſcientiæ exigendi.

Ex Regulis pro Viſitatoribus.

Superiores Patres ſe exhibeant.

Diſcrimen inter rationem reddendæ conſcientiæ, & confeſſionem generalem.

jore alacritate expiare, & quaſi novas induere vires: in aperienda autem conſcientia finis eſt, ſtatum animæ ſuæ, nimirum defectus, paſſiones, propenſiones, tentationes, virtutes ipſas, & quæcumque ad perfectam ſui cognitionem facere poſſunt, ei aperire, cui ſe ad majorem Dei gloriam dirigendos tradiderunt. Modus etiam diverſus eſt: nam in confeſſione peccata & circumſtantiæ aperiendæ ſunt: in altera vero ea dicere ſatis erit, quæ integre profectum, ſeu defectum animæ, & ſtatum interioris hominis manifeſtant. Quare ut cogendi non ſunt Noſtri ad rationem reddendam conſcientiæ extra confeſſionem, cum id liberum Conſtitutio permittat pro cujusque conſolatione; ita ſummopere laudandi, qui, ſemotis iis, quæ proprie ad confeſſionem pertinent, (hæc autem Superiori in confeſſione detegere poterunt) extra confeſſionem reddunt: totosque ſeipſos patefaciunt, quo liberius, & absque ullo reſpectu Superiores ad illorum directionem, & utiliorem gubernationem ea notitia ad majus Dei obſequium utantur.

Vter modus laudabilior.

Ex Deputatione pro renovatione ſpiritus. In domeſticis exhortationibus commendandus uſus aperiendæ conſcientiæ.

3 In exhortationibus crebro à Superioribus inculcetur tam ſanctus & laudabilis mos, à B. P. Noſtro Ignatio inductus, & ſerio crebroque in Conſtitutionibus poſteris ſuis commendatus. Item ejus neceſſitas, & utilitas, non ſolum ad privatum; ſed etiam ad commune bonum ſpirituale oſtendatur ex ipſis Conſtitutionibus, & ex Sanctis Patribus: ſolvanturque objecta, rationibus & argumentis deſumptis ex vera Theologia. Oſtendant multas cautiones adhibitas ad rem hanc religioſe & prudenter tractandam ab ipſis Conſtitutionibus, à Præpoſitis Generalibus in ſuis Ordinationibus, ſcilicet de ſecreto ſervando; & quemadmodum inſtituta ſit ratio conſcientiæ reddendæ ad ſpiritualem profectum Subditorum, & ædificationem.

CAPVT TERTIVM.

De Silentii Regula exacte ſervanda.

I.

Ex Deputatione pro renovatione ſpiritus. Statim poſt recreationem ſilendum.

SERIO Superiores invigilent in exactam Regulæ 26. de Silentio obſervationem: & executioni mandentur, quæ in Inſtructione pro Superioribus cap. 3. §. 9. habentur. Sed in primis intelligant omnes oportet, quemadmodum extra tempus recreationis ſemper & ubique tacendum eſt, præterquam in caſibus, & locis in regula expreſſis; ita dato ſigno ad finem recreationis, ſtatim eſſe ſilendum.

Silentium in frequenti populo.

2 Curent quoque ut intelligant, cum foras eundum ſit, minime loquendum eſſe, juxta Regulæ intellectum, intra Vrbem ubi populi eſt frequentia.

3 Vt

3 Vt qui in Refectorio, vel in Culina tempore primæ & ſecundæ menſæ inſerviunt, eamdem eſſe ſibi legem ſervandam putent, quamvis utriſque ſecunda recreatio permittenda videatur. Silentium in refectorio, & culina, dum inſerviunt.

CAPVT QVARTVM.

De vitiis linguæ, & frequentia litterarum.

I.

RElligioſe ſerventur præſcripta in libello Induſtriarum, ea præſertim quæ cap. 15. habentur. *Ex Deputatione pro renovatione ſpiritus*

2 Superiorum conſcientia de hac re, veluti graviſſima, & inimica unioni & caritati, gravetur, ſerio ut advigilent, & auctores diligenter inquirant, ut ſevere puniantur. Qui vero auctores ipſos manifeſtare recuſaverint, pro ipſis habeantur. Auctores corrigantur.

3 De inordinata ac nimia communicatione per litteras, ſi quæ in cap. 15. à §. 7. ad 13. Ordinationum Generalium nuper præſcripta, executioni mandentur, nihil erit quod hac in re deſideretur. Litteras ſcribendi uſus.

CAPVT QVINTVM.

De votis, Paupertate, Caſtitate, & Obedientia.

I.

PRo Obedientia & Caſtitate legantur capita quartum & quintum pro Inſtructione Superiorum: neque enim aliud viſum eſt addendum. *Ex Deputatione pro renovatione ſpiritus.*

2 Executioni mandentur, quæ de manifeſtatione delicti Superioribus facienda cenſuit Congregatio.

3 Quod ad Paupertatis noſtræ puritatem attinet, abunde proſpectum eſt in §. 7. & 8. Inſtructionis antiquæ pro renovatione ſpiritus. Præterea, Reliquiaria, & his ſimilia, quæ collo ſuſpenſa circumferuntur, unius aurei pretium minime excedere oportebit. Vſus vero accipiendi, mittendique etiam cum facultate, omnino corrigendus videtur: nec tam faciles ſe Superiores exhibeant in facienda hujuſmodi poteſtate, præſertim generali. Reliquiariæ unius aurei pretium ne excedant. Vſus accipiendi, mittendique moderandus.

CAPVT SEXTVM.

De uſu pœnitentiarum ſecretarum excitando.

I.

LEgendæ interdum erunt publice litteræ R. P. N. Claudii Aquavivæ, de uſu pœnitentiarum, juxta noſtri Inſtituti rationem nuper ſcriptæ: in *Ex Deputatione pro renovatione ſpiritus.*

quibus

Legantur litteræ P. N. de hac re.

quibus oſtenditur, non idcirco quod ex regula certas & ſtatutas non habeamus, eas negligi Religioſis Societatis oportere.

Excitandus uſus pœnitentiarum.

3 Excitetur tam laudabilis uſus, ſicubi non ita vigeat, à Superioribus in exhortationibus, extraque illas in privatis colloquiis, in iis præſertim qui juvenes ſunt. Et ſicut inflammandi tepidiores erunt à Præfecto ſpiritus, à Rectore, & Provinciali in viſitatione; ita ferventiores regendi ſunt, ne nimium excedant.

CAPVT SEPTIMVM.

De cautela adhibenda, ne Principum ac Magnatum aulæ noſtris obſint.

1.

Ex Deputatione pro renovatione ſpiritus.

SATIS proſpectum fuerit, ſi ea quæ cap. 15. Induſtriarum remedia indicantur, Superiores, præſertim Provinciales adhibuerint.

Serventur præſcripta.

2 Vt oſtendatur Principibus viris Inſtructio 21. pro Confeſſariis Principum, ut ibi præſcribitur. §. 14.

Præveniantur, & præcidantur.

3 Si mala præveniantur, cum apparent futura ex ſignis poſitis in Induſtriis, & præcidantur initio familiaritates iſtæ cum Principibus antequam adoleſcant, & radices agant, quæ Societati noſtræ, niſi fortiter obſiſtamus, graviter minitantur; Præcipue cum Superiores connivent.

CAPVT OCTAVVM.

De humana & politica ratione agendi, præſertim in Iunioribus.

1.

Ex Deputatione pro renovatione ſpiritus.

Quomodo excitandi.

EXCITANDI quidem ſunt, qui hoc malo laborant, ſpiritu perfectionis; ſerioque monendi, ne huic peſti religionis adhæreſcant: quod magnopere dedeceat virum Religioſum, qui candorem, ac ſimplicitatem profitetur, dici, nedum politicum eſſe.

Quomodo artificiis occurrendum.

2 Superiores cum aliquos humanis iis rationibus quaſi adminiculis ad ſuos fines conſequendos uti compererint, facto ipſo technas ipſorum diſſolvant, & cuniculos antevertant; præcidendo interceſſiones, favores, machinationes, ita ut eorum conſilia irrita omnino reddantur: doceanturque dum juvenes ſunt, deteſtari tantum malum in Societate: & ſervanda curent, quæ cap. 24. in Ordinationibus generalibus præſcribuntur. Quod ſi Subditis ipſis, ut ſuos fines, propriaque commoda mediis non religioſis aſ-

ſequan-

ſequantur, tam indecorum fit; quid Superioribus fiet, ſi in hoc ipſo quo gravius, eo turpius peccaverint?

CAPVT NONVM.

De Recreatione quotidiana religioſe tranſigenda.

I.

ETSI in hac Generali Congregatione, quandoquidem minore cum fructu, & parum religioſe tranſigi à Noſtris tempus recreationis non pauci conquerebantur; ſerio actum ſit de moderanda, contrahendaque recreatione ob plurima quæ numerabantur incommoda, quæ Religioſam vivendi rationem dedecent; viſum eſt tamen Patribus, momentis rationum hinc inde perpenſis, quidquam novi in præſens minime ſtatuere. Verum adnitendum eſſe pro viribus, ut aliis primum rationibus, quæ à diverſis propoſitæ fuerunt, quaſi periculi faciendi gratia, iretur obviam incommodis, quæ in recreationibus noſtris alicubi reperiri non ſine jactura ſpiritus plerique dolebant. Quæ res cum à Patribus Deputatis pro renovatione ſpiritus, uti cenſuit Congregatio, diligenter diſcuſſa fuiſſet, P. Noſtri judicio rejecta eſt, rationibus nonnullis religioſe peragendæ allatis, quæ ſequuntur. *Abuſus recreationis.*

2 Vt peculiaris hac in re diligentia à Superioribus adhibeatur (quibus præeundum erit exemplo ceteris) ut recreationis tempus, juxta Reg. 56. Præpoſiti, & 55 Rectoris, religioſe impendatur. Quod niſi recte, & ut Religioſum decet, & ut finis hujus inſtitutionis poſtulat, traducatur; refrigeſcat ſpiritus neceſſe ſit, plurimumque diſtrahatur. Quo ſane fiet, ut dum inter nos ea, quæ pios viros decent, loqui non aſſueſcimus, deinceps etiam cum externis ea colloquia minime miſcere noverimus, quæ pietatem redoleant, & audientes ædificent. *Religioſe recreatio facienda.*

3 Advigiletur itaque, ut non ſolum exterminentur, ſi quæ ſunt, oblocutiones, & obmurmurationes; ſed explodantur etiam à religioſa recreatione rerum curioſarum, & ludicrarum narratiunculæ, libertasque, & ſecularitas indecora. Seculares autem rumores, qui foris audiuntur, juxta regulam, nec temere, nec ſine fructu domi narrentur. *A quibus abſtinendum in recreatione.* *Reg. 17. comm.*

4 Proinde ſuppeditabit abunde materiam recreationi noſtræ Catalogus à P. Natali p. m. confectus; qui ſaltem quotannis ad memoriam excitandam ſemel atque iterum legendus erit ad menſam: tum lectiones quotidianæ, quæ in Refectorio audiuntur, præſertim litteræ annuæ: denique ſpiritualium librorum frequens lectio, ſi ei tempus juxta Regulam arbitrio *Quænam materia religioſa recreationis.*

Præpoſiti, & Rectoris, aut Præfecti ſpiritus, ſtatis horis ſtudioſe impendatur.

Sanctiſſimum Sacramentum inviſere.

5 Porro conſuetudo viſendi Sanctiſſimum Sacramentum à prandio, vel à cœna, uti nullo modo generatim præſcribenda eſt, ob multas rationes; ita nequaquam omnino prohibenda videtur, ſi & ipſa loci diſpoſitio faciliorem eam reddat aliquibus, qui ſponte velint accedere: quibus Superioris erit, ſi nimii fuerint, modum injicere.

Pœnitentia imponenda.

6 Poſtremo ad præcavenda liberioris converſationis incommoda, præmonendi erunt omnes in exhortationibus, ut ab hujuſmodi narrationibus, & collocutionibus abſtineant, adhibeanturque ad eam rem idonei Syndici: & ſubmittantur ſubinde viri probi ſpirituales, qui ſermones ſanctos, & religioſæ recreationi convenientes inducant: nec deſint transgredientibus pœnitentiæ; vel ab ipſamet recreatione ad tempus ſubmovendi, quando hac in re non leviter eos peccaſſe Superior perſpicue animadvertit.

QVIBVS DE REBVS NOSTRI *Recreationis tempore colloqui poſſint.*

1 De Vita Chriſti, & Sanctorum: deque hiſtoriis Eccleſiaſticis.

2 De Hiſtoriis Societatis tum rerum, tum perſonarum.

3 De bonis cujusque deſideriis ad proficiendum in via perfectionis: deque fructu ex meditatione collecto.

4 De bonis deſideriis juvandi proximos, præſertim inter hæreticos, & infideles.

5 De rebus, quas in ſacris lectionibus, aut concionibus audierunt, vel inter prandendum, aut cœnandum.

6 De Spiritu & Inſtituto Societatis: de Conſtitutionibus, de Regulis, & gratia Vocationis: cum humilitate tamen, ſimplicitate, ac devotione in Domino, ad perfectam eorum obſervationem.

7 De ſua cujusque vocatione.

8 De Virtutibus, iis præſertim, quæ Religioſis peculiares ſunt: idque juxta gratiam & proprietatem noſtræ vocationis.

9 De Vitiis contrariis, non tamen carnis.

10 De Morte, Iudicio, Inferno, Paradiſo.

11 De judiciis Dei occultis, ac manifeſtis.

12 De miſeriis mundi; deque periculis eorum, qui in ſeculo degunt.

13 De

13 De ſecuritate eorum, qui in Societate vivunt: cum humilitate tamen nihil eam aliis Religioſorum Ordinibus præferendo: ſed ferventi ſpiritu ejus gratiam magnificando in Domino.

14 De bonis operibus, quæ conferuntur in proximum.

15 De Virtutibus, ac religioſa converſatione Patrum ac Fratrum; eorum præſertim, qui vel procul abſunt, vel requieſcunt in Domino.

16 De Hæreticis, & Infidelibus noſtræ tempeſtatis: quod ſpectat ad concipiendum animum ut adverſus illos pugnemus in gladio Spiritus, atque oremus, ut Dominus eos convertat.

17 De his tandem rebus loquantur, quæ poſſint ſimul & relaxare animos, & ad ſpiritualem ædificationem facere. Eæ autem erunt, quæ minimum habeant ſpeculationis, affectus vero habeant religioſe honeſtos, ac ſuaviter religioſos.

1 NE ſint Noſtri in recreatione ſingulares, ſolitarii, aut tetrici.

2 Ne leves in actione.

3 Ne immodeſti.

4 Ne verboſi.

5 Ne iracundi.

6 Ne contentioſi, aut ironici.

7 Ne in inceſſu incitati.

8 Ne moleſti, aut acerbi.

9 Ne voce utantur elatiore, aut cachinnis.

INSTRVCTIO XIV.

Pro Concionatoribus.

CVM in antiqua Inſtructione, & Regulis Concionatorum abunde proviſum ſit; nihil præterea addendum eſſe Patres cenſuerunt, præter illa duo. *Ex Deputatione pro Concionatoribus.*

Primum, Vt quoniam uſu ipſo comperimus, ſive operariorum inopia, ſive Superiorum neglectu, minime executioni mandari quod in §. 7 ejusdem Inſtructionis præſcripſimus; Vt qui biennium ad repetenda ſtudia non habuerint, ſi concionandi talenta non defuerint, per duos annos privato ſtudio Sacræ Scripturæ, legendisque Patribus, ac ſanctæ meditationi vacent; operæpretium viſum eſt, ſerio, iterumque Provincialibus commenda- De tempore Concionatoribus attribuendo

mendare, ut unius ſaltem anni ſpatium iisdem absque ulla diſpenſatione aut dilatione attribuant.

De neceſſariis ſuppeditandis concionatoribus.

2 Alterum eſt, ut quemadmodum, ne paupertatis noſtræ ſynceritati labes aliqua proprii uſus aſpergatur, factum videtur ſatis §. 5. Inſtructionis ad renovationem ſpiritus, ne duplices veſtes in cubiculis, & inſtrumenta ad iter agendum ut propria aſſerventur; ita ut neceſſitati iter agentium, eorumque qui in Miſſionibus verſantur, cum caritate proſpiciatur; adnitendum erit Superioribus ne quid ejusmodi deſideretur: ſed liberalem ſe quisque exhibeat debito cum amore: ne dum paupertatis velimus amantes nimium videri, caritas ipſa lædatur, & occaſio illis detur, dum aliunde inconſulto Superiore ſibi providere coguntur, aliquid patrandi, quod proprietatem ſapiat. Quare Provincialibus enixe incumbendum erit. ut in majoribus Collegiis, & proportione quadam in minoribus, impenſis Provinciæ, vel aliqua alia ratione peculiaris quispiam locus ſit, in quo hujusmodi res aſſerventur; ex quo neceſſaria Concionatoribus, atque iter agentibus abunde ſuppeditentur.

INSTRVCTIO XV.

Pro Confeſſariis, & omnibus Sacerdotibus.

PRÆTEREA, quæ in Regulis Sacerdotum & Inſtructione pro Confeſſariis ſtatuta ſunt, hæc viſa ſunt Patribus deputatis Congregationis VI.

CAPVT PRIMVM.

De non accipiendis eleemoſynis.

I.

Interdicuntur eleemoſynæ ad proprium uſum.

CVM difficile ſit Principibus viris Confeſſarios de Noſtris poſtulantibus denegare; ut integre hac in re, & ſyncere agatur, neve, dum aliis noſtris miniſteriis prodeſſe cupimus, paupertati noſtræ damnum inferamus; ſtatuit Congregatio, ubi Inſtructionem illam pro Confeſſariis Principum à R. P. N. Claudio Aquaviva confectam ſua auctoritate ſancivit, nemini Noſtrorum licere, eo maxime nomine, quod cum Principibus ac viris primariis familiariter agant, vel eorum Confeſſarii ſint, ab iis quicquam ad proprium uſum ac diſpoſitionem accipere: neque Superiores ad eam rem poteſtatem facere poſſe; eo nequaquam impune abire permiſſo, qui hac in re defeciſſe deprehenderetur. Quod item omnino judicium eſſe voluit de aliis Confeſſariis, Concionatoribus, Præceptoribus, & ſimilibus, erga pœniten-

Superioribus facultas adimitur,

nitentes, devotos, conſanguineos, amicos; maxime vero de iis, qui in Miſſionibus verſantur.

2 Quod ſi ſponte aliquid offeratur, aut cuipiam mittatur, id juxta Reg. 64. Præpoſiti, & 60 Rectoris, in communem uſum accipiatur & diſpenſetur. In caſibus vero peculiaribus, prudentiæ Superiorum permittitur perpendere quid expediat; & ubi dubium inciderit, ad Præpoſitum Generalem referre. Quomodo diſpenſanda.

CAPVT SECVNDVM.

De viſitandis mulieribus.

QVONIAM Decreto 19. Congregationis Sextæ Patribus Deputatis ad renovationem ſpiritus cura demandata fuit diligenter inſpiciendi, utrum Inſtructionibus, atque Ordinationibus à R. P. N. Generali ſæpe repetitis circa viſitationes feminarum aliquid eſſet addendum; poſt diligentem rei diſcuſſionem retulerunt Congregationi, ſe percurriſſe & expendiſſe omnia, quæ hac de re ſcripta ſunt, nimirum Inſtructionem tertiam pro Confeſſariis, illa præſertim capita, quæ ad confeſſiones, colloquia, & viſitationes mulierum ſpectant; tum caput duodecimum Ordinationum Generalium, quod totum verſatur in executione Regulæ 18. Sacerdotum, unà cum eorumdem regulis ejusdem argumenti; denique binas litteras miſſas ad Provincias, alteras 21. Decembris 1605. quæ totæ in eodem verſantur; alteras 23. Novembris 1607. de Noſtris aſſociandis cum domo egrediuntur inſcriptas; in quarum poſtremis magnopere inculcatur obſervatio ejusdem Regulæ 18. Atque omnibus viſum eſt, abunde prædictis Ordinationibus proſpectum eſſe, quantum in humanis proſpici poteſt: nec quicquam amplius deſiderari poſſe, præter exactam executionem. Quorum judicium univerſa Congregatio confirmavit. Omnes Ordinationes de viſitandis mulieribus diſcuſſæ in deputatione, à Generali Congregatione confirmatæ.

Ex litteris P. Noſtri datis 25. Decembris 1605.

1.

PRÆSCRIBITVR ut Superiores immediati præter quotidianam ſollicitudinem ſingulis menſibus diligenter inveſtigent, quonam modo hac in parte res ſe habeat. Singulis menſibus de hac re inquirendum.

2 Vt Fratres Coadjutores doceantur, cum veſperi domum redeunt, debere ſe ad Superiorem referre, an Sacerdos, vel quivis alius qualibet ex cauſſa regulam fregerit: ſeveriusque animadvertatur in Socios, qui minus Coadjutores tenentur Superiori referre.

fideles hac in re ſe geſſerint, admonitis eorum Confeſſariis, ut conſcientias eorum gravent, ſi id non faciant: ſignificeturque hoc ipſum in commune Coadjutoribus, ne ignorantiam excuſent. Porro in Sociis aſſignandis, etiam Sacerdotibus, impenſior cura & delectus habeatur.

De frequenter confitentibus.

3 Vt accurate ſerventur, quæ §. 3. 4. & 6. continentur de remediis, quibus eas uti convenit, quæ frequentius confitentur, & largas tamen moras in confeſſionalibus trahunt. Itemque quod de ſyndicis cavetur §. 5. & de viſitationibus §. 7. quod nimirum ſine urgentibus rationibus inſtitui viſitationes non debeant, earumque dumtaxat perſonarum, quæ dignæ hoc officio, & minime ſuſpectæ videantur.

Confeſſionalia congrue diſponantur.

4 Quod ad confeſſiones attinet quæ in templo audiuntur, Superioribus curandum præſcribitur, ut Confeſſionalia patentibus locis conſtituantur; eaque ita inter ſe collocentur, ut unus Confeſſarius ſit quodammodo ſocius alterius: viſitabitque ſubinde Superior, ne ſuis locis moveantur, & ut crates integræ ſint, atque minutæ.

Tempus eccleſiam adeundi.

5 Cavetur ne mane intempeſtive, aut ſerius veſperi (niſi forte cum magna eſt frequentia, & ſufficientibus tum facibus accenſis) neque interdiu item à prandio recreationis tempore, aliove quo ire omnes non ſolent, in eccleſiam eant Sacerdotes, niſi nominatim accerſantur; præter eos, qui ad diem illum ſunt deſignati.

Modus in mulierculis juvandis adhibendus.

6 Ne Confeſſarii, pauperum mulierum juvandarum prætextu, majorem quam deceat familiaritatem contrahant: & ut eleemoſynæ, juxta Regulam Sacerdotum 22. cum conſenſu Superioris fiant, atque aliena potius manu, quam per ipſos, quoad ejus fieri poterit. Quamtumvis enim à caritate inchoëtur, res tamen decurſu temporis periculi plena, aut certis calumniis obnoxia fit.

Superior inveſtiget an hæ Ordinationes ſerventur.

7 Vt immediatus Superior una cum Præfecto Eccleſiæ, Æderituo, & Syndico quopiam ſecreto, ſeorſimve cum ſingulis expendat, quemadmodum ſe res habeant, & quam accurate in eccleſia præſcriptæ Ordinationes ſerventur: moneanturque Conſultores omnes, quod inter capita, de quibus ad Generalem, ſive ad Provincialem ſcribent, hoc unum eſſe oportebit, quemadmodum ſcilicet ſuperiora ſerventur, ac præcipue circa Viſitationes, ac Socios.

Miſſiones identidem faciendæ.

8 Vt omnes Confeſſarii, quod alias enixius commendatum eſt, per unius menſis ſpatium ad Miſſionem aliquam deſtinentur (iis dumtaxat exceptis,

ceptis, qui graves ob cauſſas, vel invaletudinis, vel ſenectutis minime idonei ad id muneris judicio Provincialis videbuntur) quæ res cum magnæ ædificationi libertatique pœnitentium ceſſura ſit (ut de fructu non dicamus, qui ex Miſſionibus ipſis colligetur) ſerio Superioribus inculcatur, ut executioni mandent, omni difficultate pervicta.

9 Demum urgendam eſſe Regulam de non admittenda ullius pœnitentis obedientia; & de poteſtate alios Confeſſarios adeundi: libenter facienda; utque ab omni adhærentis affectus ſpecie alienos ſe Noſtri oſtendant. Quod ſi qua erit, quæ nimis crebro, qualicumque prætextu, redire videatur, alium ei Confeſſarium deſignare oportebit; curareque, ut prior illam à ſe dimittat. Libertas facienda pœnitenti confitendi alteri.

Ex litteris 13. Novembris 1607. De obligatione Sociorum ad Superiorem referendi.

I.

IN poſtremis, poſt ſeriam commendationem toties repetitæ Regulæ 18. Sacerdotum; ut oſtendat quanti illa facienda ſit, & in praxim prompte & efficaciter à Superioribus redigatur, præſcribit iiſdem, ut quamprimum has acceperint, Fratres omnes advocent, & admoneant ſui officii; ſcilicet ipſos arctiſſime teneri, ut Superiori referant ſub veſperam eo ipſo die, ſi forte Sacerdos, vel alius Regulam de Socio ſecum habendo non ſervaverit: quod de iis omnibus, quamvis Sacerdotibus, vel Scholaribus intelligi vult, qui Socii alterius fuerint. Tenentur Socii Superiori referre.

2 Vt illi pœnitentiam trium diſciplinarum ſubeundam ſibi eſſe prima vice intelligant, ſi Superiorem non admonuerint. Quod ſi iterum in eamdem negligentiæ culpam inciderint, admoneri Generalem oportebit, ut deliberet, an in Societate tales retinendi ſint qui in re, quam tanti Societas merito facit, parum fideles ſeſe præſtiterint. Quamvis de publicis diſciplinis imponendis, Superioris prudentiæ permittatur, ſicubi hoc medio cum aliqua nota defectum Sacerdotis publicari intellexerit: quo tamen in caſu ſecretæ minime prætereundæ erunt. Pœnitentiæ Sociis injungendæ.

Ceterum hæc Ordinatio de ſocio, præter Sacerdotes, non ſolum ceteros amplectitur, qui Sacerdotes non ſunt, ſive mulieres inviſant, ſive alios ex Noſtris comitentur; ſed etiam quæcumque genera viſitationum comprehendit, ne (ut religioſæ decentiæ conſulatur) ullibi ſocium ſolum eſſe Omne genus viſitationum regula Socii comprehendi.

permit-

permittant: niſi perſonæ, quas adeunt, eæ ſint, ut per negotia quæ ſecretum poſtulent, aut per urbanitatem ipſam minime liceat eſſe cum ſocio.

INSTRVCTIO XVI.

Pro Novitiis.

I.

Ex Deputatione pro Novitiis. Novitii regulis inſtruantur.

VALDE commendatum eſſe cupimus Magiſtro Novitiorum, ut, juxta Regulam 44 Novitii antequam ad Collegia educantur (ad quæ tempore vacationum generalium ordinarie minime mittendi erunt) probe inſtructi à Regulis ſint: è quibus, quemadmodum plurimum peti debet materia exhortationum, ita non multum erit in ſingulis regulis immorandum; ut omnes, ſi fieri poſſit, ante biennium abſolvantur: neque idcirco alterius generis exhortationes interdicuntur, quas ipſe profuturas Novitiis exiſtimabit.

Exercitia integra ſemel obeunda.

2 Vt quemadmodum, juxta Reg. 28. & 37. Magiſtri Novitiorum, ſpiritualia Exercitia exacte omnibus in principio obeunda ſunt, ita minime integre repetenda altero anno, ſed ex parte, juxta Reg. 39. quando ita in Domino expedire judicatum fuerit.

Manifeſtanda Novitiis.

3 Quæ de manifeſtatione delicti Superiori facienda probata ac ſancita ſunt in Sexta Generali Congregatione, oſtendenda ſunt Novitiis, & declaranda, juxta Reg. 15. Magiſtri Novitiorum; inter alia, quæ ibidem ipſis proponenda explicandaque paullatim dicuntur.

INSTRVCTIO XVII.

Pro Scholaſticis.

CVM ad primitias ſpiritus, ac fervorem, quem initio hauſimus in Societate, conſervandum promovendumque tanti ſit educatio noſtrorum fratrum, qui ſtudiis dant operam; hæc pauca ad eos, quales inſtituti noſtri ratio poſtulat, efformandos, addenda cenſuimus veteri Inſtructioni.

Raro Scholaſtici ad januam accedant. Colloquia cum externis interdicuntur. *Ex Deputatione pro Scholaſt.*

1 Vt ad §. 2. in quo præſcribitur, ne aſſueſcant nimis colloqui cum externis, aut amicis; illud addatur, ut ad januam, niſi de unius Rectoris expreſſa licentia non vocentur; quam raro admodum oportebit illum concedere; eumdemque invigilare, ne prolixa ſint eorum cum externis colloquia. Niſi forte in locis ubi ſunt Vniverſitates, indulgeri pluſculum videri poſſit, ut Provincialis, vel Rectoris judicio aliquibus ex Noſtris viris probis ac ſpiritualibus cura demandetur, quo in ſpiritu juventur.

2 Etſi

Hora Magiſtros adeundi aſſignandi.

2 Etſi in univerſum minime viſum eſt præſcribere, ne Scholaſtici ſuorum Magiſtrorum cubicula ingrediantur; nihilominus tamen cum alicubi mos eſſe dicatur, ut non ſtudiorum tantum cauſſa Scholaſtici ſuos Præceptores in cubiculis adeant; cenſuit Congregatio declarandum eſſe, facturos ipſos contra Regulam communem (qua nemini in alienum cubiculum ingredi licet, ſine generali aut ſpeciali Superioris facultate) ſi aliam ob cauſſam, quam ſolam ſtudiorum in eorum intrent cubicula, aut commorentur. Proinde expedire viſum eſt, ut Superior ipſe deſignet horam Magiſtris opportunam, quâ poſſint adiri; extra quam ſi neceſſe fuerit Scholaſticos agere cum iisdem Præceptoribus, eorumque cubicula ingredi, petant juxta regulam ſibi fieri à Superiore poteſtatem.

33. Comm.

Generalis facultas mutuo in ſua cubicula ingrediendi Magiſtris interdicitur.

3 Operæpretium viſum eſt, ob incommoda quæ uſu comperta ſunt, ſi alicubi generalis facultas dari conſuevit, aut hujusmodi mos invaluit, ut Magiſtri in ſua mutuo cubicula intrent absque particulari licentia, id in poſterum omnibus interdici: in caſibus vero particularibus Superiores ipſi expendant, quid in Domino expediat.

Die recreationis in vinea, ut tempus diſtribuendum.

4 Vt die recreationis hebdomadariæ cum itur ad prædium ſeu vineam, ibique cœnatur, meridie per unam vel alteram horam Scholaſtici partim ſtudeant, partim orationem matutinam perficiant: quo tempore nulli fas ſit vel ludere, vel confabulari; niſi eo elapſo ſignum detur ad recreandum.

Die recreationis in collegiis quomodo tempus diſtribuendum.

5 Cum vero per cœli injurias, vel alias ob cauſſas die recreationis neque ad prædium, neque deambulatum ire licuerit; mane ad recreationem non pulſetur, ſed vacetur ſtudiis: à prandio vero, peracta recreationis ordinaria, mora aliqua interpoſita detur ſignum ad recreationem per tres horas. Superioris autem erit præcavere, ne irreligioſi clamores, itemque ludi. qui à vicinis audiri poſſint, permittantur.

Magiſtri ne inutiliter cum externis colloquia protrahant.

6 De Magiſtris autem etſi nihil in præſens viſum eſt addendum ad ipſorum Regulas, Superioribus tamen injungitur, ut diligenter invigilent, ne in colloquiis, quæ neceſſario haberi debent cum externis ſuis Scholaſticis, diutius commorentur, præſertim cum uno aliquo: tempusve inutiliter, ac parum religioſe inſumant.

Triduana recollectio ante votorum renovationem.

7 Vt ante renovationem votorum inſtituatur vacatio per triduum; ita ut ab aliis occupationibus, etiam litterariis, præterquam ab ordinariis lectionibus matutinis, aut pomeridianis, ſicubi fuerint, vacetur. Cujus

rei cauſſa peropportunum & peraccommodum tempus Superiores excogitabunt: exempli cauſſa in hyeme Natalitias vacationes, ubi per totam hebdomadam à ſtudiis feriatur: in quibus vota renovaturi per triduum exercebuntur in rebus ſpiritualibus juxta Inſtructionem. Quæ duo capita complectitur: Primum, ut ad colloquia vel negotia cum externis ad januam, vel ad recreationem cum domeſticis illo triduo non admittantur. Alterum eſt, quod cum finis ſit harum feriarum ſpiritualium, ut ex occaſione renovationis votorum unusquisque ſedulo incumbat in omnimodam ſuimet reformationem per examen, & confeſſionem generalem, ſeque ipſum introſpiciat, expendendo ſtatum animæ ſuæ, & vocationis tam ſingulare donum agnoſcendo, quæ tam arcte pariter quemque obligat ad divinæ majeſtati pro virili parte reſpondendum; operæpretium erit aliquot horis meditationi, & orationi, præter pii alicujus libelli lectionem, impenſe vacare: atque in eum finem uſui eſſe poterunt nonnullæ Meditationes, quas hac de re P. Franciſcus Borgia fel. mem. ſcriptas reliquit, aut id genus aliæ, quas Superior, vel Præfectus ſpiritus fini, quem intendit Societas, profuturas judicaverint.

Inſtructio pro triduo rite impendendo.

INSTRVCTIO XVIII.

Pro executione urgenda.

I.

AD faciliorem notitiam eorum, quæ Superiores ſcire convenit, ut ea exequi poſſint; operæpretium viſum eſt confici Catalogum eorum, quæ Superioribus, tum Provincialibus, tum localibus præſtanda ſunt; ut omnia ſive ex Regulis, ſive ex Ordinationibus compendio collecta memoriæ ſubſidio ſint.

Fiat catalogus eorum, quæ Superioribus præſtanda ſunt.

2 Proderit ad eamdem notitiam, ut Superiores cum ſuis Conſultoribus tempore ordinariæ conſultationis ſingulis hebdomadis una perlegant aliquid ex regulis, vel Ordinationibus, vel Inſtructionibus, & ſimilibus.

Quid ſingulis hebdomadis, vel alterni.

3 Singulis quibusque menſibus legi oportebit in conſultatione memoriale earum rerum, quæ à Provinciali, vel Viſitatore executioni mandandæ relictæ ſunt; tum ne memoria excidant, tum ut ſuo tempore à Conſultoribus moneri poſſit Provincialis de executione. Ideoque eisdem, quemadmodum & Admonitori, communicandum erit ejusmodi memorialis exemplar, iis expunctis, quæ particulares perſonas attingunt. Ceterum

Quid ſingulis menſibus.

Quibus memoriale communicandum.

terum enixè commendatur Viſitatoribus ac Provincialibus, ut à novis Ordinationibus absque neceſſitate multiplicandis abſtineant, easque relinquant, quæ facile executioni mandari poſſint; easque non niſi primum Superioribus, iisque, qui judicium ferre poterunt, oſtenſas, juxta Regul. 134. Provincialis. Expedit enim ob difficultates, quæ ex ipſis Ordinationibus oriuntur, præſentem potius audire, quam abſentem; & expungere, ſi quæ expungendæ erunt; vel Superiorem, ceterosque capaces reddere, & ad executionem cohortari.

Ne Ordinationes multiplicentur Superiores primum audiendi.

4 Formanda aliqua capita, de quibus Superiores & Conſultores ſuis temporibus ad Provincialem ſcribant, ne in ſcribendo in incertum vagentur, eaque negligant, de quibus neceſſario eſſet Provincialis monendus: hæc autem deſumi poterunt ex Inſtructione pro Conſultoribus.

De quibus ad Provincialem ſcribant Conſultores.

5 Superioribus localibus præſcribitur, ut ſemel in menſe, prima videlicet hebdomada, pro ordinaria conſultatione agatur de executione: ſcilicet, an aliquid domi ſit quod negligi videatur: an vigeat regularum obſervatio, tam communium quam officialium: an notetur aliquarum frequens transgreſſio: an Superiorum Ordinationes executioni mandatæ ſint, præſertim earum quæ in memoriali relictæ ſunt à Provinciali; quæ eodem ipſo tempore legendæ erunt, ſi nondum executioni mandatæ fuerint. Porro de hoc capite ſpecialiter & diſerte ſcribant ad Præpoſitum Generalem, & ad Provincialem Conſultores.

Agatur in conſultatione de executione.

Scribant de hac re ad Generalem Conſultores.

6 Principio cujusque menſis inſtituat Provincialis cum ſuis Conſultoribus conſultationem, in qua inquirat quemadmodum ſe habeat totius Provinciæ diſciplina, quid de ea ſciatur, quid audiatur, quid ipſemet Provincialis à Rectoribus, eorumdemque Conſultoribus acceperit. An vero hujusmodi conſultationes fiant, quo fructu ac ſatisfactione, monendus erit Præpoſitus Generalis à Conſultoribus, cum ad eumdem quater in anno ſcribunt.

Quid præſtandum Provinciali ſingulis menſibus.

Quare ad faciliorem uſum, perſcribi oporteret nonnulla capita ſingulis menſibus in Conſultationibus examinanda: iis magis inhærendo, quibus nondum plene ſatisfactum videtur; præſertim circa abuſus, ſi qui in Provincia ſint.

7 Adnitendum Provincialibus pro viribus, ut ſibi Superiores locales devinciant; & amanter confidenterque cum illis agant: oſtendantque ſe de felici illorum gubernationis ſucceſſu, & auctoritate apud Subditos tuenda eſſe ſollicitos.

Provincialis Superiores tueatur.

 8 Vt

Subditorum querelæ examinandæ.

8 Vt examinentur diligenter querelæ Subditorum contra Superioris rigorem, ad ſingulares caſus deſcendendo; ne rigorem appellare conſueſcant Religioſam diſciplinam à Subditis velle exigere, & exactam Regularum obſervationem: perpendaturque, cur de nonnullis Superioribus raræ admodum interdum obaudiantur querelæ; an quia, licet fortes in diſciplina, ſuaves tamen ſunt; an vero quia remiſſi & indulgentes, quique neminem contriſtare velint, ut in pace vivant.

Cautè delationibus credendum.

9 Vt mediati Superiores non ita facile credant delationibus, expendentes, & rationes & excuſationes quas afferunt immediati: & ubi ſine culpa fuerint inventi, monendi ſerio à Provinciali Delatores erunt, ut cautiores ſint in poſterum; curentque ut Subditi intelligant, valde probari ſibi zelum Superiorum in promovenda diſciplina juxta officii ſui munus. Proinde Superiores mediati, ſive præſentes, ſive abſentes ſint, nullam omittant occaſionem immediatos ad executionem cohortandi, urgendique: per quos pari ratione inferiores omnes ad eamdem excitandi erunt.

Hortandi omnes ad executionem.

Pœnitentiis executio promovenda.

10 Promovebit non parum executionem ſi vigebit diſciplina, & uſus reprehenſionum, aliarumque pœnitentiarum in transgreſſores legum, præſertim negligentes paterna monita, ſervato ordine in Regula 20. Præpoſiti, & 27. Rectoris præſcripto: ita ut omnino ſibi perſuadeant Subditi, veniendum tandem fore ad extrema, dimiſſionem videlicet, ſi opus fuerit, quando cetera media nihil profuerint. Qui ſane Regularis obſervantiæ rigor univerſos attingere debebit, vel antiquiores, & ſeniores ipſos; imo & Superiores, ſi officio ſuo defuerint, ad aliorum ædificationem & ſatisfactionem, & quo liberius executionem promovere queant, omnesque intelligant, nullam ſibi injuriam fieri, aut notam aliquam infamiæ inuri, ſi ob regulares defectus publicis pœnitentiis mulctentur.

Omnes etiam Superiores, in religioſa diſciplina continendi.

Præſente Provinciali executioni mandanda ſunt.

11 Ceterum cum executio potiſſimum poſita ſit in opere ipſo urgendo potius, quam in legibus ſcribendis; expedit, ut Viſitator ac Provincialis in ſuis viſitationibus ea quæ remedio egere intellexerint, quippe quæ liquido Regulis obverſentur, neque moram patiantur, curent omnino ante ſuum è Collegio diſceſſum executioni mandare. Quo fiet, ut majore ſuavitate & efficacia fiant, & Superiores immediati gravi quadam moleſtia deonerentur: ipſiquemet incipient, quæ ſunt muneris ſui exequi, minimeque ad Provincialis adventum medicinas malorum præſtolari. Quæ vero ſtatim executioni mandari non poterunt, in memoriali, ut dictum eſt,

notentur. Quod ſi in poſtera viſitatione Superioris culpa nonnulla neglecta fuiſſe deprehenderit, is minime impunitus abire debebit; ne Subditi offendantur, opinantes ea ſolum fieri, quæ Præpoſito aut Rectori arrident; cetera oſcitanter negligi. Porro Superiores, qui continenter negligentes ac remiſſi in Ordinationum executione fuerint, removendi omnino erunt ab hoc munere, Generali Præpoſito præmonito; ne ipſorum nimia conniventia Religioſa diſciplina penitus dilabatur.

Superiores remiſſi, vel corrigendi, vel amovendi.

12 Poſtremo plurimum momenti habebit, ſi Superiores omnes Societatis cum Præpoſito Generali, & Localis cum Provinciali ad urgendam executionem conſpirent: ita ut omnes intelligant, ſibique perſuadeant, unum eumdemque in Societate animum eſſe in diſciplina promovenda; neque ad Superiores mediatos recurſus in hac re quidquam prodeſſe poſſe. Eamdemque conſpirationem in quolibet Collegio aut Domo eſſe oportebit in Superiore cum ſuis Conſultoribus, Admonitore, & Præfecto ſpiritus, aliisque, qui promovere poſſunt executionem; ita ut idem ſentiant, & dicant omnes. Quod ſi antiquiores aliquos obloqui de ea contigerit, monendi ſerio, & coërcendi erunt, ſi neceſſe fuerit, etiam publicis pœnitentiis, ne alios turbent, minusque ſuavem executionem reddant.

Superiorum conſenſus in diſciplina promovenda.

INSTRVCTIO XIX.

De promovendis ad gradus Societatis.

Ad Caput III. de Examine in litteris faciendo, hæc addenda.

I.

Ne examen doctrinæ perfunctorie fiat, ſed ſerio, & ut vere conſtet Præpoſito Generali de ſufficientia litterarum: proinde exacte ſervanda curent Provinciales, quæ eodem capite præſcribuntur.

Ne perfunctorie periculum doctrinæ fiat.

2 Vt in libro quodam peculiari, penes Provincialem aſſervato, Examinatorum judicia ſcribantur ſingulorum ſingula, die, & anno annotatis ab ipſo Provinciali, vel ab eo, qui præerit examini; quamvis & ab unoquoque Examinatore idem judicium ſeorſim ſcribendum erit ad Generalem. Ii vero cum judicium de doctrina ferunt, vel ad Præpoſitum Generalem ſcribunt, ſolum de ſufficientia in litteris loquantur, tantáne ſit, quanta in Conſtitutionibus requiritur; an videlicet ſupra mediocritatem ſit, vel in quo tandem gradu, juxta formulam ſcribendi; minime recenſitis ſuperfluis, aut concionandi, gubernandique talentis (de quibus in informationi-

Examinatorum judicia ſcribantur.

Quomodo ferendum judicium.

 tioni-

tionibus locus eſt agendi) & Præpoſiti Generalis erit dijudicare, ac diſpenſare, ſi neceſſe fuerit.

Ex Deputatione pro ſtudiis. Aſſertionum materia, temposque aſſignetur.

3 Etſi quatuor minimum aſſertiones ex quatuor partibus S. Thomæ, & tres ex curſu Philoſophico (Logica ſcilicet, Phyſica, & Metaphyſica, quarum unaquæque tria membra ſaltem habebit) defendere debebit, qui examinandus eſt ad profeſſionem; tamen eæ eſſe debent hujusmodi concluſiones, ut minimum præcipuas Theologiæ ac Philoſophiæ difficultates & materias involvant: quæ ab ipſo Superiore cum Præfecto Studiorum examinando aſſignentur; cui quod ſatis ſit ſpatii neceſſe erit dare, ne imparatus accedat.

INSTRVCTIO XX.

Ad ſtudia promovenda.

Ex Deputatione pro ſtudiis.

Cohortatio ad humaniora ſtudia promovenda.

ETSI alias ſæpe diverſis ex cauſſis litterarum humaniorum ſtudium valde commendavimus; cum minime obſcurum ſit, quantopere Dominus Deus noſter vel ab ipſo exordio Societatis noſtræ animarum auxilium, præſertim adoleſcentium, hac ratione promoverit; nunc tamen, quando nova ſe offert occaſio, ex variis Inſtructionibus, inter ceteras hanc unam pro ſtudiis, confectam in Deputatione de hac re habita in Sexta Generali Congregatione, ad Provincias mittendi, nullo modo prætereundum viſum eſt (ob varias querelas à Patribus compluribus habitas, quarum nos quoque nonnullas multo ante inaudiveramus, hujusmodi litteras non ſolum non florere, ut antea, in Societate, ſed alicubi etiam languere apud Noſtros,) quin iterum, majoremque in modum perhortaremur Superiores, in primis Provinciales: ut omni ſtudio excitare atque accendere connitantur harum litterarum ſtudium, non ſolum in Noſtris, verum etiam in externis: quandoquidem certum eſt hujusmodi defectum oriri non tam ex perexiguo numero eorum qui poſſint, quam qui velint ſe illis addicere; ac perlevi etiam Superiorum propenſione & induſtria in illis, ut oportet, fovendis promovendisque.

Maximi faciant Superiores hæc ſtudia.

1 Quamobrem magnopere optamus, ut Provinciales omnes non ſolum ſervanda curent diligenter, quæ hac in parte in libro ſtudiorum præſcripta ſunt, Regulis præſertim ſuis 18, 22, 24, 26, 29, 38. atque in 8, 9. 10, 11, & 20. Rectoris: ſed reipſa iidem oſtendant ſibi cordi eſſe hæc ſtudia; plurimique eos facere, qui ea non vulgariter callent; ut eorum quaſi patro-

cinio

cinio magis inflammentur, excitenturque alii ad eadem alacriter amplectenda.

2 Vt in hoc quaſi primo congreſſu Provinciales cum ſuis Conſultoribus, advocatis iis, qui diu multumque in hac palæſtra verſati fuerint, ſerio ac ſedulo agant de cauſſis, deque auxilio ferendo: & ſicubi forte minime remedio opus fuerit, adnitendum illis erit, ut magis ac magis promoveantur: curentque, ut poſt exactam executionem eorum, quæ in libro ſtudiorum præſcribuntur, ſi quid amplius occurrerit, quod non parum profuturum ſperent tum ad ſtyli comparationem, tum ad auctores exacte & cum fructu legendos, periculum faciant, & ad nos mittant exemplum: quemadmodum Provincialibus faciendum erit, cum ſingillatim quid hac in re præſtiterint, admonendi erimus. Cauſſæ & remedia quærenda. Si quid Generali ſuggerendum.

3 Ceterum ad hæc ſtudia promovenda ſatis erit præſidii, ſi non ſolum eos in Societatem admittant, quoad ejus fieri poterit, qui probe ab illis inſtructi paratique ſint; verum etiam ſi pro viribus ſtudebunt, non vulgares ingenio, & ad cetera parum aptos ad hæc ſtudia addicere; ſed eos, qui præter vim ingenii, aliarum ſcientiarum præſidia, ac lucem habuerint. Quo fiet ut & hæc ſtudia in pretio apud alios haberi incipiant, & quam plurimi his in litteris hoc nomine nobiliores fiant: in quibus difficilius fortaſſe fuerit vel unum quempiam invenire, quam non paucos in aliis ſcientiis, experientia hoc ipſum in dies edocente. Quinam ad hæc ſtudia applicandi.

4 Quandoquidem B. P. N. IGNATIVS inter cetera ad ſtudia promovenda hoc unum tamquam præcipuum, iis præſertim qui Humanioribus vacant, Latini ſermonis uſurpationem eſſe voluerit; ſerio Superiores incumbere oportebit in exactam Regulæ communis obſervationem, in 8. Rectoris libri ſtudiorum explicatam: in qua cum dicitur (*dies vacationum*) non generales ſtudiorum feriæ intelligendæ ſunt; ſed hebdomadariæ tantum eorumque dierum ſpatium, quibus commorabuntur in villis. *Part. 4. Loqui Latine.* Quando vulgari idiomate loqui liceat.

5 Etſi cum ſive totius Theologiæ, ſive partis alicujus theſes defendendæ ſunt, ſatis ſuperque videantur eſſe Magiſtrorum ac Præfecti ſtudiorum judicia, quibus diſcipulorum doctrina perſpecta eſſe debebit; tamen ſi juſtas ob cauſſas Provinciali videretur eſſe alius adjungendus, idque commode fieri poſſit, permittimus ejus arbitrio; dummodo is ſit, qui & judicium de doctrina tuto ferre poſſit, & eos, de quibus judicandum eſt, probe noverit. *Reg. 7. Præfecti ſtud.* Ad Actus Theologicos ſtatuendos alterius judicium ad Magiſtrorum & Præfecti adjungi poteſt.

6 Cu-

Caſus conſcientiæ commendantur.

6 Curandum inſuper eſt, ut Theologi, & Caſiſtæ Scholaſtici in Caſibus conſcientiæ maxime inſtructi ſint, cum minime obſcurum ſit, quam res perneceſſaria ſit Operariis Societatis. In quam quidem rem vehementer cupimus à Superioribus diligenter incumbi; ut fructus re ipſa conſtet, ratione ad eum conſequendum ab ipſis excogitata. Quamvis abunde ſatis nobis proſpectum videatur, ſi hebdomadaria Caſuum collatio in primariis Collegiis juxta Regulam Provincialis in libro ſtudiorum diligenter habeatur.

Regul. 14. Prov. & Regul. 7. Prof. conſc.

INSTRVCTIO XXI.

Pro viſitatione Provincialis,

Ex variis Regulis, Ordinationibus, & Inſtructionibus collecta.

Ex Deputatione pro Superioribus.

Quemadmodum ſe gerat Provincialis in obeunda Provincia cum fructu: deque ejusdem ſtatu Præpoſito Generali aperiendo.

CVM ſit valde proprium Provincialis officii Provinciam obire, præter ea, quæ habentur cap. 9, 12, 14. & 15. & ibidem Reg. 29. & 69. ne quid eorum prætereat, quæ ſui muneris ſunt, & ut Generali Præpoſito, uti par eſt, ſtatus totius Provinciæ innoteſcat, hæc fere in viſitatione præſtanda illi erunt.

Quæ Inſtructiones in viſitatione, & cum quibus legendæ.

Primo juvabit, ſi dum Provinciæ ſuæ loca viſitat (tum maxime cum & temporis ſpatium permittere, & neceſſitas aliqua id poſtulare videbitur) ex Inſtructionibus ſingulas cum ſingulis legat ad quos ſpectant, præter proprias regulas officii cujusque; ſcilicet pro Præfectis ſpiritualibus formandis, pro Concionatoribus, pro Confeſſariis, pro Miſſionibus, pro Novitiis cum eorum Magiſtro, pro tertium annum agentibus cum Inſtructore. Præterea coram Rectore, Miniſtro, & Conſultoribus Inſtructionem pro Confeſſariis, de ratione ſcribendi, de renovatione ſpiritus, pro Coadjutoribus, pro annuis colligendis, & pro Scholaſticis, ubi eorumdem eſt Seminarium: proderitque non parum in primo congreſſu litteras ad Superiores datas anno 1604. die 20. Auguſti, percurrere.

2 In Vniverſitatibus juvabit eodem modo, ſi præter Regulas officii ſui cap. 6. percurrat item ſuas, quæ ſunt in libro ſtudiorum: cum Rectore Regulas ejusdem; cum Præfecto ſtudiorum, & quas habet proprias, & quas communes Profeſſoribus ſuperiorum facultatum; & cum ſingulis eorumdem ſingulas; denique cum Præfecto inferiorum facultatum Regulas ejusdem, & communes Profeſſoribus earumdem. Quæ in viſitatione Vniverſitatum, & ſtudiorum.

3 Intelligat, an ex Ordinationibus Generalium, quæ ſtatuta ſunt de libris prohibitis, quæve circa monita ad Provinciales, horam conſiderationis, interceſſiones, & patrocinia præſcripta ſunt; quæque in Formula ſcribendi Superioribus & Conſultoribus præſcribuntur, ſerventur. Interroget quoque num aliquid contra Canones 12, 13, 20. v. Congregationis Generalis commiſſum ſit: an in ſua, vel aliena Provincia quiſpiam ſit, qui malo vitæ exemplo, vel doctrina ceteris obſit: moneatque Generalem, quemadmodum ipſi Provinciales ex Decreto VI. Congregationis tenentur. Quæ Ordinationes non ſerventur.

4 Cognoſcat an fiant conferentiæ Caſuum, an exhortationes alternis hebdomadis fructuoſe, & ad cor; an item conferentiæ de Inſtituto quintodecimo quoque die inter Rectorem, Conſultores, & quos Provincialis deſignarit: & an ea de re ad Generalem ſcribant. Ipſe vero nullum Collegium prætereat, quin ſemel ſaltem hujusmodi conferentiis interſit, ut illas dirigat. Porro Superiores inſtruat, juxta præſcripta in Formula de aptis ad gubernandum, in Inſtructione pro Superioribus, & in litteris ad Superiores impreſſis, & in Regulis Viſitatoris 24, 26, 27, 40, 41, 42. & 43. ſenſimque periculum faciat de iis, quos ad regimen judicabit idoneos. Quid ipſe præſtabit.

5 Exigat ab aliquibus diſciplinæ amantibus, bonoque judicio ac prudentia præditis, quemadmodum Superiores in rebus ſpiritualibus ſe habeant: an paſſiones doment, & virtutes acquirant, num cum externis nimium occupentur, & ad exteriora ſint nimium effuſi: quam ſerio ſpiritualia curæ, cultuique interno Subditorum vacent; politicene, an paterne regant. De Præfectis itidem ſpiritualibus, quemadmodum ſuo munere fungantur, & an exemplo & inſtructione juvent in ſpiritu. Quæ de Superioribus quærenda.

6 Congregationes, & Oratoria, quæ in noſtris locis habentur, inviſat; eorumque Regulas examinet, an ſerventur, & an accommodæ ſint ad illarum finem: idemque de Academiis ex earum Patribus intelligat, quas habeant exercitationes: de fructu, deque regularum obſervatione: à De Congregationibus, & ſcholis.

Præfecto vero atrii, vel ſcholarum Inferiorum cognoſcat, tum Magiſtrorum, tum Scholaſticorum externorum diſciplinam.

De quibus conſultet.

7 In Domo profeſſa, vel in maximo Collegio quotannis conſultationem inſtituat, advocatis, præter ſuos Conſultores, aliquibus antiquioribus Patribus, in qua de rebus majoris momenti pertractet; inter cetera, de promovendis ad gradus, de aptis ad gubernandum, de ſatisfactione, quæ auditur de gubernatione ſingulorum Superiorum Provinciæ; de Præfectis rerum ſpiritualium inſtituendis, & Seminariis præfigendis; denique de ſacris initiandis, vel ad tertium probationis annum mittendis; & ſimilibus.

Quæ legenda quotannis ad menſam.

8 Curet quotannis ſingulis in Collegiis ac Domibus ad menſam legi, ante renovationem votorum, litteras de renovatione ſpiritus, de perfectione, & caritate fraterna, de conſervatione Inſtituti, Regulas Scholaſticorum, & Coadjutorum temporalium; Catalogum P. Natalis, quibus de rebus noſtri recreationis tempore colloqui poſſunt; denique Generalia monita, quæ ab omnibus obſervari oportebit.

Dec. 75. §. 5. Congreg. 7. Ex Inſtruction. pro Concionat.

Quæ Socio committenda.

9 Quæ vero per ſe ipſum minime præſtare poterit, Socio committat; ea videlicet, quæ parvi ſunt momenti: jubeatque ad ſe referre, quæ dubia ſunt, & quænam executioni mandaverit. Itaque non exiguo onere à Socio levari poterit, ſi temporalia, de quibus cap. 9. in Regul. Provincialis; ſi archivium, juxta Regul. 19, 20, 21. ſi inſtrumenta itineraria communia Provinciæ, vel alicujus Collegii propria; ſi rationes accepti, & expenſi; ſi officinas, & œconomiam domeſticam, ſi an extent libri Ordinationum juxta Inſtructionem inſpexerit: ſi colliget numerum Sociorum in Sodalitiis, Scholaſticorum externorum, & ordinariorum pœnitentium: obſervabitque uniformitatem conſuetudinum in Provinciæ domiciliis. Quoniam vero monere debebit Provincialem de iis, quæ dicuntur in Inſtructione pro Superioribus, eidemque ſuggerere, ſi quæ forte ille præteriret ex ſpectantibus ad ſuum munus; quo commodius id præſtare poſſit, ejus inſtructionis exemplum penes ſe habebit, eamque ſingulis in Collegiis percurret, obſervando ſi quid oblivioni datur.

De quibus ad Generalem ſcribat.

10 Meminerit etiam Provincialis, ſui eſſe muneris, quotannis ſcribere ad Præpoſitum Generalem de iis, quos ad Sacros Ordines promoverit: quos Præfectos ſpiritus præfecerit, & quomodo ſe gerant: quos de defectibus cur promotio ad gradum differretur, ſcripto monuerit: cur tempus vel privatim ſanctis Patribus legendis futuris Concionatoribus, vel tertii anni

tii anni probationem aliquibus differri oportuerit: quemadmodum in hac probatione ſe geſſerint: quinam libri prohibiti in Collegiis aſſerventur: Ut Superiores in modo exigendi rationem conſcientiæ ſe gerant; quos Examinatores Promovendorum ad gradum deſignaverit, ut à Generali confirmentur: quos Conſultores, & Admonitores elegerit: num obſervetur Ordinatio de non viſitandis feminis: quomodo Superiores præſtent, quæ habentur Inſtr. pro Superioribus: ut conferentiæ pro formandis Superioribus ſucceſſerint: tandem quinam remiſſi ac negligentes in gubernatione ſint. Præterea quotannis mittat ad Generalem Informationes ad gradus: ſub finem cujusque anni tertium Catalogum, & puncta pro annuis; catalogum etiam eorum, qui profectionem Indicam poſtulant, præmiſſa informatione ſtatus, ac talentorum quæ habent; ſpeciatim neceſſitatis parentum, cum judicio ejusdem Provincialis. Poſtremo tertio quoque anno Catalogos communes, & informationes ad regimen per Procuratorem mittat. Quas informationes Romam mittet.

11 Peracta viſitatione cujusque Collegii ac Domus, vel Provinciæ, prout ipſi commodum fuerit, litteras de ſingulis domiciliis ad Generalem ſcribet, quæ tria capita complectentur; ut juxta Reg. 92. ſui officii, Præpoſito Generali aperta ſint omnia. Litteræ ad Generalem dandæ. Primo quidem ea exponet, quæ ad perſonas ipſas ſpectant, & talenta, moresque deſcribet tum Superioris; an ſpiritualis, an ſuavis, & fortis in gubernandi ratione, an politicus, & an in illo munere retinendus, an amovendus; tum ſubditorum, quinam illi ſint, ſpirituales, obedientes, an diſcoli; quæ miniſteria obeant, quo fructu, & qua ſatisfactione. De perſonis. Altero ſtatum ſpiritualem Collegii, ac Domus indicabit; an vigeat regularum obſervatio, an langueat, & quinam frequentes defectus, quæ cauſſæ, quæ remedia adhibita: idemque erit judicium de miniſteriis noſtris, rectene obeantur, quo fructu, qua frequentia. De ſtatu ſpirituali loci. Tertio denique temporalem ſtatum oſtendit: nimirum quot alantur, quibus reditibus, ſive eleemoſynis, & an ære alieno graventur, & quomodo occurrendum. De temporali. Quæ omnia compendio explicari oportebit; & tum maxime, cum alias ſcripta non fuerint, aut aliquid erit novi, de quo certiorem fieri oporteat Generalem.

INSTRVCTIO
Pro Adminiſtratione rerum temporalium, Collegiorum ac Domorum Probationis Societatis IESV.

Inſtructionis ſcribendæ cauſa.

LIcet de rei familiaris adminiſtratione quædam in Conſtitutionibus P. 3. c. 2. §. 7. & P. 4. c. 2. plura in Regulis Provincialis c. 9. Rectoris c. 6. & Procuratoris: nonnulla in Congregationum Generalium decretis, maxime ſeptimæ Decr. 82. & octavæ Decr. 15. & 60. aliqua denique à Præpoſitis Generalibus variis temporibus præſcripta habeantur, ut nihil præterea hoc de argumento deſiderari poſſit; Congregatio tamen octava Generalis Decr. 15. & 60. conſiderans ex una parte, quantopere à cura bonorum temporalium, quæ à S. P. N. P. 3. c. 2. §. 7. dicuntur propria Domini Noſtri Ieſu Chriſti, res ſpirituales ac bonus Societatis ſtatus ac progreſſus pendeat: ex altera moleſte admodum ferens ab iis, ad quos pertinet, non uno nomine in œconomia peccari; peculiarem hac de re inſtructionem faciendam, & cum Provinciis communicandam eſſe ſtatuit, qua unum quaſi ſub aſpectum ponerentur omnia, quæ hinc inde ſparſa facile ignorari atque è memoria effluere neceſſe eſt.

Cum ergo nunc pluribus, tum coram, tum per litteras hujusmodi rerum periťis ſuper hoc negotio conſultis, ipſa Inſtructio confecta atque approbata fuerit; nihil aliud ſupereſſe videtur quam ut Provinciales, Rectores & Procuratores, quorum partes ſeorſim in ea deſcribuntur, pro virili adlaborent, ut, quæ ſapienter proviſa & ſtatuta ſunt, ſerio & conſtanter in praxin deducantur.

Pro Provincialibus.

Fontes damni temporalis.

Illud ſibi perſuadeat Provincialis, nulla re univerſim, certius ac citius everti bonum Collegiorum ſtatum, quam ſi majores proventibus expenſæ fiant: vel ſumptus minime neceſſarii permittantur: vel Rectores ac Procuratores parum œconomiæ periti ſint, & tuto ſe incurioſos eſſe poſſe in adminiſtratione ſua ſperent.

Remedia.* Numerus admittendorum determinandus à P. N.

1 Ergo collato quamprimum numero Sociorum, qui ſunt in Provincia cum annuis redditibus, ſi deprehenſum fuerit, horum ſummam à numero capitum excedi; nulli ad aliquod tempus ad Novitiatum admittantur: ſi id

ſi id R. P. N. omnibus perpenſis, expediens eſſe aut neceſſarium judicaverit (Congregatio VIII. Decr. 60. §. 1.) aut certe numerus recipiendorum à ſua Paternitate determinetur, quem transgredi nullo modo liceat, absque ejusdem conceſſione.

2 Ac ne urgente neceſſitate deputandi quotannis novis Magiſtros ſcholarum inferiorum, cogatur plures admittere; ſtudeat aliquot ſemper ſub finem ſtudiorum, & poſt peractum tertium probationis annum, hiſce ſcholis addicere, juxta ſuam Regul. 24. & 25. In ratione ſtudiorum: cum præſertim Congregatio VIII. Dec. 8. munus docendi Grammaticam & litteras humaniores proprium eſſe Societatis miniſterium, nec certo temporis ſpatio, nec certis perſonis circumſcriptum declaraverit.

Inferiores quoque ſcholas doceant & ipſi Sacerdotes.

3 Quod dictum eſt de Provincia univerſa, dictum etiam putet de ſingulis Collegiis. Perpensâ igitur exacte ſummâ omnium reddit.uum & eleemoſynarum, ac de conſilio peritorum conſtituto, qui ſumptus in ſingula capita neceſſarius ſit, plures, quam in ſingulis domiciliis per facultates ali poſſint, nullo modo alantur (Congregatio VII. Dec. 81. §. 1.) immo, ut ibidem ſtatuitur, pauciores: ut ſi quid ſuperſit, id totum in diſſolutione æris alieni impendatur.

Non plures alendi, quam reditus patiantur, immo pauciores.

4 Ad minuendum autem numerum Sociorum in Collegiis, opus erit novas obligationes ſponte non ſuſcipere, immo onera, ad quæ ex fundationibus aut conſtitutionibus non tenemur, ad tempus omittere, admonito tamen prius Generali (Congregatio VII. Dec. 81. §. 4.) Item ſtrenuos operarios, maxime Coadjutores temporales habere (ibidem §. 5.) nec ullo modo permittere, ut aliqui levi dumtaxat quapiam occupatione contenti, plurimum otientur.

Novæ obligationes non admittendæ gratuitæ ad tempus intermittendæ ſtrenui ſint operarii.

5 Conſultum etiam fuerit aliquot Sociorum paria fere continenter in Miſſionibus occupare, aut etiam in quibusdam locis Reſidentias ad tempus conſtituere, quæ ex eleemoſynis vivant: immo aliqua parva collegia, & male materia ad certum tempus pariter in hujusmodi Reſidentias convertere, donec expuncto ære alieno, & ædificata domo, auctisque redditibus, ad Collegii formam revocentur.

Socii occupentur in Miſſionibus aut Reſidentiis.

6 Contributionibus imponendis Collegia ne gravet (niſi magna quædam & inſuperabilis neceſſitas juvandorum Seminariorum ad id cogeret) quin potius pecuniis, quas in ſua habet poteſtate, eorum indigentiam ſublevet (Congregatio VII. Dec. 81. §. 7.) & quo in poſterum certius conſtet

Collegia non gravet contributionibus Provincialis.

Rationes Provinciæ quotannis exigat. ſtet de communibus expenſis Provinciæ; ſingulis annis, exeunte Ianuario, à Procuratore Provinciæ exigat earum rationem: quam ut etiam ipſe reddere poſſit de pecuniis ſibi undecumque & à quocumque traditis, curet per Socium in peculiari codice accepti atque expenſi accurate ſcribi.

Superflua reſecet. 7 Ad ſumptus minime neceſſarios vitandos diligenter conſideret, an ſuperflua domi habeantur. v. g. equi, famuli, (Congregatio VII. Dec. 82. §. 7.) atque in prima Congregatione Provinciali, adhibitis in conſilium Patribus antiquioribus, ac bono zelo præditis, diſpiciat, an decurſu temporum, maxime contra conſuetudines Provinciæ, de quibus mentio fit in Ordinat. Generalium c. 8. pag. 57. §. 7. & contra Viſitatorum ac Provincialium ipſorum Ordinationes, introductum fuerit, quod in ratione victus & veſtitus, in recreationibus, in ſupellectili domeſtica, in excipiendis hoſpitibus noſtris, in invitationibus externorum, ac ſimilibus, religioſam paupertatem ac frugalitatem minus deceat: ut id totum auctoritate, (ſi opus ſit) P. Noſtri, ad antiquam ſimplicitatem revocetur.

Paupertatem & frugalitatem curet.

Peregrinationes raræ ſint. 8 Parcus ſit in peregrinationibus concedendis, præſertim non ſine equo, vel rheda obeundis: curabitque, ut Noſtri, dum ex uno in aliud Collegium commigrant, pedeſtri itinere in toto, vel in parte, utantur: & ut in equitando ſolius neceſſitatis ſuæ perſonæ ſive negotiorum (quam Superiores mittentes judicabunt) ratio habeatur. Congregat. III. Dec. 37. Regul. Provincial. 115.

Equitatio ex ſola neceſſitate.

Taxa viatici recognoſcenda. 9 Taxam viatici dari ſoliti demigrantibus ab uno loco in alium, intra vel extra Provinciam, recognoſcat, & judicio peritorum (ſi opus eſſe videatur) emendet, eamque ab omnibus, præſertim à Concionatoribus obſervari curet: omneſque intelligant, ſi quid ſuperfuerit e viatico, ſive à Collegio, unde diſceſſit, tributo, ſive ab amicis eleemoſynæ nomine donato, id totum Collegio, ad quod venit, eſſe reſtituendum, ac facturos contra paupertatem, qui ſecus fecerint.

Et ſervanda.

In ædificiis permittendis & pecunia mutuo accipienda ſit difficilis. 10 Superioribus, petentibus licentiam ædificandi, vel novi alicujus operis moliendi, ac potiſſimum, accipiendi mutuo pecunias, ne facile annuat: ſed prius intelligat cauſas, neceſſitatem ac modum reſtituendi: ac ſatius omnino fuerit, ubi Rectores urgent, expectare, donec per occaſionem viſitationis ſuper locum ipſum, neceſſitas & ratio operis, quod proponitur, faciendi cognoſcatur.

10 Vt

11 Vt non niſi peritis œconomiæ rei familiaris adminiſtratio committatur, Provincialis antequam Generali aliquem eligendum in Rectorem proponat, Informatores admoneat, ut de hoc maxime talento diligenter ſcribant: & ſi is, quem proponere ſtatuit, aliàs gubernavit; ex literis Conſultorum & Viſitationibus Collegii, cui præfuit, aliquid etiam lucis accipere poterit: & maximè uſui eſſe poterunt rationes redditæ Succeſſori, quando defunctus fuit officio: quarum rationum exempla in futurum ad Provincialem mittenda erunt, & in Archivio aſſervanda. Oeconomiæ periti ſint Rectore.

12 Qui deſignati fuerint Procuratores; prius quam officio fungi incipiant, per certum temporis ſpatium (ſi alias Procuratores non fuerunt) ab aliquo œconomiæ bene perito inſtruantur, rudimenta Arithmeticæ condiſcant, & quo pacto libri rationum itenendi ſint, erudiantur. Procuratores prius inſtruantur.

13 Profuerit etiam aliquos juniores, qui pollere talento gubernandi videntur, prius huic muneri Procuratoris addicere: & iis qui Rectoris officio defuncti ſunt, in aliquo alio Collegio, curam rerum temporalium demandare. Illud omnino neceſſarium eſt, ut in Provincia conſtet, non eos tantum Procuratores fieri, qui nullum aliud talentum habent: quod aliqui, licet immerito, queruntur. Defuncti vel futuri Rectores ſint Procuratores.

14 Ad continendos in officio Rectores & Procuratores, plurimum proderit, ſi Provincialis, juxta ſui officii Reg. 80. bona ſtabilia extra domum, quæ commode poſſunt viſitari, viſitet: ut videat, num qua inſtauratione egeant, & quid ad eorum conſervationem opus ſit: an aliquid omisſum, quo prædia meliora fieri potuiſſent: an utiles & neceſſariæ factæ fuerint expenſæ. Viſitet Prædia Provincialis.

15 Sed nihil æque promovebit rectam rei familiaris adminiſtrationem, quam ſi non perfunctorie, ſed ſerio & accurate libri rationum examinentur: & ſi quidem Rector ac Procurator, bene rem geſſerint, ſua laude non careant; ſi ſecus, impune minime ferant; ſed publicam aliquam pœnitentiam peragant, vel objurgentur graviter in triclinio. Quod ſi præter modum deliquiſſe comperti fuerint; Generalis admoneatur, ut, ſi ita viſum fuerit, ab officio vel ſuſpendat, vel etiam amoveat. Congregatio VII. Dec. 82. §. 8. VIII. Dec. 15. Libros rationum accurate examinet.

16 Statum Collegiorum & rationem expenſi & accepti Provincialis per ſe, vel per Socium accurate recognoſcat. Neque ſit contentus ſcire ſummam, quæ accepta eſt, & ſummam, quæ eſt expenſa; ſed inquirat etiam, Vti & rationes accepti & expenſi.

iam, unde ſit accepta & quibus in rebus, ac quam neceſſariis, ſingillatim expenſa.

Item debita & Proviſiones. 17 Inquirat etiam diligenter, de debitis tum activis, tum paſſivis: item de quantitate tritici, vini, olei conſumpti vel reſidui: atque, ut hoc certius fiat, exhiberi ſibi curet libros omnes Procuratoris ad hanc cognitionem neceſſarios. Quibus omnibus cum numero perſonarum, quæ fuerunt in Collegio, collatis judicium ferre poſſit, an fuerit aliqua effuſio.

Statum cum ſtatu conferat. 18 Ad hæc ſtatum præſentem Collegii, quam veriſſime poterit, exprimi curet in libro reſolutionis computorum: & conferat cum ſtatu anni præcedentis, ut videat, num quæ mutatio contingat, vel in deterius, vel in melius.

Brevem relationem Romam mittat. 19 Denique conficiet brevem relationem Generali mittendam, ex qua Collegii ſtatus judicetur, v. g.

Status habitualis Collegii N.

Habet in pecunia numerata ſingulis annis ſcuta - - - - -	ſc. 1090.
In aliis redditibus ex prædiis ac fundis - - - - - -	ſc. 400.
Summa - -	ſc. 1490.
Onera ordinaria ſunt - - - -	ſc. 330.
Itaque proventus purus eſt. - - -	ſc. 1160.
Ex quo poſſunt ali Socii 20.	

Status Actualis

A die 20. Maji 1647. usque ad 30. Aug. 1648.

Percepta in pecunia numerata - - -	ſc. 900.
In aliis proventibus - - - -	ſc. 480.
Summa - -	ſc. 1380.
Conſumpta in pecunia numerata - -	ſc. 800.
In aliis proventibus - - - -	ſc. 430.
Summa - -	ſc. 1230.
Remanent in pecunia ſc. 50. in tritico, vino, oleo ſc. 100. - -	ſc. 150.
Summa - -	ſc. 1380.

Vnde

Vnde apparet æqualem eſſe ſummam accepti & expenſi, ſi ratio habeatur eorum, quæ domi reſtant.

Inventaria cum inventariis conferat.

Poſtremo, quod ſua Reg. 85. habet, rerum mobilium inventaria conferri omnino faciat cum Inventariis in præcedenti viſitatione à Provinciali vel Viſitatore ſubſcriptis: ac diligenter inſpiciat, an rerum omnium ratio conſtet, an videlicet res novæ adſcriptæ, veteres expunctæ (quod accurate fieri ſemper debebit) ſuis temporibus fuerint, præſente Miniſtro & Officiali.

Pro Rectore.

I.

Rationes Anteceſſoris diligenter examinet.

Antequam rationem Oeconomiæ ſcripto exaratam, & chirographo Anteceſſoris ſignatam ſua manu confirmet, intelligat, & (quantum fieri poteſt) inſpiciat, an revera tantumdem pecuniarum in arca, tritici, vini, olei & reliquæ annonæ in penuariis creditorum ac debitorum in nominibus ſit, quantum affirmatur: & ſi res aliter ſe habere deprehenderit; ne ſe ſubſcribat, & Provincialem admoneat: & ipſorum computorum ſeu à ſe confirmatorum, ſeu non confirmatorum exemplum tranſmittat, aſſervandum in Archivio, unde ſemper conſtare poſſit de bona vel mala adminiſtratione Anteceſſoris.

Statum habitualem cognoſcat.

2 Cognoſcat quamprimum ſtatum etiam habitualem rerum temporalium Collegii ex libro, cujus mentio fit in Reg. 21. Procur. in quo continetur ſumma omnium Inſtrumentorum & titulorum, jurium atque actionum, & bonorum omnium ſtabilium, ac quaſi ſtabilium; & primo quoque tempore, ſi commode fieri poterit, viſitet prædia ruſtica, recognoſcat eorum fines, advertat, num qua indigeant reparatione aut cultura, an pecore neceſſario inſtructa ſint, quæ conditiones & pacta inter Collegium ac Colonos conſtituta ſint: neque ſemel viſitaſſe contentus, aliquoties eadem in triennii decurſu viſitabit.

Prædia viſitet.

Oeconomiæ formam ne mutet inconſulto Provinciali.

3 Oeconomiæ formam, inconſulto Provinciali, ne immutet (Congregatio VII. Dec. 82. §. 6.) verbi gratia, circa prædiorum locationes, circa modum ſerendi, putandi, plantandi, vina conficiendi, ac ſimilia: ſed ſe locorum conſuetudini conformet, atque id ipſum fieri à Procuratore jubeat: neque ullum novum ædificium inchoet, ſine expreſſa Provincialis licentia & urgenti neceſſitate: multoque minus Benefactores volentes aliquam pecuniæ ſummam Collegio elargiri, abſque ulla conditione, indu-

cat, ut ad aliqua opera minus neceſſaria conficienda deſtinent v. g. ad picturas &c.

4 Laudabilis conſuetudo in Noſtrorum victu ac veſtitu, cæterisque omnibus ad valetudinis conſervationem & cultum pertinentibus conſtanter retinenda eſt: proinde in his nihil novi introducat, aut introduci patiatur: caveatque diligenter, ne, dum liberalis auram captat, frugi famam amittat: atque in excipiendis hoſpitibus, in tractatione externorum, in recreationibus extraordinariis, conſuetudines Provinciæ, de quibus in Ordin. General. c. 9. §. 7. exacte obſervari procuret.

Depoſitis ne utatur. Mutuum quatenus accipiet?

5 Depoſitum pecuniarum (ſi forte aliquo raro caſu neceſſariis de cauſis admittat) ſervet intactum, nec illo utatur: mutuum autem nullo modo accipiat, niſi ob urgentem neceſſitatem victus ac veſtitus Noſtrorum: & tunc ſumma non excedat ſcuta 30. ter tantum in anno accipienda: idque de ſententia Conſultorum prævio examine de reſtituendi facultate; nec majores ſummas accipere mutuo fas ſit, absque Provincialis licentia.

Quod ſupereſt, cui impendet?

6 Si quid ex annuis Collegii redditibus, aut pecuniis, jure legati, vel hæreditatis, vel alio quopiam nomine perceptis ſuperſit; id totum in ære alieno diſſolvendo, vel augendis redditibus, non autem in ædificiis ac ornatu minime neceſſariis, inſumatur.

Omnes pecuniæ tradantur Procuratori.

7 Omnes pecuniarum ſummas (etiam quæ confluantur ex pretio rerum venditarum ab aliquo officiali v. g. Sartore, Coquo, Diſpenſatore) curet tradi Procuratori, & in codicem accepti referri: nec patiatur ejusmodi officiales quicquam vendere, aut alio modo diſtrahere, niſi conſulto Miniſtro, aut ipſo Procuratore.

Sæpe conſultet. Quo conſilio contractus celebrabit.

8 Crebro conſultet de rebus temporalibus, vocato quoque Procuratore, quem ſuo officio fungi permittat: nec ita ſe gerat, ut is nudum tantum nomen habere videatur. In celebrandis contractibus ſive publicis ſive privatis, ne nimium ſuæ prudentiæ fidat: & ſi quidem perpetui ſunt; Conſultores prius audiat, quam ſuam obliget fidem: eisque fideliter atque diſtincte conditiones omnes contractûs exponat, conceſſo etiam ad deliberandum tempore aliquo, & expectato Provincialis reſponſo. *Quâ cautelâ.* Quin & in rebus majoris momenti, ratificationem Præpoſito Generali reſervet: nec illam temere promittat; ſed clare ſignificet ſuſpenſum manere contractum, donec obtenta fuerit: & ubi celebrati fuerint; eorum Inſtrumenta ad urbem transmittat.

9 Vnum

9 Vnum reſtat, in quo pene ſunt omnia, quam accuratiſſime ſingulis menſibus dati & accepti rationes à Procuratore exigat, ex Reg. ſui offici. 57. Examinet ſingula, an plus carnium, piſcium, ceterarumque rerum illo menſe conſumtum ſit, quam uſus ferat: certis temporibus nomina debitorum inſpiciat, ut videat, an moroſi ſint ipſi in ſolvendo, an Procurator in exigendo: intelligat, quantum tritici, vini, olei conſumtum ſit: neque omnia examinanda ad finem anni reſervet. Denique antequam officio defungatur, exactiſſime rationem adminiſtrationis ſuæ Succeſſori reddat, & ſcripto conſignet: eo modo, quo ſupra, cum ageretur de Provinciali ab ipſo exigendam eſſe in viſitatione declaratum eſt. Ordin. Gener. Congreg. VIII. Dec. 60. §. 4.

Quot menſibus rationes accepti & expenſi exigat.

Rationes reddat ſucceſſori.

Pro Procuratore.

PRocuratoris munus quinque fere capitibus definitur. Primo, ut bona ac jura Collegii conſerventur. Secundo, ut redditus ne decreſcant, ſed potius augeantur. Tertio, ut quæ Collegio debentur, ſumma diligentia exigantur, & omnia neceſſaria opportune comparentur. Quarto, ut res & pecuniæ recte diſpenſentur. Quinto, ut dati & accepti ratio ſemper conſtare poſſit. Ex quibus inprimis apparet, huic muneri eſſe deſtinandum hominem valde prudentem, peritum & fidelem, nullaque alia occupatione, quæ ſuum munus impediat, implicitum.

Munus Procuratoris quintuplex.

Qualis ipſe eſſe debeat.

1 Iam quod ad primum caput pertinet, non ſolum in Archivio Inſtrumenta Originalia & tituli, quibus conſtet de jure bonorum omnium, ut dicitur Reg. 19. & ſeorſim hæc eadem inſtrumenta manu Notarii ſubſcripta habeantur, ut Reg. 20. ſed præterea Procurator librum habeat, cujus meminit Reg. 21. in quo ſingillatim deſcripta ſint omnia bona ſtabilia, qualia ſunt Prædia, Domus, & quaſi ſtabilia, hoc eſt, cenſus, loca montium, canones, uno verbo, jura ad annuos redditus: ac de ſingulis hæc omnia generatim notari oportebit, quo tempore ad Collegium pervenerint, vel acquiſita fuerint, quo titulo, donatione, an hæreditate, an legato, an emtione, &c. quo loco poſita ſint, qui eorum fines, quanti æſtimentur, quos redditus pariant: num aliquod onus annexum habeant, & quale. De fundis explicetur, quot ſint menſurarum, verbi gratia jugerum, cujus qualitatis, an feraces tritici, vini olei, an ſolum compaſcua, an ſylvæ. De cenſibus dicatur, à quo emti, quanto pretio, quid reddant, & quantum, ubi

Bona ac jura Collegii quomodo conſervabit.

fundati, quis fide juſſor, quo tempore exigantur fructus. De locis montium, qualia ſint, quot, quanti ſteterint, quantum reddant, quis Depoſitarius. Hæc autem omnia ſic diſtincte in hoc libro deſcribantur; ut inter deſcriptiones ſingulorum aliquot folia interponantur, in quibus diſcurſu temporum, ſi quid mutatum fuerit, addi queat. In eodem libro ſucceſſionum (ſi forte ſperentur) mentio fiat.

2 Primo quoque tempore, viſitet bona omnia Collegii, diligenterque conſideret, an aliqua reparatione domus egeant, an opus aliquod faciendum, quo torrentium ac fluviorum irruptiones in agros arceantur: attentus ſit, ne vicini aliquam in noſtris fundis ſervitutem acquirant de novo, in Prædiis ruſticis, itineris, actus, viæ, aquæductus, ducendi pecoris, hauriendæ aquæ, coquendæ calcis, fodiendi arenam: in urbanis vero, altius tollendi, ſtillicidium avertendi, immittendi tignum &c. easdem ſervitutes activas, ſi Collegium habeat, conſervari procuret.

Proventus ex prædiis ne decreſcant, quomodo curabit.

3 Quoad Secundum, bonos ac fideles colonos habeat, non nimis pauperes, aut inutili familia oneratos, nec quantum fieri poterit, Noſtrorum conſanguineos aut affines. Prædia pecore majore ac minore ſint inſtructa: vites, oleæ, arbores frugiferæ locis opportunis de conſilio peritorum plantentur: curetque ſtatis temporibus novalia præparari, ſementem fieri, ſegetes purgari, vineas putari, occari, repaſtinari, foſſas exhauriri, atque in his omnibus mores patriæ obſervet, nec novam aliquam culturæ formam temere inducat.

Quæ Collegio debentur qua diligentia exiget.

Quoad tertium, ſi unquam, eo potiſſimum tempore Collegii prædia viſitet; ac præſens adſit, quo fruges metuntur, ſeruntur, colliguntur, vindemia fit, oleum exprimitur, neque nimium ruſticis fidat: eodem tempore à colonis mutuo data repetat & ſtatis temporibus ab aliis debitoribus, nec nimis indulgeat: morâ ſiquidem ſolvendi longâ conceſſâ, plerumque fiunt non ſolvendo. Opportune res neceſſarias ad victum comparet, ut Reg. 6. monet, ne eas non perinde bonas, aut non æquo pretio emere poſtea cogatur: quidquid autem frugum in prædiis collectum fuerit, aut pecunia emtum, Officialibus ſic tradendum, ut ſciant, ſe de iis tertio quoque menſe rationem reddituros: eritque ſane repetenda ut conſtet, quantum tritici, vini olei, caſei &c. conſumtum ſit, quantum ſuperſit: ab Emtorum autem omnino quotidie expenſarum rationem exigat.

Suo tempore faciat proviſiones.

4 Quoad

4 Quoad Quartum, tametſi proprie ad Rectorem ac Miniſtrum pertinet curare, ut in ſumtibus faciendis religioſa paupertas ac bonæ conſuetudines ſerventur; tamen Procurator etiam id ſuarum eſſe partium ſibi perſuadeat: ideoque ne plus carnium, piſcium, ovorum, ac ceterarum rerum emi patiatur, quam neceſſe ſit: idemque ſervandum de aliis rebus ad veſtitum neceſſariis. uret ut ſumtus non fiant non neceſſarii.

5 Quod ad Quintum, ac poſtremum attinet, ut Procurator ſingulis menſibus, & quotieſcumque ſuo defungetur officio, dati & accepti rationem reddere poſſit, duos codices habeat, præter alios minus neceſſarios: alterum, in quo per ſingulos menſes appareat, quantum pecuniarum numeratarum, à quibus, quo nomine acceptum fuerit, & quantum expenſum: alterum in quo omnium Debitorum Collegii nomina diſtincte deſcripta habeat. Vt ratio accepti & expenſi conſtet.

Denique commendatur omnibus tum Provincialibus tum Rectoribus, tum Procuratoribus, ut peculiarem habeant curam Eccleſiarum, quæ pertinent ad Beneficia Collegiis unita, & ut alia eorumdem Beneficiorum onera, præſertim, ſi quæ ad Xenodochia & pauperes ſpectent, diligenter inquirant; omnibusque id genus piis obligationibus cumule ſatisfaciant: certi, Divinam Providentiam non defuturam iis, quibus ea, quæ ad Deum pertinent, cordi fuerint. Piis obligationibus cumulate ſatis fiat.

CENSVRÆ ET PRÆCEPTA
Hominibus Societatis impoſita.

Deputatio pro ordinationibus non impreſſis recognovit, juxta Congregationis octavæ præſcriptum, Cenſuras & Præcepta generaliter hominibus Societatis impoſita: & cenſet poſſe in Catalogum redigi, & typis mandari, quæ ſequuntur.

CAPVT I.

Quæ pertinent ad electionem Præpoſiti Generalis, Vicarii & Aſſiſtentium, & Congregationem Procuratorum.

CENSVRÆ.

I.

AB obitu Præpoſiti Generalis usque ad novi electionem, ſed pœna excommunicationis latæ ſententiæ, tenetur Vicario manifeſtare, vel alicui ex antiquioribus Profeſſis, quicumque ſcit aliquem Generalatum affectaſſe, vel etiam tunc affectare, directe vel indirecte id procurando, vel ſigno aliquo id declarando. *Conſt. P. 8. c. 6. §. 2. & in Formul. Congregat. General. §. 21.*

2 Qui in judicio de cujusquam ambitu, aliter atque in animo ſentit, ſententiam dicit, ipſo facto excommunicationem incurrit. *Conſt. loc. cit. in Declar. lit. A.*

3 Qui poſt promulgationem Generalis electi, ſuffragium ſuum mutat, vel peracta electione aliam tentat; incidit in pœnam excommunicationis latæ ſententiæ; aliasque graves cenſuras ſubibit arbitrio Societatis. *Ibid. P. 8. c. 6. §. 8. & in Form. Congr. General. §. 51.*

4 Excommunicatio propoſita num. 1. extenditur primo ad eos, qui darent informationem non ſinceram. Demum ambitioſos pro ſe vel pro aliis, ipſo facto in excommunicationem incidere, decretum eſt. *Prima Congr. Gen. dec. 8. ante electionem.*

Extenditur ſecundo in omnes de Societate, quicumque vel ubicumque ſint, qui ab obitu Præpoſiti Generalis ad electionem usque; pro ſe vel pro aliis ambierint, aut qui cum perſonis Societatis, aut cum externis, cujuscumque ſtatus aut conditionis ſint, egerint aut tractaverint, vel litteras aut favorem Prælatorum, Principum aut aliorum procuraverint, ad quamvis nationem vel particularem perſonam promovendam ad Generalatum, vel excludendam. *Form. Congr. Gen. §. 21.*

Extenditur tertio in illos, qui ſinceritatem vel libertatem electionis, juxta Inſtitutum Societatis noſtræ quoquo modo, directe vel indirecte, impedire vel corrumpere conati fuerint. *Ibid. §. 21.*

Extenditur quarto ad informationem non ſinceram, eam ſcilicet, quæ ſtudioſe mendax eſt mala cum intentione, & in re gravi. *Formul. Congr. Gener. §. 21.*

5 Quicumque ſive ex Congregatione fuerit, ſive non, in informationibus, vel extra illas ambitioſe egerit, ut vel ipſe, vel alius Aſſiſtens eliga-

eligatur, aut etiam alius excludatur; excommunicatur ipſo facto, & reſervatur Præpoſito Generali. *Form. Congr. Gener.* §. *82.*

6 In electione Vicarii eâdem cenſura includuntur ob ambitum, vel pro ſe vel pro aliis, quæ dicta eſt in electione Præpoſiti Generalis, cum extenſione 2. 3. & 4. de qua dictum eſt *numer. 4. Formul. ad eligend. Vicarium.* §. *6.*

PRÆCEPTA.

I.

QVi grave aliquid in informationibus ad Generalem eligendum, quod ſecretum requirat, intellexerit; in virtute ſanctæ obedientiæ ſecretum teneat, præterquam cum Electoribus. *Form. Cong. Gener.* §. *34.*

2 Qui ſciverit quempiam Aſſiſtentis officium vel ſibi vel aliis ambire, ſive agere, ut alius excludatur; in virtute ſanctæ obedientiæ tenetur ad Generalem deferre. *Ibid.* §. *82.*

3 In virtute ſanctæ obedientiæ præcipitur, ut quod in informationibus intellectum eſt in electione Aſſiſtentium, in re, quæ Societati, vel alicui ejus perſonæ aliquid ignominiæ vel detrimenti afferre poſſit; ſecretum teneatur. *Ibid.* §. *83.*

4 Item in Congregatione Procuratorum, dum capitur informatio de ſtatu Societatis, ut videatur, ſit nec ne cogenda Congregatio Generalis; ſi quis audiverit aliquid, quod ſecretum teneri debeat; cum aliis, præterquam cum iis, qui ſuffragium habent, jubetur in virtute ſanctæ obedientiæ ſilentium tenere, in re tamen tantum gravi, non in qualibet. *Formul. Congreg. Prov. c. 2.* §. *7.*

CAPVT II.

Quæ pertinent ad Inſtituti noſtri conſervationem.

CENSVRÆ.

I.

QVicumque ſive extra, ſive intra Societatem, Inſtitutum ipſius, Conſtitutiones, vel Conſtitutionem Gregor. XIII. quæ incipit *Aſcendente*, vel aliquid ex his, quovis quæſito colore, directe vel indirecte impugnare, vel eis contradicere auſus fuerit; incidit in pœnam excommunicationis latæ ſententiæ, & inhabilitatis ad officia & beneficia ſecularia, &

quo-

quorumvis ordinum Regularium, eo ipſo facto absque alia declaratione incurrendam, Sedi Apoſtolicæ reſervatam. *Greg. XIII. Conſt. Aſcendente.*

2 Qui Societatis Inſtitutum, Conſtitutiones aut Decreta, vel ex eis quidpiam vel aliud quid prædictum concernens, majoris boni aut zeli, aut quovis alio quæſito colore, aut prætextu directe vel indirecte impugnaverit, vel curaverit, ut immutetur, alteretur aut forma alia ſeu ratio circa ea inducatur, vel contra aut præter ea, ſeu quævis alia ipſius Inſtituti Subſtantialia agat, vel quidpiam ulli alii, præterquam ſeu Romano Pontifici (idque immediate vel per Legatum aut Nuntium Apoſtolicum) ſeu Congregationi aut Præpoſito Generali, addendum, minuendum aut immutandum, ſive alterandum proponere quoquo modo auſus fuerit. *Conſt. Greg. XIV.* Quæ autem ſint ſubſtantialia Inſtituti, vide in V. *Congregat. Decreto 44. 46. & 58.*

PRÆCEPTA.

I.

Diſtrictius inhibetur, ne quis, ſive extra, ſive intra Societatem, niſi de Præpoſiti Generalis aut inferiorum Præpoſitorum licentia notationes, declarationes, gloſſas, vel Scholia ulla ſuper Inſtituto, Conſtitutionibus, Privilegiis aut aliis Contentis in Conſtitutione Gregor. XIV. ſupra dicta, facere, vel ea, (niſi quantum verba ſonant) interpretari, aut de iis diſceptare, ſeu ſcrupulum cuiquam injicere vel in controverſiam aut dubium revocare audeat quoquo modo: nec gloſſas aut interpretationes, ſive impreſſas, ſive ſcriptas ad id pertinentes legere, docere, aliisve tradere, vendere vel apud ſe retinere præſumat. *Greg. XIV. in ead. Conſt.*

2 Quicumque reſciverint aut deprehenderint, quoscumque machinari aliquid, aut machinatos fuiſſe, contra Inſtitutum Societatis, quamprimum poterunt Præpoſito Generali tam autores, quam vere complices fideliter deferant. Ita præcipitur omnibus in virtute ſanctæ obedientiæ *in Quinta Congregatione Decr. 54. & can. 20.*

3 Extenditur hoc decretum, ut & noſtri omnes comprehendantur, quo quorumcumque hominum, ſive de Societate ſint, ſive de ipſa non ſint, opera utuntur ad Societatis pacem perturbandam. Et Provincialibus præceptum imponitur, ut in ejusmodi perturbatores inquirant, & ad Patrem Generalem deferant: nec minus fortiter, quam fideliter, in ea re munere ſuo fungantur. *Cong. 6. Decr.*

CAPVT

CAPUT III.

Excommunicationes, quæ pertinent ad Religionem & Religioſa Vota in communi.

1.

QVicumque de Societate, etiam Profeſſi, quos judicaverit Præpoſitus Generalis à Societate dimittere, poſſunt de ipſius licentia, non tantum ad Carthuſienſium, ſed & quemvis alium Mendicantium, vel Nonmendicantium paris, laxioris aut arctioris obſervantiæ ordinem, per ipſum Præpoſitum Generalem illis præſcribendum, de conſenſu tamen Superiorum loci illius, quo deſtinabuntur, demigrare, in eisque Profeſſionem, per illius Monachos, aliosve Regulares emitti ſolitam, emittere, habitum ſuſcipere eorumque conſueta uti diſciplina. Ipſis ergo inhibetur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne quid contra præſentium tenorem audeant attentare. *Greg. XIII. Diplom. de transferendis.*

2 Si quis, poſt emiſſa vota ſecundum Societatis Conſtitutiones ab ea ad ſeculum receſſerit, etiam prætextu cujusvis Indulti conceſſi aut concedendi, absque expreſſa ſui Superioris licentia, ad id ab eo ſpecialiter obtenta; ipſo facto eſt excommunicatus & abſolvi nequit, niſi à Romano Pontifice vel Superiore Societatis. *Pius V. Bulla contra Apoſtatas.*

3 Deficientes à Societate poſt tria Vota etſi ſimplicia, elapſo biennio probationis emiſſa, tamquam veri Apoſtatæ puniri poſſunt, & excommunicationi latæ ſententiæ atque aliis Apoſtatarum pœnis ſubjacent Sedi Apoſtolicæ vel Præpoſito Generali Societatis reſervatis. *Habetur in Conſtitut. Aſcendente, &c. Greg. XIII.*

4 Noſtri ab ordine recedentes, niſi poſt mandatum cujusvis Superioris eisdem factum, intra octo dies proximos ad obedientiam redierint; excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurrunt, ſoli ſummo Pontifici reſervatam: eidemque ſententiæ ſubjacent omnes, qui iis auxilium vel favorem præſtiterint. *In comp. V. Apoſtata §. 3. per communicat.*

5 Nemo poſt emiſſa Vota ſecundum Societatis Conſtitutiones ſive Profeſſus ſive Scholaris ſive Coadjutor ſit; ad alium ordinem, præterquam Carthuſienſium, niſi de expreſſa licentia ipſius Præpoſiti Generalis aut Sedis Apoſtolicæ tranſire poteſt. *Paulus III. in Indultis & Privilegiis.* Idem cavetur & latius confirmatur à Pio IV. *in litteris contra Apoſtatas per Pium V. editis* propoſita pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, Romano

Pontifici, vel Superiori Societatis reſervatæ, tam in Religioſos recipientes, quam in ipſos receptos.

6 Iam vero, qui ſine Præpoſiti Generalis facultate ad Carthuſienſes tranſiret; easdem pœnas incurreret: per Communicationem Privilegii Carmelitarum Diſcalceatorum. *Conceſſit eis Paulus V.*

7 Tranſeuntes ad Carthuſienſes intra tres menſes, ad alium vero Ordinem intra tempus eis à Superiore ſuo præfigendum; dictos ordines actualiter ingredi: & ſi in eis permanere nolint, aut non poſſint; absque ulla mora ad Societatem regredi tenentur, ſub pœna excommunicationis eodem modo reſervatæ: quam tam ipſi, quam illos recipientes, vel eis auxilium, conſilium vel favorem præſtantes etiam incurrunt. *In Compend. V. Apoſtatæ §. 8. ex litteris Pii V. contra Apoſtatas.*

8 Qui vult tranſire ad Carthuſienſium Ordinem, tribus menſibus ei à Superiore præſcriptis, ſi intra eos non ingrediatur, vel non admittatur, vel non perſeveret; non ſolum redire tenetur ad Societatem, ſed etiam ei non licet amplius, reſpectu Carthuſiæ, à Societate ſine Præpoſiti ejus conſenſu recedere. Qui ſecus fecerit, in excommunicationem, & alias Apoſtatarum cenſuras & pœnas eo ipſo incurret: à quibus non niſi à Romano Pontifice, vel à Generali Societatis abſolvi poterit. *Gregor. XIII. litteris propriis de hac re.*

9 Omnibus etiam Apoſtatarum pœnis ac cenſuris in foro conſcientiæ ſubjacent, quicumque aut cauſis non veris, fraude ac dolo, aut delictis gravibus ea mente perpetratis dimiſſionem impetrant: & irrita eſt dimiſſio. *In ſeptima Congregatione Decret. 22. §. 4.* Et ſi hoc in exteriori foro conſtiterit, poſſunt Superiores contra eos agere, tamquam contra veros Apoſtatas. *Ibidem.*

10 Excommunicantur, qui, inconſulto Provinciali, externos de dimiſſione ſua conſulunt, & qui eorum auxilio & interceſſione ad eam impetrandam utuntur. Reſervatur excommunicatio Provinciali. *Decret. eod. §. 2.*

CAPVT IV.

Excommunicationes, quæ pertinent ad Vota in particulari.

AD VOTVM OBEDIENTIÆ.

NOſtri non poſſunt à Præpoſito Generali, aut Viſitatoribus per ipſum deputatis, ab eorum reformationibus ſeu correctionibus appellare, etiam

etiam ad Sedem Apoſtolicam, niſi in Generali Congregatione, & in caſu denegatæ juſtitiæ, aut pro notoria injuſtitia, ſub pœna excommunicationis Sedi Apoſtolicæ reſervatæ. *Conceſſum eſt Ciſtercienſibus & Societati per communicationem V. Appellatio* §. *2.*

AD VOTVM CASTITATIS.

In virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis & privationis lecturæ, vocis activæ & paſſivæ, nec non inhabilitatis ad quælibet officia, aliisque pœnis arbitrio Præpoſiti Generalis infligendis, præcipitur; ne quis in Societate publice vel privatim, non modo ut veram & probabilem, ſed ne ut tolerabilem quidem, ulla ratione doceat opinionem eorum, qui tradunt, in re venerea exiguam aliquam delecationem deliberate quæſitam, propter levitatem materiæ, excuſari à mortali: aut placere ſibi ſignificet, aut ſecundum illam conſilium cuiquam det. Itemque ſi quis aliquem ex noſtris contra prædicta deliquiſſe noverit, tenetur in virtute ſanctæ obedientiæ aperire. *P. Claudius Aquau. anno 1612. 24. April.*

CAPVT V.

Excommunicatio de Tyrannicidio.

I.

PRæcipitur in virtute ſanctæ obedientiæ ſub pœna excommunicationis & inhabilitatis ad quævis officia, ſuſpenſionis à divinis, & aliis Præpoſiti Generalis arbitrio reſervatis; ne quis noſtræ Societatis, publice vel privatim, prælegendo ſeu conſulendo, multo etiam minus libros conſcribendo affirmare præſumat; licitum eſſe cuiquam, quocumque prætextu Tyrannidis Reges aut Principes occidere, ſeu mortem eis machinari. Provinciales autem, qui aliquid eorum reſciverint nec emendarint, aut non prævenerint incommoda, quæ ex contrario ſequi poſſent, efficiendo, ut hoc Decretum ſancte obſervetur; non modo prædictas pœnas incurrere, ſed etiam officio privari voluit. *P. Claudius, epiſt. anno 1614. 1. Auguſti.*

PRAECEPTVM PROVINCIALIBVS circa editionem librorum.

2 In virtute ſanctæ obedientiæ commendatur Provincialibus, ne in ſua Provincia quidquam quacumque occaſione aut lingua evulgari patiantur à noſtris, in quo de poteſtate ſummi Pontificis ſupra Reges, Principes, aut de Tyrannicidio agatur: niſi prius recognitum Romæ & probatum ſit. *Ex epiſtola P. Claud. anno 1614. 2. Auguſt.*

PRÆCEPTVM OMNIBVS de non tractandis negotiis Principum.

3 In virtute ſanctæ obedientiæ præcipitur noſtris omnibus, ne quis publicis & ſecularibus Principum negotiis, quæ ad rationem ſtatus pertinent, ulla ratione ſe immiſceat, nec quantumvis per quoscumque requiſitus aut rogatus ejusmodi politicas res tractandas ſuſcipiat. *Quinta Congregat. can. 12. Dec. 47. & 79.* Quæ autem ſint hæc negotia, vide *in Congregatione ſeptima. Decr. 46.*

PRÆCEPTVM OMNIBVS de non edendis in lucem libris.

Iuxta Ordinationem P. Claudii bo. me. factam 5. Ianuar. 1616. (ne libelli & opuſcula de poteſtate Summi Pontificis ſuper principes, eos deponendi, &c. edantur in lucem, niſi prius Romæ recognita & approbata) iterum ordinamus in virtute ſanctæ obedientiæ, ne quis in poſterum hanc materiam tractet, aut libris editis, aut ſcriptis quibuscumque: nec publice disputet, aut doceat in ſcholis, ut occaſiones omnes offenſionis & querelarum præcidantur. Quam ordinationem & legi volumus Magiſtris & Patribus, & tradi librorum cenſoribus in Provincia conſtitutis, ſervarique penes ordinarios Reviſores. *Ex Epiſtola P. N. Mutii anno 1626. 13. Auguſti.*

Nonnulla alia Præcepta omittuntur, vel quia non ſunt generalia pro omnibus lata; vel quia jam ſunt à PP. NN. Claudio aut Mutio revocata.

F I N I S.

INDEX

INDEX
INSTRVCTIONVM.

1. Ad renovationem Spiritus. pag. 180
2. Pro Concionatoribus. 182
3. Pro Confeſſariis. 185
4. Ad occupationes varias. 189
5. De notitiâ habita per confeſſionem. 191
6. Pro Novitiis. 193
7. Pro Scholaſticis Societatis. 195
8. Pro Coadjutoribus temporalibus. 196
9. De litteris ad P. Generalem. 197
10. De Præfecto ſpirituali. 202
11. De ratione conſcientiæ. 206
12. Pro miſſionibus. 208
13. Pro renovatione Spiritus. 211
14. Pro Concionatoribus. 219
15. Pro Confeſſariis & omnibus Sacerdotibus. 220
16. Pro Novitiis. 224
17. Pro Scholaſticis. ibid.
18. Pro executione urgenda. 226
19. De promovendis ad gradus. 229
20. Pro ſtudiis promovendis. 230
21. Pro viſitatione Provincialis. 232
22. Pro Adminiſtratione. 236
23. Cenſuræ & Præcepta hominibus Societatis impoſita. 245

INDEX
Eorum quæ in his Inſtructionibus continentur.

A

ABſolvere à cenſuris Noſtri, qua formula debeant. 189

Accipere ad uſum proprium, nihil cuiquam licet. 220. accipiendi, dandique facultas generalis non facile concedenda. 215

Admittendorum numerus determinandus à P. Generali p. 236. Ædificia non facile permittenda. 238

Antiquiores paupertatis exemplo prælūdere aliis debent. 181. patrocinia juniorum ne ſuſcipiant. 195

B

P. BOrgiæ meditationes triduo recollectionis ante votorum renov. legendæ. 226

C

CAſuum conſcientiæ ſtudii commendatio. 232. hebdomadaria in primariis Collegiis collatio. ibid. & 191

Coadjutores temporales quinam difficilius admittendi. 193. quibus de rebus in Novitiatu præcipue inſtruendi. 194. per annum integrum in eo retinendi. ibid. In Collegiis altero anno habere aliquem debent loco Magiſtri. 194. publicis officiis ante biennium non occupandi. ibid. qua cura in Collegiis juvandi. 196. conferentiæ ad illos interdum loco doctrinæ Chriſtianæ ibid. ſoli ut exeant non facile permittendum. ibid. ad prædia procuranda quales deligendi, & quomodo verſari in iis debeant.

beant. 197. non contemnendi, neque vexandi, ſed in quiete fovendi. ibid. docendi, ut ad Superiorem referant de iis, quorum ſocii fuerunt. 221. qua pœna mulctandi, ſi non referant. 223. ſtrenui ſint operarii. 237

Collegia non graventur contributionibus. 237. In Collegiis &c. non plures alendi quam redditus patiantur ibid. ſtatum habitualem Collegii cognoſcat Rector. 241. Ex annuis Collegii redditibus quod ſupereſt, cui à Rectoribus impendendum. 242. Bona, ac jura Collegii, quomodo conſervanda. 243. omnia Collegii Bona primo quôque tempore à Procuratore viſitanda. 244. quæ Collegio debentur, qua diligentia exigenda. ibid.

Colloquia ad januam refrenanda. 212. præſertim in Scholaſticis. 224

Communionis frequentia in eccleſiis noſtris. 187

Concionatores quæ potiſſimum ſectari, quæ vitare debeant. 183. ſingularitates illis exemptionesque non facile concedendæ. ibid. de iis qui cibis Quadrageſimalibus veſci non poſſunt. ibid.

Concionatores futuri in virtutibus ſtabiliendi. 182. deſcribendis aliorum concionibus tempus ne terant. ibid. ad aliorum imitationem quatenus ſe component. 183. privato ante ſtudio ſcripturæ & meditationi vacent. 184. 219. qui rariora oſtendunt talenta ne diu in docendo retineantur. 184. Taxa Viatici ſervanda, maxime à Concionatoribus. 238

Conciones in refectorio quales eſſe debeant. 182. bidui ſpatium ad eas parandas. 183. non permittendum ut immodice laudentur aut carpantur à quibusvis. ibid.

Concionum præfectus, ejusq; officium. 183

Conferentiæ caſuum. 190. 232. de modo juvandi proximos. 191

Confraternitates in miſſionibus inchoandæ, vel promovendæ. 211

Confeſſarii maturi ſint moribus. 185. affici ad munus ſuum debent, & tenuiores libenter audire. 188. ſpiritum ac zelum quo modo excitabunt. 188. otium qua ratione vitabunt. 189. in mulierum confeſſionibus obſervare quæ debeant. 185. 186. earum, ac præſertim pauperum familiaritatem caveant 222. communionem intra hebdomadam ne concedant. 187. Ad Eccleſiam intempeſtive ne accedant. 222. pœnitentes ſuos aliis confiteri ne ægre ferant. 223. notitia per confeſſionem habita uti caveant. 193. abſolvere à cenſuris qua forma debeant. 189. ad tempus interdum mutandi ſunt. 188. in templo ſi fieri poteſt quotidie aliqui præſto ſint. 189

Confeſſionalia quomodo collocanda. 222

Conſcientiæ ratio quo pacto exigenda. 206 ejus & confeſſionis generalis diſcrimen. 213. cogendi non ſunt noſtri ut extra confeſſionem eam reddant. 214. ejus uſus & neceſſitas in exhortationibus inculcanda. ibid.

Conſultores ad Provincialem ſcribant de executione memorialis. 227. de Præfecto rerum ſpiritualium. 205

Conſultores Provincialis ad Generalem ſcribant an ſervetur ordinatio de ordinandis. 180. an conſultationes ſingulis menſibus fiant de diſcipl. Provinciæ. 227

Contractus quo conſilio & qua cautela à Rectoribus celebrandi. 242

Curioſa noſtris iter agentibus vitanda. 180 item in reliquo vitæ uſu. 181

D

DEbita à Provinciali accuratè examinanda. 240. quæ Collegio debentur quâ diligentiâ exigenda. 244

De-

Depoſitis Rectores ne utantur. 242
Doctus ſaltem ſit unus in ſingulis Collegiis qui alios exerceat. 192

E

ELeemoſynas ad proprium uſum accipere non licet. 220. quomodo in miſſionibus dandæ. 210. quomodo diſtribuendæ à Confeſſariis. 222
Emptores ſoli ne eant præterquam in iis, quæ ſunt officii. 197
Equitatio ex ſola neceſſitate. 238
Examen doctrinæ ad gradum ſerio faciendum. 229. quot, & quales in eo theſes eſſe debent. 230
Examinatorum judicia in libro notanda. 229. iidem ſcribere debent ad Generalem ibid.
Executionis urgendæ adjumenta. 226. &c. ad eam conſpirare omnes debent, qui promovere illam poſſunt. 229
Exercitia ſpiritualia Noſtris quotannis obeunda. 211. concionatoribus frequentanda 184. item Scholaſticis ſpiritu remiſſis. 195. à Novitiis initio integra fiant: altero anno non item. 224. In miſſionibus tradenda Clericis & Religioſis. 211. Exercitiorum liber familiaris Sacerdotibus eſſe debet. 190

F

FEminæ officii cauſa viſitari, quæ, & à quibus queant. 187. 221. in earum confeſſionibus obſervanda. 185. &c. 222. earum donaria à concionatoribus non facile admittenda. 184. familiaritas Confeſſariis vitanda, præſertim tenuiorum. 222

G

GEneralis admittendorum numerum debet determinare. 236

H

HOrologia rotata Noſtris interdicta. 181
Humaniorum litterarum commendatio. 230. earum periti magni faciendi. ibi. quinam illis applicandi. 231

I

IMagines magni valoris non concedendæ Noſtris. 181
Imitari alios quatenus novi concionatores poſſint. 183
Inſtructionis, pro adminiſtratione rerum temporalium, ſcribendæ cauſa. 236
Inſtrumenta contractuum Romam mitti quomodo debeant. 200
Inventaria cum inventariis à Provinciali conferenda. 241
Iter agentibus ſuperflua ne permittantur. 180. eorum neceſſitati proſpiciendum. 220
Itineris inſtrumenta in Collegiis ſervanda. ibid. in cubiculis eſſe non debent. 181

L

LAtini ſermonis uſus commendatur. 231
Libris inſcribi Ad uſum non debet. 182 qui alio aſportari Superiorum permiſſu poſſint. ibid. empti alicujus opera, loco applicandi ſunt. ibid. libros rationum accuratè examinet Provincialis. 239
Linguæ vitia refrænanda, auctoresque inveſtigandi, & puniendi. 215
Litterarum ad Generalem neceſſaria moderatio. 199. privatim ſcribere quiſque poteſt, cum volet. 198. ſervanda ſcribendi formula. ibid. prius ad Provincialem ſcribendum, quam ad Generalem referatur. 199. de eadem re iterato non ſcribendum, non expectato reſponſo. ibid. Soli inſcribendæ tantum, quæ ſecreta continent, alia ſeorſim in aliis litteris exponenda. 200. quo charactere, ac methodo ſcribendum. ibid. alia in his litteris obſervanda. 201
Loci mutatio, & quid in ea curandum. 180

M

MAgiſtri Novitiorum judicium in dimittendis ineptis magni faciendum.

dum. 193. Exercitia ſpiritualia differri ordinarie non permittat. ib. initio integra fiant, altero anno non item 224. erga coadjutores tēporales curare quæ debeat. 194. Novitiorum bona usque ad biennii finem intacta ſervet. ibid. neque interim quicquam exigat ab eorum parentibus ibid. Novitiis oſtendat, quæ de manifeſtatione delicti ſtatuta ſunt in VI. Congreg. 224. Exhortationes habeant de regulis. ibid. Scholaſticos cum educuntur, monere quid debeat. 194. ad Collegia tempore vacationis educendi non ſunt. 224

Magiſtri cubicula invicem non ingrediantur ſine licentia. 225. colloquendo cum externis Scholaſticis tempus ne terant. ibid.

Memoriale in viſitatione relictum. 226

Miniſter ne coadjutores nimis urgeat. 197

Miſſionum finis 208. illas obeuntibus, quæ obſervanda. ibid. & ſeqq. cum caritate ad eas profecturis proſpiciendum. 193

Miſſionis Superior eſt, qui prior in patentibus. 211

Miſſiones duorum, aut trium dierum. 191. Præfecto rerum ſpiritualium obiri breves poſſunt. 204. Confeſſariis etiam menſtruæ. 222

Mortificationum tabella tempore vacationum. 195

Munus Procuratoris quintuplex. 243

Mutuum quatenus a Rectoribus accipiendum. 242

N

P. Natalis Catalogus, quotannis ad menſam legendus. 217

Notitia per confeſſionem habita, uti licere Noſtri ne doceant, neque ea utantur. 192. 193

Novitii cum delectu admittendi. 193. inepti facile dimittendi. ibid. Scholaſtici per biennium in Novitiatu retinendi. 194. coadjutores per annum. ibid.

O

Obligationes novæ non admittendæ; gratuitæ ad tempus intermittendæ. 237. Piis obligationibus cumulatè ſatisfiat. 245

Occupationes Sacerdotum propriæ 190. 191. propriæ Superiorum. ibid.

Oeconomiæ periti ſint Rectores. 239. Ejus formam Rector non mutet inconſulto Provinciali. 241

Orationis ſtudium in Noſtris promovere quæ poſſint. 211

Ordinibus ſacris initiandi quales eſſe debeant. 185. recens ordinati quando ad mulierum confeſſiones applicandi. ib.

P

Patrocinia juniorum ſeniores ne ſuſcipiant. 195. 205

Paupertatis puritas, & perfectio Noſtris in uſu rerum ſectanda. 180. & ſeqq. 215. non ſolum dominio, ſed uſu etiam rerum lædi poteſt. 182. paupertatis & frugalitatis habenda cura. 238

Pecunia itineris cauſſa ne conquiratur à conſanguineis. 181. nec ad deſcribendas lectiones. ibid. mutuo non facile ſumenda 238. omnes pecuniæ tradendæ Procuratori. 242

Peregrinationes raræ ſint. 238

Pœnitentiarum ſecretarum uſus excitandus 215

P. Polanci Directorium, & methodus Sacerdotibus noſtris commendantur. 190. in miſſionibus dari poteſt directorium. 210

Politica agendi ratio Noſtris vitanda. 216

Prædia a Provinciali viſitanda. 239. Et à Rectore. 241. Proventus ex Prædiis ne decreſcant, quomodo curandum. 244

Præfectus concionum, ejusque officium. 183

Præfe-

Præfectus Eccleſiæ confeſſarios obſervet, an vulgares refugiant. 188

Præfectura ſpiritualis quanti momenti. 202 quales rerum ſpiritualium Præfecti eſſe debeant. ibid. & ſeqq. quinam ad hoc munus deſignandi. 203. quinam in magnis Seminariis. 205. mature ad hoc munus ſeligendi idonei & formandi. 203. quos præcipue libros legere debeant. 204. in aliis rebus parce occupandi. & quibusnam. ibid. erga coadjutores temporales quomodo ſe gerent. 196. De ratione orandi noſtros interrogent & dirigant. 211. pœnitentias ſecretas excitent. 216. Superiorum auctoritatem in ſubditis tueri ſtudeant. 205

Principum familiaritas in noſtris præcidenda. 216

Procuratores prius inſtruantur. 239. Rectores defuncti, vel futuri ſint Procuratores. ibid. omnes pecuniæ tradendæ Procuratori. 242. Munus Procuratoris quintuplex. 273. Procurator qualis eſſe debeat. ibid. Bona ac jura Collegii, quomodo conſervabit. ibid. Primo quoque tempore viſitet bona omnia Collegii. 244. Proventus ex Prædiis ne decreſcant, quomodo curabit. ibid. Quæ Collegio debentur qua diligentia exiget. ibid. Suo tempore faciat Proviſiones. ibid. curet, ut ſumtus non fiant non neceſſarii. 245. Item, ut ratio accepti, & expenſi conſtet. ibid. Piis obligationibus cumulate ſatisfaciat. ibid.

Provincialis Superiores ſibi devinciat. 227. ſubditorum de illis querelas diligenter examinet. ibid. inquirat quam caute in exigenda ratione conſcientiæ ſe gerant. 207. eos puniat, qui præſcripta non exequuntur. 229. Pro bona adminiſtratione rerum temporalium, curabit Provincialis, ut inferiores quoque ſcholas doceant & ipſi Sacerdotes. 237. Ut non plures alantur quam reditus patiantur; imo pauciores. ib. Ut novæ obligationes non admittantur, gratuitæ ad tempus intermittantur; ſtrenui ſint operarii. ib. Ut ſocii occupentur in Miſſionibus, aut Reſidentiis. ib. Collegia non gravet contributionibus. ibid. Rationes Provinciæ quotannis exigat. 238. Superflua reſecet. ib. Paupertatem, & frugalitatem curet. ib. Peregrinationes raræ ſint. ib. Equitatio ex ſola neceſſitate. ib. Taxa Viatici recognoſcenda, & ſervanda. ib. In ædificiis permittendis, & pecuniâ mutuo accipiendâ ſit difficilis. ib. Rectores ſint periti Oeconomiæ. 239. Procuratores prius inſtruantur. ib. Defuncti vel futuri Rectores ſint Procuratores. ib. Viſitet Prædia Provincialis. ib Libros rationum accuratè examinet. ib. Uti & rationes accepti, & expenſi. ib. debita & proviſiones. 240. Statum cum ſtatu conferat. ib. Inventaria cum inventariis. 241. Brevem relationem Romam mittat. 240. Oeconomiæ forma non mutanda inconſulto Provinciali. 241

In admittendis delectum habeat. 193

Confeſſarios Miſſionum occaſione interdum mutet. 188. In concionatorum cibis quomodo diſpenſabit. 184

In viſitatione præſtare quæ debeat. 232. & quid peracta viſitatione ad Generalem ſcribere. 235. A Præfecto rerum ſpiritualium rationem expoſcat. 205. De feminarum viſitationibus ſtatuat. 187. 188

In ordinationibus ſpectare quid debeat 227. qualis illas, & quomodo relinquere. ibid. Curet præſens executioni mandari quæ ſine mora fieri poſſunt. 228. delationibus facile ne credat. ibid.

Initio menſis conſultet de totius Provinciæ diſciplina. 227. Conſultores moneat ut ſcribant Generali an ſervetur ordi-

ordinatio de promovendis ad ordines. 180. Generalem moneat, quos rerum ſpiritualium præfectos deſignarit, præſertim in majoribus Seminariis. 206. Studia humaniorum litterarum promoveat. 230. Examinatorum judicia in libro notet. 229. Qui in aliquo loco male ſe gerunt. ibid. juvandos curet, priusquam alio mittantur. 180

R

Recreatio quotidiana quomodo tranſigenda. 217. &c. ejus ſermonum materia. ibid. Sacramentum viſitandi conſuetudo. 218

Rectores ſint periti œconomiæ. 239. Rectores defuncti, vel futuri ſint Procuratores. ibid. Rationes Anteceſſoris diligenter examinet Rector. 241. Statum habitualem rerum temporalium Collegii quamprimum cognoſcat. ib. Prædia viſitet. ib. Oeconomiæ formam ne mutet inconſulto Provinciali. ib. In victu & veſtitu &c. nihil novi introduci patiatur. 242. Depoſitis ne utatur. ibid. Mutuum quatenus accipiet. ib. quod ſupereſt, cui impendet. ib. omnes pecunias tradi curet Procuratori. ib. Sæpe conſultet. ib. quo conſilio & qua cautelâ contractus celebrabit. ibid. quot menſibus rationes accepti & expenſi exigat. 243. Rationem reddat ſucceſſori. ibid

Reliquiaria pretioſa Noſtris non permittenda. 181. unius aurei valorem non excedant. 215

Renovationem votorum præcedat triduana recollectio. 225. 226

Rerum temporalium fontes damni. 236. Remedia. ibid. Bona ac jura Collegii quomodo conſervanda. 243. omnia Collegii bona primo quoque tempore à Procuratore viſitanda. 244

S

Sacerdotum occupationes variæ. 190. quæ ad ſpiritum pertinent. ibid. ad ſtudia. ibid. ad proximos. ibid. 191. divinum Officium & Miſſa devote recitanda. 212

Sacerdotes doceant Scholas inferiores. 237

Scholaſtici è Novitiatu ante biennii finem non educendi. 194. qua de re monendi cum educuntur. ibid. quanta cura in Collegiis educandi. 195. Non debent nimii eſſe cum externis. ibid. ad januam ſine expreſſa Rectoris licentia non vocandi. 224. Horam habeant deſignatam, qua Magiſtros ſtudiorum cauſſa convenire liceat. 225. Litteras aut munera dare vel accipere ne aſſueſcant ſine neceſſitate. 195. Seniorum familiaritatem & patrocinia ne captent. ibid. Si lectiones ſcribere non poſſunt, pecunia à Collegio ſuppeditetur. 180. quomodo juvandi qui ſpiritu languent. 195. ad indifferentiam excitandi. ibid. triduo ante votorum renovationem ſe re colligant. 225. 226. Scholaſticorum hebdomadaria recreatio domi vel in prædio quomodo inſtituenda. 215. quando illis vernacula uti liceat. 231

Secretario tantum Societatis communicantur litteræ ſoli ſcriptæ. 200

Silentii ſervandi ratio. 214

Socii cum delectu aſſignandi. 222. monere Superiorem debent ſi quid à Confeſſariis contra Regulam XVIII. fiat Sacerdotum. 187. 221. 223. Idem in omni alia Viſitatione prandium. 223. ſoli relinqui non debent, ne ſint ipſi ſine teſte. 187. facile à Superiore dandi, cum ad juvandum proximum petuntur. 191

Socii occupentur in Miſſionibus, aut Reſidentiis. 237

Socii Procuratorum præterquam in rebus officii propriis ſoli non eant. 196. 197

Spiritus

Spiritus ſtudium quibus modis excitetur, & promoveatur. 211
Statum cum ſtatu conferat Provincialis. 240. Brevis relatio ſtatus Romam mittenda ibid. Statum habitualem Collegii cognoſcat Rector. 241
Sumptus non neceſſarii vitandi. 245
Superiores locales omnium neceſſitati provideant, ne ſuperfluis detur occaſio. 181. Conſcientiæ rationem paterne exigant. 206. Secreti fidem in ea diligenter ſervent. 207. politicam agendi rationem caveant ipſi, & in aliis. 216 Præfectum rerum ſpiritualium ſuſpectum ne habeant. 205. In exhortationibus pœnitentiarum ſecretarum uſum excitent. 216. de recreatione agant fructuoſe tranſigenda. 218
Erga Scholaſticos curare quæ debeant. 195 horam illis præſcribant, quâ Magiſtros privatim convenire poſſint. 225 ſi qui lectiones ſcribere non poſſint, curent ut Collegii ſumptibus deſcribantur. 181
Coadjutores temporales frequenter alloquantur. 196. conferentias ad illos habeant. ibid. caveant ne ab aliis contemnantur. 197
Prius conſultent, quam de re aliqua ſcribant ad Provincialem, aut ad Generalem. 199. Conſultationis tempore legat aliquid ex regulis vel ordinationibus. 226. ſingulis menſibus legat Memoriale à Provinciali relictum. ibid. prima menſis hebdomada conſultet de executione. 227. Vitiorum linguæ auctores inquirant & puniant. 215. dandi & accipiendi facultatem generalem non facile concedant. 213. 214. pœnitentiis errata caſtigent. 228. in cibis Concionatorum non diſpenſent inconſulto Provinciali. 184. cum aliquis alio migrat; informent de eo Loci Superiorem. 180. Videant quomodo ſerventur in Eccleſia quæ de Confeſſariis ſtatuta ſunt. 222. Regulæ XVIII. Sacerdotum & aliarum quæ ad feminas ſpectant obſervationem curare ut debeant. 186
Superiores in officio nimis remiſſi, ab eo removendi. 229
Superiorum occupationes propriæ. 191
Syndici Confeſſariorum. 186. 222. in recreatione. 218

T

Theologicorum actuum qui judices. 231
Toni cum fructu fieri qui poſſint. 183

T

Veſtes duplices, & itineris inſtrumenta in cubiculis ne ſint. 181
Viatica Noſtrorum qualia eſſe debeant. 180
Viatici Taxa à Provinciali recognoſcenda. 238. Et ab omnibus, præſertim Concionatoribus ſervanda. ibid.
Victus Paupertas & frugalitas curanda. 238
Viſitationes inutiles reſecandæ. 212
Vota renovaturi triduo ſe ante recolligant. 225. 226

FINIS.

R. P.

CLAVDII AQVAVIVÆ
SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITI GENERALIS

INDVSTRIÆ

Pro
Superioribus ejusdem Societatis
ad curandos animæ morbos.

Juxta editionem excuſam



ANTVERPIÆ,
Apud JOANNEM MEVRSIVM.

SVPERIORVM PERMISSV.

AD SVPERIORES SOCIETATIS.

CVM ſatis perſpectum eſſet R. P. N. quanti ad Divinum obſequium, Societatis utilitatem, & auxilium animarum interſit, Superiores idoneis ad rectè gubernandum præceptis inſtitutisque abundare; varias ſubinde in eo genere Ordinationes ac monita ſuggeſſit, prout occaſiones & tempora poſtulabant. Sed cùm impenſiùs hujus rei neceſſitates ac momenta ſecum perpenderet, videretque non poſſe unumquemque quantam par eſſet, experientiam lucemque rerum conſequi, præſertim ob crebras mutationes, quæ peracto triennio fieri nunc debent; operæ pretium ac propè neceſſarium duxit, ad peculiarem aliquam Inſtitutionem deſcendere: cùm certum ſit, nullam eſſe artem, in quâ periculoſiùs & graviore aliorum malo peccetur, quàm in hac quæ ad ſpiritualem curam pertinet animarum. Quare cùm meminiſſet à P. Polanco Beati Patris Noſtri mandato atque ductu, ad uſum doctrinamque operariorum noſtrorum, qui in miſſionibus verſantur, Inſtructiones quasdam editas olim fuiſſe, Induſtriasque *appellatas, haud abs re, quin multò etiam congruentius fore exiſtimavit, ſi* Induſtriæ *item aliquæ, ad rectam gubernationem ducentes, Societatis Superioribus traderentur. Quo factum eſt, ut pro ſingulari deſiderio, quod ei Dominus indidit felicis progreſſus atque augmenti Societatis, ſubceſſivis inter aſſiduas occupationes ſuas intervallis, haſce Induſtrias*

in il-

in illorum gratiam dictârit. Quæ cum Patribus Aßiſtentibus, aliiſque nonnullis qui eas viderunt, probatæ adeò fuiſſent, ut non mediocrem iis uti ſcientibus utilitatem allaturæ viderentur, è re futurum judicatum eſt, ſi univerſæ Societati communicarentur, eæque typis excuſæ, quales nunc mittuntur, quò plura & emendatiora eſſent exemplaria. Faxit Divina bonitas, ut res tota eum fructum ſortiatur, quem R. P. N. ſibi propoſuit, & quem enixè omnes optamus. Datum Romæ 15. Aprilis. 1600.

Mandato R. P. N. Generalis,

BERNARDVS de ANGELIS
Secretarius.

R. P.

CLAVDII AQVAVIVÆ SOCIETATIS IESV PRÆPOSITI GENERALIS

INDVSTRIÆ

Pro Superioribus ejusdem Societatis ad curandos animæ morbos.

PROOEMIVUM.

ANIMARVM curatio quantò præſtantior & difficilior eſt, quàm corporum, tantò majorem à nobis exigit & ſollicitudinem & peritiam. Et anxietates quidem ac pericula hujus muneris non videmus tantùm, ſed & prædicamus & plangimus quicumque ſub hoc onere laborantes ingemiſcimus. Verùm an æquali ſtudio contendamus, ut induſtriâ pervigili, & infatigabili caritate, ſuſceptos noſtros optatæ ſanitati reddamus, hoc nobis magnoperè perpendendum, & ut id præſtemus, in primis curandum eſt. Et mihi quidem frequentior quædam & attentior meditatio, & experientia diuturnior certiſſimè perſuaſit, plurimos ad ſalutem reduci poſſe, ſi paternâ quadam, & plenâ amoris ac fiduciæ patientiâ res agatur; quos ex neglectâ aut perfunctoriâ medicinâ vel incorrigibiles excludimus, vel toleramus incorrectos. Quamobrem non inutile viſum eſt futurum, ſi quæ ſedulâ obſervatione tot annorum ſpatio deprehendi, in quibus me vel alios peccaſſe animadverti, quæ rectè, quæ ſecus acta eſſent, adnotando; quid profuiſſe, quid contrà nocuiſſe cognoverim, ea quibusdam quaſi medicis præceptis quàm breviſſimè planiſſimeque digererem. Sic enim fieret, ut & iis qui in gubernatione, id eſt, arte hujus ſpiritualis medicinæ non adeò verſati ſunt, plurimum lucis & adjumenti adferretur; & eorum qui ex unctione ſancti Spiritus, lectione Sanctorum, & expe-

Animarum curatio quantò præſtantior, tantò difficilior.

Plurimorum ſanatio fit per patientiam.

Medicinæ ſpiritualis præcepta.

experientiâ, iis auxiliis non egerent, memoria non leviter juvaretur, & voluntas ac ſtudium vehementiùs excitaretur.

De iis quæ neceſſaria ſunt ad curationem rectè faciendam.

CAPVT I.

1.

Cogitanda Superioris obligatio.

VT autem rectè & cum utilitate morborum curatio fiat, plura neceſſaria ſunt, quæ vel medicum ipſum, vel infirmum ſpectant, quæ breviter attingentur Et ante omnia, unum illud ob oculos verſandum aſſiduè, quâ obligatione Deo nos in hujus muneris ſuſceptione obſtrinxerimus, ut (juxta Prophetam, vel potiùs ipſius Domini vocem) quod infirmum eſt conſolidemus, &c. Vnde egregiè B. Baſilius, cùm quæſiſſet, quâ animi affectione Superior aliorum curam ſuſcipere debet, reſpondet: *Vt qui ſauciis multis miniſtrat, & ſaniem de ſingulis illorum vulneribus abſtergit, & pro naturâ uniuscujusque mali remedia ei adhibet accommodata; munere illo neutiquam ad animi elationem uti conſuevit, ſed ad demiſſionem potiùs, & ſollicitudinem, & majorem quamdam curam; itidem ac multò etiam magis is cui totius Fratrum ſocietatis ſanandæ provincia eſt delegata, perinde ut qui omnium miniſter ſit, & rationem de unoquoque illorum redditurus, ſic ſecum agitare animo, & contendere anxiè debet.* Hæc D. Baſilius. Aſſiduâ quippe induſtriâ & vigilantiâ opus eſt nec abs re apud Caſſianum è corporali medicinâ translato vocabulo, hi quos ſpiritualiter curandos ſuſcipimus, *Suſcepti* noſtri vocantur, quaſi quos in noſtram fidem ſuſceperimus noſtrumque periculum. Videat ergo Superior quaſi rationem Deo redditurus, quid faciat, quid caveat: hoc enim reverà valdè excitandi ſumus, ne putemus nos innocentes, cùm nihil committimus.

Ezech. 34.
Reg. fuſ. diſput. reſp. 30.
Superior eſt ſpiritualis medicus.
Ad Hebr. 13.
Lib. 10. c. 7.
Spiritualiter infirmi *ſuſcepti* dicuntur.

2 Hoc veluti fundamento poſito, ſciens quia Domini eſt ſalus, & illius ſpiritu lux & vita & bona omnia in cordibus fidelium procreantur; non ſuæ prudentiæ aut diligentiæ innitatur, ſed ad orationem per ſe & per alios confugiat; nihil enim exterior correptio operatur, niſi interior loquatur excitator. Quamobrem D. Gregorius de eo, qui præeſt, & alios ad DEVM compellere ſtudet: *Tantæ charitatis*, inquit, *eſſe debet, ut inſtanti deſiderio non petitor, ſed petitio eſſe ſentiatur: ſalutem quippe fidelium tam inſtanter debet appetere, ut ex uſu interni guſtus, omnem motum cordis in affectum ducat ſupplicationis.* Et B. Iob, ut Caſſianus annotavit, quotidianâ pro filio-

Pſalm. 3.
Ad orationem confugiendum.
In 1. Reg. lib. 5. cap. 3.
Iob. 1. Collat. 6. cap. 10.

filiorum purificatione ſacrificium Domino Deo offerebat, non tam ſibi eos, quàm Deo ſuſceptos ac familiares cupiens exhiberi.

3 Recogitet magno & fidenti animo, quamvis veriſſimum ſit, quod S. Leo monuit, antiquorum morborum difficilem ac tardam eſſe curationem; nihilominùs certiſſimum eſſe quod docuit S. Baſilius, nihil eſſe in rerum naturâ, quod diligentiâ non corrigatur; neque vitium eſſe adeò grave, quod Dei timore non pervincatur. Quin etiam idem alibi, naturalium rerum exemplo probat, multò magis quæ ex voluntate oriuntur, vitia poſſe emendari. Cùm enim narraſſet punicas acidas, amigdalasque amaras, agricolarum curâ in dulces verti poſſe, ſi pinguem ex pino cuneum per mediam medullam adactum ſuſceperint; infert: *Nemo igitur in vitio conſtitutus homo de ſe ipſo deſperare velit, haud neſcius, agriculturam ſtirpium qualitates mutare; curam autem, ac ſtudium in conſequendis virtutibus, animi omnes vincere morbos ſuperareque poſſe.* Non igitur dejiciendus animus, neque ex rei difficultate, aut morbi magnitudine, vel noſtrarum virium imbecillitate metienda res eſt, ſed in verbo Domini cum patientiâ & ſpe ad curationem accedendum.

Perpendat nihil eſſe incurabile.

Reg. fuſ. diſput. reſp. 10. Hexam. homil. 5.

4 Sed illud præcipuè difficultatem parit, quòd cum in morbis corporis is maximè morbum cognoſcat & ſentiat, qui patitur; isque omnium maximè ſanari cupiat, medicum accerſat, & deſiderio ſanitatis nullum, quamvis amarum atque ingratum, refugiat medicamentum; in animâ contrà omnino evenit, ut infirmus præ omnibus morbum ignoret, medicum refugiat, & curationem difficilè admittat. Verùm in eo præcipua curationis induſtria debet elaborare, ut ille morbum agnoſcat. Cui primò ſuadendum, quod D. Baſilius docet, peritos medicos habere ſigna quædam latentium morborum, qui interdum alios & ipſum infirmum latent: quare illis potiùs credendum, cùm præſertim ſuperbia & amor proprius in infirmitatibus noſtris agnoſcendis graviſſimè impediant. Deinde ad examina diligentiora perurgendus, tum ſigna quædam illi indicanda, quæ negare non poteſt: quamquam talis morbi ſigna eſſe non novit, vel non advertit. Poſtremò hortandus ſeriò ad orationem, quippe ex defectu luminis & ſenſus ſpiritualis id provenit. Videat quam longè ſit à ſalute, qui nec morbum agnoſcit: proinde ſi non ſentit, credat: neque enim ut in corporibus, ſi morbo illo carentes pharmacum aliquod ſumamus, nocet potiùs; ita etiam in animo evenit, cùm actus mortificationis & abnegationis ſui

Difficultas ex infirmi voluntate quomodò curanda.

Agnoſcendus eſt morbus.

Reg. Brev. Reſp. 25.

Modus in lagandi morbum.

 ipſius

Homil. in aliquot Scripturæ locos 6.

ipſius fructus & virium incremento carere non poſſint. Sumat è Scripturis (juxta Baſilii conſilium) & ſpeculum, unde videat fœditatem mali, v. g. iracundiæ, ſuperbiæ, detractionis, &c. & morbo ſuo convenientia medicamenta. Dicito, inquit, hic meus eſt morbus, ut is qui ad meoicum acceſſerit, & variis contenta tabellis pharmaca viderit, conſiderat, quid ſibi conveniat; ita faciendum ſuadet & illi, ſed multò magis ut medico ipſo commonſtrante, & morbum certiùs agnoſcat, & medicamentum ſecuriùs aſſumat. Et ſanè de voluntate, & deſiderio qualicumque ſanitatis ambigendum non eſt. Quis enim ita ſit amens aut deploratus, præſertim qui ſæculo relicto Religioni ſe devovit, ut ſanari non cupiat? Sed deeſt efficacia, quæ medicamenta quamvis amara ſuſcipere compellat. Itaque prudenti medico id curandum, ut partim ipſius oſtenſione morbi, partim captatâ opportunitate, partim etiam agendi facilitate, & communicatione ſuavi, denique medicamentorum lenitate, vel ipſorum propriâ vel condimentis aliis aſcitâ, variatis etiam interdum applicandis, difficultates hujusmodi omnes accuratè, ſed patienter tamen, leniat. Nec deſperandum quin humorum ſenſim cruditate miteſcente, incipiat minùs reſpuere medicamenta quæ horrebat. Interim autem dum reſpuit (quoniam voluntatis vitium eſt, quæ mutari poteſt) ſciat Superior hoc ipſum ad medicum pertinere, laborare, ut ille velit: quæ difficultas ſi ſemel ſublata, vel certè temperata fuerit, videbit quotidie, magnâ cum animi lætitiâ, ſanitatis & roboris incrementa.

Superioris dexteritas difficultates ſuperat.

In Superiore novem requiruntur quæ aromatum nomine explicantur.

Serm 2. in reſur. ad Abbates.

5 Hæc ad Fratris bonum ut efficaciter præſtare poſſit, omnino neceſſe eſt, ut emat aromata, id eſt, ut habere ſtudeat, quæ ex parte ipſius requiruntur. Hæc autem egregiè ſub typo aromatum explicat D. Bernardus. Sunt, inquit, aromata mentis, linguæ, & manus. Et mentis quidem ſunt tria, Compaſſionis affectus, Rectitudinis zelus, Diſcretionis ſpiritus. Habeat, inquit, mens noſtra ſpiritum diſcretionis, ut miſcens aptè temporibus tempora, opportunè æmulari, & nihilominùs ignoſcere queat. Linguæ item tria, modeſtia in increpando, copia in exhortando, efficacia in perſuadendo. Manus etiam, id eſt, in exemplo tria, Continentia in carne ab omni voluptate, miſericordia in fratre, patientia in pietate. Quæ videnda diligenter apud eum Sermone ad Abbates, nam hîc tantùm ſatis fuerit attigiſſe. At quàm neceſſaria ſunt Superiori ad utilem correctionem, tam vigilanter quærenda, niſi fruſtrari velimus.

6 His

6 His porrò præſidiis inſtructus, manum operi admoveat, & medicamenta apponat congruentia pro cujusque morbi qualitate, contraria ſcilicet contrariis curans, ut noſtra Conſtitutio docet de ſuperbiâ, & aliis pravis animæ propenſionibus: & accuratè S. Baſilius, Inanem gloriam, inquit, abjectioribus exercitiis imponendis; futilem & otioſam loquacitatem, ſilentio; immodicum ſomnum, vigiliâ & exercitiis orationum; ſegnitiem corporis, laboribus imponendis gravioribus; edacitatem indecoram, jejunio; murmurationem, à reliquis ſegregatione, &c. Sed id ſemper ſtudeat, ut hæc omnia non tam quaſi à Superiore profecta, quam à ſe ipſo ſuſcepta infirmus accipiat. Qui ſibi perſuadeat, ſi ſtrenue rem aggrediatur, atque ut decet eum qui ſerio ſanari velit; fore ut citius ſe relevari ſentiat quam putarat; & quod de ſapientiæ fructibus Sapiens dixit, experientia comprobet: *In opere enim illius exiguum laborabis, & cito edes de generationibus illius.* Videat tamen ſapiens medicus, ut opportuno tempore id faciat, & imitetur corporis medicos. Nam S. Gregorius Siagrio Epiſcopo poſtquam dixiſſet, illos medicamenta quædam recenti adhuc confectione formata non offerre infirmo, niſi opportunitate temporis macerentur, ſubdit: *Nam ſi immature quis dederit, dubium non eſt, quin ſit cauſa periculi, res ſalutis.* Nec tamen propterea ab omni medicamento abſtineat, ſed, ut iidem illi faciunt, adhibeat aliqua leniora, & à quibus infirmus non ita abhorreat: addat abſtinentiam à rebus nonnullis, injiciat ſubinde majorem ſanitatis cupiditatem: denique dilatio quædam, & pia moderatio ſit hæc intermiſſio, non curæ neglectus, quod maxime nocet. Sunt enim plerique Superiores, qui quod videant ſubditum eſſe minus diſpoſitum, non tam in opportuniora tempora differunt medicinam, quam negligunt. Sed de his in ſequentibus.

Medicamentorum congruitas.

Reg. fuſ. diſput. Reſp. 51.

Eccli. 6. 20.

Opportunitas.

Lib. 7. epiſt. 110.

7 Caveat autem diligenter, ne ſpecie quadam ſuavitatis deceptus, aut naturali quadam timiditate, abſtineat à curatione: ſed intelligat & ſubinde recogitet ſe tunc magis diligere infirmum, majorique erga illum ſuavitate uti, ſi, ut loquitur ſanctus Gregorius, non parcens parcat: *Quia*, inquit, *dum correptionis verbum non diſtulit, citius hunc à culpa liberavit: libere enim arguens non pepercit, ſed in eo quod correxit, pepercit.* Quid enim hac miſericordiæ ſpecie crudelius, qua fit ut & morbi augeantur & incrudeſcant, & qui leniſſime curari poterant, jam indigeant ferro, & aliis membris contagium vel periculum creetur, & toti corpori noſtra ſocordia noceatur.

Ne decipiatur ſi putet ſe amare infirmum, cum ſpecie ſuavitatis medicamenta non adhibet.

Lib. 11. Moral.

ceatur. Nec terreatur, ſi quando amariora videri poſſint infirmo, quæ ſunt applicanda; quia non tam illius ſenſus, quam ſalus exquiritur. *Etenim ſectio vel uſtio ſalutaris*, Caſſianus inquit, *quæ illis qui ulcerum contagione putrefacti ſunt, pie infertur à medico, mala à tolerantibus creditur: nec equo calcar, nec emendatio ſuavis eſt delinquenti.* Quin etiam addit Beatus Gregorius, futurum, ut illi ipſi cui amara fuit ad tempus aliqua prohibitio, poſtmodum ex ipſa animi utilitate dulceſcat, ſi unde inimicus ſuperare potuit, ſuperetur. Sed ut ſint amara infirmo medicamenta, qui curat tamen, & facit, quod ſuum eſt, quodque prætermittere ſine culpa non poteſt, & ex caritate facit ac deſiderio ſalutis illius, quem alioqui contriſtat invitus; & in oculis Patris cuncta videntis, ejus filio conſulit, quem curandum ab eo ſuſcepit.

Collat. 6. cap. 6.

Lib. 7. epiſt. 112.

Quæ perpendenda antequam curationem aggrediatur.

Lib. 29. Mor. c. 14.

8 Sed antequam infirmum aggrediatur, curationem adhibiturus, meditetur attentius, & perpendat diligenter qualitatem morbi, corporis complexionem, & ut S. Gregorius loquitur, conſperſionem, id eſt, an ſanguineus & hilaris, an melancholicus & triſtis, an cholericus & præceps, an lentus ſit & remiſſus. Deinde tempus, quo duravit infirmitas: tum quæ remedia fuerint applicata: quid profuiſſe, quid nocuiſſe deprehenſum ſit: quinam ex domeſticis juvare curationem, qui contra poſſint impedire, ut ex iis omnibus juvari commode poſſit.

Superior ſeipſum examinet, & humiliet, quo fructuoſius corrigat.

Lib. 23. Moral. cap. 8.

9 Sed ante omnia examinet Superior ſe ipſum, tum ut ſeſe humiliet, & majori confuſione & ſuavitate id faciat; tum ut hoc modo talis fiat, quo Dominus ad filii ſanitatem aptiore & expeditiore uti valeat inſtrumento. Quod faciendum omnino ſuadet Sanctus Gregorius, *Conſideremus*, inquit, *quia aut tales ſumus, quales nonnullos corrigimus; aut tales aliquando fuimus, etſi jam divina gratia operante non ſumus: ut tanto temperantius humili corde corrigamus, quanto noſmetipſos verius in his quos emendamus, agnoſcimus.* Hoc autem dici non poteſt, quantum vel ad meritum, vel ad modum correctionis momenti habeat.

Morborum ſpiritualium genera, de quibus agitur, ſexdecim.

10 Morborum porro ſpiritualium genera, ſexdecim veluti capitibus comprehendere placuit; quibus ſingulis commoda medicamenta indicantur. Curavimus autem primum quod in medicis præcipue laudatur, ut facilioribus & ſuavioribus uteremur pharmacis, & quæ ſalutem non tam acrimonia promitterent, quam ſuavitate præſtarent. Deinde, ut non aliunde, aut non longe petitis; ſed iis ipſis veluti ſimplicibus, ut vocant, quæ in domeſti-

meſticis hortis, id eſt, noſtris Conſtitutionibus enaſcuntur. Et quoniam Superiorum plerique & viri alii graves flagitarunt aliquando, & nunc denuo inſtantius urgent, ut de ſuavitate & fortitudine in gubernatione conjungendis, aliquid explicaremus (putant enim nonnulli, id fieri vix poſſe, quod ſuavitas in laxitatem, & fortitudo plerumque, aliquorum vitio, degeneret in rigorem) de hoc etiam proprio capite breviſſime aliquid cenſuimus attingendum, cum cetera omnia medicamenta, niſi hæc duo prudenter conjungantur, aut ſuavitate aut efficacia, id eſt, fructu ipſo correctionis omnino ſint caritura. Vtinam ad majorem Dei gloriam, & Societatis utilitatem cedant.

De ſuavitate & efficacia in gubernatione conjungendis.
Capvt II.

I.

Rationem gubernandi, (eos præſertim qui voluntarium ſeſe Deo ſacrificium obtulere, & ſpontanei, ac ſpiritu alacres per mortificationis quidem & abnegationis ſtudium ad perfectionis plenitudinem dirigendi & urgendi ſunt;) fortem ac ſuavem debere eſſe, non modo conſtans ſanctorum Patrum ubique docet auctoritas, ſed noſtræ etiam Conſtitutiones, Beatique Patris noſtri & monita & exempla copioſe docent. Verum qua ratione practice hæc duo conjungi poſſint, hoc fatentur multi ſe facile non videre. Si enim ſummo jure agatur cum ſubditis, ut qui perfectionis viam profitentur nihil omittant eorum quæ ſpiritualis perfectio poſtulat, vix fieri poſſe videtur, (cum caro & humana fragilitas, ſpiritus deſideria non valeat æquis paſſibus conſectari) quin is regendi modus ab optimo quidem zelo profectus, non tamen ſecundum ſcientiam, ut qui humanæ imbecillitatis oblivíſcatur, aſper & plane intolerabilis evadat. Rurſum ſi humanæ infirmitatis imbecillitatem intueamur; & iis quæ caro concupiſcit adverſus ſpiritum, fraternæ compaſſionis prætextu facile aſſentiamus; quis non videt (quoniam, ut Scriptura loquitur, *alluvione paulatim terra conſumitur*) futurum, ut tepidos atque carnales homines habeamus, in quibus non tam abnegationis & crucis (quod tamen religioſam vitam eſſe, & S. Baſilius pulchre docuit, & ceteri omnes ſpirituales magiſtri à Christo Domino prima veritate edocti tradiderunt) quam ſenſualitatis & propriæ voluntatis ſpiritum nutriamus? Quid igitur faciendum Superiori, ne vel fortitudo in aſperi-

Ratio ſpirituales viros gubernandi fortis & ſuavis.

Difficilis harum praxis.

Rom. 10.

Gal. 5.

Iob. 14. 19.

Matth. 16.
Luc. 9.

Quid Superiori præſtandum ut utramque aſſequatur.

aſperitatem, vel ſuavitas in languorem & relaxationem degeneret? Hoc, quantum experientia & obſervatione deprehendere potui, breviſſime explicabo. Quod ut dilucide fieret & paucis, illa mihi methodus commodiſſima viſa eſt, ſi capita quædam attingerem, ad quæ omnis fere gubernandi aſperitas & durities reducitur: itemque nonnulla, ex quibus contra omnis laxitas derivatur: ac denique ſi quomodo, facta extremorum comparatione, medium tenendum ſit indicarem.

Inſuavis gubernationis capita. Rei injunctæ impoſſibilitas. Defectus virium. Modus aſper injungendi. Executio tempore non opportuno. Levis & gravis eadem exactio. Subditus inauditus. Mala de ſubdito opinio. Si nulla compaſſio. *Gal. 6.* Æquivoca Superioris oblocutio. Difficultas indulgendi.

2 Quæ igitur gubernationem inſuavem reddunt & aſperam, hæc fere ſunt. Primum, in rebus injungendis, ſi res ipſa quæ imponitur, gravis ſit & importabilis: quod nonnumquam ex Superioris vel diſcretionis inopia vel tenuitate judicii poterit evenire. Secundum, quod frequentius continget, ſi res non ſit illa quidem in ſe ardua; ſed is cui injungitur, corporis aut animæ viribus ad id oneris ferendum deſtituatur. Tertium, ſi quidquid illud ſit, quod injungitur, id fiat verbis aſperioribus, modoque deſpotico, præſertim vero ſi ſuſpicari quis poſſit, id ab aliquo immoderato Superioris affectu proficiſci. Quartum, ſi urgeatur executio eo tempore, quo ſubditus non eſt probe diſpoſitus, nec detur illi tempus & auxilia, ut ſe ipſe diſponat. Quintum, ſi tam graviora, quam leviora eodem omnia exigantur ardore; imo aliquando leviora etiam majore, quod conſona ſint peculiaribus quibusdã ſenſibus ejus qui gubernat. Sextum, ſi omnes ſubditi rationes & excuſationes primo ſtatim aſpectu tamquam tentationes, eo benigne non audito, rejiciantur. Septimum, ſi ſe ſuſpicioſum Superior oſtendat, & ita affectum erga aliquem, ut putet ſubditus nulla in re ſe poſſe illi ſatisfacere. Octavum, ſi malam de ſubdito opinionem præ ſe ferat, ut omnia in deteriorem partem interpretetur, quod revera ſummmopere affligit. Nonum, ſi perfectionem Inſtituti & Regularum ſpectans Superior, nec ſe ipſum conſiderans, neſciat compati infirmitatibus, ſed defectus exaggeret, cum errata deprehendit: in rebus vero injungendis non tamquam rationalem & volentem filium, ſed tamquam inanime inſtrumentum movere videatur. Decimum, ſi ita loquatur aut jubeat aliquid, ut æquivoce atque obſcure dicat, & quaſi ſtudio nolit intelligi, quo ſemper ei liberum ſit ſubditum arguere: hoc enim mirum eſt, quantopere ſubditos pungat. Vndecimum, ſi neget fere, quæ petuntur: eſt enim habenda ratio rei quæ petitur, ejus qui petit, ædificationis externorum & noſtrorum, denique ejus qui petit utilitatis.

tatis. Duodecimum & poſtremum, ſi quæ dubia ſunt, ſemper ſcrupuloſius & rigidius interpretetur. Rigida interpretatio.

3 Contra vero quæ debilem remiſſamque gubernationem faciunt, ad hæc reduci poſſunt. Primum, ſi tantum magna, & quæ ſcandalo ſint, curentur; & ea demum ſentiantur à Superiore, cetera vero paſſim negligantur. Secundum, ſi obſervatio Regularum, vel multitudinis earum prætextu, vel ſuavitate phraſis Patris Noſtri minus accurate urgeatur. Tertium, ſi quæ injunguntur facienda ob exiguam ſubditi repugnantiam vel aliorum interceſſiones, immutentur facile & prætermittantur. Quartum, ſi ex frequenti aliquorum transgreſſione, aſſueſcat Superior quaſi minus mala judicare, quæ mala eſſe perſpexerit. Quintum, ſi judicat quidem & improbat, ſed ne contriſtet, aut contra ſe crabrones excitet, non monet, aut corripit delinquentem. In quo ſane illud D. Gregorii pertimeſcendum: *Cum mala corrigi loquendo poſſunt, ſilentium conſenſum eſſe pertimeſcat.* Sextum, ſi ad conſolationem particularium, ne murmurent, vel ob auctoritatem aliquorum, vel ob ſuas amicitias, vel ob privatos reſpectus ea facile concedat, quæ vel illis vel communi ædificationi non ſatis conveniant. Septimum, ſi ad evitandas amaritudines aliquas errantis cujusque vel alterius, nec inveſtigat errata, nec corrigit, nec quæ neceſſaria ſunt adhibet, præſertim ad cautelam. Octavum, ſi prætextu humilitatis & manſuetudinis permittat ſe negligi, & contemni quæ dicit. Nonum, ſi ex naturali timiditate, vel reſpectu aliquo ita perfunctorie & frigide monet, ut nihil delinquentem moveat, quaſi admonitione illa id tantum voluerit, ut officio functus coram Deo videatur, ſeque ipſum liberet ſcrupulo prætermiſſæ correctionis. Decimum & poſtremum, ſi contentus monitis, cum oſtenderit ſibi errata diſplicere, putet ſe jam ſatisfeciſſe, nec rebus ipſis efficaciter medeatur, & quaſi Heli arbitretur ſe omnia perfeciſſe, ſi dicat, *Non eſt bona fam a quam ego audio*, &c.

Remiſſæ gubernationis capita. Minorum neglectus. Regularum negligentia. Nimia indulgentia. *Lib. 10. Moral. cap. 4.* *1. Reg. 2. 24.*

4 Ex his facile apparere poteſt, in quo ſit aſperitas, in quo item debilitas & relaxatio; quid in utroque extremo cavendum, ne duri nimis, aut plusquam oportet molles inveniamur. Nec difficile erit videre, quomodo efficacia cum ſuavitate conjungi debeat, ut & fortes in fine conſequendo, & ſuaves in modo & ratione aſſequendi ſimus. In rebus enim vel concedendis vel negandis, in correctionibus & reprehenſionibus adhibendis, in puniendis erratis, in rebus injungendis, in ſubditis ad virtutem & perfe-

Vnde appareant aſperitas & laxitas. Quomodo hæ duæ conjungendæ.

ctionem promovendis, atque ad altiora provehendis, ſpectandæ ſunt perſonæ, & vires corporis & animi; conſiderandæ opportunitates, exhortationes adhibendæ, charitas in primis cum zelo præ ſe ferenda, longanimitas & patientia proroganda: nec tamen propterea permittendum, ut ſubditi ad impunitatem aſpirent, ut ea faciant quæ volunt, quæ nolunt omittant, ut propriis inclinationibus ſatisfaciant, ut contra Superiorum juſſa & judicia agere & ſapere aſſueſcant; ut Regulas conſilia reputent, quæ ſi faciant, benefaciant; ſin autem, nihil mali: hæc enim tolerare, non eſt ſuavitatis, ſed languoris; neque hoc modo bono Societatis, imo ne ipſorum quidem, quibuſcum ita agitur, ulla ratione conſulitur. Non igitur Superiores arbitrentur ſe ſuaves in gubernatione eſſe cum ita agunt, ſed remiſſos ac debiles. Nec ſibi contra, cum aſperi ſunt, quaſi de diſciplinæ zelo blandiantur. Subditi vero ſtudium & zelum perfectionis, religioſæque diſciplinæ perpetuo promovendæ, rigoris & aſperitatis nomine non appellent: nec talem exigant ſuavitatem, quæ noxia potius indulgentia ſit: ſed intelligant multa ſibi neganda, ſi eorum perfectionem impediant; plurima contra votum injungenda, ſi ad Dei gloriam, & commune bonum pertineant; correctiones & pœnitentias ei, qui dirigi & emendari cupit, non eſſe averſandas; nec medicum cenſendum ſuavem, qui ex neglectu curationis permittit, ne infirmum offendat, morbos cum periculo creſcere. Denique Superiorum indulgentiam arguere nos tepiditatis, Serenus (quem ſpeculum nominis ſui, Caſſianus appellat in collatione de Mobilitate animæ) appoſite admodum refert: cujus Patris verba, quia magnum revera horrorem hujus indulgentiæ, ac pernicioſæ lenitatis ingerunt, adſcribenda putavi. *In tantum enim*, inquit, *teporem videmus corruiſſe nonnullos, ut neceſſe ſit etiam remiſſioribus monitis appalpari, modo ne deſertis cellulis ſuis, ad pernicioſiores inquietudines revolvantur; & circumeuntes ac vagi, craſſioribus (ut ita dixerim) vitiis implicentur: magnusque fructus ab eis obtineri credatur, ſi ſolummodo ſe etiam cum qualibet ignavia valeant in ſolitudine continere, ac pro ingenti remedio ſoleat eis à ſenioribus dici: Sedete in cellulis veſtris, & quantum libitum fuerit, manducate & bibite, atque dormite, dummodo in eis jugiter perduretis.* Itaque invigilent in ea re Superiores, & præſertim Provinciales, ut contraria ſententia exterminetur, utpote Societati, & cuicumque religioſæ familiæ modis omnibus pernicioſa: non enim in eo ſuavitas poſita eſt, ut voluntati & deſideriis

ſubdi-

[Margin notes: Quid Superior. — Quid ſubditus. — Coll. 7. c. 23. — Quæ opinio abolenda.]

ſubditorum in omnibus obſequamur: ſed ſciant ſuavitatem in eo ſitam eſſe, ſi, ut diximus, in objurgationibus, v. g. nihil aſperum, aut iracundum, aut perturbatum appareat; ſed paterna gravitas, pia quædam compaſſio & dulcedo quædam, ſed vivida tamen & efficax eluceat: Si à puniente non tam voluntas humiliandi & caſtigandi, quam neceſſitas quædam ex zelo boni communis & utilitate ipſius etiam qui punitur, aliquid extorſiſſe videatur: Si negemus quod negandum eſt, quaſi cum quodam doloris ſenſu, parati concedere quando & quod expedire videbitur: Si imperfectiones ita emendari velimus, non quaſi nimium emungentes ne ſanguinem eliciamus; verum quaſi exactores quidem, benigni tamen, qui non veluti vincendi ſtudio, ſed in bonum Societatis, atque adeo ipſius ſubditi, id velimus, ac ſi cum ipſo in unum conſpiremus ad victoriam de tentatore reportandam. Si jubentes circumſpecte, & amanter, Dei gloriam, & ſubditorum lucra, non aliud quippiam nos quærere oſtendamus: Si quod hodie non præſtatur, patienter in craſtinum expectemus, ita tamen ut ſemper expectatio finem ſpectet, & media applicet accurate: ſiquidem quod ex inopia ſpiritus à ſubdito obtinere non valemus, nulla ratione efficacius aut ſuavius conſequi poterimus, quam ſi ille diligens ſui ſcrutator & ſpiritualis evaſerit. Si denique ita in viſceribus charitatis cum ſubditis agamus, ut & ſuas tentationes, in noſtrum veluti matris ſinum facile deponant, & viciſſim correctiones noſtras, ſive quæcumque à nobis proficiſcuntur, tamquam ab amore profecta, repugnante licet ſenſu, animo tamen non exacerbato ſuſcipiant. Quod & B. P. N. docuit, cum nona parte Conſtitut. ſeveritatem cum benignitate & manſuetudine ita miſcendam docet, ut nec ſe flecti Superior ſinat ab eo, quod Deo ac Domino noſtro gratius fore judicaverit; & tamen filiis, ut convenit, compati noverit, eo modo ſe gerendo, ut etiam qui reprehenduntur vel corriguntur, quamvis ſecundum inferiorem hominem quod agitur, diſpliceat; agnoſcant nihilominus quod recte in Domino, & cum charitate ille ſuum officium faciat.

In quo ſuavitas ſit poſita.

Proverb. 30.

Cap. 2. §. 4. Quomodo miſcenda cum benignitate ſeveritas.

Ariditas & diſtractio in Oratione.
Capvt III.

I.

Mvlta examinanda ſunt, & diligentius inveſtiganda, ut pro ratione morbi medicina poſſit applicari. Examinandum itaque primo, an ſit

Ariditas multipliciter examinanda.

ſit continua, an interpolata. Si interpolata, an duret longo tempore, vel brevi. Si tantum in oratione matutina, an etiam in ſpiritualibus exercitiis die noctuque quaſi perpetua ſit. Videndum unde proveniat: perpendendum, diſtractiones unde naſcantur, an ex quadam naturali inſtabilitate & volubilitate naturæ, quæ neſciat quaſi quieta conſiſtere; an ex deſideriis & inordinato affectu erga aliquid, quod ſubinde recurrit & animum pulſat, mentemque ad ſe importune revocat, an ex occaſione aliqua temporaria tunc exorta; an ex defectu diſcurſus, & inopia materiæ, ex qua cum non habeat mens quo ſuſtentetur, in varia diffluit; an ex negligenti cuſtodia ſenſuum, unde imagines oriuntur; an ex otioſitate, levitate, ſcurrilitate, & hujusmodi, quæ animam ad exteriora revocant, & levem ac fere puerilem reddunt. An ex nimia occupatione, quæ ſpiritum quaſi ſuffocat; an denique ex diuturna quadam probatione & ſubtractione internæ viſitationis. Hæc enim omnia, & hujusmodi alia inquirenda ſunt: nec enim omnium vel hominum vel morborum una curandi ratio eſſe poteſt. Et quidem de cauſis & remediis inquietæ atque impuræ orationis, multa tum apud D. Gregorium plurimis in locis, tum apud Caſſianum collatione Abbatis Iſaac de Oratione, ſpiritualis medicus invenire poterit: licet nonnulla ſint, quæ pure contemplativis & Anachoretis magis conveniant, cujusmodi noſtris proponere aut adhibere, prudentia & diſcretio non permittit.

Cauſæ ariditatis.

Gregor. Caſſian. collat. 9.

2 An autem ex naturali illa naturæ inſtabilitate proveniat, inde colligi poterit, ſi ſit continua, ſi à tempore Novitiatus, ſi per plures annos duraverit. Deinde ſi ſine cauſa vel occaſione ex parte infirmi. Si adhibuit remedia, nec profecit. Si hæc remedia non inconſtanter, aut ad tempus breve, ſed perſeveranti adhibuit diligentia. Quod ſi ſit ejusmodi, animandus erit ad tolerantiam, ut magna longanimitate, & conſtanti ſtudio virtutibus incumbat veris ſolidisque (ut Conſtitutio loquitur) & curet in via Divini ſervitii progreſſum facere: ſuppleat frequentioribus & ferventioribus jaculatoriis, paupertatem ſuam ſpirituali quadam mendicitate (de qua egregie Gerſon) piiſſimo Patri, & Deo, Sanctisque omnibus commendans. Lectione ſacra non fuſa, & longiore utatur, ſed brevi, & meditatione atque attentione pervigili. Diſcurrat per varia puncta Roſarii, vitæ & paſſionis Domini, gratias agendo, petendo, proponendo cum confuſione imitationem, offerendo illa pro ſe æterno Patri: in qua Paſſionis meditatione ſi pie & perſeveranter pulſaverit, inveniet proculdubio maximam lucem

Quando provenit ex naturæ inſtabilitate.

Quomodo animandus.

3. p. c. 1. §. 10. & 4. p. c. 4. §. 1. & 10. p. §. 2.

Tomo 3. de Mendicitate ſpirituali.

lucem pro intellectu, & ſolidam ſtabilitatem pro affectu, cum tamen à nobis non ſint in nobis viæ noſtræ aliud, quam tenebræ & lubricum. Si duret longo tempore, ut in quotidianis meditationibus & exercitationibus ariditatem & diſtractiones patiatur; hortandus eſt ad majorem ſeceſſionem, & ſpiritualia exercitia per aliquot hebdomadas: plurimum enim conducit ad quietem animæ comparandam, aſſiduitas illa meditandi & legendi, animumque mirifice revocat ab evagationibus, ut experientia ſæpiſſime docuit. In his autem exercitiis illuſtrationes & propoſita annotare, & aliquid excerpere, quo his abſolutis utatur, ſive ad virtutum exercitia, ſive ad mentis elevationem & conjunctionem cum Deo, plurimum proderit. Si tantum hoc in matutina oratione ſenſerit, poteſt interdum fieri vel ex gravitate capitis, aut alia hujusmodi affectione, ut eo tempore minus aptus ad meditandum inveniatur; vel ex diuturna attentione, quam non valet per integram horam continuare: tunc dividenda erit, ut diverſis temporibus fiat; vel commutanda ratio temporis (quod tamen conſiderate admodum, & non leviter concedatur) ſupplendum interdiu iteratis intentionibus & elevationibus: excitet ſe pſalmorum verſiculis, nunc ad compunctionem, nunc ad humilitatem, nunc ad petitiones, nunc ad laudes: denique efformet ſe ad varios affectus, prout major neceſſitas, aut ſenſus animi ſuggerit.

Pſalm. 34.

Quid ſi longo tempore duret ariditas

Quid ſi in matutina oratione acciderit.

3 Si provenit ex inordinato affectu & deſiderio erga aliquid, hic laborandum fortiter & aſſidue, ut radix aut evellatur aut certe mortificetur & exſiccetur, ne germinet. Occaſiones ex tempore ortæ facile vitari poterunt, non enim ex aliquo peculiari affectu aut inclinatione proficiſcuntur: itaque & facilius caventur, & non ita animum afficiunt, nec difficile abiguntur: tantum cautela non deſit, & mediocris attentio, & cuſtodia ſui.

Cum provenit ex inordinato affectu.

4 Si ex defectu diſcurſus, & inopia materiæ, primo præparet puncta diligenter, legat meditationes de ea materia, (lectio enim mirum in modum juvat,) doceatur extendere puncta in vita & paſſione Domini, conſiderando, Quis, Quid, Pro quibus, Quanto amore, Quo fructu paſſus, attendendo perſonas, verba, opera, & cetera, reflectendo ad ſe, comparando, opponendo celſitudinem parvitati, pietatem ingratitudini, & alia hujusmodi, quæ ingentem præbent meditandi & diſcurrendi materiam. Denique ſemper habeat in promptu puncta aliqua abundantius, ut ſi in uno non poteſt; ſiſtat in alio.

Cum ex inopia materiæ.

Quid ſi ex negligentia.

5 Si ex negligenti cuſtodia, adhibeat diligentiorem, examinet ſe accuratius, caveat ab iis quæ lædere poſſunt: certum eſt enim illud Caſſiani Collatione citata: *Quidquid ante orationis horam anima noſtra conceperit, neceſſe eſt ut orantibus nobis per ingeſtionem recordationis occurrat. Quamobrem quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus.* Hæc ille.

Collat. 9. cap. 3.

Si ex otio & ſcurrilitate.

6 Si ex otio & ſcurrilitate, fugiat nugas, elevet interdiu mentem, viſitet ſanctiſſimum Sacramentum; ſalutet Domini plagas, ſaltem ſemel orationem Dominicam recitando, vel imaginem B. Virginis cum Ave, vel Salve Regina; petat inſtanter adhibitis interceſſoribus, communicet omnia frequentius cum rerum ſpiritualium præfecto; meminerit quod Caſſianus ſapienter docuit: *Licet enim impoſſibile ſit mentem non interpellari cogitationibus; eſt tamen*, inquit, *noſtrum magna ex parte, ut cogitationum qualitas emendetur, & vel ſanctæ & ſpirituales in cordibus noſtris, vel terrenæ carnaleſque concreſcant. Ideo namque frequens & jugis adhibetur lectio Scripturarum, ut exinde nobis ſpiritualis memoriæ præbeatur occaſio.* Denique monendus accurate, ut ſerio fugiat ab inani quadam perſuaſione, & noxio loquendi modo eorum, qui cum nullam vel exiguam in cuſtodia ſenſuum curam adhibeant, libereque & laxe nimis in omnibus agant, in ſpiritualium procuratione tepidi ſint & ſegniores; ſuam tamen ſpiritus ariditatem, & diſtractiones in oratione, & quaſi quamdam inſenſibilitatem in interioribus, adſcribunt divinæ probationi, quæ illos, ut quidam loquuntur, à lacte abſtractos, ad panem & ſolidum cibum erudiat, quaſi grandiores. Ceterum recogitet potius, quid S. Gregorius contra ejuſmodi homines dicat: *Nam per contemplationem rimari cæleſtia volumus, qui non ſolum cordis, ſed etiam corporis cuſtodiam non habemus. Et quidem ſæpe indecenter aſpicimus, otioſa audimus, ſuperflua loquimur, ſomnum, cibum, non ad refectionem corporis habemus, ſed ad uſum delectationis. Itaque cum diſcutere ambigua volumus, ſuperna conſpicere, tenebras noſtras deſerere, internæ dulcedinis ſaporem guſtare, ab illius ſecreto tanto dignius repellimur, quanto munitionis noſtræ fortitudines negligentius diſſipamus: jamque nobis tanto eſt aſcendere difficilius, quanto ad noſmet ipſos relapſi, in altitudinem cuſtodiæ erigere non curavimus cordis munitiones.* Diligenter igitur examen adhibendum eſt, & venialia etiam, atque minuta cavenda, nam & illa non leviter impediunt. Quocirca idem Sanctus egregie monet: *Quia ſine peccato*, inquit,

Coll. 1. c. 17.

Quid maxime fugiendum.

In 1. Reg. c. 1. in illa verba, & aſcendebat vir ille ſtatutis diebus.

Examen adhibendum.

S. Greg. l. 2. c. 2, in 1. Reg. in illa

inquit, *electi etiam viri eſſe non poſſunt, quid reſtat niſi ut à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non deſinit, evacuari quotidie conentur? nam qui quotidie non exhaurit quod delinquit, etſi minima ſunt peccata quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei merito auferunt fructum internæ ſaturitatis.* *verba, famelici ſaturati ſunt.*

7 Si ex nimiis occupationibus, ſtudioſe caveat non neceſſarias, nec proximis utiles. Subtrahat aliquid voluntariis relaxationibus, ſuffuretur è mediis occupationibus aliquid temporis vel breviſſimi, ad mentem elevandam in Deum, ſe circumſpiciendum; curet habere mentem liberam, & juxta S. Bernardi conſilium, non ſe tradat negotiis, ſed accommodet: petat à Superiore moderationem aliquam in actione, & ad breve tempus omnimodam etiam ceſſationem, redibit enim poſtea alacrior & utilior. Quid cum ex nimiis occupationibus.

8 Poſtremo, ſi ex divina diſpenſatione & ſubtractione, tunc animandus ad patientiam, & ſuaviter fovendus, ne animo dejiciatur: ſed curet primum ſeipſum coram Deo humiliare, ſibi hujus ſubtractionis cauſam adſcribere, non placere ſibi, ſed accuſare ſemetipſum, quoties in ſe vel ad modicum tepere gratiam ſenſerit. *In veritate enim didici*, S. Bernardus inquit, *nihil æque efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam ſi omni tempore coram Deo inveniaris non altum ſapere, ſed timere.* Hujus autem ſubtractionis effectus & ſigna ponit idem Sanctus: *Exaruit*, inquit, *cor meum, coagulatum eſt ſicut lac, factum eſt ſicut terra ſine aqua; nec compungi ad lacrymas queo, tanta eſt duritia cordis: non ſapit pſalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes ſolitas non invenio. Vbi illa inebriatio ſpiritus. ubi mentis ſerenitas, & pax & gaudium in Spiritu ſancto?* Cauſam autem hic Pater refert ad ſuperbiam, ſive quæ fuit, ſive quæ futura eſſet, niſi ita humiliaremur. At S. Bonaventura de Proceſſu Religionis, quinque affert hujus ſterilitatis & ſubtractæ devotionis cauſas. Prima eſt, inquit, humiliationis: Secunda, purgationis, quia minus purgatus fuit, minus ſtudioſus in devotione quærenda, vel minus gratus in accepta. Tertia, eruditionis, ut intelligat, id non à ſe, ſuiſque meritis, ſed à Dei gratia & liberalitate pendere. Quarta, ex indiſcreto impetu & conatu cordis, quo quaſi libertas mentis obruitur, & devotio veluti per violentam extorſionem exprimendo quæritur. Quinta ratio, meritum majoris gratiæ, & gloriæ, dum deſiderium non impletum affligendo purgat animam, & patientia deſolationis, & humilis ſufferentia mœroris, quaſi lima reddit

Si ex ſubtractione divina. *Serm. 54. in Cant.* *S. Bern. ibidem.* *Pſal. 118. 142.* *Proc. 7. §. 21.* Quinque cauſæ ſubtractæ devotionis ex S. Bonaventura.

reddit animam clariorem, & magis ſuſceptibilem divini ſplendoris. Hæc ille. Sed Gerſon Cancellarius copioſius, quamvis breviſſime, decem & ſeptem ponit hujus ſubtractionis cauſas. Prima eſt, quam poſuimus ex Beato Bernardo, quem citat, id eſt, ad ſuperbiam retundendam vel cavendam. Secunda, ad deſiderium vehementius inflammandum. Tertia, ad cognitionem propriæ fragilitatis, ut homo ſibi vileſcat. Quarta, ut induat viſcera pietatis ſuper aliorum deſolatione. Quinta, ad ſatisfactionem per dolorem illum ſenſibilem, quem patitur. Sexta, ut qui poſſunt alios juvare, non ita ſe dedant internis conſolationibus, ut à charitatis negotiis, & aliis juvandis retrahantur. Septima, ut experientia per hanc tentationem edoctus, virtutes ceteras & melius diſcat & efficaciter doceat. Octava, ne deſerat homo, pro hac dulcedine, Dei juſſa. Nona, ad punitionem venialium, tamquam ſi pater triſtiorem filio faciem oſtendat, ut in omni cuſtodia & modeſtia reddatur diligentior. Decima, ut intelligat homo non haberi hoc per propriam induſtriam, neque volentis, aut currentis eſſe, ſed miſerentis Dei. Vndecima, ad purgationem maris ſpiritualis, quod ex nimia quiete ſordes contrahere ſolet, quas exagitatio commotioque depellit. Duodecima, ut innoteſcat, ſi gratis anima timeat Deum, ſi parata eſt abſque ſtipendio conſolationum & ſuavitatum ſuo Imperatori deſervire. Decimatertia, ne incipiat dona Dei pro ipſo diligere, iis adhærens, iiſque ſe oblectans, cum tamen pater indulgentiſſimus hæc diſpenſatorie ſubtrahat, ut pomum, aut cibum, parans interim hereditatem & regnum. Decimaquarta, interdum ad conſervationem corporis & virium, ne in lacrymis, gemitibus, & dulcedine ſenſibili tabeſcat & deficiat. Decimaquinta, ut provocet Deus ſicut aquila pullos ad volandum, ut mater filium ad horam relinquit, quo inſtantius ille clamet, accuratius quærat, arctius ſtringat, & illa viciſſim blandiatur ſuavius. Decimaſexta, ad exercendam patientiam, quia ſic affici, non eſt ſine magna tribulatione & anxietate. Decimaſeptima & poſtrema, ut vel hinc conjiciat anima, quantæ futura eſſet amaritudinis perpetua ſeparatio, ſi tantilla ſubtractio ſic afficit. Ceterum in hac ſubtractione, qua Dominus privatione conſolationis, ut ait Sanctus Diadochus, intemperantiam noſtræ voluntatis caſtigat, ut nos virtutis & vitii differentiam doceat; illud ſemper tenendum eſt, ut idem ait, ut cum dolore, humilitate, ac decenti ſubjectione ſperemus ſemper de divina pietate; hoc enim habere ſolet receſſio gratiæ ad erudiendum.

De Myſt. Theolog. pract. Conſid. vel induſtr. 6.
Decem & ſeptem ex Gerſone.
Rom. 9.
Deut. 32.
Quid in hac ſubtractione nobis præſtandum.
Diad. c. 87.

9 Sed

9 Sed in his omnibus illud curandum diligenter, quod Theodorus apud Caſſianum ponit, ut ſimus ambidextri, id eſt, ut proſperis & adverſis ſpiritualibus ſucceſſibus ad anteriora ſemper progrediamur, ut ſive ferventes ſpiritu, & a terrenis ſublimati, ac ſpiritualibus meditationibus paſti; ſive cum omni ſpirituali fervore ſubtracto, quodam tepore atque mœrore tepeſcimus, cum intolerabili quodam tetroque faſtidio univerſa ſordent inſtrumenta virtutum, utraque quaſi manu ad victoriam utamur. Vnde ſubdit: Quisquis igitur in illis, quæ dextræ partis eſſe prædiximus, minime fuerit ſubintrante gloria vanitatis elatus; & in iſtis, quæ ſiniſtræ partis ſunt, viriliter dimicans, nulla deſperatione conciderit; ac potius de contrariis arma quædam patientiæ ad exercitium virtutis aſſumpſerit: utraque manu utetur pro dextra, & in utroque actu triumphator effectus, tam de ſiniſtro ſtatu, quam de dextro palmam victoriæ conſequetur. Curandum in primis ut ſimus ambidextri. *Coll. 6. c. 10.*

Languor & debilitas in ſpiritu, & virtutibus.
Caput IV.

Hoc morbo laboranti, quaſi ſomno gravi oppreſſo, remedia excitantia applicanda. Remedia hujus morbi excitantia.

1 Primo enim illud inſonandum eſt, quod certe vel profunde dormientem excitat: *Neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit.* Terribilis eſt, inquit B. Bernardus, locus iſte, & totius expers quietis. Totus inhorrui, ſi quando in eum raptus ſum, illam apud me replicans cum tremore ſententiam: Quis ſcit, ſi eſt dignus amore, an odio? Et cum hæc cogitatio vel ſanctiſſimos viros, & quaſi columnas in Eccleſia compulerit ad tremorem, quid nobis faciendum, qui ex multis reſponſum mortis in nobis habemus, ſi non aliquantulum ex quibusdam conjecturis & indiciis noſtræ ſalutis recreemur? An quia Religionem ingreſſi ſumus, omnia tuta arbitramur? fallitur nimis iſta perſuaſio, & periculoſe decipitur. Certe D. Gregorius aliquos aſſerit veluti duces currentes, aliis viam perfectionis oſtendere, qui tamen in foveam cadentes, ſuo malo ſequentes cautiores reddant & humiliores. Non ergo languide & tepide agendum, ſed ardenter & ſtrenue. *Eccl. 9. v. 1.* *Serm. 83. in Cant.*

2 Oſtendendum illi, qualem oporteat eſſe animam religioſam. *Quanta*, inquit D. Bernardus, *in affectionibus ordinatio, quanta in moribus diſciplina, quanta in orationibus armatura, quantum in actionibus ro-* Qualem eſſe oporteat religioſam animam. *Serm. 39. in Cant.*

bur, quantus in zelo terror, quanta denique ipſi cum hoſte congreſſuum aſſiduitas, numeroſitas triumphorum? Hæc attendens, ſeque melioribus parans, ſeipſum arguat, & quaſi ſæcularis adhuc converſationis hominem damnet.

Miſeria hujus ſtatus.

3 Oſtendenda illi miſeria ſtatus hujus, quomodo quaſi hectica febri laboret, qua cum quotidie magis tabeſcat & conficiatur, quo plus ea laborabit, minus illam ſentiet.

Pericula indicanda.

Bern. contra peſſimum vitium ingratitudinis.

Oſee 7.

S. Bern. ſer. 63. in Cant.

Languor frigus animæ.

4 Indicanda pericula, facile enim conſentiet tentationibus, ſi concutiatur, ut qui non ſit fixus in Deo, ſed quaſi pendulus, & in actibus vix faciet aliquid præclarum vel ſua vocatione dignum: & tandem exponitur periculo deſerendæ vocationis. *Quam multos enim*, inquit S. Bernardus, *videmus, & plangimus, Fratres, qui dummodo maneat habitus & tonſura, ſalva ſibi omnia arbitrantur: non conſiderantes miſeri quemadmodum ingratitudinis vermis interiora corrodens, ob hoc tantum corticem, quem vident, transforare diſſimulet, ne forte recogitent, & erubeſcant, ipſaque verecundia emendentur. Qui ſic interdum in nonnullis conſumpta eſſe interiora univerſa præſumit, ut non vereatur ad ea, quæ foris apparent, venenatum ducere caput: niſi forte quos videmus manifeſte apoſtatare à Deo, repente fieri peſſimos arbitramur, & non magis paulatim defeciſſe, cum comederint alieni robur eorum, & neſcierunt.* Sed egregie idem rem omnem quaſi oculis ſubjicit his verbis: *Hoc frigus ſi ſemel animum, animæ quidem (ut aſſolet) incuria, ſpiritu dormitante, pervaſerit, ac nemine deinde (quod abſit) inhibente, ad interiora ejus pervenerit, deſcenderit in viſcera cordis, & ſinum mentis, concuſſerit affectiones, occupaverit conſilii ſemitas, perturbaverit judicii lumen, libertatem adduxerit ſpiritus; mox (ut in corpore ſolet evenire febricitantibus) ſubit quidam animi rigor, & vigor lenteſcit, languor fingitur virium, horror auſteritatis intenditur, timor ſollicitat paupertatis, contrahitur animus, ſubtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, ſopitur ratio, ſpiritus extinguitur, deferveſcit novitius fervor, ingraveſcit tepor faſtidioſus, refrigeſcit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit ſecuritas, revocat conſuetudo. Quid plura? diſſimulatur lex, abdicatur jus, fas proſcribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur poſtremo impudentiæ manus, præſumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpiſſimus, plenus ille ignominia & confuſione ſaltus de excelſo in abyſſum, de pavimento in ſterquili-*

quilinium, de ſolio in cloacam, de cœlo in cœnum, de clauſtro in ſæculum, de paradiſo in infernum. Hactenus ille.

5 Intelligat, ſicut in naturalibus, in formis remiſſis plurimum eſſe admixtum contrarii, nec repugnare aliquid eſſe calidum, quod multum habeat frigiditatis; ita in hac tepiditate, & languore plurima eſſe admixta vitia, plurimas imperfectiones etiam in iis ipſis virtutibus, quas habere videmur: v. g. blandimur nobis de obedientia, quod in plurimis obediamus, atque affectum quemdam erga virtutem hanc nobis habere videamur: tamen ſi obedientia remiſſa ſit & languida, plurimos actus elicimus inobedientiæ, innumeras imperfectiones ex defectu circumſtantiarum, & diligentiæ ac fervoris in iis ipſis actibus, in quibus nobis de obedientia blandimur. Idem de caſtitate, patientia, zelo animarum, ac ceteris. Atque ita ſicut habemus in altero, unde Deum laudemus, atque confortemur; ita non deeſt in altero, unde gemamus. Et hoc ſane diligentiſſime perpendendum, quo quaſi ſtimulo ad perfectionem excitemur. In tepiditate ſunt multa vitia.

6 Examinet, an languor hic & debilitas, ſicut in corporalibus contingit, proveniat ex redundantia malorum humorum: ut ſi habet fines particulares, & ſeipſum quærit; evacuandi humores, alioqui fruſtra nititur. Si ex defectu alimenti, videat quo modo frequentet Sacramenta, meditationes, orationes, & ſpiritualia: perpendat quomodo non nutriatur, examinet diligenter, & cognoſcere ſatagat. Nam iis non refici, impinguari, & roborari, ſatis per ſe malum eſt; & aliquid indicat ſubeſſe, quod accurate inveſtigandum, & diligenter ſit emendandum. Examen hujus languoris.

7 Diſpenſetur, ut frequentius confiteatur, & communicet; ita tamen, ut ad præparationem aliquid ei peculiare injungatur, ne ſi id etiam ex conſuetudine faciat, augeatur potius morbus, ut ſolet, quam minuatur. Frequens communio.

8 Aſſignetur illi plus temporis, ſaltem horæ quadrans, orationi, vel piæ alicui & utili lectioni; ad quam accedat non ſegniter, ſed ſtudioſe quaſi ad medicinam, quam ex deſiderio ſanitatis, cum deſiderio ſuſcipiat. Nec verendum, ne breve illud ſpatium litterarum ſtudiis aut aliis exercitationibus aliquid detrahat: ſed cogitandum potius cetera omnia langueſcere, niſi ſpiritus roboretur. Plus orat.

9 Legat Sanctorum vitas ſibi aptas; plurimumque proderunt ad id domeſticæ, ut B. P. N. Ignatii, Xaverii, & aliorum. Legat autem non percurrendo, ſed ad ſpiritus exercitationem. Legat vitas Sanctorum.

Per exercitia & per confeſſionem generalem ſe renovet.

10 Si renovatio votorum adhuc longius abſit, valde conducet, ſi præmiſſis exercitiis ſpiritualibus per aliquot dies, & diligenti confeſſione vel ab ingreſſu in Societatem, vel ab eo tempore quo ſic ægrotare cœpit, renovet ipſe ſecreto ſua vota, cum deſiderio quaſi denuo incipiendi, illud apud ſe conſtanter ſtatuens & ſubinde repetens: *Et nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus? & ſubſtantia mea apud te eſt.* Et illud: *Dixi: Nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelſi.*

Pſalm. 38.
Pſalm. 76.

Exercitatio in aliquibus virtutibus.

11 Accipiat unam aut alteram virtutem congruam, in quarum actibus ſeſe ſtudioſe exerceat: & ſi nulla eo die detur occaſio, ſaltem in examine petat virtutes illas à Deo, & ſeſe paratum cum deſiderio offerat.

Adhibenda mortificatio, etiam in levibus.

12 Mortificet ſe, negando ſibi nonnulla, etiamſi levia, ut excitet ſpiritum contra carnem; & proprias voluntates ac deſideria, vel in iis reſecare conſueſcat.

Roget Superiorem ut ſe mortificet.

13 Conveniat cum Superiore, eumque obſecret, ut etiam nolentem & querulum mortificet, urgeat, & extimulet: cum eodemque frequenter communicet, & ſperet de Domini bonitate.

Caſſiani documentum præ oculis habeat.
Col. 7. c. 6.
Proverb. 14.
Ibid. 15.
Matth. 11.
Iob. 5.

14 Demum habeat ſemper præ oculis, quod apud Caſſianum Serenus egregie docuit: cum enim attuliſſet à Scripturis juxta ſeptuaginta Interpretes, *In omni ſolicito ineſt amplius; at qui ſuavis & ſine dolore eſt, in egeſtate erit:* Et iterum, *Vir in laboribus laborat ſibi, & vim facit perditioni ſuæ:* nec non etiam, *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud,* ſubdit: *Nulla namque virtus ſine labore perficitur; nec ulli poſſibile eſt, ad iſtam quam cupitis, ſtabilitatem mentis ſine ingenti cordis contritione conſcendere: Homo enim ad laborem naſcitur.*

Defectus obedientiæ.

CAPVT V.

1.

Pulchritudo obedientiæ & neceſſitas
In epiſtola de Obedientia.

OSTENDENDA illi obedientiæ pulchritudo, neceſſitas, animi tranquillitas, meritum, profeſſio in Societate, quam peculiarem ſuorum notam B. P. N. eſſe voluit: denique hoc eſſe præ ceteris votis, ut Sancti & Doctores tradunt, quod vere faciat Religioſum.

Legat accurate Epiſtolam B. P. N.

2 Vt diligenter & ſerio legat per aliquot dies ejus epiſtolam de Obedientia: ibi tamquam in ſpeculo ſuas maculas intueatur: ibi quantum à vera

vera obedientia abſit, inſpiciat, & defleat, confundatur, & erubeſcat, & excitetur ad meliora.

3 Vt meditationes aliquot appoſitas de ea re per plures dies habeat, ut in copioſa admodum materia, de qua plurima meditari licet, quæ à Præfecto rerum ſpiritualium ſuggerenda, & à Scripturis, atque à Sanctis Patribus petenda erunt: & quæ breviter primo puncto attigimus, magna cum humilitate dilatari poſſunt; præſertim ſi addantur aliqua puncta de iis, quæ juvare, aut retardare poſſunt. Meditatio de hac virtute.

4 Vt colligat ſibi aliqua exempla Sanctorum in hac virtute, quæ ad manum habeat, quibus ſe ſubinde objurget & reprehendat. Exempla Sanctorum ſibi colligat.

5 Vt examinet diligenter, & cum Superiore & Præfecto Spirituali conferat, in quo rerum genere majorem ſentiat animi repugnantiam; & ea unde oriatur, an ex ſuperbia, vanitate, pigritia, affectu inordinato ad ſtudia, vel quævis alia, proprio aliquo fine & deſiderio: ut ibi medicinam admoveat. Examinet cauſas repugnantiæ.

6 Vt conſtanter applicet animum, Deum in Superiore cognoſcat, nec humanis rationibus & diſcurſibus det locum; quod malum cum ſenſim in animum irrepat, mirum eſt, quomodo omnem obedientiæ ſimplicitatem, alacritatem, promptitudinem, denique perfectionem omnem exhauriat. Vnde vigilanter advertat, ut quoties tale aliquid ſuggeritur animo, veluti venenum quam citiſſime expellat. Deum in Superiore cognoſcat.

7 Inceſſanter à Domino hanc virtutem petat, & in examine tam communi quam particulari præcipuam ejus rei curam gerat. Examine & oratione à Deo petat.

8 Proderit ſi Superior aliquando jubeat, ut ſe per biduum aut triduum paret ad aliquid incertum faciendum, quod forte contra ejus voluntatem & ſenſum erit, ita tamen, ut animo ſtatuat numquam poſitive ſe in contrarium conſenſurum. Animi præparatio ad quodvis faciendum.

9 Numquam aliquid proponat, quin duo illa præmittat, à B. P. N. præſcripta, Orationem, & Reſignationem: quod ſi hanc non ſentiat, ſaltem deſideret & petat à Domino, ſtatuatque ſe etiam renitentem facturum: paulatim enim (ut ait S. Macarius Ægyptius) dulceſcet ipſa virtus, ad quam veluti reluctantem nunc ſe adigit. In proponendo præviæ ſint oratio & reſignatio. *Conſt. 3. p. c. 2. §. 1.* *Serm. 19.*

10 Injungat ei Superior frequenter leviora, & in quibus novit eum non habere difficultatem, ut ſic aſſueſcat ad alterius juſſum aliquid facere: poſt factum collaudet, addat animum, &c. Quomodo in levioribus aſſueſcat.

Exercendus per biduum in difficilibus.

11 Aliquando ſumat aliquod certum, in quo magnam ille habeat difficultatem, dicatque ut ad id faciendum per biduum aut triduum ſe præparet, ut ex communi conſenſu id faciat. Vbi fecerit, ſi alacriter tulerit, recreet & animet, docens eo exemplo fore, ut omnia ſint faciliora; ſi gravate, laudet patientiam, promittat victoriam, fore ut facilius vincat, atque paulatim hac exercitatione robuſtior evadat.

Interdum pie condeſcendendum.

12 Aliquando pie condeſcendat Superior, ut id prætermittat, ad quod gravem ſentit repugnantiam; ſed ita paterne, ut intelligat ille, fuiſſe piam diſpenſationem, & ſuavem condeſcenſionem, tantum ut proficiat & creſcat, & ut robuſtior factus poſſit alacriter portare, quod modo non poteſt. Interim tamen licet Superior ex parte ſua id faciat, ſciat tamen ſe ſibi meritum & vires imminuiſſe, quas auxiſſet, ſi ſe magno animo viciſſet.

Monendus per familiares.

13 Moneat eum Superior per Præfectum ſpiritualem, & alios probatos viros, ſi quos ille habeat familiares, & quibus ipſe confidit.

Quid ſi deſit voluntas in infirmo.

14 Quod ſi deſit voluntas curationis in infirmo, ut medicamenta reſpuat, tunc primo acrius erit extimulandus, & cauſticis, ut ajunt, utendum; ut intelligat ſe malo in ſtatu & valde periculoſo verſari; nec poſſe propinquare ſanitati, qui à remediis abhorreat. Secundo orandum pro eo diligenter à tota Domo, tamquam pro eo, qui periculoſe admodum laborat. Tertio, monendus Provincialis. Sed ſperandum eſt, ſi ſuſcipiatur curatio modo prædicto, paucos futuros adeo rebelles.

Effuſio ad exteriora.

CAPVT VI.

Cauſæ ex quibus proveniat.

CONSIDERANDVM, an id proveniat ex quadam inquieta & mobili natura: tunc enim licet ea reprimenda ſit & dirigenda, tamen revera vix aſſurget, ut fiat homo interior atque collectus, niſi ſingulari gratia præveniatur, & ipſe ſtudioſe & valide naturam domet; & actibus frequenter, validisque ſe comprimat. Hic autem occupandus erit ex obedientia in negotiis utilibus & piis; coërcendus ne in alia dilabatur & diffluat: prudentis enim eſt, apte uti ingeniis hominum ad bonum. Monendus ut interrumpat aliquando perpetuitatem actionis, & ſi nihil aliud, quieſcat ſaltem in cubiculo, legens aliquid ſpirituale, vel recitans Pſalmos aut Roſarium, vel examinans conſcientiam, ita ut omnino abſtineat ab exterioribus. Monendus, ut ſubinde dirigat intentionem, examinet defectus, qui frequen-

Occupandus in utilibus negotiis.

De quibus monendus.

frequenter in talibus ſubrepere ſolent, loquacitatis, curioſitatis, impatientiæ, nugatoriarum narrationum, adulationis, vanitatis, murmurationum, judiciorum, & hujusmodi. Ex his cautior fiat, & humilior, miſereatur ſui ipſius, & apud ſe vileſcat, qui quaſi doctus diligere trituram, vel ad altiora non aſſurgit, vel mox recidit. Studeat ex hac confuſione in obedientia eſſe promptior, in injuriis tolerantior, in officiis abjectioribus devotior, in aliorum infirmitatibus magis compatiens, in mortificationibus carnis ferventior: denique compenſet aliis officiis & exercitiis, quod in hoc minus habet. Si vero naſcatur potius ex quadam interiori ariditate, qui cum ſpiritualia & interna non guſtet, quærit in exterioribus ſolatia, alia via incedendum eſt.

Oſee 10.

Quid ſi naſcatur ex interiori ariditate.

1 Reſtringendæ occaſiones vagationis, multa negotia, etiam utilia, aliis demandando. Reſtringendæ vagationes.

2 A viſitationibus non per unam aut alteram hebdomadam, ſed per aliquot menſes omnino abſtineat, ut aſſueſcat vel invitus domi ſeſe continere. A viſitationibus abſtinendum.

3 Omnino ſervet Regulam, ne accedat ad colloquia externorum, niſi juſſu Superioris à janitore vocatus. Regula de non alloquendo externos.

4 His jam contrariis remotis, incipiat frequentius ad cor redire, examen conſcientiæ breviſſime, ſed frequenter faciat, ſe ad ſe intus revocans, mentem ad Deum elevans, & vel unico ſuſpirio dicat cum confuſione: Vide Domine humilitatem meam, & laborem meum. Seſe frequentius colligat. *Pſalm.* 14.

5 Præfigat ſibi certum tempus ad piam lectionem, ſaltem bis in die, qua vires reparet. Lectio pia.

6 Vnam aut alteram decadem Roſarii diviſam, per totum diem recitet, petendo, proponendo, & compungendo, deſiderando, gratias agendo, &c. Bonum aliquem ſpiritualem affectum, ſi non ubertim ſponte fluentem, ſaltem humilitate & aſſidua quaſi retractatione exprimat. Roſarii recitatio.

7 Habeat ad manum expedite verſiculos aliquot è Scripturis, qui compunctionem excitent, quos ſibi colligat, vel ab alio collectos memoriter diſcat: v. g. *Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem, & contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me.* Item: *Sicut aqua effuſus ſum.* & illud: *Fili mi ne effluas.* & illud: *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu.* & illud: *Qui minoratur actu ſapientiam perci-*

Verſiculi prompti ad excitandum affectum. *Hab.* 2. 1. *Pſalm.* 21. 15. *Proverb.* 3. 21. *juxta LXX.* *Sap* 1. 5. *Eccl.* 38. 25.

percipiet: & innumera hujuſmodi, quæ cum aliquo deſiderio ſubinde jaculetur.

Exercitia.

8 Exercitia ſpiritualia, etiamſi ægre contineri poſſit, per plures dies faciat.

Collectio ante negotia.

9 Antequam negotia aggrediatur, colligat ſeſe, dicatque cum S. Bernardo: *Vbicumque fueris, tuus eſto: noli te tradere, ſed accommodare.* Vbi vero perfecerit, redeat ad ſe ſtatim, & negotia, quoad poterit, aliquantula quiete interrumpat: nam vel tantillum ſedere in via, vires feſſo reparat: nec eſt omnium inter ſtrepitus viarum, & negotiorum Deo ſibique eſſe præſentem.

Impetus reprimendus.

10 Vbi impetus ad aliquid agendum impellit, hoc ipſo aliqua morula ſe detineat, ut aſſueſcat non ſequi ſtatim animi impulſus.

Vim ſibi inferat.

11 Poſtremo intelligat, niſi vim ſibi inferat, ſeque quibusdam quaſi catenis vinciat, etiamſi natura & conſuetudo reluctetur, omnino nihil promoturum: ſed ſi id faciet, paulatim dulceſcet illi Deus, & ſpiritualium atque internorum tractatio reddetur quotidie facilior. Morbus enim acediæ & evagationis nulla alia re magis exaggeratur, ut Caſſianus & experientia docet, quam ſi cedamus.

Amor excellentiæ & honoris.

CAPVT VII.

1.

Morbi leviores ſigna gravioris.

INTELLIGAT infirmus ante omnia, ſicut in morbis corporalibus contingit, ut leviſſimum ſit aliquando ſymptoma, ſi per ſe ſpectetur, quod tamen valde timendum eſt, ſi advertatur unde proveniat; ita erumpentia quædam ſigna vanitatis, amoris excellentiæ, & hujusmodi, quæ interdum à nobis parvi fiunt, indicare non levem ſuperbiæ morbum. Ea autem cum duplex ponatur à Sanctis, præcipue vero à Caſſiano lib. 12. de Inſtitut. hæc, de qua nunc agimus, valde carnalis eſt & craſſa.

Caſſian.

Quales fructus ſuperbiæ.

2 Animadvertat, amariſſimos inde oriri fructus, eosque frequentes, quibus miſeram animam cibari ſæpius in die contingit: in rebus enim obedientiæ, ubi aliquid non eſt ſpecioſum, magnam inveniet difficultatem in illatis moleſtiis: & ſi quid contingat (quod frequenter accidit) in quo non videatur magni fieri, impatientia & triſtitia maxima obruetur: in miniſteriis, niſi ab omnibus collaudetur, animum deſpondebit. Contra efferetur,

tur, ceteros deſpiciet, & fiet intolerabilis, ſi pro voto laudetur: opera quæ faciet, ſæpiſſime intentionis impuritas maculabit: multa prætermittet ex tumore bona, quæ alioqui faceret: directionem, & exhortationem non admittet: unionem fraternam ſæpiſſime lædet: in culpæ cognitionem numquam conſentiet: at ubi eſt defenſio peccatorum, quid boni ſperandum? Legat diligenter Caſſianum dicto libro 12. cap. 29. de ſignis ſuperbiæ; imo accurate, & cum meditatione non ſemel totum librum duodecimum, & præcedentem, qui eſt de cenodoxia; & inveniet tam cauſas morbi, quam remedia egregie deſcripta.

3 Meditationes de humilitate, ejus pulchritudine, utilitate, neceſſitate: item de ſuperbiæ fœditate, iniquitate, damnis, &c. non perfunctorie, ſed adhibita diligenti exercitatione per aliquot dies aggrediatur: certoque apud ſe ſtatuat, non eſſe hujus morbi curam levem aut facilem. Petat itaque à Domino aſſiduis tum ſuis, tum aliorum precibus ſanitatem. Remedia: per meditationem.

4 Vbi viderit per examen fructus malos peſtiferæ hujus radicis, recurrat ſtatim ad eam, ibique ſe reprehendat, ibi gemat, nec umquam alteri cauſæ, præſertim aliorum culpæ, defectum tribuat. Per examen.

5 Contrariis operibus conſtanter inſiſtat: In humilioribus exerceatur, non modo officiis domeſticis culinæ, &c. quæ juvant quidem, & ad impetrationem conferunt; ſed multo maxime in iis functionibus, ad quas minus afficitur, & quæ ab aliis minus ſuſpiciuntur, & ſi detur optio, eligat ſemper humiliora. In quibus ſe exerceat. *Exam. c. 4. §. 28.*

6 Proponat Superiori ea media ſuſcipienda, à quibus ſenſus magis abhorret: & ſciat, ſi curari ſerio velit, ſibi contra ſe cum Superiore conſpirandum, ut & ipſe ſibi vim inferat, & Superior variis mortificationibus & humiliationibus, quaſi conjunctis copiis, eum juvet. Remedia à ſenſu magis abhorrentia ſequatur. Ibidem.

7 Capitula, ſeu publicas reprehenſiones, non ad externam tantum ſpeciem, & ut dici ſolet, pro forma; ſed ad humiliandum, & vere confundendum appoſita petat. Dentur aliquando non petenti, imo nec cogitanti (de quo tamen, antequam fiat, cum illo ſtatuiſſe oportet) ut cum majore præparatione & fructu ſuſcipiat. Publicæ reprehenſiones in hac re utiles.

8 Si quis eſt domi, cum quo peculiaris aliqua ratio æmulationis ſubſit, hunc præcipue colat; ſed ab eo contra juxta præſcriptum Superioris, quaſi ex compoſito, in ſpecie exteriori contemnatur. Æmulos præcipue colat.

9 Numquam ſua narret, etiam prætextu ædificationis: quod enim Reticere ſua.

ſanis cibus eſſe poteſt, infirmo nocet: nec eſt infirmorum, ut in hujusmodi narrationibus Dei gloriam, non ſuam quærant.

Quid in hac re tenendum.

10 In hoc præcipuo hoſte debellando illud tenendum eſt, ut ſine intermiſſione eum perſequatur, ſemperque faciat contrarios aliquot actus, dicens cum Scriptura: *Perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem*, & item: *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non convertar, donec deficiant.*

Iſa. 14. 22. *Pſalm. 17. 38.*

Viriliter decertandum.

Poſtremo intelligat, niſi viriliter decertet, non modo futurum ſe quotidie erga hoſtem hunc debiliorem, ſed etiam paulatim morbum ipſum minus cogniturum, ita ut cum fiat aſſidue magis ſuperbus, & gloriæ cupidus, videatur ſibi ſemper humilior & ſanctior: hæc enim eſt morbi hujusmodi natura, hic lethargus.

Inclinatio ad ſenſualitates & amicitias.

CAPUT VIII.

Natura hujus morbi.

MORBUS hic craſſior, & magis carnalis eſt; nec adeo difficilis curationis, modo mediocri aliqua cautela ſeſe curet ægrotus.

Religioſo homine indignus.

1 Itaque intelligat, hanc Religioſo homine, qui crucifixus eſſe debet, valde indignam eſſe, & vilem, ac turpem agendi rationem, ut ſic confundatur, & reputet ſe omnibus viliorem.

Singularia vitet.

2 Numquam admittat, multo minus quærat, in victu, veſtitu vel recreationibus aliquid ſingulare: & ſi ab externis offeratur, rejiciat; vel ſi juſtis ex cauſis recuſari non poſſit, ad Superiorem pro infirmis referat.

Temperantia illi pernecesſaria.

3 Extra tempora prandii, & cœnæ, etiamſi maxime ſe affici ſentiat, nihil ſumat: nam ſervare aliquid apud ſe, etiam Superiore conſentiente, ſumendum pro libito, probandum non eſt; nec etiam ædificat, diſpenſatorem aut aliquem alium fratrem ea de cauſa interpellare.

Querelas vitet.

4 De iis quæ domi dantur, pane, vino, carnibus, memor paupertatis & mortificationis, numquam conqueratur, ſed curet ſemper optare viliora: & ſi quando tale aliquid ſubrepſerit, agat potius Deo gratias pro qualicumque ſanctæ paupertatis experimento.

Corporalis afflictio addenda.

5 Ne carnem nutriens contra ſe imprudens exacuat, memor ſit, ad interiores meditationes & virtutis actus addere etiam corporales afflictiones, diſciplinas, & alias pœnitentias: petat eas, & ſtatas habeat; nec imprudenter ſibi blandiens putet, quod magna certamina non ſentiat, ſe hujusmodi rerum uſu & exercitatione non egere.

6 Silen-

6 Silentium diligentiſſime ſervare ſtudeat: vix enim credi poteſt, quantum hæc diſciplina ſilentii conferat ſive ad vitandas innumeras maculas, quas ex inordinata locutione contrahimus; ſive ad libertatem quamdam, quæ ſenſualitatem nutrit, coërcendam. Experiatur, & intelliget. Silentium.

7 Si quando, labore & fatigatione urgente, aliquid ceſſationis fuerit neceſſarium; non quærat colloquia, non alios advocet, non circulos cogat: ſed poterit ſolus per aliquod temporis ſpatium in horto, vel alibi ambulans, elevare ad Deum mentem; verſiculis pſalmorum, vel hymno aliquo, non quidem per modum intenſæ orationis, ſed ad relaxationem, & ſpiritum recreandum, gratias agendo, petendo, deſiderando. Quibus ſi quis exercitatus fuerit, inveniet innumeros ſpirituales affectus, qui facile quaſi de corde profluent: quibus non ſolum elevari ſpiritum, ſed corpus etiam à labore ſentiet recreari. Quod ſi aliqui id non experiantur, intelligant inde potius provenire, quod terrenas conſolatiunculas conſectentur, & otioſis narrationibus atque colloquiis delectentur. Quid cum ceſſandum eſt.

8 Cum ad exteros vocatur, vel eos inviſit, proponat & peculiari proviſione ſtatuat cavere à facetiis, nugis, novis vel audiendis vel narrandis: & ſi incidant, pio aliquo colloquio interrumpat, captata ex iis quæ dicuntur, occaſione. Quid cum ad externos vocatur.

9 Si peculiari aliquo affectu, etiam naturali, & veluti ſympathia affici ſe erga aliquem ſentiat; curet ſtatim initio omnem extraordinariam communicationem abrumpere, & communi tantum charitate illum amplecti (vix enim dici poteſt, quanta incommoda oblocutionum, detractionum, querelarum, delationum, ſuſpicionum, inimicitiarum, conventiculorum, munuſculorum, & ſimilium ex ſingulari, & extraordinaria communicatione oriantur:) ſed omnes uno ſpiritu complectatur. Peculiares affectus vincendi.

10 Poſtremo orationi, & rebus internis plus ſe dedat: guſtato enim ſpiritu, deſipient nugæ iſtæ. Orationis ſtudium.

Hic de tentationibus contra caſtitatem aliquid eſſet attingendum, quibus non eſt dubium, quin tales infirmi frequenter pulſentur, licet interdum attendere vel diſſimulent vel negligant; ſed & morbi ipſius periculum, & lapſus gravitas, & ignominia, & pleraque alia infirmos ad medicinam extimulant. Sed quo pacto orationibus & jejuniis, pœnitentiis, occaſionum fuga, humilitate, manifeſtatione tentationum, lectionis inſtantia, occupationibus ſanctis, frequentia Sacramentorum, & plurimis aliis Quid cum carnis tentatione pulſatur.

remediis occurrendum ſit, pleni ſunt libri Sanctorum. Qua diverſitate item curandi infirmi ſint, ſi morbus incipiat ab anima per ſuggeſtiones, & redundet in corpus; vel contra, ſi ex carnis petulantia redundet in animam: quomodo, ſi cogitationes turpes importunæ, vel in phantaſia pullulent ex malis habitibus, vel fiant immiſſiones per Angelos malos; quanta diſcretione diſcernendum; quæ curatio adhibenda; hæc peti poſſunt à plurimis Doctoribus, qui ea de re copioſe ſcripſerunt, præſertim vero Sancto Bonaventura tract. de puritate conſcientiæ, cap. 11. & de reformatione mentis parte 3. cap. 22. Gerſone Cancellario de exercitiis diſcret. ſimpl. de malarum cogitationum cauſis atque remediis, cap. 3. & alibi ſparſim.

Bonaventura tract. de puritate conſcientiæ. & de reformentis, cap. 22. Gerſon de exercitiis diſcret. ſimpli. 3.

Profunditas, & defectus claritatis.

Caput IX.

1.

Conſcientia primum diſcutienda.

PRIMO monendus diligenter ut diſcutiat, & diſpiciat attentius ſemetipſum: nam tenebræ hujuſcemodi, quibus ſe celari quis cupit, fere conjunctæ eſſe ſolent cum tenebris interioribus, ita ut in anima illa nec claritas propriæ cognitionis, neque lux quædam in agendis, nec ſplendor divinorum ſoleat apparere; ſed revera tenebricoſa omnia & confuſa, ita ut nec divinarum inſpirationum & actionum motiones pacatæ ſentiantur, nec pulchritudo virtutum ſine magna nebula & fumo, imo etiam caligantibus oculis omnino cernatur.

Quanti fecerint Sancti Patres.

2 Perpendat, quanti fecerint ſemper Sancti Patres hanc animi ſinceritatem, & claritatem in agendo cum Superiore, & rectore ſpirituali; quam multa extent exempla, quid S. Baſilius, Reg. fuſ. diſput. reſp. 46. ubi citat illud Proverb. 18. *Qui non medetur ſibi ipſi, frater eſt ſua opera diſſipantis*, juxta LXX. noſtra editio habet: *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo*, &c. quid Caſſianus, quid B. P. N. quid denique omnes, qui de perfectione ſcripſerunt, ſenſerint.

Oſtium diaboli eſt profunditas.

3 Sciat nullo alio vitio ita aperiri oſtium Satanæ, qui eſt ſpiritus tenebrarum, qui cum ejuſmodi anima pro ſuo arbitratu ſine ullo interpellatore libere agit, & multa facile perſuadet; nec ullo alio vitio ita remediis omnibus occludi aditum: quare ſeipſum aperiendo, tentationes facile vincet, quibus tacendo ſuccumbet.

Ratio tacendi mala eſt.

4 Si nihil aliud, ratio ipſa, qua tacetur, mala eſt & ſuſpecta. Aut

enim ſuperbia prohibet, ne defectu manifeſtato vilior reputetur; aut negligit manifeſtare ſe, quia putat ſine ullo duce ſuam ſibi prudentiam ſufficere, quod etiam arrogantiæ & ſuperbiæ eſt; aut humano aliquo fine ſibi propoſito veretur, ne hæc manifeſtatio ſibi ad eum conſequendum impedimento ſit. Denique, ſi mediocriter ſe examinet, inveniet ſtatim radicem ejus rei non bonam.

5 Inſtruendus eſt, non ſolum hoc nomine non futurum eum Superiori minus carum, imò contra multo cariorem: nam non modo actus ipſe manifeſtationis virtutis eſt, ſed humilitas, quam hoc facto ille oſtendit, deſiderium curationis, fiducia cum Superiore, ſpes ipſa ſanitatis, neſcio quo, ſed miro tamen modo longe amabiliorem Superiori reddunt, quam ipſe defectus opinionem minuat: cum præſertim culpa in eo, qui ſe candide manifeſtat & juvari deſiderat, non tam ut culpa, quam ut infirmitas, (quæ compaſſionem magis movet quam indignationem,) à Superiore ſpectetur.

Superiori ſit amabilior & carior, ſe manifeſtans.

6 Ad hoc vehementer juvat, ſi Superior juxta regulas, crebro & magna charitatis ſignificatione, cum eo agat; ut opinio amoris, in Superiorem fiduciam generet, conſuetudo minuat pudorem, & ſuavitas agendi erigat puſillanimitatem.

Superior eum lucretur: quomodo. *Reg. 25. Rect. & 26. Præpoſ.*

7 Iuverit, ſi captata prudenter occaſione, defectus aliquos, in quibus ille majori pudore ſuffunditur, de aliis nonnullis (tacito eorum nomine, niſi eſſent illi jam Sancti, & res narraretur in libris) ad exemplum adducat; addens diuturnitatem morbi, pugnæ difficultates, modum victoriæ, vel alia, quæ ad rem facient, eumque extimulent ad vires concipiendas.

Similis defectus exempla.

8 Cum ab aliis manifeſtatur, monendus ſuaviter, addendi ſtimuli, quare meritum ſeſe manifeſtandi paſſus ſit ſibi præripi, cum etiam ſecundum hominem, qui ſe manifeſtat, minorem ſentiat pudorem. Interdum, prudenter culpam extenuando doceat, non fuiſſe cauſam, cur tantopere rem celatam eſſe voluerit. Interdum docendo, hanc occultationem auxiſſe culpam per ſe non magnam. Interdum addendo, ut videat quid mali faciat vel puſillanimitas, vel propria æſtimatio: quia quod ſola manifeſtatione facile fuiſſet curatum, jam factum eſt alicujus momenti, unde neceſſe ſit petere, inquirere, examinare, & hujusmodi.

Quid quando ab aliis manifeſtatur.

9 Hortandus, ut crebrius, etiam ſine magna neceſſitate, conſcientiam ſuam, & defectus aperiat; quo ſic aſſueſcat, & quotidie levius inveniet, & melius habebit. Addendum, ſi ſurreptio, vel mala conſuetudo

Crebra conſcientiæ redditio.

potuit culpam elicere, voluntate quaſi dormitante, cur ipſa voluntas volens & vigilans non eliciat pro imperio longe facilius confeſſionem?

Pericula ex profunditate.

10 Monendus, ſi non videt, credat ſaltem, ſi non valde conſtanter contra ſe pugnet & vincat, fore ut in dies deterius habeat: nam & plura, & diu tacita manifeſtare, majorem adfert confuſionem, & tacendi habitus contrahitur, & tenebræ augentur, & conſcientia ſenſim obduratur.

Lectio & meditatio ſimilium.

11 Poſtremo proderit legere hujus rei documenta & exempla, meditari pericula eorum, qui ita vixerint: contra, ſerenitatem, meritum, conſcientiæ tranquillitatem, & innumera bona eorum, qui confuſione calcata ſeſe manifeſtarunt, & dirigendos ſpirituali Patri tradiderunt. Denique perpendat apud ſe, an fuerit umquam aliquis ſanitatis cupidus, qui morbum celaverit: an quis ita demens, qui cum poſſit Patri ſpirituum Deo, omnia perſpicue videnti, humili ſua accuſatione reconciliari, malit ſe cum confuſione abſcondere. Vere inſania falſa.

Pſalm. 39. 5.

Iracundia, impatientia, vel averſio à fratribus.

CAPUT X.

I.

Quando fuerint averſiones diuturnæ.

SI fuerint averſiones diuturnæ; Primo monendus erit amanter, ſed ſerio, quam hoc indignum ſit Chriſtiano homine, nedum Religioſo, qui inter fratres vivens, unius moris & cordis cum ceteris eſſe debet. Et ut recogitet ex humilitatis defectu impatientiam naſci: ideo factum alterius, quo ſuccenſus videtur, non tam fuiſſe cauſam commotionis, quam manifeſtationem veritatis occultæ. Videnda quæ pulcherrime diſputat Caſſianus Collat. 18. cap. 13. 14. 15. & 16.

Caſſian.

Per Confeſſarium reconciliandus fratri.

2 Extimulandus per Confeſſarium, nec ſicut in ceteris imperfectionibus tolerandus diutius, quin efficaciter ſemel ſe vincat, & depoſita omni amaritudine conjungatur fratri, ſciens nec orationes, nec actiones ceteras tales eſſe poſſe, quales oportet, niſi hoc diligenter fuerit emendatum.

Per Superiorem reconcilietur quamprimum.

3 Curet Superior, ut cum fratre quamprimum redeat in gratiam, nec ulla ratione permittat, ſi quando id contingat, ut ſigna communia ſalutationum, colloquiorum, & officiorum, & hujusmodi ſibi invicem negent: quod ne in militibus quidem contubernalibus toleratur: nec ulla excuſatione, aut diſſimulatione id permittendum, tum quia grave eſt, tum quia magis diſſenſiones nutrit, & domi ſcandalum.

4 Supe-

4 Superior alloquatur etiam illum, cui offenſus eſt, ut is, quamvis nulla ſua culpa ab illo ita tractetur, vincat tamen in bono malum, humiliet ſeſe, adeat primus, blande hominem alloquatur, provocet modis omnibus ad charitatem. Denique ipſe Superior vel alius ſit mediator, ut omnino & absque mora res componatur. Superior quomodo alloquatur offenſum. *Rom.* 12.

5 Non admittat Superior, quod frigide dici ſolet, ſe per Dei gratiam nihil mali illi velle, non ſentire in animo rancorem: tantum non poſſe illum libenter videre, non cum illo ex animo agere, diverſitatem complexionis, morum diſſonantiam non permittere, ut placide convivere poſſint. Hæc omnia refellenda ſunt tamquam à nobis aliena, & excuſationes in peccatis, atque amaritudinis germina à peſſima radice profecta: nec ferendum, ut diutius venenum in pectore ſervantes, gravius afficiamur. Erimus enim in tenebris, & ira multa audebit. *Non enim erubeſcit in tenebris* (ait S. Auguſtinus) *cum ſuper eam ſol occiderit.* Luce quippe charitatis, & unitatis vel extincta, vel paſſionum & mali affectus nebulis & caligine præpedita, deteriora contingent in animo, ſive in alterius, ſive in proprium detrimentum, quam quæ in corpore ſolent in tenebris ambulanti. Omnino tollenda amaritudinis cauſa. *Ad Profuturum epiſt.* 149.

6 Efficiat, ut peculiaria ſigna charitatis exhibeat ei cui offenſus eſt, cum illo amanter agendo: ſi quid poteſt, pro illo præſtando; ſi infirmus fuerit, ſæpius viſitando, illi inſerviendo, etiam ſenſu reluctante. Denique urgeat, ne plus patiatur in ſuo pectore virulentum indignationis affectum, quam Chriſti dulcedinem regnare. Idem agat cum altero, ita ut mutuis officiis charitas certet. Sic enim Deo juvante, ſanabitur. Quod ſi alter in alterum rejiciat culpam, docendus quod Caſſianus docuit, ubi agit de ſpiritu triſtitiæ. Quæ quoniam egregie rem attingunt, & paucis graviterque illam explicant, placuit etiam hic adſcribere. Sic itaque habet: *Ideoque creator omnium Deus opificii ſui curationem præ omnibus noſcens, & quia non in aliis, ſed in nobismetipſis offenſionum radices cauſæque conſiſterent; non deſerenda præcipit fratrum conſortia, nec vitari eos, quos læſos à nobis, vel à quibus nos arbitramus offenſos, ſed deliniri jubet; ſciens perfectionem cordis non tam ſeparatione hominum, quam patientiæ virtute conquiri: quæ firme poſſeſſa, ſicut poteſt nos etiam cum iis qui oderunt pacem, pacificos conſervare, ita ſi parata non fuerit, ab his quoque, qui perfecti ac meliores nobis ſunt, facit jugiter disſidere. Occaſiones enim commotionum, ob quas eos, quibus jungimur, deſerere feſtinamus, in converſatione* Charitatis ſigna peculiaria mutuo exhibenda. Quid cum alter alteri culpam imputat. *Caſſian. l.* 9. *c.* 7. *&* 8. *Pſalm.* 119. 7.

huma-

humana deeſſe non poterunt: & idcirco triſtitiæ cauſas, ob quas à prioribus ſeparamur, non evadimus, ſed mutamus. Procurandum itaque nobis, ut noſtra potius emendare vitia, & mores corrigere feſtinemus: quæ proculdubio ſi fuerint emendata, non dicam cum hominibus, ſed etiam cum feris, & belluis facillime nobis conveniet, ſecundum illud, quod in libro B. Iob dicitur: Beſtiæ terræ pacatæ erunt tibi: extrinſecus quippe venientia non verebimur offendicula, nec ulla poterunt ſcandala nobis deforis inferri, ſi in nobismetipſis intus radices eorum receptæ inſertæque non fuerint. Pax enim multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Hactenus ille.

Iob. 5. 23. *Pſalm. 118. 165.*

Videndum quæ libro 8. de ſpiritu iræ ponit.

Videnda etiam quæ libro 8. de ſpiritu iræ ponit, præſertim à cap. 8. usque ad 15. Legendus idem Collatione 16. Abbatis Ioſeph. de Amicitia, per totam, præſertim vero cap. 15. 16. & 17. usque ad finem. Ex qua tamen Collatione in cap. 27. nullo modo prætermittenda duxi pulcherrima atque efficaciſſima verba, quibus locum illum Apoſtoli explicat: *Date locum iræ: Hoc eſt*, inquit, *non ſint corda veſtra ſic impatientiæ & puſillanimitatis anguſtiis coarctata, ut violentam commotionis procellam, cum irruerit, ſuſtinere non poſſint: ſed dilatamini in cordibus veſtris, ſuſcipientes adverſos iracundiæ fluctus in illis extentis ſinibus charitatis, quæ omnia ſuffert, omnia ſuſtinet. Et ita mens veſtra amplitudine longanimitatis ac patientiæ dilatata, habeat in ſe conſiliorum ſalutares receſſus, in quibus receptus quodammodo atque diffuſus teterrimus iracundiæ fumus, protinus evaneſcat.* Hæc de averſione & ira diuturna.

Rom. 12. 19. *1. Cor. 13.*

Quid ſi fuerint ſubitaneæ hæ paſſiones.

7 Si vero fuerint impatientia & ira vel excandeſcentia ſubita, quæ frequenter contingunt, ſed ſtatim evaneſcunt; docendus erit occaſiones antevertere, quibus ſe novit accendi, & paratus atque munitus accedat; cumque ebullire ferventiores ſpiritus ſenſerit, ſaltem per aliquod ſpatium ſileat. Vix enim credi poteſt, ſi verba affluere incipiant, quam difficile coërceantur, & quam animus excandeſcat: contra, ſi contineantur, facile ſedatur & conquieſcit.

Monendi domeſtici, ut vitent contentiones.

8 Moneat Superior domeſticos, quos expedit, ut cum viderint illum iratum, vitent omnino contentiones, & ſuaviter colloquia declinent, vel prudenter ad alia tranſeant: alioqui excitantur rixæ, & commotione vehementius irritata, in ea prorumpitur aliquando, quæ etiam cum ira deferbuerit, facile emendari non poſſint.

9 Cum

9 Cum ad ipſum Superiorem iratus acceſſerit, & verba effuderit, qualia turgentes animo ſolent; caveat diligentiſſime, ne illum ſevere excipiat, ſed molli reſponſione iram frangat. Super omnia autem videat, ne verba aliqua arripiat & exaggeret, quæ ille incondita protulit. v.g. Quid eſt hoc? Quid dixiſti? Ita ne Superiori? An oblitus es cum quo loquaris? Non meminiſti te eſſe Religioſum? & hujusmodi cetera. Hæc enim tunc vehementer accendunt, & alioqui ſatis per ſe exacerbatum exaſperant: ſed ſuaviter ad orationem hortetur, monens ut redeat ad ipſum, quem inveniet ſui amantiſſimum; ſperare ſe, ubi perturbatio illa humana conquieverit, fore ut omnia bene componantur. Vbi deferbuerit ſpiritus, & redierit quietus, tunc paterne corrigat. Ita tamen, ut etſi illius culpæ & commotionis turpitudo illi oſtendatur, tamen animatus ſemper ad emendationem, & bona ſpe ille recedat. Novimus enim aliquos præ vehementia usque ad pallorem & tremorem affectos, etiam dimiſſionem à Societate in illo fervore petiiſſe: deinde placide à Superiore placatos, rediiſſe non ſolum pœnitentes errati ſui, & humiliores, ſed etiam quietiores & promptiores, quam ante commotionem fuiſſent. *Superior ſevere iratum ne excipiat. Prov. 15.*

10 Caveat in primis, ne ipſe viciſſim, ut fieri poteſt, offenſus verbis incipiat etiam turbari, & perturbato animo verba verbis rependere: hoc enim peſſimum eſſet & pernicioſum: ſed ſi quid contra ſe jactet, non magis moveatur contra illum, quam ſoleat mater inſerviens contra filium phreneſi laborantem, cujus dicta vel facta compaſſionem ei potius, & lacrymas teneritudinis, quam ſtomachum movent. *Superior ne turbetur.*

11 Efficiat, ut quoties in hoc errare contigerit, aſſumat ille ſibi levem aliquam pœnam, quam cnm primum ſolvat: hoc enim facile & leve medicamentum, tum ex humilitate, tum ex aliqua interruptione illius turbidi affectus, tum ex impetratione divini reſpectus & miſericordiæ, non levis eſſe momenti, ſi perſeveraverit, experietur. *Quid Superiori faciendum, ſi in hoc deliquerit.*

12 Tandem addat examen particulare, adhibeat peculiares orationes, petat publicas reprehenſiones & pœnitentias: ſi enim conſtanter egerit, non modo ſanabitur, ſed mutabitur in manſuetum, tractabilem, & patientem. *Particularis examinis uſus.*

Laxitas in obſervatione Regularum, & conſcientia minime timorata.

CAPUT XI.

I.

Meditari cur omnia reliquerit.

MONENDUS ut conſideret, quo fine tanto apparatu relinquendi omnia, parentes, bona, honores, &c. ſeipſum alieno ſubjecit imperio; nimirum ut ad perfectionem, & cordis puritatem tenderet. Quare ergo poſt tot labores & egregia facta ita deſipit in minoribus, ut ex iſta laxitate illud non apprehendat, ob quod ſolum apprehendendum tanta præſtitit? Multa poſſunt adferri exempla, ut hæc ſtultitia manifeſtetur.

Aliud eſt ex ſubreptione, aliud facile delinquere.

2 Intelligat, aliud eſſe ex ſubreptione in multis delinquere, ſed in virtutibus tamen ſtrenue ſe exercere, tentationibus reſiſtere, proponere meliora frequenter, ad perfectionem adſpirare, nihil negligere; ubi erraverit, ſtatim teneritudine conſcientiæ compungi, ſurgere alacriorem, jacturam levem majori fervoris, atque virtutum lucro reſarcire; aliud vero eſſe id, quod ipſe facit, facile delinquere, nullo metu ſtimulari, ubi manifeſte mortale non ſuſpicatur, leviter contemnere, ex imperfectione non ſolum non aſſurgere ad meliora, ſed de una in aliam quaſi ſponte volutari. Itaque ne ſibi blandiatur ad inſipientiam ſibi uſurpans illud, quod ſimiles ſolent: *In multis offendimus omnes*; &, *Septies in die cadit juſtus:* hæc enim gemitibus potius digna ſunt, quam ut ita quaſi levi joco dicantur.

Iac. 3. 2. Prov. 24. 16. ut S. Gregor. in c. 1. Reg. c. 15.

Tepiditatis effectus. *Apoc. 3.*

3 Niſi caveat ſerio ab hac tepiditate, videat ne cadat in profundum. Solet enim iſta Deo vomitum provocare. Legatque Caſſianum Collat. 4. de Concupiſcentia carnis, cap. 19. lib. 4. de Inſtit. renunc. cap. 34. ubi egregie docet, quod experientia compertum eſt in plurimis, hujusmodi homines magno in periculo verſari. Quod ſi etiam in graviora non cadant, Domino miſerante, tamen nihil præclarum ad Dei gloriam, nihil ad proximorum utilitatem, vel Societatis ædificationem ab iis poſſe expectari. Et ſi nihil aliud, certe vita ipſa tepidorum valde miſera eſt, & intolerabilis, & ut S. Bernardus loquitur, plena miſeriæ, & doloris, & inferno plane proxima, umbra mortis jure cenſetur. Videnda, quæ idem Sanctus egregie docuit in hæc verba: Sunt iterum multi inter nos, &c. & ſer. 6. ibi, Contra ſane invenire eſt homines puſillanimes & remiſſos, &c.

S. Bern. ſer. 3. & 6. de Aſcenſ.

Profectum in ſpiritu examinet.

4 Videat qui ejuſmodi eſt, & inſpiciat profundius intra ſe, quæ ſigna habeat proficientis jam, ut S. Bonaventura loquitur, roboratæ charitatis, qui

qui poſt abrenuntiationem, & tantum temporis in hac via conſumptum, certe plura deberet habere. Quis ſenſus filialis & caſti amoris cor ejus pungat, ut tanto Patri, talique ſponſo timeat diſplicere? hæ divitiæ ſalutis, hic theſaurus juxta Iſaiam. De quo timore Caſſianus pulcherrime, *Vel tenuem*, inquit, *amoris formidat offenſam, atque in omnibus non ſolum actibus, verum etiam verbis attonita ſemper pietate diſtenditur, ne erga ſe quantulumcumque fervor dilectionis illius intepeſcat.* Hæc ille. Plangat igitur ſub religioſo habitu animam ſæcularem, exurgatque velociter.

De itiner. Æter. 4. diſt. 4. ar. 2.

Iſa. 33.

Caſſ. Coll. 11. c. 13.

5 Quot præclaras merendi actiones, & quot obedientiæ, virtutum actus ſibi permittat elabi: nec dubitet ſe in dies majores mentis tenebras, & pertinaciorem conſcientiæ duritiem incurſurum.

Quanto meritis ſe privet.

6 Numquam in electione eorum, quæ agere intendit, perpendat tantum, an hoc mortale ſit, necne; ſed aſſueſcat potius conſiderare, an hoc majoris ſit perfectionis, & an magis Deo placeat, an illum vel leviter contriſtet: quale enim ſignum eſt amoris, illo modo agere cum Deo? aut quis ferat filium dicentem: Revera diligo patrem; ſed citra lethalia vulnera, & mortem, quidquid ei injuriarum & moleſtiarum inferre potero, faciam omnia ſine reſpectu ullo & liberrime: nec tantillum curo, magis an minus ei placeam, modo me hereditate non privet, vel morte puniat.

Semper perfectionis habenda ratio.

7 Etſi aliquando pro transgreſſione Regularum, & nimia libertate bonum eſt ei etiam pœnitentias injungere; ſciat tamen Superior hac medicina numquam tales ad ſanitatem mentemque reduci. Quare qui hoc morbo laborat, excipiendus erit ſerio, & ſecreto ac graviter arguendus, ut de ſtatu vitæ ſuæ diligenter deliberet, ſeipſum intra ſe colligat, oblationem perpendat, ac ſi denuo de Societatis ingreſſu cogitaret.

Qualiter juvandus.

8 Cum in aliqua re graviore deliquerit, puta dando vel accipiendo, vel hujuſmodi, & quantitas fuerit alicujus momenti, etiamſi revera non pervenerit ad mortale; tamen perurgendus erit de periculo, & dubio, ne mortale admiſerit; & ita terrendus, ut videat quam verum ſit illud: *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Si litteras acceperit vel miſerit inſcio Superiore, graviter objurgandus: Videat quo tendat, caveat inſidias Satanæ; non ſuadere illum iſta, quæ laxis leviora videntur, niſi ut pertrahat ad graviora. Si de aliquo murmuraverit, vel denique aliquid paulo gravius admiſerit; ibi paterne quidem, ſed valde ſerio monendus, & pœnitentiæ, capitula, & alia addenda, ſed præcipua tamen vis, ut dictum eſt, in privata

Quid cum in re gravi peccat.

Eccl. 19. 1.

admonitione ponenda. Si nonnullis res innotuit, coram illis etiam, ſi ita expedit, erit arguendus, ut ſaltem erubeſcat, ſciatque ſe ſub jugo Domini eſſe.

Aſſociandus alicui ſpirituali viro.

9 Aſſignetur ei aliquis contubernalis, vel in officio collega, cujus exemplo & obſervantia confundatur & incitetur; cujus colloquiis, data occaſione, accendatur. Hæc enim interdum magis movent, & pudore afficiunt, quam conſulto adhibitæ correptiones.

Exercendus ſerio in ſpiritualibus exercitiis.

10 Denique collectio ad interiora, ſpiritualia exercitia, meditationes de perfectione, ſeria & non perfunctoria examina, etiam particularia, & quidquid ad ſpiritum inſtaurandum confert, huic proderit. Et quoniam infirmitas hæc valde ſimilis & conjuncta eſt ſecundæ, id eſt, languori ſpirituali, quæ dicuntur in ſecundo capite fere plurima, huic etiam prodeſſe valde poterunt.

Imaginatio infirmitatum, adſpirare ad quietem, recuſare miniſteria.

CAPUT XII.

Non facile damnandus.

ANTE omnia Superiori cavendum, ne cum aliquis alioqui vir bonus, & qui aliquando cum ædificatione laboravit, infirmitatem prætendit, & à laboribus ſe excuſat, facile eum damnet quaſi imaginativum & fugitantem labores: hoc enim vehementer contriſtat, & ſæpe revera duritiem ſapit, non credere affirmanti. Sed ſi ex medicorum relatu, & nonnullis ſignis deprehendat aliquid eſſe admixtum imaginationis & otii, tunc caute procedendum.

Compatiendum ſic affecto.

1 Itaque etiam ſic affecto magnum oſtendat compaſſionis affectum, conſulat medicos, & deinde eos ſecreto interroget. Et quidem initio bonum erit, ſi infirmus à medicis ipſis animetur, bona ſpe recuperandæ cito ſanitatis; deinde ab Infirmario, & aliis domeſticis: tum ſuſcipienda eſt illius cura diligenter per aliquot dies, illique ſpes facienda, fore ut brevi melius habeat, ita ut paulatim ipſemet hanc cogitationem deponat, aſſeratque ſe jam melius habere: quod non ſemel in nonnullis contigit.

Quid cum infirmitas non apparet.

2 Si pergat, & infirmitas non appareat, ſed prætexat ille defectum quemdam virium, & magnam capitis fatigationem, & hujuſmodi alia, in quibus ſe diu fuiſſe affirmet; tunc major etiam piæ compaſſionis affectus oſtendendus, addendaque illa, quæ ipſemet putet fore ſibi utilitati, puta deam-

deambulatio frequentior, particularitas aliqua parvi momenti in cibo, potu, ſomno, &c. Vbi vero per aliquot dies ita fuerit cum caritate & ſuavitate tractatus, ut facile ſibi perſuaſerit Superiorem ex caritate agere; expedit illi proponere, an non vita illa otioſa moleſta illi ſit & melancholiam generet? affirmabit ſine dubio. Interrogandus, quid ergo cuperet, quid putaret fieri poſſe, quod juvaret? inveniet aliquas relaxationes & recreationes extraordinarias: ex iis aliquæ rejiciendæ, ſed cum ſignificatione compaſſionis, tamquam impedientes aliorum occupationes & miniſteria; videbit enim etiam aliorum habendam eſſe rationem: nonnullæ bono aliquo colore, præſertim tamquam ipſi minus commodæ declinandæ: aliquæ, licet non neceſſariæ, pia quadam indulgentia concedendæ.

3 Curandum contra quam in vere indigentibus fieri debet, ne alii converſationibus & confabulationibus ejus otioſitatem nutriant: ſed relinquatur ſolus, ut vel faſtidio victus legat aliquid vel faciat, & ab otio incipiat abhorrere. *Alia remedia adhibenda.*

4 Interrogetur, quid magis ſibi nocere experiatur, quod genus occupationum moleſtius ferat. Dicet duo vel tria: abſtineatur ab illis, inveniantur aliæ occupationes, quibus ſenſim vel ad levandum tædium, vel ad minuendum faſtidium non inuitus occupetur: vix enim fatebitur ſe ad omnia inutilem. *Aliæ dentur occupationes.*

5 Petatur contra, quænam illi videantur poſſe ſine magno ſui detrimento ab eo attingi: & illa experiatur, videat quomodo ſuccedant, animetur, detur aliquis adjutor, minuatur conſuetæ tempus occupationis: ſi non poteſt per duas horas, occupetur per unam: ſi à confeſſionibus abhorret, interrogetur an in ſtudio concionum, an in docenda doctrina Chriſtiana, an in aliquo exteriorum officio poſſit occupari, & paulatim eo deducendus, ut aliquid aggrediatnr. *Et quas ferre poſſet.*

6 Vbi aliquod tempus effluxerit, poterit ſuaviter moneri, ut videat, ne cum plura forte præſtare posſit, privet ſe, Societatem, & proximum eo fructu, qui ex illius laboribus colligi poſſet. Negabit: urgendus ſuaviter, ut tentet ſaltem ad breve tempus. *Poſt aliquod tempus urgendus ſuaviter.*

7 Paulatim vero, poſt exhibitam compasſionem & longanimitatem, ex temporis ſpatio & experientia magis habebitur, unde posſit acrius extimulari & moveri; ne etiamſi vera ſit ſecundum rem debilitas, habeat forte aliquid imaginationis admixtum: adferenda autem erunt exempla; fue- *Quid poſt longanimitatem.*

runt enim patres maturi, pii & graves, qui hujusmodi morbo laborarunt, qui poſtea credentes medicis, ſola obedientia curati ſunt. Nec defuit, qui ex apprehenſione tenaciori putaret ſe homicidam futurum ſui, ſi medicis in victu, & cura ejus, quam prætendebat, infirmitatis, obtemperaret. Aſſerebat enim ſe tam evidenter de vita periclitari, ſi medicis acquieſceret, ut nulla ratione id, ſalva conſcientia, poſſet: quem cum Superior, adhibitis etiam Theologis, juberet ſecurum eſſe, & deponere ſcrupulum, quem in ſe ſuſciperet, acquievit tandem, & Deo juvante, curatus eſt.

Obloquia ceterorum coercenda.

8 Sed & illud animadvertat Superior, ne domi obloquantur aliqui contra illum, ne morbum triſtitia exaggerent; neque contra ita oſtendant ſe credere, ut illum in ſua imaginatione confirment; ſed ſemper ita loquantur & ſentire ſe oſtendant, illum eſſe virum talem, cui credere debent; fore tamen, ut animatus plus posſit; adhibeat curationem, credatque medicis, Superiori acquieſcat, ſibique perſuadeat, occupationibus moderatis magis excitari, & juvari naturam, quam opprimi. Quid faciet, cum otio marceſcet? erit ſibi ipſi gravis: & alia, quæ in hanc ſententiam cum modeſtia, & ſignificatione compasſionis adferri utiliter poterunt.

Cœli mutatio.

9 Poſtremo, ſi aëris mutatio tamquam utilis ab ipſo apprehenderetur, Provinciali ſignificandum, quam etiam medici valde commendent; polliceanturque ex hac mutatione fore omnino, ut vires reparet. Sunt enim melancholici in impresſionibus, & apprehenſionibus mirabiles: & fieri poſſet (quod non ſemel contigit) ut nulla vere facta in corpore mutatione, exiſtimaret ſe ex illa loci mutatione plane reſtitutum, & aggrederetur magna. Si vero ſit in loco, unde etiam difficile avellatur, tunc medici urgeant magis loci mutationem, & forte ſtatim dicet, ſe melius habere ubi eſt, & incipiet aliquid facere, ne cogatur inde diſcedere, ubi libenter habitat. Hæ ſunt infirmitates humanæ, tolerandæ patienter, & curandæ ſuaviter.

Tentatio contra inſtitutum, & aliquot Regulas, quæ non placent.

CAPVT XIII.

Hujus morbi difficultas.

MORBVS hic plane periculoſus eſt, & valde curatu difficilis, præſertim in antiquioribus. Itaque inveſtigandus eſt diligenter, & detegendus ſolerter, & accurate curandus; ſolent enim hujusmodi homines morbum alte celare, & niſi occaſio aliqua quaſi non advertentibus aliquid extor-

extorqueat, vix ſe prodent, niſi cum iis, quos potuerint ſubodorari ejuſdem eſſe ſententiæ.

1 Ante omnia igitur tamquam pro graviter & periculoſe ægrotante orationes indicendæ domeſticis, tum cura ejus infirmi ſuſcipienda diligentiſſime. *Oratione juvandus.*

2 Curetur itaque in primis, ut ſeſe confidenter aperiat, dicatque quibus in rebus Inſtituti tentationem patiatur; an fuerit illa diuturna, qua occaſione orta, quibus accidentibus aucta; an dubia ſua cum aliquo communicaverit, præſertim Superiore; quomodo & in quibus ei ſatisfactum; quid nunc eſt, quod eum maxime angat, ne dubitet ſe ſincere manifeſtare. Forte enim aliqua eum affligunt, quia falſo apprehendit: forte quia modum ille tractandi non intelligit (id enim multis contingit, qui non tam veris, quam animo conceptis & apprehenſis difficultatibus in rebus torquentur hujusmodi) nec dubitet Deo adjutore, poſſe ſi demonſtretur, ſpinam evelli, quæ pungit occulta: non eſſe eum vel ſolum vel primum, qui talia paſſus ſit. Sed quoniam non omnes Superiores eam habent Inſtituti notitiam, aut prudentiam, ut ſatisfacere poſſint; & occurrentes objectiones ſive intellectu illarum rerum, ſive praxi commode diluere; omnino expedit, niſi eſſet Rector maximi Collegii vir prudens, gravis, & in his verſatus, eum infirmum ad Provincialem mittere. *Hortandus ad ſe aperiendum Superiori.*

3 Vbi aperuerit ille morbum, dicet forte ea, in quibus fere tales impingere ſolent; ſcilicet, non probari ſibi diverſitatem graduum, Profeſſionis dilationem, tam amplam Superiorum poteſtatem, reddere rationem conſcientiæ, manifeſtationem defectuum & ceterorum per quemlibet qui extra confeſſionem ea ſciret. Hic ergo Superior aggrediatur hominem, ponatque ei ob oculos morbi gravitatem, ut ſciat, niſi diligenter curetur, non magis eum futurum in Societate quietum, vel forte etiam perſeveraturum, quam ſi Carthuſianus aliquis. v. g. moraretur inter Franciſcanos, cujus Religionis nullam ſenſit, aut adhuc ſentit vocationem. Itaque accingat ſe ad opus, dicatque primo, an hæc omnia intellexerit biennio Novitiatus, an in tot renovationibus Votorum. Reſpondebit haud dubie ſe vidiſſe, ſed tunc non bene percepiſſe, poſtea autem apertis oculis plenius perſpexiſſe. Sane videat, ne nunc male apertos habeat, ſicut primi parentes ad videndum ſuam confuſionem. Vere enim carnis prudentia ad male videndum ejus aperuit oculos, quos innocentia felicius clauſerat, *Detegenda morbi gravitas.* *Docendus de ſingulis.* *Gen. 3.*

rat, aperiendos ad ea, quæ ſunt Spiritus Dei. Et certe ita contingit, ut remoto lumine ſancti Spiritus, & vocationis, quæ omnia in ſuis, veriſque coloribus apprehenderat, nunc reſumpta lucerna carnalis & naturalis intelligentiæ, non eodem modo videat. Quare hoc potius deflendum, reſumendumque primum lumen: *nam & prudentia carnis mors eſt:* & in lucerna propriæ naturæ, quæ ſemper ſeipſam quærit, quæ mortificationis, abnegationis, & perfectionis ſunt, pulchra & lucida, uti ſunt, apparere non poterunt: quippe cum Apoſtolus animalem hominem aſſerat, ea quæ ſunt Spiritus Dei, percipere non poſſe, quia ſtultitia eſt illi. Et vere ac ſapienter à Piammone dictum eſt apud Caſſianum: *Numquam rationem veritatis intrabit, quiſquis à diſcuſſione cœperit erudiri: quia videns eum inimicus ſuo potius, quam Patrum judicio confidentem, facile in id uſque propellit, ut etiam illa, quæ maxime utilia ac ſaluberrima ſunt, ſuperflua ei videantur & noxia. Atque ita præſumtioni ejus callidus hoſtis illudit, ut irrationabilibus definitionibus ſuis pertinaciter inhærendo, hoc ſolummodo ſibi ſanctum eſſe perſuadeat, quod rectum atque juſtiſſimum ſua tantum obſtinationis errore cenſuerit.*

Rom. 8. 6.

1. Cor. 2.

Caſſian. Collat. 18. c. 3.

Oſtendendum non eſſe nova in Societate.

4 Oſtendendum, fere hæc omnia non eſſe in Societate nova, uſurpata eſſe à ſanctiſſimis Religionum Fundatoribus, & antiquiſſimis Patribus: adducenda loca Sanctorum, Baſilii, Benedicti, Auguſtini, Pachomii, Caſſiani. Quod ſi quibus minus probantur, ii perfectionem Inſtitutorum, & religioſæ exercitationis, imperfectorum hominum moribus & deſideriis metiuntur, ut quadam veluti Lesbia regula, non pulchrum & rectum, ſed deforme potius & diſtortum, ſi non ruinoſum plane conſtruant ædificium.

A Congregat. gener. & à Summis Pontificibus approbata.

5 Addendum, fuiſſe hæc ſæpius non ſolum à Societate univerſa in generalibus Congregationibus, atque à tam multis Patribus doctrina & religione præſtantibus examinata, ſed etiam Summorum Pontificum, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ juſſu, non ſemel diligentiſſime perpenſa. Et nuper Sixti V. fel. rec. qui nonnullis Theologis, & graviſſimis Cardinalibus cum examinanda dediſſet; illique noſtris reſponſis auditis, & ſcripto traditis, etiam accurate examinatis, ad Pontificem retuliſſent, nihil plane ille immutavit. Imo vero Gregorius XIV. ſanctæ mem. qui ei ſucceſſit, ampliſſimo diplomate ea explicavit, & confirmavit.

Inveſtigandæ radices.

9 Examinet radices, unde hæc diſplicentia oriatur, & inveniet nonnullis in rebus eſſe ex falſa intelligentia. Hæc declaranda, & abigendæ tene-

tenebræ, quæ mox diſparebunt. In nonnullis plane ex malo affectu, ſuperbiæ v. g. non placet diverſitas graduum, quia vult eſſe Profeſſus: non manifeſtatio conſcientiæ, quia eſſe vellet occultus: non deferri ab aliis, quia nollet opinionem minui. Denique percurrat ſingula, & hoc ipſo ſe judicet, quo videt, unde proveniat. Illud etiam conſideret, ſi radices maneant inquietudinis, nihil referre an hoc vel illo objecto turbemur. Satis enim apparet in aliis Religionibus, ubi nonnulla quæ apud nos ſunt, non habentur, plurimos eſſe plusquam male contentos, alios manifeſte apoſtatare: itaque non hæc, quæ illi diſplicent, in cauſa ſunt; ſed radix ipſa interior, quæ ſi ſanetur, ſalva erunt omnia. Quod in nonnullis manifeſte conſtat, qui cum turbati multa ex iis improbarint, ubi collecto ſpiritu conſpicere potuerunt, tranquillo animo usque ad finem perſeverarunt.

7 Dicat ſibi ipſi, quoties, Beatiſſima Virgine & Angelis teſtibus, hæc Deo promiſerit, an non cum Societate pactum inierit, firmans etiam Scriptura, ſe contentum eſſe omnia ſervare; an nunc liceat in re tam gravi promiſſis non ſtare, ſine quibus numquam fuiſſet in Societatem admiſſus, ut poſt tot annorum ſpatia renuat, ſeque affirmet quietum eſſe non poſſe? *Promiſſio facta Deo & pactum cum Societate.*

8 Suaviter docendus (quod certe manifeſtiſſime demonſtrari poteſt) quantopere hæc valeant ad ſpiritualis vitæ profectum, & omnimodam abnegationem, quam, ſi mentiri nolit, in ſua vocatione quæſivit. Percurrendum per ſingula, & ita eorum omnium ſpecioſitas & pulchritudo elucidanda erit, ut ejus animum ſuo ſplendore alliciant. Quod certe poſſunt mirifice: ut in iis apparet, qui gratia vocationis illuſtrati ea perſpiciunt in lumine Dei. *Quantum valeant.*

9 Dicet forte, non tam hæc in Inſtituto & legibus IGNATII, quam in praxi diſplicere ei, quod male à Superioribus practicentur. Sed primo injuriam irrogat ſanctiſſimo Fundatori: an enim ille non vidit, eas leges hominibus, & pro hominibus, & ab hominibus adminiſtrandas ſe tradere? Vidit utique, nec ignoravit, poſſe interdum errari: ſed rurſus, poſſe ſancte tractari. At ejusmodi leges condere, quæ Angelis, non hominibus conveniant, hominis fuiſſet minime prudentis, nec Dei Spiritu pleni, quales Religionum Fundatores eſſe oportet. Quod ſi non leges illas, quaſi uſu ipſo minime faciles & commodas accuſet, ſed aliquorum Superiorum praxim; jam non Inſtitutum, ſed perſonæ diſplicent: de quibus alia ratio eſt; *Solvuntur objectiones contra Inſtitutum.*

& in quibus, retenta Inſtituti puritate, emendari poſſunt quæ deſiderantur. Secundo, Cur tam multi viri graviſſimi & doctiſſimi ſunt, qui integritatem hujus adminiſtrandæ legis collaudant, & Deo gratias hoc nomine agunt? cur & ipſi hæc mala non vident? cur ipſemet infirmus, ſi de ſua cauſa non ageretur, tam oculatus non eſſet? at in propria cauſa, & in ſe judicando, quam proclive eſt falli? Deinde hortandus, ut dicat in particulari: & in ſingulis ei ſatisfieri poterit, niſi malit protervire; modo illud ſtatuat, quod negare non poterit, judicium de ſufficientia, talentis, virtutibus, non modo in iis, qui ſe plane totos Deo & Religioni tradiderunt, ſed ne in ſæcularibus quidem cujuſcumque ſtatus, non poſſe eſſe penes eum, de quo agitur. Ad cetera omnia facillima eſt reſponſio.

Spiritualibus exercitiis juvandus.

10 Hortandus, ut præmiſſis aliquot exercitiis ſpiritualibus, præſertim de beneficio vocationis, & obligatione ad perfectionem, paret ſe ad generalem confeſſionem: benigne animandus, difficultates molliendæ, non omnes futuras quas ſuſpicatur; ſed ut in rebus humanis contingit, ex decem vix duæ orientur: ſe etiam paratum ad illum juvandum, & conſolandum. Denique oſtendat revera multa apprehendi difficilia à longe, quæ re ipſa non ita ſunt. Se etiam pro ſua virili amanter explanaturum, ubi potuerit.

Interdicendum ne aliis communicet.

11 Prohibeatur omnino, ne hos conceptus cum aliquo communicet, tum propter privatam ſuam utilitatem, tum etiam propter communem. Quod ſi tamen faceret, vel inquietum poſt hæc omnia ſe oſtenderet, Præpoſitus Generalis tempeſtive monendus erit.

Tentatio contra Superiorem, cum averſione & diffidentia.
CAPUT XIV.

I.

Quid in ſe disquirat Superior.

ANTE omnia tollenda quædam tentatio eſt ab ipſo Superiore, ne putet hujus infirmitatis culpam totam eſſe in infirmo: debet enim credere, poſſe etiam in ſe ipſo non exiguam eſſe partem, & ſi non committendo aliquid, quod etiam interdum evenit, ſaltem omittendo: vel ſi in re non peccavit, potuit forte in modo peccare. Exiſtimet ergo etiam ſe debitorem eſſe, examinet cauſas, & corrigat quod in ſe eſt, memor præcipue illius ſententiæ D. Gregorii ad Bononem Abbatem: *In correctione hunc eſſe ordinem noveris obſervandum, ut perſonas diligas, & vitia perſequaris.* Et

Lib. 9. ep. 8.

quod

quod paullo poſt addit: *Sic vulnus debes abſcindere, ut non poſſis ulcerare quod ſanum eſt: ne ſi plus quam res exigit ferrum impreſſeris, noceas cui prodeſſe feſtinas.*

2 Cum videat infirmum à ſe averſum ſanari non poſſe, nec medicamenta admittere, niſi ſuſpicionem deponat; faciendum omnino, quod idem Sanctus Pater monuit, ut Paſtores dilectionem ſuam quaſi quamdam viam faciant, per quam corda audientium ad amorem Conditoris ſui introducant. Difficile quippe eſt, ut quamlibet recta denuntians prædicator, qui non diligitur, audiatur. Ergo quæcumque monita, quæcumque remedia adhibeantur, nihil illi proderunt: imo interdum nocent magis, quia putat ille ea omnia non ab amore, ſed aliunde proficiſci. Quæ via tenenda à ſubdito hanc ſuſpicionem tollendi. *Paſtoral. p. 2. c. 1.*

3 Itaque ſi quid murmuret, aut conqueratur contra illum, factus velut homo non audiens, caveat diligentiſſime, ne aut cum eo, qui detulit, aut cum alio quopiam ita loquatur, ut oſtendat ſe etiam vulneratum, aut ita rem exaggeret, ut dicat, hæc tolerari non poſſe, omnino illum ſevere caſtigandum; non eſſe tales dignos, qui in Societate retineantur, & hujuſmodi alia. Sed cum manſuetudine ſemper illud potius: Doleo bonum fratrem in hæc prorupiſſe, præſertim cum Superioris perſonam teneo: cuperem omnino ſuſpiciones has evellere ex ipſius animo: ex paſſione vehementi iſta dixit: compatior illius infirmitati, cum præſertim hæc, quia in alios redundant, & ſcandalum pariunt, aliquo remedio indigeant: oremus pro illo: videamus quid conſilii capiendum: ſanare eum potius, quam humiliare cupio. Superior ferat Subditi imperfectiones.

4 Aggrediatur eum in ſpiritu charitatis, capiens hoc modo vulpeculam, id eſt, detractorem, & capiat Domino, hoc eſt, lucretur in lenitate fratrem ſuum in Chriſto. Qua de re cum egregie dicat S. Bernardus, verba illius, ut aptiſſima, apponam. Explicans enim verba illa Canticorum: *Capite nobis vulpes parvulas*, hæc attexit: *Peſſima vulpes, occultus detractor; ſed non minus nequam, adulator blandus. Cavebit ſapiens ab his. Dabit operam ſane quod in ipſo eſt, capere illos qui talia agunt; ſed capere beneficiis atque obſequiis monitiſque ſalutaribus, & orationibus pro his ad Deum. Non ceſſabit iſtiuſmodi carbones ignis congerere ſuper caput maledici, & item ſuper adulatoris, quouſque (ſi fieri poteſt) & illi invidiam, & iſti ſimulationem de corde tollat, faciens mandatum Sponſi dicentis: Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. An non tibi captus ille* Spiritu charitatis juvandus. *Serm. 63. in Cant.* *Cant. 2.* *Rom. 12. 20.*

videtur, qui ſuffuſus ora rubore, quippe proprium erubeſcens judicium, ipſe ſuæ confuſionis & pœnitudinis teſtis eſt, ſive quod oderit hominem amore digniſſimum, ſive quod dilexerit tantum verbo & lingua eum, à quo ſe diligi opere & veritate vel ſero expertus eſt? Captus plane, & captus Domino, ſecundum quod nominatim ipſe expreſſit, Capite, inquiens, nobis. Vtinam ego omnes adverſantes mihi ſine cauſa, ita capere poſſim, ut Chriſto eos vel reſtituam, vel acquiram.

1. Ioan. 3, 18.

De murmurationibus contra Superiorem per alium monendum.

5 De murmurationibus & aliis, quæ ipſum Superiorem attingunt, melius eſt, ſi per alium moneatur, præſertim Confeſſarium, & Præfectum Spiritualium; à quo paterne oſtendatur illi macula, & aliorum offenſio: interdum à Miniſtro, nonnumquam etiam, ſi ipſe aderit, à Provinciali valde ſerio, indicando ſcandalum, & culpæ gravitatem. Ipſe vero Superior multa, quæ ad ſe pertinent, oſtendat ſe neſcire. Si enim intelligat is, qui offendit, illa ad Superioris notitiam perveniſſe, vix poterit ſibi perſuadere, Superiorem non eſſe propterea exulceratum, & erga ſe male affectum.

A gravioribus Patribus juvandus.

6 Interdum Provincialis, ipſe Rectoris Admonitor, Spiritualium Præfectus, vel aliquis ex gravioribus, cui præſertim tentatus confideret, indicent illi hanc opinionem vere ex falſa apprehenſione conceptam, majoris eſſe damni, quam ille putet: hanc niſi deponat, eum futurum ſemper inquietum: obedientiam numquam eſſe poſſe, qualem Deus & Conſtitutiones exigunt. Si Superior non taceat, monita ſalutaria verti ei in venenum; ſi taceat, quotidie in deteriora lapſurum: videat quid agat, & ſibi conſulat. Offerat præterea qui tentatum ſic juvare aggreſſus eſt, ſe cum Superiore acturum efficaciter, ut illum amanter amplectatur: ſperare ſe, non futurum hoc difficile, quod noverit bonam Superioris voluntatem erga illum, quam ſignis & verbis ſibi frequenter oſtenderit. Proinde cum egerit, ſe relaturum. Agat, deinde magis confirmet, animet, ut omnino per ſe adeat Superiorem, eique penitus aperiat vulnus, manifeſtet ſuſpiciones omnes, omnes querelas; polliceri ſe, libenter illum audiendum, atque omnino disjectis umbris fore omnia lucida & pacata. Sed ille non facile ad id adducetur, objiciens Superioris erga ſe averſionem cognitam, duritiem, verborum aſperitatem, denique verendum, ne congreſſus hic accendat potius, quam extinguat humores. Non ideo ceſſandum, ſed ſæpius is erit urgendus, ut ſaltem vocatus eat, modo revera Superior ſe ad dulcedinem compoſuerit.

7 Vbi

7 Vbi ventum fuerit ad colloquium, invitet eum Superior hilari fronte, ut omnia aperiat, quia alioqui numquam pacem inveniet: polliceatur fructum, promittat ſe, ſi quid revera in eo deſideretur, facile mutaturum, quia non alio animo, quam ex charitate fecit. Si quid vero ex ſiniſtris & falſis imaginationibus ortum habeat, ſe dilucide oſtenſurum, etiam adhibitis teſtibus, ipſum falli. Deinde ſinat eum motus animi ſui aperire, licet verbis incompoſitis & acerbioribus; nec tam illa attendat, quam infirmitatem. Vbi ſe aperuerit, excipiat eum ſuaviſſime, incipiat docere in ſingulis, in hoc & illo penitus eum falli. Dicat quæ fecerit contra pro illo, citet in hoc aut illo facto teſtes talem vel talem: ſi in hac vel illa re aliquid negavit petenti, non potuiſſe aliud fieri. Si injunxit pœnitentias, non fuiſſe niſi ordinarias. Si exploravit, vel aliquid de illo voluit ſciſcitari, fuiſſe conſcientia coactum propter ea, quæ referebantur; quæ licet facile non crederet, tenebatur tamen ut paſtor quærere. Si oſtendit in nonnullis minorem fiduciam, quod non ei hæc aut illa injunxerit, vel fuiſſe quia externi alium petebant nominatim, vel quia genus illud negotiorum ob naturam ejus & præſentem ſtatum, minime crederetur illius ſpiritui profuturum; vel quia noſtri vel externi offendebantur ejus agendi modo. Polliceri ſe omnem charitatem, omnem fiduciam: incipiat ipſe mutare modum, & videbit quanta illum Superior charitate complectatur. De his autem, in quibus mutare debet, melius eſſe ut redeat commodius auditurus, longiorem fuiſſe ſermonem: interim oret uterque, & veniat ipſe animatus ut audiat, nam ex amore fore omnia. Non minus quippe diligit charitas, cum monet & objurgat, quam cum blanditur ac fovet: ſperare in poſterum omnia meliora. Hæc omnia fiant tamquam à patre, blande & amanter: & omnino caveat Superior diſputationes & altercationes: hoc enim minuit auctoritatem, & gignit majores amaritudines. Addat præterea ſuper omnia (ſi forte contigerit eum aliqua contra ipſum Superiorem dixiſſe, quæ putet relata Superioris ipſius animum pupugiſſe) ut ſibi certiſſime perſuadeat, nihil in ejus animo propterea amaritudinis reſedisſe; imo ſe tanto magis à Superiore diligi, à quo impenſiora charitatis ſigna experietur; quippe nullam aliam hujus dilectionis compenſationem petit, niſi ut ſe ille in poſterum ſincerum fratrem exhibeat, & cum magna fiducia tamquam ad patrem accedat, fore ſine dubio ut ejus fiduciæ Superioris facta reſpondeant. Quomodo ſe gerat Superior in colloquio.

Poſt de gravioribus monendus.

8 Vbi cœperit remitti febris ardor, moneat illum de gravioribus, excuſans tamen quoad poteſt, vel aliquam imprudentiam, vel intentionem ejus. Inculcet aliorum offenſionem, noſtrorum & externorum, qui ſæpe conqueſti ſunt. Commemoret aliqua bona quæ fecit, addens cur maculam inferat, cur multa bona impediat, quæ præſtare poſſet. Admiſceat aliqua leviora errata, quæ oſtendat, ſe nihili facere: doceat tamen quam facile, & quanta cum laude ac merito illa vitare potuiſſet.

Hortetur ut Superiorem frequentius adeat.

9 Injungat ut deinceps frequentius eum adeat: hoc enim ſibi futurum gratiſſimum: communicatio enim nutriet fiduciam & amorem: non dubitet ſe diligi ut filium cariſſimum; utinam paterent corda, ſic enim evaneſcerent cuncta, quæ hanc ſuſpicionem, & diffidentiam ingenerant: & ne putet ſe verbo & lingua tantum diligi, experiatur, ut videat ſe diligi etiam opere & veritate; proponat quæ cupit. Si poſſit ſine majore incommodo, concedat Superior alacriter: ſi habeat difficultatem in iis concedendis, tunc infirmo præmonito, communicet cum Admonitore, vel Conſultore: qui ſi annuat, nec manifeſtum ſit incommodum, concedet: ſi neget, excuſabitur, quia aliorum etiam judicio permittendum non erit. Si per aliquem, cui magis fidat, velit agere cum Superiore, poterit initio indulgere: interdum tamen ſi res ejusmodi ſit, ut concedi debeat, ſignificandum Interpreti, ut is qui petit, Superiorem adeat, Superiorem ſine dubio facturum quod petitur.

1. Ioan. 3, 18.

Quomodo credenda quæ referuntur.

10 Etſi vigilandum eſt Superiori, cum iis maxime, qui majori indigent cura; videat tamen cum hoc infirmo quæ & quibus de eo credat: audiat quidem, ſed perpendat omnia: proclive enim eſt, ut de eo, qui non recte ambulat, de quo putant Superiorem non habere optimam opinionem, eſſeque inter eos viciſſim aliquam offenſionem, multa ad eum deferantur non ita explorata, interdum etiam exaggerata. De iis, ſi absque diligenti cautela infirmus moneatur, mirum quantopere noceat, quantopere hinc morbus creſcat; quantam occaſionem ſumat is, de quo agitur, infirmandi cetera, quæ objiciuntur; accuſandi Superiorem nimiæ credulitatis, quam etiam ex amaro affectu erga ſe proficiſci & credet & prædicabit.

Vt ſe gerat cum defectus deferuntur.

11 Hoc ipſum ei, cum arguitur, prædicendum, hæc quidem eſſe delata, ſe tamen non facile credere quæ dicuntur: cupere proinde ab eo cuncta cognoſcere, idque ne putet ille, ſe ex præjudicio damnatum, quod caveat diligenter Superior ne præ ſe ferat. Et quamvis alioqui de re conſtaret,

ret,

ret, audiat tamen antequam damnet; efficiatque, ut intelligat ille, ſibique plane perſuadeat (quamvis pro ratione ſui officii, & pro bono ſubditi, atque communi, neceſſario audiat & inveſtiget) tamen ſibi gratius longe futurum, ſi innocens, quam ſi culpabilis inveniatur. Quis enim pater, qui filii culpa vel infirmitate audita, non libentius inveniat unde gaudeat, quam unde puniat?

12 Injungat illi aliqua, quæ ſine magno detrimento poterit: mittat interdum, ſi id ille præſtare poterit, ad concionandum; ad exhortationes monialium, ad negotium aliquod cum Prælato, vel aliquid aliud tranſigendum; ne arbitretur omnino ſibi ex diffidentia ad omnia oſtium occludi. Hæc tamen non ita ordinarie fient aut frequenter, ut incommoda incurrantur vel familiaritatis cum Principibus viris, vel quaſi ejus perſonæ nimiæ approbationis, quæ poſtea Societati, ſi res non bene ſuccedet, aliquando nocitura ſit (nam hujuſmodi homines ſolent interdum noſtris contra nos armis & teſtimoniis pugnare) ſed prudenter & per intervalla tantum, ne ille putet ſe penitus abjectum. Poſtea, ubi rationem reddiderit rei geſtæ, laudandus erit & animandus; hæc enim valde conciliant animum, & ſuſpiciones evellunt. Ejus opera & quomodo utendum.

13 Poſtremo nihil prætermittat per ſe, & per alios idoneos, quod ad eximendas ſuſpiciones, & gignendam amoris ſui opinionem facere poſſit: certus, niſi hoc fecerit, nulla medicamentorum genera profutura: memineritque ſententiæ D. Gregorii, quam Sanctus ille Pater, & ex longa experientia didicerat, & ex Sacris litteris exemplo confirmat Apoſtoli; qui objurgaturus graviter Corinthios, ita eos ante laudavit, ut poſt plurimas laudes intulerit, *ita ut nihil vobis deſit in ulla gratia.* Sed, ut Sanctus hic ait, *prius ſuperborum brachia ſtuduit per blandimentorum vincula religare, ut poſtmodum potuiſſet vulnus ſuperbiæ ferro correptionis incidere. Erant profecto in Corinthiis & quæ laudari debuiſſent, erant & quæ argui. Peritus itaque medicus prius ſana membra, quæ circa vulnus erant, laudando palpavit; & poſtmodum putridum ſinum vulneris feriendo transfixit.* Hactenus Beatus Gregorius. Omnia Superiori tentanda. *1. Cor. 1, 7.* *Lib. 24. moral. c. 9.*

Sæcula-

Sæcularitas, & aulicismus inſinuans in familiaritates, & gratiam externorum.

CAPVT XV.

Quam faciem induat aulicismus.

MORBVS hic in Societate & intra & extra periculoſus eſt, & iſtis qui eum patiuntur, & nobis fere neſcientibus paulatim ſubintrat, ſpecie quidem lucrifaciendi Principes, Prælatos, Magnates, conciliandi ad Divinum obſequium hujusmodi homines Societati, juvandi proximos, &c. Sed revera quærimus interdum nos ipſos, & paulatim ad ſæcularia deflectimus. Quare diligenter prævenienda ſunt mala, & initiis occurrendum.¶

Signa aulicismi.

1 Attendenda igitur ſigna, quibus dignoſci morbus hic poſſit. Ea autem inter cetera non obſcure illum indicant, ſi quis frequentius illos adeat: ſi, cum abſtinet, ſentit deſiderium præſentiæ, & congreſſus illorum: ſi eorum rebus & negotiis tamquam propriis ſe affici ſentiat: ſi libenter amplectatur negotia ſæcularia: ſi Superiore inſcio tractet: ſi hujusmodi Principes & Magnates ſibi, non Societati conciliet: ſi obſervantia & obedientia incipiant illi ſordeſcere: ſi Societatis miniſteria, & quæ minus ſpecioſa videntur, leviora putet: ſi ſe factum arbitretur ad magna: ſi paupertatem noſtram incipiat moleſte ferre, quod commoditates & curioſiora requirat: ſi noſtrorum converſationem, præſertim ſimplicium, aſpernetur: ſi Superiorem hæc monentem, quaſi malevolum & invidum iniquius ferat. Hæc enim & hujusmodi ſi adſint, quidquid decepta & deceptrix illius intentio huic polliceatur, certum eſt morbum illius animum occupare.

Indicanda pericula.

2 Indicanda erunt ei pericula. Nam obedientia, fraterna unio, ſimplicitas religioſa, devotio, & conjunctio cum Deo, amor erga Societatem, zelus animarum, & plurimæ aliæ virtutes manifeſte periclitantur, Vix enim credi poteſt, quam hic homo immutetur: & brevi, cum minime ſentiet, inveniet & dolebit ſe alium. Vnde in quinta Generali Congregatione tam ſerio ea de re actum eſt, ut videre eſt Canone 12. & 13. qui maxime ſervandi.

Statim amovendi hujusmodi homines.

3 Avellendi hujusmodi homines tempeſtive bono aliquo nomine: quia ſi incipiant altiores radices extendere, non poterunt ſine magna Principum offenſione divelli. Quare Superiores locales moneant tempeſtive Provinciales; qui ſi videant difficultatem, conſulant Generalem. Denique non ſint Superiores hac in re negligentes, ſi conſultum Societati volunt.

4 Si excuſant ſe, quod Principes urgeant, hortandi ſerio, ut ipſi tamquam ſua ſponte fila præcidant; quod ſi voluerint, haud dubie ſuaviter id facient: tantum caveant, ne videantur, cum contra ſentiant & cupiant, idcirco id facere, quia Superiores volunt, & quia hoc nomine ab hominibus Societatis male excipiantur. Si enim hoc modo fiat, nocet potius cauſæ & Societati, quam proſit, & Principum animos valde exulcerat. Quo fit, ut hæc eo modo pertractare, hominis ſit nec obedientis, nec Societatem amantis, cum hæc incommoda manifeſte videat. Quid quando ſe excuſant.

5 Occupandi erunt diligenter in miniſteriis, tum quod in his fructuoſius proximis, tutius ſibi, & majori cum Societatis ædificatione verſentur; tum ne tempus ſuppetat hujusmodi viſitationibus, & inutilibus colloquiis. Viſitationes etiam interdum diſerte negandæ, ut in Inſtructionibus cavetur impreſſis. Occupandi in miniſteriis.

6 Publicæ etiam in Refectorio reprehenſiones monebunt eos religioſæ humilitatis, ut aulicíſmum quoquo modo interrumpant: quare circumſpecte & opportune ſuo tempore adhibendæ. Publice reprehendendi.

7 Monendi ſubinde, rem eſſe plenam invidiæ apud externos, Societatem hoc nomine male audire, conflari multorum in nos odium, inter noſtros etiam neſcio quid inæqualitatis offendere: hortandi ut prudenter declinent; ſuggerant nonnullis in rebus Principibus ipſis aliquos alios noſtros vel externos, prout res feret, ne videantur noſtri omnia movere. Monendi de periculis.

8 Externis, qui vel ſua ſponte, vel etiam ab hujusmodi noſtris miſſi, Superiorem urgent, ut illis hoc vel illud negotium demandet, modeſte negent, prætexentes Principis ipſius offenſionem, Societatis decreta, negotii ſæcularitatem, aliorum odium, & hujusmodi multa, quæ impediunt ne Superior poſſit hoc probare, ſi id illi faciant, tantum abeſt, ut poſſit injungere. Etiam externis denegandi.

9 Poſtremo quoniam morbus mixtus eſt ex effuſione ad exteriora, & amore excellentiæ, de quibus diximus cap. 6. & 7. applicet Superior pleraque remedia ex illis, & Generalem admoneat. Generalis quoque monendus.

Pertinacia & durities Iudicii cum contentione.

Caput XVI.

I.

Si fuerit in ſpeculativis, adhibeat Superior judicium aliquorum Doctorum. Et ubi is fuerit diligenter auditus, imponat ei ſilentium juxta ob- In ſpeculativis adhibendi Doctores.

Exam. c. 3. §. 10. & 11.

ligationem Conſtitutionum, nec ſinat longius progredi, alioqui nec pauca nec parva ſequuntur incommoda.

In practicis de quibus monendi.

2 In practicis moneat illum, hoc fere naſci ex ſuperbia, qua velit aliis videri doctior vel ſuperior, & neſciat cedere; vel ex tenuitate judicii, quod non apprehendit ſaltem non eſſe in rebus moralibus tantam evidentiam, ut non modo ſit habenda ratio etiam judicii aliorum, ſed etiam prudentiores proprio confiſi judicio, decepti praviſſime fuerint.

Nugas interdum eſſe doceat.

3 Doceat eſſe interdum quæſtiones de nugis & rumoribus, qui narrantur: quam vero indignum ſit religioſo homine de iis certare, & caritatem lædere, facile quivis intelligit.

Hortandus ad Caſſianum legendum.

Caſſian. coll. 16. à c. 6. usque ad 12.

4 Monendus quod Caſſianus ait, Sicut inter carnales de terrenis ſubſtantiis, ita inter ſpirituales pro diverſitate intellectuum oriri diſcordiam. Legat proinde diligenter egregiam ejus loci doctrinam, præſertim à cap. 6. usque ad 12. Si vero ſit Coadjutor, dicat illi Superior vel Præfectus aliqua in hanc ſententiam.

Communia remedia adhibenda.

5 Adhibeat remedia communia orationis & examinis particularis, aſſumendo levem aliquam pœnitentiam, quoties in leviora inciderit.

Non abeant impune.

6 Ne contentiones hujusmodi permittantur impune, dentur reprehenſiones publicæ in Refectorio cum admonitionibus, quæ alios etiam juvent. Et ſi Miniſter vel aliquis Pater ex gravioribus adeſſet, cum hæc contingunt, poſſet commode ſermonem ad alia transferre, & fratrem opportune monere.

Quomodo juvandus non emendatus.

7 Si quis monitus non emendaretur, aſſignandi eſſent maturiores & magis ſpirituales, cum quibus in recreatione ageret, ne ibi contenderet.

Quid cum res eſt cum Superiore.

8 Si res fuerit cum Superiore, jam defectus eſt Obedientiæ; proinde adhibenda remedia, quæ in tertio capite.

Perturbatio pacis, & ſeminatio diſcordiarum & jurgiorum.

CAPUT XVII.

I.

Morbi gravitas conſideranda.

ANTE omnia plurimum proderit, ſi gravitas morbi, quæ à plurimis parvipenditur, diligenter ab infirmo nec ſemel aut perfunctorie perpendatur. Conſideret itaque quam multa, quam gravia, quam exaggerate de peccatis linguæ Scripturæ ſacræ loquantur: nam præter ea, quæ D.

Iacobus

Iacobus Apoſtolus tam graviter tertio capite ſuæ Epiſtolæ poſuit (ut linguam appellet univerſitatem iniquitatis, & aſſerat maculare totum corpus, & inflammare rotam nativitatis noſtræ, inflammatam à gehenna) in libris Proverbiorum & Eccleſiaſtæ frequentiſſime de eo monemur: & poteſt quisque multa ſibi loca conquirere, quibus veluti ſtimulis ſeſe pungat. Sed certe Eccleſiaſtici 28. tam multa mala narrantur, ut mirum ſit, ſi quis ea legat, & non contremiſcat. *Iac. 3.* *Eccl. 28.*

2 Ex Sanctorum exemplis & eorum dictis ejusdem morbi gravitas perpendi poteſt. Mirum enim eſt, quantopere linguæ lapſum & formidaverint ipſi, & aliis formidandum oſtenderint. Mira ſunt, quæ ſibi injunxerunt, quæ fecerunt, quæ pertulerunt, ut linguam domare poſſent. Sed his deſcribendis non eſt hic locus. Ceterum illud valde perpendendum, quod D. Baſilius cum de ſpiritualium morborum curatione agit, quomodo contraria contrariis curanda ſint, murmurationem graviſſime punit, ſeparatione videlicet ab aliis, & ut nemo ex fratribus cum ipſo in opere eſſe velit. Quin etiam addit in deteſtationem tanti mali, ut opus quod ille laboravit, cum aliis ne miſceatur: &, quod magis mirandum eſt, poſtquam ille humiliter pœnitentiam egerit, & eo morbo liberatus fuerit, admitti quidem poſſe tunc illud opus, ſed ne tunc quidem in uſum fratrum erogandum, verum in alium aliquem, propter rationem ſupra allatam, quam attulit Interrogat. 29. quod ex admiſſione ejusmodi operis, non ſinatur ille advertere quantis in malis verſetur. Indicat quippe hic ſanctus Pater, ita terrendum hominem, ita confundendum, ita ſui facti turpitudinem edocendum, ut vel ex eo, quod ne labores quidem illius recipiantur, intelligat ubi jaceat. Quod totum certe ſine ſuſpiriis legi non poteſt. Sed mirum eſt quanto cum animi ſenſu S. Chryſoſtomus damnet & deploret hoc vitium, ut & abundantiſſimos lacrymarum fontes ex oculis laxare cupiat; nec tamen ullum fore luctum tantæ, ut ipſe loquitur, tragœdiæ condignum putet. Mirum eſt quam ſubtiliter tanti criminis naturam, cauſas, malitiam, ſigna, indignitatem, damna, remedia deſcribat. Si naturam ſpectes, nihil aliud hoc eſſe ait, quam ſibi invicem inſurgere, in ſeipſos morſus laniatusque convertere, in ſuam carnem voracitatem exercere, ſagittas verborum in fratres, imo acriora ſagittis vulnera, infligere, gladium denique in animam ipſam acuere. Si cauſſas; cupiditatem & invidiam notat, & eas quidem mendacio fallaciæque ſubnixas. Si malitiam; fratricidio

Exempla Sanctorum perpendenda.

S. Baſil. reg. ſuſ. diſput. Interrog. 51.

Ibidem Interr. 29.

Tom. 5. ſer. de laude Dei.

Ejus vitii natura.

Cauſſæ.

Malitia.

cidio & ſacrilegio comparat: fratricidio quidem cum fraternam ſocietatem usque ad charitatis interitum lædat: quod cædis inſtar à Caino factæ, tanto eſt iniquius, quanto conſanguinitas ipſa ſublimior: ſacrilegio autem cum ipſum Chriſti corpus quodammodo violetur. *Intelligas*, inquit,
Signa. *cum in fratrem contumeliam dixeris, Chriſti te membrum vituperaſſe.* Si ſigna: *Poſſunt*, inquit, in vobis *hæc recognoſci, cum quisque proximi auribus verba inſuſurrat, obticeturque ſtatim ſi quis propius accedat, & de medio tollitur acceptus ſermo.* Et paulo poſt, *Vnde complures*, inquit, *re-*
Indignitas. *peries gentili potius quam Chriſtiano ſe credere.* Si indignitatem; eo magis, inquit, queror vos ſub eodem tecto, templo, paſtore, tot rebus ad con-
Damna. cordiam provocantibus, diſcordes tamen & ſeditioſos exiſtere. Si damna; Primo ſequi ait, caritatis interitum, deinde conſequenter Deum è medio quodammodo profugere: ut enim ubi duo vel tres congregantur in nomi-
Matth. 18. 20. ne ipſius, ibi eſt in medio eorum; ita cum duo vel tres in pacis everſionem conveniunt, ibi medius eſſe recuſat. Tertio, fraternum nomen, quo nihil dulcius aut carius, tenue admodum & exile relinqui ac prope extingui. Poſtremo à nobis ipſis animarum quaſi civile exitium induci. *Si enim*, inquit, *fuerimus in nos ſemper armati, nulla erit dæmonum induſtria ad no-*
Remedia. *ſtrum exitium neceſſaria.* Si denique remedia; ſuadet ut divinæ Euchariſtiæ menſam revereamur, ubi pacis victima Chriſtus apponitur: ut injuria etiam laceſſiti, toleremus tamen & ingemiſcamus, non quidem injuriæ gratia, ſed ob eam inferentis interitum: & ad extremum ut fructum qui ex injuriarum tolerantia naſcitur, cogitemus. Has omnes hujus Patris ſententias libuit in pauca colligere, cum neceſſe minime fuerit tam longum hic illius ſermonem referre, quem tamen utiliſſimum erit perlegere; illudque in primis perpendere apud quos dicat: ſi enim tam graviter ferebat iſta vir ſanctiſſimus in iis, qui ſola Chriſtiani nominis ſocietate conjuncti erant;
S. Bern. ſer. 29. in Cant. quid de illis exiſtimandum, qui arctiſſimo præterea religioſæ caritatis & unitatis vinculo aſtricti ſunt? Sed prætereunda non ſunt quæ D. Bernardus in eamdem fere ſententiam egregie dixit. Ac ſermone quidem 29. in Cantica, *Proinde*, inquit, *dilectiſſimi, pacem habete ad vos, & nolite lædere in-*
Cant. 1. 3. S. Ber. ſerm. 24. *vicem, non facto, non verbo*, &c. Legatur locus. Et ſermone 24. in illud, *Recti diligunt te: Videas ambulare ſeorſum*, &c. Vbi conventicula & detractiones graphice deſcribit. Sed ſermone de triplici cuſtodia manus, linguæ, & cordis, ita rem exaggerat, ut dicat: *Nec vero ejusmodi linguam, ipſo*

ipſo etiam mucrone, quo Dominicum latus confoſſum eſt, crudeliorem dicere vereaaris. Fodit enim hæc quoque Chriſti corpus, & membrum de membro, nec jam exanime fodit, ſed facit exanime fodiendo. Ipſis quoque nocentior eſt ſpinis, quas illi tam ſublimi capiti furor militaris impoſuit: ſeu etiam clavis ferreis, quos ſanctiſſimis manibus illis & pedibus conſummatio Iudaicæ iniquitatis infixit. Niſi enim hujus, quod nunc pungitur & transfoditur, corporis ſui vitam illius vitæ corporis prætuliſſet, numquam illud pro iſto mortis injuriæ, crucis ignominiæ tradidiſſet. Et D. Auguſtinus vehementer matrem collaudat, quod numquam alteri de altera proderet, niſi quod ad eas reconciliandas valeret. Aitque ſe experientia doctum, turbarum & miſeriarum, quas lingua excitat, non parum hoc bonum æſtimare. Et ſubdit: *Animo humano parum eſſe debere inimicitias hominum nec excitare, nec augere male loquendo, niſi eas etiam extinguere bene loquendo ſtuduerit.* Quid igitur Religioſis faciendum?

Idem ſerm. de triplici cuſtodia.

S. Aug. lib. 9. confeſſ. c. 9.

3 Ex damno & perturbatione eorum quibuscum vivunt, morbi gravitas intelligitur: evertunt enim pacem, animorum tranquillitatem, obedientiam, & miniſteria etiam ac fructum in proximis opinione noſtrorum quoquo pacto diminuta, non leviter impediunt. Nec ſolum eo tempore quo loquuntur, & iis perſonis, cum quibus agunt, nocent; ſed lædunt plurimos etiam abſentes, & poſt multos annos, quia rumores & ſuſpiciones in alios & alios derivantur: nec in ea domo, ubi quis eſt, tantum ejus amori & opinioni detrahitur, ſed manat per Provinciam, imo per provincias, ubi poſt multos annos longiſſime poſitus inveniat ille à ſe abalienatos animos eorum, quibus nec nocuit umquam, neque convixit. Quod ſi obedientia illum præfecerit, miſeri ſubditi ex præjudicio, & ſiniſtra illa opinione, & conqueruntur ipſi, & torquent Superiorem, ut nec fiducia, nec reverentia, nec amor in iis locum habere poſſit. Vt merito in ejusmodi detractores, qui venenum tam late diffundunt, illud Scripturæ aptari poſſit: *Væ qui potum dat amico ſuo mittens fel ſuum & inebrians, ut aſpiciat nuditatem ejus.* quod de hac re egregie explicat B. Ephræm. Etiam maxime juvat, ſi attendatur facilitas incurrendi hoc peccatum ex linguæ volubilitate: quo enim facilius peccatum aliquod incurritur, eo diligentior ibi cuſtodia adhibenda eſt. Et certe ſi quis gravem aliquam infirmitatem corporis ex linguæ lapſu accerſeret, quam vigilans eſſet & quam cautus? Et tamen in animæ periculo dormitamus. Imo vero in re leviſſima ſi quis ex defectu

Intelligitur gravitas ex damno proximi.

Hab. 2. 15.

Serm. de vita ſpirit. num. 39. tom. 1.

linguæ in pronuntiatione alicujus dictionis errare ſoleret, quod eam recte proferre non poſſet; ſi huic publice agendum eſſet, quam caute dictionem illam vitaret, ne linguæ vitium prodere cogeretur? Quanto ergo magis illæ cavendæ ſunt voces, in quibus lingua gravius peccat? nec tam corporis, quam mentis vitium manifeſtat? cum illud culpa careat, hoc neque culpa non levi, nec pœna carere poſſit.

Non ſatis eſt bona intentio.

4 Intelligant non eſſe ad excuſationem ſatis, ſi id non ex intentione faciant, & formali ſtudio detrahendi aut Societati aut aliis: quia ex natura rei eadem ſequuntur mala, quocumque tandem animo illud dictum fuerit; nec Societati & aliis minus propterea incommodi evenire: quia cum ſciat ſe facile labi, debuiſſet attentius cuſtodiam ponere ori ſuo; ſicut & qui vim vini & potus expertus, iterum inebriatur, non excuſatur à culpa, quia debuiſſet, potuiſſetque cavere.

Pſalm. 141.

Quid ſi ſe male affectum ſentiat.

5 Si erga aliquem ſentiat ſe eſſe male affectum, de eo rebusque illius ne loquatur, niſi oratione & præparatione præmiſſa: nam facile ex abundantia cordis os loquitur, & de malo theſauro non profert bona.

Matth. 12. *ibid.* 35.

Statim lapſus Superiori aperiendus.

6 Si quando labatur, ipſe ultro ſeſe Superiori, vel Confeſſario ſtatim deferat: & caveat ne ea nocte cubitum eat, priusquam confeſſione ſe abluerit: tum ut, ſi forte mortale ſubſit, in peccato ne dormiat; tum etiamſi non eſſet, facilius veniam impetret & medicinam. Quod ſi faciet, maximum ſine dubio præſidium ſentiet.

Vitanda quæ ſunt in cauſa.

7 Fugiat tamquam venenum, eorum colloquia & converſationes, cum quibus errare ſolet: nec de rebus ad alios pertinentibus, maxime vero ad gubernationem, niſi valde circumſpecte & paratus loquatur, etiamſi forte leve id quod dicitur, ſibi videatur, nec quidquam mali ſuſpicetur.

Graviter objurgandus.

8 Vbi in eo erraverit, excipiatur à Superiore gravi aliqua objurgatione & commemoratione aliquorum, quæ hic dicuntur. Creſcit enim morbus hic, ſi quis alius, ex indulgentia & defectu correctionis ultra quam credi poſſit. Mulctetur interdum pro qualitate culpæ, nam & Salomon admonet: *Mulctato peſtilente, ſapientior erit parvulus.* Si tamen contra perſonam ipſius Superioris fuerit murmuratio, ſervanda erunt quæ dicta ſunt de tentatione contra Superiorem cap. 14. num. 5. & 6.

Prov. 21. 11.

Quid ſi res non erit publica.

9 Niſi res fuerit valde publica, & ſcandalum potius ob diſſimulationem naſcatur, non erit de hujusmodi in publica reprehenſione & parva menſa reprehendendus, niſi forte in genere de inordinata & indiſciplinata locu-

locutione & murmuratione. Sed monendus diſerte, id publice non fieri, quia valde ſcandalizaret, ſi ſciretur, hoc eum dixiſſe: ideo graviorem arbitretur culpam. Bonum tamen erit, ſi is coram quibus dixit, ſe humiliet, dicta retractet, culpam dicat, & de ſcandalo veniam petat.

10 Referre alteri de altero, quod charitatem lædat, non pernicioſum tantum, ſed diabolicum arbitretur; & recordetur, quomodo Conſtitutiones hujusmodi homines appellent, videlicet Peſtem; quid in eos ſtatuant, id eſt, ut ſeparentur vel à Domo, vel etiam à Societate. Nec diſſimilem ſententiam tulit S. Baſilius, ubi ait: *Qui detrahit fratri, vel detrahentem auſcultat & tolerat, qua hic animadverſione dignus eſt?* reſpondet: *Exterminandi à reliquorum ſocietate ambo: Detrahentem enim ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar. Et alibi dictum eſt: Detrahentem nolito libenter audire, ne ſubſtollaris.* Et addit Interrogatione ſequenti: *Si verò Antiſtiti etiam detraxerit, quo pacto cum illo nos geremus?* reſpondet: *Manifeſtum eſt hoc quoque judicium ex ira Dei adverſus Mariam, quando detraxit Moyſi, cujus peccatum ne ipſo quidem Moyſe deprecante, inultum dimiſit Deus.* Et de hujusmodi videtur dixiſſe Salomon: *Ejice deriſorem* (ſive *peſtilentem*, eadem quippe vox eſt) *& exibit cum eo jurgium.* Niſi enim ſerio tales emendentur, jurgia & diſſenſiones proculdubio deeſſe non poterunt.

Relationes contra alterum pernicioſæ.

S. Baſil. reg. brev. reg. 26.

Pſalm. 100. 5.

Num. 12.

Prov. 22. 10.

11 Inveſtiget ipſe infirmus diligenter hujus morbi cauſas. Sunt enim qui detrahunt ex aliqua averſione in alium concepta, de quo dulciter quaſi loqui neſciunt. Sunt qui ex quadam vanitate aliis detrahunt, alios judicant, & de omnibus decernunt, probantes, improbantes, quaſi ſoli ſapientes. Sunt qui ex invidia, & aliorum factis detrahunt, &, ut ait S. Hieronymus, aliorum lucra ſua damna reputent. Sunt qui animo Superiorem taxandi, quod hunc vel illum præponat, quod fere ex eadem invidiæ & ſuperbiæ radice prodit. Hic autem invidiæ morbus, qui mortiferi baſiliſci morſus eſt, quam ſit periculoſus, & ad curandum difficilis, egregie docet Caſſianus Collat. 18. cap. ult. quod diligentiſſime perlegendum eſt. Ex his atque aliis hujusmodi, cum detractionis vitium oriatur, ibi medicinam apponat, ubi viderit eſſe hujusmodi infirmitatis peſtiferam, ſed feracem valde radicem.

Ab infirmo cauſæ inveſtigandæ.

Caſſian. Coll. 18. c. ult.

12 Videat quam miſerum ſit, cum cetera Religionis onera portet, exponere ſe tam probabili periculo perdendi frequenter omnia, ſi incidat in mortale, quod in hujusmodi facile eſt. Quod ſi Deum graviter offendere,

Periculum cui ſe exponit.

dere, imo vel ſuggerentem Satanam ſuſtinere, non modo Religioſo, ſed Chriſtiano homine indignum eſt; quid cenſendum, ſi ea omni cuſtodia non vitemus, ex quibus id facile conſequetur? Revera tremendum. Sed quos minus hæc ſollicitudo pungit & urit, retineat ſaltem laborum & meritorum jactura, difficultas pœnitentiæ, & labor reſurgendi.

Examen particulare & alia id genus.

13 Ad examen particulare cum aliqua pœnitentia, quoties ceciderit, orationes & lacrymas ſerio confugiat, ſciens quod ad periculum cadendi, & aliorum damnum attinet, periculoſius ſe hoc morbo, quam contra caſtitatem tentari: & tamen ex iſta tentatione, quomodo humiliatur, quomodo omnia tentat, non omittit diſciplinas, orationes, Sacramentorum frequentiam? In lingua vero, quaſi nullum eſſet periculum gravioris caſus, tam facile prolabimur. Evellendus omnino hic error ab animo, & diligenter periculum præcavendum.

Odioſus fit omnibus.

Rom. 1.30.

Pſalm. 48.14.

14 Videat attentius, quam odioſus fiat omnibus, qui in eadem domo verſantur, forte etiam illis ipſis apud quos loquitur. Sed parum eſt. Quid ſi gravius illud addatur, quod Apoſtolus ait, *Detractores Deo odibiles?* Quid miſerum magis, quam Deo & hominibus eſſe odioſum? & *poſtea in ore ſuo* hujusmodi miſerabiles *conplacebunt*.

Superiori ſervanda reſponſa ad Romanam Congr.

15 Poſtremo ſervet Superior quæ habentur in Reſponſione ad quamdam Congregationem Provincialem anni 1590. quæ ſic habet: Primum quidem occaſiones captare debebunt (id eſt, Superiores) in domeſticis exhortationibus, quæ ad noſtros haberi ſolent, ac ſerio inculcare, quantopere hoc vitium conſcientiæ, pietati, ac paci noceat. Secundo, ut præter communes ſyndicos, nonnulli occulti adhibeantur, qui in particulari de hoc vitio referant; & ut delinquentibus in eo vel pœnitentiæ injungantur publicæ, vel correctiones ſecretæ, prout res tulerit, adhibeantur. Tertio, Confeſſarii pœnitentes ſerio moneant in his graviter peccare poſſe. Et ſi quidem detractio fuerit mortalis, referat ad Superiorem, juxta Ordinationem decimam quartam ex viginti duabus quas Kalend. Auguſti 1590. ad Provincias miſimus. Si tamen caſus mortalis non fuerit, moneant illum ſerio, pœnitentiamque injungant, ac remedia tum particularis examinis, tum alia proponant. Poſſunt etiam eos in privatis colloquiis extra confeſſionem monere, ut à conſuetudine eorum, ſi quos noverint aut viderint in hoc vitium impingere, diligenter caveant. Quarto, quoniam non raro multam præbet occaſionem hujusmodi querelis & obmurmurationibus ſcire

quid

quid in conſultationibus dictum aut determinatum ſit; ratio habeatur quam diligentiſſime, ut Conſultores ſervent ſecretum, juxta officii ſui regulam. Quinto, plurimum nocet, ſi Admonitor & Conſultores ita cum accedentibus & contriſtatis agant, ut ſpe illos fovendi & juvandi, ea de Superioribus dicant, ut dolentium querelas approbare, atque idem quod illi de Superioribus ſentire videantur. Hoc enim modo etiam contra illorum intentionem foventur querelæ & murmurationes, & confirmantur magis. Sed ita accedentes amanter excipiant, & patienter audiant, ut Superiorum auctoritatem & amorem ſervent. Non enim deerit modus conſolandi eos, qui in amaritudine ſunt, etiam operam ſuam apud Superiorem promittendo, modo caritas & prudentia ac neceſſaria in verbis circumſpectio non deſit. Sexto, moneantur inter noſtros ſelectiores nonnulli, qui ſi quid tale in noſtrorum Collegiis viderint irrepere, id impedire, ſermonemque divertere curent, vel meliores interponendo ſermones, vel ſuaviter & amanter dicendo non eſſe tutum ſimile quid proferre. Septimo, intelligant etiam noſtri, tum in exhortationibus, tum à Confeſſariis, & ſerio doceantur, in detractione & murmuratione facile eſſe lethale peccatum. Et quamvis in particulari ex circumſtantiis fieri poſſit, ut culpa non eo pertingat, tamen ex natura rei, ſi non ſemper mortaliter, fere tamen graviter peccari: exempli gratia, cum malam de Prælatis opinionem ſubditorum animis per hujusmodi verba inſerimus, vel bonam evellimus, aut quovis modo ipſos à Prælatis alienamus; cum Obedientiæ vires & ſimplicitatem enervamus: cum diffidia, ſimultates, & animorum averſiones inter fratres ſeminamus: cum communem pacem, tranquillitatem & regularum diſciplinam perturbamus. Qua de re B. Bernardus pulchre ſic ait de Religione loquens: *Proditores fiunt quicumque in hoc Domini caſtrum inimicos ejus introducere moliuntur: quales ſunt utique detractores, Deo odibiles; qui diſcordias ſeminant, nutriunt ſcandala inter fratres. Sicut enim in pace factus eſt locus Domini, ſic in diſcordia locum fieri diabolo manifeſtum eſt. Non miremini fratres, ſi durius loqui videor, quia veritas neminem palpat. Omnino proditorem ſe eſſe noverit, ſi quis forte (quod abſit) vitia quælibet in hanc domum conatur inducere, & templum Dei ſpeluncam facere dæmonum. Gratias Deo non multos hic invenimus hujuſcemodi. Sed tamen deprehendimus interdum forte nonnullos, qui colloquantur hoſtibus, & paciſcantur fœdus* S. Bern. ſer. 3. de dedicat. Eccleſ. Rom. 1. 30. Pſalm. 75.

cum morte, hoc eſt, moliantur quod in eis eſt, imminuere Ordinis diſciplinam, intepeſcere fervorem, turbare pacem, lædere caritatem.

Melancholia, ſcrupuli, &c.
Capvt XVIII.

De hoc morbo tam multa, tamque utilia à multis conſcripta ſunt, ut non ſit neceſſe plura dicere.

Quinam legendi.

Gerſ. tract. contra puſill. p. 3. & de præpar. ad Miſſam.

1 Legi poterit Gerſon tract. contra Puſillanimitatem, parte tertia, & de præparat. ad Miſſ.

Quomodo juvandi.

2 Hi ordinarie fovendi, amanter excipiendi, animandi, nec illis dubie, aut cum hæſitatione loquendum, ſed clare: Nihil hoc; Mittat iſta ſecurus; Ne repetat; Hoc facito; Ego rationem reddam Deo, &c.

Scrupuloſi circa peculiaria objecta.

3 Illud tamen prætereundum non eſt, eſſe interdum aliquos, qui non ex nimis timorata conſcientia in ſcrupulos vergant, ſed peculiari aliqua ex cauſa circa unum aut alterum objectum cum ſint anxii & ſcrupuloſi, in reliquis tamen minime timorati & indiſciplinati inveniuntur. Experti enim ſumus alioqui ſpiritualis profectus & religioſæ obſervantiæ valde negligentes, & ſine ſcrupulo multas admittentes imperfectiones, ob quas tandem è Societate dimittendi fuerint; qui tamen in nonnullis anxiè nimis & ſcrupuloſe agentes, finem numquam faciebant confeſſionibus generalibus, facultatibus petendis, & hujusmodi. Quod ideo dicendum fuit, ne tales homines ſemper foveantur, & eorum conſcientiæ dilatentur, ſicut cum ſcrupuloſis agendum: ſed ut diſcrete in iis tantum juventur lenitate & indulgentia, in quibus indigent: in ceteris moneantur de laxitate, & ut videant hæc inter ſe non cohærere: quinimo contingere poſſe, ut ex nimia negligentia & ſocordia hos ſcrupulos permittantur incurrere. Evigilent itaque cum fervore: animandi tamen cum dexteritate, prout ratio docebit.

FINIS.

INDEX

INDEX CAPITVM.

DE iis quæ neceſſaria ſunt ad curationem rectè faciendam. Cap. 1. pag. 266
De ſuavitate & efficaciâ in gubernatione conjungendis. Cap. 2. 271
Ariditas & diſtractio in oratione, & rebus devotionis deſolatio. Cap. 3. 276
Languor & debilitas in ſpiritu & virtutibus. Cap. 4. 281
Difficultas & repugnantia in obedientiâ. Cap. 5. 284
Effuſio ad exteriora, ſive ex ariditate internâ, ſive ex quadam inquietudine. Cap. 6. 286
Amor excellentiæ & honoris, vanitas, unde plurimi defectus, excuſatio & defenſio in culpis. C. 7. 288
Inclinatio ad ſenſualitates, amicitias, otioſitates, & ſcurrilitates. Cap. 8. 290
Profunditas & defectus claritatis, ita ut nec ipſi ſe aperiant, nec intelligantur, & deferri gravatè ferant. Cap. 9. 292
Iracundia & impatientia, vel ſubitæ & frequentes, vel diuturnæ averſiones. Cap. 10. 294
Laxitas in obſervatione regularum, & libertas; denique conſcientia minimè timorata. Cap. 11. 298
Imaginatio infirmitatis, aſpirare ad quietem, & recuſare miniſteria. Cap. 12. 300
Tentatio contra Inſtitutum, & aliquot Regulas quæ non placent. Cap. 13. 302
Tentatio contra Superiorem, cum averſione & diffidentiâ. Cap. 14. 306
Sæcularitas, & aulieiſmus, inſinuans ad familiaritates & gratiam externorum. Cap. 15. 312
Pertinacia & durities judicii, cum contentione. Cap. 16. 313
Perturbatio pacis, & ſeminatio disſenſionis & jurgiorum. C. 17. 314
Melancholia, ſcrupuli, & anguſta conſcientia. Cap. 18. 322

INDEX RERVM.

Amicitiæ.

NATVRA hujus morbi. pag. 290
Remedia. ibid.
Affectus peculiares vincendi. 291
Quid cum carnis tentat, quis pulſatur. Ib.

Amor excellentiæ & honoris.

Morbi ſuperbiæ ſigna. 288
Superbiæ fructus. ibid.
Remedia. 289

Anima.

Animarum curatio, quanto præſtantior, eo difficilior. 265

Ariditas.

Examinanda. 275
Ejus cauſæ. 276
Quid ſi longo tempore duret. 277
Quid ſi in matutina oratione acciderit ib.
Cum provenit ex inordinato affectu. ib.
Cum ex inopia materiæ. ib.
Cum ex negligentia & otio. 278
Quid maxime fugiendum. ib.
Cum ex nimiis occupationibus. 279
Cum ex ſubtractione divina. ib.

Averſio à Fratribus.

Quid cum fuerint averſiones diuturnæ. 294
Averſi per Confeſſarium & Superiorem reconciliandi. ib.
Cauſa amaritudinis tollenda. 295
Charitatis ſigna exhibenda. ib.
Si fuerint ſubitaneæ hæ paſſiones. 296
Iratus quomodo accipiendus à Superiore. 297
Quid Superiori faciendum, &c. ib.
Vide Superior.

Aulicismus.

Quam faciem induat. 312
Hujus ſigna. ibid.
Hujusmodi homines ſtatim amovendi. ib.
Indicanda pericula. ibid.
Occupandi in miniſteriis. 313
Publice reprehendendi. ibid.
Etiam externis denegandi. ibid.

Conſcientia minime timorata.

EO morbo affectus qualiter juvandus. 299
Quid cum in re gravi peccat. ibid.
Aſſociandus alicui ſpirituali viro 300
Exercendus in exercitiis ſpiritualibus. ibid.
Tepiditatis effectus. 298
Profectus in ſpiritu examinandns. ibid.
Semper perfectionis habenda ratio. 299

Devotio.

QVinque cauſæ ſubtractæ devotionis ex S. Bonaventura. 279
Decem & ſeptem ex Gerſone. 280
Quid in ſubtractione præſtandum. ibid.

Diffidentia.

Vide Superior.

Diſcordia.

Hujus morbi gravitas. 314
Exempla Sanctorum perpendenda. 315
Ejusdem morbi natura, cauſa, malitia, ſigna. ib.
Remedia. 316. & 318
Ejus gravitas ex damno proximi attendenda. 317
Relationes contra alterum pernicioſæ. 319
Cauſæ ab infirmo inveſtigandæ. ibid.
Pericula. ibid.
Particulare examen adhibendum. 320
Superiori ſervanda reſponſa ad Romanam Congregationem. ibid.

Diſtractio in oratione.

Vide Ariditas.

Effuſio ad exteriora.

Vide Exteriora.

Exteriora.

AD ea effuſio, & effuſionis cauſæ. 286
Hujusmodi infirmus occupandus in utilibus. ibid.
De quibus monendus. 287
A viſitationibus abſtinendum. ibid.
Seſe frequentius colligat. ibid.
Frequentius orationi vacandum. ib.

Gubernatio.

RAtio ſpirituales viros gubernandi fortis & ſuavis. 271
Hujus difficilis praxis. ibid.
Quid Superiori præſtandum ut utramque aſſequatur. ibid.
Inſuavis gubernationis capita. 272
Remiſſæ gubernationis capita. 273
Aſperitas & laxitas. ibid.
Quomodo conjungendæ. ibid.

In quo

In quo ſuavitas ſit poſita. 275
Quomodo miſcenda cum benignitate ſeveritas, ſecundum Conſtitutiones. ib.

Honor.

Vide Amor.

Impatientia.

Vide Averſio.

Inclinatio ad ſenſualitates & amicitias.

Vide Amicitia.

Infirmus.

Spiritualiter infirmi, *ſuſcepti* dicuntur. 266
Quid ſi voluntas in infirmo deſit. 286
Difficultas ex infirmi voluntate quomodo curanda. 267
Morbus agnoſcendus. ib.
Infirmus non facile damnandus. 300
Eidem compatiendum. ibid.
Quid cum infirmitas non apparet. ib.
Alia remedia. ibid. & ſeq.

Iracundia.

Vide Averſio.

Inſtitutum.

Tentatio contra Inſtitutum. 302
Quomodo medendum. ibid.
Detegenda morbi gravitas. 303
Inſtituti ſanctitas oſtendenda. 304
Veſtigandæ radices. ibid.
Solutio objectionum contra inſtitutum. 305
Infirmus hujuſmodi ſpiritualibus exercitiis juvandus. 306
Interdicendum, ne aliis communicet. ibid.

Iudicium pertinax.

In ſpeculativis adhibendi Doctores. 313
In practicis de quibus infirmus monendus. 314
Remedia. ibid.

Languor in ſpiritu.

Hujuſmodi morbi remedia excitantia 281
Miſeria hujus ſtatus. 282
Pericula. ibid.
Languor frigus animæ. ibid.
Vitia tepiditatis. 283
Examen hujus languoris. ib.
Remedia. ibid.

Medicina ſpiritualis.

Eius præcepta. 265
Nihil eſt incurabile. 287
Agnoſcendus eſt morbus. ibid.
Medicamentorum congruitas. 269
Opportunitas. ibid.
Medicamenta ſuavitatis adhibenda. ibid.
Perpendenda ante curationem. 270

Morbus.

Agnoſcendus. 267
Modus indagandi morbum. ibid.
Morborum ſpiritualium genera ſexdecim. 270
Morbi leviores ſigna gravioris. 288
Quid cum infirmitas non apparet. 300
Alia remedia. 301

Obedientia.

Eius pulchritudo & neceſſitas. 284
Legenda epiſtola B. P. Noſtri. ibid.
Exempla Sanctorum colligenda. 285
Cauſæ repugnantiæ examinandæ. ibid.
Deus in Superiore agnoſcendus. ibid.
Animi præparatio ad quodvis. ibid.
Quomodo in levioribus aſſueſcendum. ibid.
Exercendus in difficilibus. 286
Interdum pie condeſcendendum. ibid.
Quid ſi voluntas in infirmo deſit. ib.

Oratio.

Ad eam confugiendum. 267
Vide Ariditas in oratione.

Profunditas.

Oſtium Diaboli. 292
Hujus defectus exempla. 293
Pericula. 294
Remedia, Crebra conſcientiæ redditio. 293
Lectio, & meditatio. 294

Scrupuloſi.

Quomodo juvandi. 322

Senſualitas.

Vide Amicitia.

Spiritus languor.

Vide Languor.

Superior.

Ejus obligatio. 266

Idem medicus ſpiritualis. ibid.

Ejus dexteritas. 268

In Superiore novem requiruntur, quæ aromatum nomine explicantur. ib.

Se ipſum examinet. 270

Averſio à Superiore. 306

Quid in ſe disquirat Superior. ibid.

Via tollendi ſuſpicionem à ſubdito. 307

Ferendæ Superiori ſubditi imperfectiones. ibid.

Spiritu caritatis juvandus averſus. ibid.

De murmurationibus contra Superiorem per alium monendus. 308

A gravioribus Patribus juvandus. ibid.

Quomodo ſe gerat Superior in colloquio. 309

De gravioribus monendus. 310

Ad Superiorem frequentius adeundum hortandus. ibid.

Quomodo credenda quæ referuntur. ibid.

Subditi opera quomodo utendum. 311

Quid Superiori cum iratis faciendum. 297

Superiori ſervanda reſponſa ad Romanam Congregationem. 320

Tepiditas.

Ejus Effectus 298

Vide Languor in ſpiritu.

Item & Conſcientia minime timorata.

FINIS.

R.P.

R. P.

CLAVDII AQVAVIVÆ
SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITI GENERALIS

INSTRVCTIO

Pro Superioribus

Ad augendum conſervandumque ſpiritum in Societate.

Juxta editionem excuſam



ANTVERPIÆ,

Apud JOANNEM MEVRSIVM.

SVPERIORVM PERMISSV.

AD SVPERIORES SOCIETATIS.

ANNI ſunt propè ſeptem, cùm miſſa ſunt ad Provincias ſex Capita, quibus præcipua quædam Monita, quaſi fontes ſpiritualis noſtræ adminiſtrationis continebantur, ad conſervandum augendumque ſpiritum in Societate à R. P. N. Generali excogitata, & cum Patribus Aſſiſtentibus communicata: quæ poſthac Superiores lectitarent ſtudioſè, & ad faciliorem commodioremque gubernandi rationem præ manibus haberent. Quin etiam anno antè eâ de re ſeriò moniti Provinciales, qui omnino efficerent, ut in ſuis Provinciis eorum copia Superioribus ſuppeditaret, eſſetque exemplar penes unumquemque. Verùm cùm experientiâ compertum ſit, hæc à multis ignorari, nedum à ſingulis legi atque verſari, eorumque inopiâ in Provinciis plerumque laborari, quà in exſcribendo labore, quà ſenſu quodam, quo, neſcio quonam pacto, iis pervolvendis legendiſque magis oblectamur ac ducimur, quæ à typis lucem accipiunt, quàm quæ in membranis ſcripta deliteſcunt; ob id è re Societatis fore, ac propè neceſſarium viſum eſt, ſi ea typis excuſa ederentur: ſpe factâ, illud omnino commodi ex hac editione futurum, ut ſi ſuppeditante copiâ pervolutari hæc incipiant, ac Superiorum manibus teri, is quem tantoperè expetimus, & ad quem tot conditæ leges, & hæc ipſa capita diriguntur, fructus in diem capiatur uberior (hoc eſt ea quæ jubentur, exequi non remiſsè) & tantus ac tam utilis labor non omnino irritus reddatur. Quod equidem ut & futurum planè confido, ſi ea diligenter, ut par eſt, Superiores meditando commentandoque perlegerint; ſic pro certo habeo facturos alacriter, cùm P. Noſtri vigilantiam propè ſingularem experti, qui totus eſt in elaborando perficiendoque ſpiritu in Societate, intelligent ex hujus aurei libelli commentatione non parum emolumenti in ſubditos redundaturum. Romæ, Kalendis Ianuariis. 1604.

Mandato R. P. N. Generalis.

BERNARDUS DE ANGELIS
Secretarius

De inſtruendis formandiſque Superioribus.

CAPVT I.

Cur poſt multas & varias ordinationes editas optatus fructus haud extiterit.

QVANDOQVIDEM poſt varias ordinationes, poſt crebras Superiorum ad officii ſui curam excitationes, poſt viſitationes denique, tum ſolemnes Provincialium, tum extra ordinem inſtitutas Viſitatorum, nondum tamen is fructus, nec ſpiritus incrementum aut fervor elucet, quem omnes optamus, & quem ego ut omnibus modis procurem privato ac præcipuo muneris mei vinculo admoneor; in hanc cum Patribus Aſſiſtentibus meis deliberationem veni, ut ab Vrbe per aliquot hebdomadas ſecedentes, animum intento ſtudio ad contemplandas detrimentorum noſtrorum radices & remedia referremus. Re autem multis precibus & ſacrificiis Deo Domino diligenter commendatâ, manifeſtò deprehendimus, reliquos omnes defectus ab uno executionis defectu tamquàm ex fonte manare: quia ſi ordinationes diverſis temporibus editæ, imò ſolæ Regulæ ipſæ ſi obſervarentur, vix admodùm eſſet, quod in ſtudio perfectionis, religioſáque diſciplinâ deſideraretur. Et quoniam hæc ipſa executio maximâ ex parte pendet à Superioribus, proptereà primum ac peculiare ſtudium in eo ponendum eſſe cenſuimus, ut accuratè inſtruantur formenturque Superiores. Fruſtrà ſiquidem libri Regulis, Ordinationibus, ac Viſitationibus implentur, ſi deſint animata inſtrumenta, quæ ſpiritum ſubminiſtrent, & vividam illarum praxim exerceant. In hunc ergo finem operæ pretium ante omnia viſum eſt de hoc capite pauca, quæ ſequuntur, ſtatuere, ut in poſterum obſerventur.

Radix, executionis defectus.

Vis executionis maximè ab optimis Superioribus pendet.

Provincialis, dum Provinciæ ſuæ loca viſitat, in ſingulis Domibus & Collegiis, cum Superiore ac Miniſtro Conſultores etiam, eoſque, qui aliàs gubernarunt, convocet: coramque cum illis Rectorum & aliorum Subordinatorum Regulas, Ordinationes item, Inſtructioneſque typis excuſas legat. Vbi præter communem earum intelligentiam & declarationem, propria etiam cujuſque praxis, & quibus in eâ modis errari poſſit, ſedulò pertractetur; ita ut practicæ quædam fiant conferentiæ de viâ & modo rectè gubernandi. Legant prætereà, ſed ſinguli privatim, S. Bonaventuræ libellum de Sex alis; tum deinde in medium adferant, ſi quid fortè inter legendum incidit, quod proponant. Neque abs re forſan fuerit, ſi ſemel in eo

A Provinciali in viſitatione quæ legenda & declaranda.

Quid cuique privatim legendum.

in eo congreſſu recitetur etiam epiſtola noſtra ad Superiores. Denique permagni futurum eſt adjumenti, ſi ad rem noſtram & inſtitutum adaptemus, quod S. Baſilius in Reg. fuſ. diſputat. c. 54. ſuadet, ut celebrentur de iis rebus conferentiæ, in quibus labi proclive eſt, & quam quiſque rationem *Conferentiæ habendæ.* in quorumdam morbis, quorum difficilior ad tractandum natura & mores erant, ut illis mederetur ſecutus ſit: quid denique in hoc illóve caſu fieri oporteret, prolatis in medium variis interrogatiunculis, & peculiaribus circumſtantiis. Quam ad rem conferent juvabuntque, ut ſpero, aliquot induſtriæ, quas ad ſpiritualium infirmitatum curationem appoſitas, ut eorum qui gubernare incipiunt, inſtructioni, aliorum etiam memoriæ ſerviant, *Proderunt induſtriæ jam editæ.* propediem miſſuros nos confidimus; cùm adeò diſcrepans à corporum medicinâ, tantoque quàm illa, difficilior ſit hæc curatio, propter cauſas, quas Gregorius Nazianzenus Apologetico ſuo complexus eſt, & Gregorius alter Papa præclarè item explicat pluribus in locis. At Superiori privatim poſteà indicabit Provincialis, ſi quid fortaſſe in hoc illóve curando peccârit, & quomodò in poſterum ſe gerere debeat ne aberret.

Quod ipſum cùm ad Domus cujuſpiam viſitationem acceſſerit, cum *De quibus circa has conferentias Generalis monendus.* ejus Superiore & Conſultoribus præſtabit, aliiſque de quibus dictum eſt. De ſingulis autem, re perfectâ, ſuis ad nos litteris perſcribet; quos nimirum convocârit, & in hunc modum inſtituerit: quemadmodùm ſucceſſerint conferentiæ; quantum judicii unusquiſque, & quantum in ſe ſpiritus oſtendat; ſcribentque de iiſdem etiam rebus ſinguli, tum ipſius Provincialis, tum uniuſcujuſque Collegii Conſultores.

Nunc verò, ut ad ipſum Superiorum officium veniamus, oſtendamus- *Superiorum errata.* que quibus in rebus errare, ac muneri ſuo deeſſe poſſint; doceri debent, errores defectusque ex eo naſci, quòd ſubditorum ſuorum morbos vel ignorent, vel negligant, vel foveant interdum ipſi, vel etiam augeant, vel eos denique exaſperent & gravius exulcerent. Ad hæc enim capita quinque omnes hujus ſpiritualis medicinæ defectus revocari videntur.

1 Et ignorant quidem, vel quod ad actus ipſos extrinſecos, eò quòd *Ignorant ſubditorum morbos.* fidos vigilanteſque ſyndicos non adhibent, non percontantur à quibus & quando ſciſcitandum eſt. Miniſtrum nec habent idoneum, nec fingere ipſi aut formare norunt. Filiorum denique ſuorum ægritudines paterno affectu ac ſollicitudine non obſervant. Intrinſecus autem, quia aut conſcientiæ rationem, quo par eſt modo, non exigunt; aut ſubditi ipſi minùs

eis confidentes, aperire ſe penitùs non audent; ita ſit ut interdum durior quædam agendi ratio, & parum affabilis homines alienet; interdum opinio, quam de Superioribus ſuis quaſi fuco & artificio utantur, animo conceperunt: quo quidem certior nulla peſtis eſſe poteſt, cùm accidere nihil poſſit, quod animos ab amore ac fiduciâ ſic avocet, nihil, quod ſubditorum mentes magis excitet acuatque ut fucum & ipſi quærant, & res ſuas tectas atque occultas eſſe velint. Vnde ſublatâ mox integrâ ac ſincerâ ſui ipſius erga Superiorem manifeſtatione, quam Regulæ noſtræ & Sancti Patres tantoperè inculcant, occluditur ſine ullâ ſpe remedii via omnis & ratio totius auxilii ſpiritualis.

Negligunt. 2 Negligunt, atque in deteriora labi ſinunt multis modis: ſeu quia paternè ac ſincerè non monent; ſeu quia laqueos & pericula non indicant, quæ ſubditi in ſuis illis defectibus non vident; defectuumque ipſorum radices ac fontes non patefaciunt. Idipſum prætereà faciunt cùm vel pœnitentias non imponunt, culpasque & errata non corrigunt, quod quidem pertinet ad diſciplinam; vel damna non proſpiciunt, nec illis occurrunt vel occaſiones amputando, vel habenas revocando, quod ſpectat ad cuſtodiam. Hæc ſiquidem duplex illa eſt cura; quam ſubditis præſtari à Superioribus debere S. Bernardus affirmat.

Fovent diſſimulando. 3 Fovent aluntque diſſimulando, & connivendo, quaſi non videant; relaxando, ac liberiùs interpretando, diſpenſando ſine causâ legitimâ, ubi nec majus bonum cernitur, nec major Religionis, ſubditive utilitas, quinimò ubi & bonum minus eſt, & majus Religionis, ſubditique ipſius detrimentum. Quæ quidem laxitas & licentia plurimum haud dubie damni affert, longeque ab illâ ſummâ curâ & ſollicitudine diſtat, quâ filii Dei ad perfectionis ſtatum ab eo vocati, educari tractarique debent. Ex quo & illa S. Ephræm præclara ſententia omni certè memoriâ digniſſima. *Eum*, inquit, *qui ceteris præeſt, peritiſſimum eſſe convenit, & ad conſulendum ſaluti Subditorum vigilantisſimum; utque ſingulorum obſervet inceſſum, motum, geſtum ac habitum, adhibitâ etiam debitâ earum rerum correctione, quæ minùs conveniunt, ut ad optimum ea ſtatum formàmque reducantur. Magiſtri enim non ſolùm elementorum figuras Diſcipulis oſtendunt, ſed & minima quæque puncta, diſtinctionesque proponunt. Sic igitur oportet Prælatum nihil quantumvis minimum, quod ad ſalutem pertineat, omittere, quin id fratribus proponat.* Huc usque illius verba.

Serm. de vita ſpirit. num. 36.

4 Au-

4 Augent porrò humano quodam metu, dum placendi ſtudio errata vel leviter tractant, vel penitùs etiam tegunt & diſſimulant. Idemque accidit, cùm remedia opportuno tempore non admovent, quæ poſtea ſcilicet, cùm morbus invaluit, alieno tempore & parum conſideratè adhibere ſtudent; quando & lenia, quæ juvare ſuo tempore potuiſſent, inutilia jam facta ſunt; & acriora ſine gravi incommodo applicari nequeunt. Augent placendi ſtudio.

5 Exaſperant atque exacerbant, cùm in ipsâ correctione ſtomachum potiùs quemdam, animique perturbationem, quàm ſincerum charitatis affectum, commiſerationemque præ ſe ferunt: cùm acrioribus verbis rem exaggerant, iisque nonnumquàm etiam mordacibus, & contumelioſis: cùm acerbiora denique medicamenta ingerunt, quàm aut morbi vis requirat, aut ægri conditio & natura patiatur. Quo ex fonte mala plurima dimanant. Ideoque S. Gregorius ad Vrbicum Abbatem ſcribens, ex intemperato & incondito ejus agendi modo, diſſolutam Monaſterii regulam fuiſſe dicit. *Quod ex nullâ*, inquit, *aliâ re evenire valuit, niſi quia tua dilectio in regimine ſuo inordinata eſt; nec cum gravitate aliquid valet diſponere, ſed modò ſtudet peccantibus leniter blandiri, modò inordinatè & extra modum nimium iraſci.* Exaſperant acriori correctione.

Radices horum malorum in Superioribus hæ videntur eſſe.

I.

IGNORANTIA, ſeu oblivio muneris & partium, quas ab eis exigit officium: quia minimè cogitant ſe medicos, paſtores & patres eſſe: quòd non debeant nec verò poſſint relaxare aut diſpenſare diſſipando, ſed in iis tantummodò, in quibus conſtat talem illius, qui regulas & Ordinationes condidit, mentem fuiſſe. Quodque in omnibus rebus primas tenere oporteat non arbitrium ſenſumque gubernantis, ſed exploratum ac certum judicium, ad majorem Dei gloriam fore id fieri, de quo agitur, quàm omitti; Non recordantur quod S. Baſilius docet, Infirmorum onera & infirmitates portare, ita demum intelligi, cùm in iis curandis omnis fuerit adhibita diligentia. Non recogitant ſe patres eſſe, & patres non corporum, ſed animarum; quique illius locum teneant, qui pater ſpirituum, ut Apoſtolus loquitur, ad id ſemper nos dirigit, quod utile eſt ad recipiendam ſanctificationem ejus. Vnde cavendum ipſis eſt diligenter, ne gubernationem ſuam politico ſenſu & ingenio dirigant, néve humanis reſpectibus pri- Ignorantia Superioris & oblivio muneris ſui.

vata potiùs commoda fineſque, quam divinam gloriam, & ſubditorum perfectionem (quantumvis ipſi excuſare ſe apud ſe, & malum hoc tegere ſtudeant) ſpectantibus ſinant ſe duci. Obliviſcuntur denique ſe non unius cujuſpiam aut duorum Superiores eſſe, ſed omnium, qui ipſorum curæ fideique commiſſi ſunt. Quo fit ut in iis cernantur interdum privatæ in aliquos amicitiæ ac neceſſitudines, quæ offenſionem in aliis ſubditis, & diffidentiam, æmulationemque pariant; tum ſuſpiciones etiam non prorſus vanas, nec inanes, ne affectu aliquo infuſcatæ, minusque ſinceræ ſint informationes, quæ ad mediatos Superiores transmittuntur.

Exigua cura interni cultus.

2 Negligentia, ſeu exigua cura rerum internarum: quia Superior, ſi curam ſpiritus, devotionis, & intimæ cum Deo conjunctionis, ſtudioſè diligenterque complecteretur; rectum procul dubio erga ſe, alioſque in omnibus ordinem teneret. Ideò enim hoc ſtudium Conſtitutiones noſtræ, tamquam primarium ac potiſſimum in Superioribus requirunt. Et S. Bonaventura hanc veluti ſextam, poſtremamque alam faciens, meritò dixit, ſine eâ reliquas perfici non poſſe; cùm per illam zelus juſtitiæ accendatur, pietas compaſſionis erga fratres infundatur, patientia roboretur, exemplum bonum condiatur, diſcretio denique clarificetur. Quamobrem neceſſe in primis videtur, ut & nos omnes in Superioribus deligendis in hoc Dei donum oculos intendamus; & qui ad id munus vocantur, donum hoc à Deo enixè petant, omnique ſtudio proſequantur. Sed quàm neceſſaria ſit iis, qui præſunt, hæc conditio, præclara extant & luculenta S. Baſilii, & S. Chryſoſtomi, utriusque Gregorii, & S. Bernardi, omniumque, ut ſemel dicam, Sanctorum teſtimonia.

P. 4. cap. 10. §. 5. & p. 9. c. 2. §. 1.

Horæ conſiderationis perfunctoria obitio.

3 Omittere, aut perfunctoriè & ſine attentione obire præſcriptam horam conſiderationis. Nec enim dubium eſſe poteſt, quin Superior poſitâ obligationis ſuæ notitiâ, & bonâ ac rectâ cujusque voluntate, communisque Societatis boni, & ſubditorum auxilii deſiderio, ſi vacuo atque attento animo ea conſiderare incipiat, quæ in eâ Ordinatione breviter indicantur; excitari ſe neceſſariò ſentiat, impellique ad executionem. Veremurque non parum, ne ex hujus capitis defectu complures alii ſuboriantur, qui per Collegia in dies conſpiciuntur, & poſt multa monita, Viſitationes, ac litteras Provincialium, eodem tamen in ſtatu ſine remedio ſemper hærent. Propterea eodem ipſo, quo tùm temporis uſi ſumus, ac majore etiam ſtudio & contentione ordinationis illius curam obſervationemque commendamus.

4 Eſt

4 Eſt & alia malorum radix longè pernicioſiſſima, eoque periculo-ſior, quò minùs vulgò noxia cenſeri ſolet, rerum ſcilicet externarum occu-patio, in quam Superiores ferri ut plurimùm, ac variis nominibus ſupra modum effundi ſolent. Sunt enim qui naturæ quadam propenſione ad diſtractiones proni, non ſolùm oblatas occaſiones cupidè arripiunt, ut operam ſuam impendant, ſed eas ipſimet ultrò quærunt, & naſci quodammodo ac ſuccreſcere faciunt. Alii ob rei familiaris inopiam, ſic illis ſe totos tradunt, ut ſumma & præcipua ſubditorum cura in hoc uno ſita eſſe videatur. Alii per ſpeciem proximos lucrifaciendi, multis ſeſe viſitationibus implicant, iisque non modò non neceſſariis, ſed parum etiam utilibus; atque in his ita verſantur, ut à ſæcularium moribus parum abſcedant; adeò ut ſi rationes ſubducere velint, reperiant veſperi, cùm ſerò domum redeunt, ſe perexiguo fructu horas complures, non levi damno ſuorum commodis & conſolationi, diſciplinæque domeſticæ utilitati ſubtractas, conſumpſiſſe. Alii piâ magis ſpecie proximos per conſueta miniſteria juvandi, erga devotulas aliquot operam ſuam ponentes, plus inde occupationis referunt, quàm fructus; ut neceſſarium planè ſit remedium huic malo efficax adhiberi, cùm inordinatæ hujusmodi occupationes non ſolùm tempus eripiant, ſed mentem quoque obſcurent, & cor ipſum indurent: quò fit, ut tacito ſenſu poſt aliquod temporis ſpatium homo nec opinans immutetur, longeque aliter affectum ſe deprehendat, quam ſuſpicabatur. Hinc illa S. Gregorii homilia 17. memorabilis & aſſidue expendenda ſententia: *Curis*, inquit, *ſæcularibus intenti, tanto inſenſibiliores intus efficimur, quanto ad ea, quæ foris ſunt, ſtudioſiores videmur. Vſu quippe curæ terrenæ à cæleſti deſiderio obdureſcit animus: & dum ipſo ſuo uſu durus efficitur per actionem ſæculi, ad ea emolliri non valet, quæ pertinent ad caritatem Dei. Vnde bene Sancta Eccleſia de membris ſuis infirmantibus dicit: Poſuerunt me cuſtodem in vineis: vineam meam non cuſtodivi. Vineæ quippe noſtræ actiones ſunt, quas uſu quotidiani laboris excolimus. Sed cuſtodes in vineis poſiti, noſtram vineam minime cuſtodimus, quia dum extraneis actionibus implicamur, miniſterium actionis noſtræ negligimus.* Neque vero hæc eo dicuntur, quod Superior aut neceſſitati rerum temporalium proſpicere non debeat, aut illi à miniſteriis penitus abſtinendum ſit: ſed quo & illa ordine, modo, auxiliisque conſentaneis procuret (qua de re appoſite S. Bonaventura in Ala quinta diſcretionis, in tertio gemmarum ordine) & hæc ita tractet, ut tantum

In rebus externis occupati.

Cant. 1. 6.

tum ex illis ſibi ſumens, quantum ea quæ officii propria ſunt, minime impediat; quidquid in eis temporis ponere poteſt, id in utilioribus rebus ponat, quæ ſubditis ſimul exemplo ſint tum humilitatis, tum zeli animarum. Quod ſcilicet tum uſuvenit cum vilioribus & egentioribus perſonis operam navat, ubi conſtet majorem ineſſe laborem, & plus meriti, quam honorificæ vel ſpecioſæ occupationis.

Ignoratio ſpiritualiter medendi.

5 Quinta eſt, artem neſcire modumque curandi ſpirituales infirmitates: quia cum præpoſtere initur curatio, ſperari ſalus vix poteſt. Et quoniam ex hoc fonte plurima incommoda naſci ſolent, ob eam rem ſtatuta ſunt, quæ de hoc capite ſupra diximus, quæ quidem Provincialibus unice commendamus

Impatientia in perferendo.

6 Sexta eſt impatientia in perferendis laboribus diuturnæ curationis: quia tametſi malum ſæpe cognoſcant, & medicinam ei facere incipiant; attamen quia curatio hæc non unius aut alterius eſt hebdomadis, ſed tempus longiuſculum requirit, & infirmus reluctatur, paritque faſtidium, defeſſi tandem fractique ſuccumbunt. Ex quo ſequitur, ut aut malum leviter tantum obducant, contentique ſint externa quadam ſpecie, ſine effectu veræ ac ſolidæ ſanitatis; aut tædio certe victi, cum Provinciali importunius agant, ut ſubditus ille alio amandetur. Quod quidem longe mali plus habet, quam prima forſitan fronte videatur. Translato etenim huc illucque infirmo, cum ejus curam ex animo nullus amplectatur; mutenturque in dies & medicus, & ratio curationis, fit ut æger ipſe propemodum deſperet, & ab omnibus Superioribus averſus, in maximas anguſtias miſer redigatur: eo quod abjecto jam priſtino erga Societatem affectu, ad eum modum vivere nequit; & Religione viciſſim adeo gravem omnibus illum, ut Superior eum nullus habere velit, ac prope inſanabilem reputante, quo res tandem emerſura ſit, facile eſt judicare. Quapropter neceſſe eſt, ut magna cum caritate & longanimitate, illius quiſque infirmi curam gerat, quem Dominus ejus fidei commiſit: ſtatuatque ſe in eo rem divinæ ipſius Majeſtati gratiſſimam facere (à qua proinde ſperare, ac ſuis & aliorum precibus in hac curationis ſollicitudine implorare opem debet, mercedemque ampliſſimam expectare) niſi forte hujusmodi aliquando circumſtantiæ concurrant, vel ex parte Superioris immediati, vel ex loci, occupationisve, aut ipſius etiam infirmi conditione, ut diſcreta caritas Provinciali ſuadeat, illum commodius & fructuoſius alio potius in loco curandum eſſe.

7 Septi-

7 Septima & poſtrema, quod non det operam Superior, ut ipſe aliis omnium virtutum exemplo præluceat, ſingularitatem declinando, & modum omnem procedendi, qui ſuſpicionem præbere poſſit, ipſum imperio & gubernatione delectari; ſpecimen dando humilitatis, religioſæ paupertatis, caritatis, ſtudii, amorisque laborum, & quod ad rem maxime facit, obedientiæ erga ſuos Superiores, non voluntatis ſolum, verum etiam judicii, optando ab eis dirigi; monitaque illorum ac reprehenſiones humiliter, & cum ædificatione, quando uſuvenit, ſuſcipiendo; nec contra ægre ferendo, curioſiusve, quis detulerit, obſervarit, ſcripſerit, inquirendo. Et quia quod de exemplo dictum eſt, ſummi prorſus eſt momenti, multa utique hoc loco dicenda forent: ſed nobis ſatis fuerit Sancti Gregorii verbis 24. Moral. concludere. *Neceſſe eſt, ut is, qui præeſt, quæ exempla ſubditis præbeat, ſolerter attendat: & tantis ſe ſciat vivere, quantis præeſt.* Subditque: *Non debet hominum ducatum ſuſcipere, qui neſcit homines vivendo præire: ne qui ad hoc eligitur, ut aliorum culpas corrigat; quod reſecare debeat, ipſe committat. Hinc inde ergo ſe qui præſunt circumſpiciant, ut ſibi & ſubditis vivant, ut bonum quod faciunt, & intra ſinum mentis abſcondant, & tamen ex eo ad profectum ſequentium, exempla rectæ operationis impertiant.*

Defectus boni exempli.

Circa executionem.

Capvt II.

I.

Et quoniam omnis, ut dictum eſt, conatus, non in novis ordinationibus condendis, ſed in earum quas habemus, executione adhibendus eſt; neceſſe omnino fuerit in hanc præ omnibus ſerio ac diligenter incumbi. Prorſus enim docet experientia, & incommoda, quæ inde naſcuntur, liquido demonſtrant; plus in hoc genere deſiderari, quam aut bona tot Dei famulorum voluntas, aut prompta & ſimplex obedientia polliceri debere videantur. Id porro ex trium capitum aliquo naſci ſolet. Primum quod ignorentur interdum à Rectoribus nonnullæ Ordinationes, aut earum certe minime recordentur. Qui enim eas neſciunt, aut memoria non retinent, nec in promptu habent, quod præſcriptum eſt; eos certum eſt, Ordinationum praxim exigere non poſſe. Satis autem conſtat, aliquos Su-

In executionem incumbendum.

Executionis defectus ex ignorantia ordinationum.

periores & Conſultores ſuam nonnumquam ignorationem prodere, cum audiunt admonenturque extare de hac aut illa re talem Ordinationem.

Nimia facilitas & indulgentia.

2 Alterum eſt, nimia quædam facilitas & indulgentia, quando, ut ante dictum eſt, parvi intereſſe putant, atque in manu ſua eſſe arbitrantur, ut diſpenſent, & habenas laxent prout volunt; non aliter quam ſi quidquid conſcio Rectore fit, idem continuo recte ac religioſe fieri credendum ſit. Qua nimirum opinione nulla Religioni pernicioſior eſſe poteſt: quia non Regulas tantum, tot lacrymis & precibus à B. P. N. IGNATIO exaratas, ſed Ordinationes etiam ac decreta, tot item conſultationibus precibusque expreſſa, perſuadere ſibi deberent majoris eſſe momenti, gravioribusque malis declinandis condita fuiſſe, quam ut ab unoquoque Rectore concipi & comprehendi ſtatim poſſit. Quod ſi nondum id aſſequi penitusque cognoſcere potuerunt, hæc ſaltem opinio ac perſuaſio, quod in illis majus quoddam bonum inſit, quam ipſimet intelligant, reverentiam illis atque auctoritatem conciliare deberet, ne tam leviter & pro arbitratu, perinde ac ſi res prorſus indifferentes eſſent, ab eis tractarentur. Hinc enim illa (quam S. Bonaventura deſcribit) Religionum confuſio, *quia pueriles mentes ſibimet dimittuntur ſine fræno retrahente à noxiis, & ſine virga ad ſalubria compellente, aut ex negligentia ſeniorum, aut ex nociva condeſcenſione. Sicut imprudens medicus*, &c.

De Inſtit. Novit. p. 2, c. 1.

3 Tertium eſt difficultas, quæ à ſubditis objicitur. Superiores enim, dum eorum in obediendo repugnantiam cernunt, & quod poſt crebra monita ac pœnitentias, nondum ut aliquid facerent inflecti potuerint; partim ut altercationes devitent, partim quod emendationis ſpem nullam concipiant, nonnumquam etiam humano quodam reſpectu ducti, urgere amplius non audent. Res ſummi plane periculi, errorisque plena: quoniam ſi ei, qui obliquas ſcribendo lineas ducat, regulam applicare non auſis, perſpicuum eſt, qualia tandem ejus ſcripta futura ſint. At in hoc genere tanto gravius eſt periculum, quanto certius eſt ex licentia libertateque agendi ut velis, habitum ingenerari, per quem difficilius in dies evadat, ex regula alienoque arbitrio vitam ducere.

Remedia.

1.

Ordinationum frequens lectio, & hora conſiderationis.

CVRENT Provinciales, ut Superiores locales omnino habeant & legant Ordinationes, horamq; conſiderationis obſervent quam accuratiſſime.

2 Cum

2 Cum viſitant, de hoc capite nominatim inquirant, & ad nos ſingulis ex locis referant, ubi & qua in re peccetur: ſingulis item in locis coram Rectore, ejusque Conſultoribus Regulas & Ordinationes examinent, obſervando in quibus, & quas ob cauſas erretur; & quænam præſcripta ſint remedia. In viſitatione de executione inquirant & Generalem doceant.

3 Admonitor Provincialis, qui ejusdem ſocius, ut plurimum, eſſe ſolet, hoc ipſum peculiari cura inſpiciat; illumque de eadem re commonefaciat, atque ad nos quoque quid fiat aut prætermittatur in hac parte, perſcribat. Quod etiam juxta inſtructionem ſuam præſtabunt uniuscujusque Domus & Collegii Conſultores. Provincialis admonitor id maxime curet.

4 Faciant Provinciales, ut Superiores intelligant, ſibique omnino perſuadeant, eum qui gubernat, ſola ipſa remiſſione plurimum nocere. Itaque non de iis ſolum, qui ea faciant, quæ facere non debent; ſed de his quoque, qui quod facere debent, prætermittunt, dici non poſſe eos talentum habere gubernandi. Vnde neceſſarium erit, ut Provinciales mature de iis nos moneant, qui in hoc genere delinquunt, ut mutari ſcilicet posſint, & alii ſubſtitui, qui diligentius invigilent: quandoquidem Deo rationem recte reddere de mala eorum locorum gubernatione non poterimus, quæ ab hujusmodi Superioribus ex ſancta ipſius voluntate non gubernantur. Remiſſionis damna.

De ſpiritu & oratione.
CAPVT III.

EX operibus ipſis imperfectionibusque quotidianis facile apparet, orationis, internarumque rerum ſtudium haudquaquam in omnibus tantum eſſe, quantum eſſe res ipſa poſtularet. Idemque nobis contingit, quod vaſculo cuipiam accideret, quod peranguſti oris aditu modicam aquam accipiens, complures rimas haberet, quibus illa ſenſim efflueret. Quare præcipuam in hoc ſtudio curam poni neceſſe eſt, quoniam & diſciplina, & miniſteria, atque, ut uno verbo dicam, omnia noſtra recte habebunt, ſi ſpiritu ambulemus. Ad promovendum autem, quoad conferre humana cooperatio poteſt, augendumque ſanctum hoc ſtudium, opportuna in primis hæc pauca videbantur. Potiſſima cura in oratione. Promovendæ orationis media.

1 Primum, ut in exhortationibus ſeriis, & cor ipſum petentibus, ad id crebro incitentur. Exhortationibus accendendi.

Præfecti excitentur.

2 Excitentur identidem Præfecti rerum ſpiritualium.

Frequens uſus exercitiorum ſpiritualium.

3 Frequententur exercitia ſpiritualia, ita ut revera intelligant omnes quantopere illis indigeant, quicumque conditorem ſuum agnoſcere, & in ejus amorem ardentius inflammari deſiderant. Et vero multis verbis minime opus eſt ad perſuadendum, ut feneſtram mane aperiat, qui lucem videre velit.

Exigenda ratio modi in orando.

4 Exigatur primo quoque tempore per Superiorem, aut certe per rerum ſpiritualium Præfectum, ab omnibus domeſticis ratio, quam orando tenent, tum circa materiam, tum circa modum ipſum: in eoque inſtruantur, ut cum fructu peragatur.

Seriæ exhortationes de examinanda conſcientia.

5 Fiant per aliquot dies ſolidæ circa examinandæ conſcientiæ rationem exhortationes. Et quia non omnes forſan Rectores ex ſe habent, unde hoc præſtare pro dignitate poſſint; operæ pretium fuerit, ſi Provincialis, quibus locis opus eſſe judicarit, nonnulla ad eos capita mature cogitata & expenſa transmittat. Cureturque ut ſinguli hebdomadis unius aut alterius ſpatio, in hanc examinis curam diligenter incumbant, ſuos in eo defectus obſervando, de impedimentis cum Præfecto conferendo, rationesque exquirendo, quibus utiliter fructuoſeque id facere poſſint. Commendetur impenſe uſus examinis particularis, ut ſi minus diverſo, communi ſaltem utriusque examinis tempore peculiari cura exerceatur: in eumque finem publica & communis ſit hæc animi contentio; ita ut Domi ſciant omnes, in eo nunc loco ab omnibus operam dari, ut ſeſe in examinis uſu & ſtudio perficiant. Sic enim fiet, ut non fervor ſolum major excitetur, ſed major etiam gratia & influxus per communes omnium preces à Domino impetretur.

Legantur litteræ de renovatione ſpiritus.

6 Legatur attente & cum meditatione aliqua epiſtola noſtra de ſpiritus renovatione.

Extraordinarium ſpatium dent lectioni.

7 Sumant ſinguli ad duarum hebdomadum ſpatium, tempus aliquod extraordinarium, quod lectioni ſpirituali tribuant, pro ſua cujusque neceſſitate legendo ac meditando: inprimisque de cauſis damnisque tepiditatis, de motivis ad Deo perfecte ſerviendum impellentibus, de iis demum, quæ ſibi impedimento eſſe ſentiunt: caput aliquod Gerſonis, ſeu de imitatione Chriſti, S. Bonaventuræ, S. Bernardi, & ſimilium, prout vel ſuperiorum temporum experientia, vel ejus qui dirigit, conſilium edocebit.

8 Inter-

8 Interrogent unumquemque Superiores de cauſis ſuarum diſtractionum, occaſionesque fortiter ac intrepide ſubmoveant: gratum ſiquidem id illi eſſe debet, qui cum propoſitum habeat ad perfectionem contendere, obices omnes removeri ex animo deſiderat. Et Superior ipſe regulam ſuam conſtitutionemque ſervet, quam enixe ſtudioſeque commendamus. Quærendum de cauſis diſtractionis.

9 Præmiſſa efficaci exhortatione de fructibus ſilentii, de damnis & periculis nimiæ loquacitatis, de facilitate ſervandi in Societate ſilentii, ſerio admoneantur omnes, ut Regulam ſilentii minime obſcuram illam, ſatisque manifeſtam, obſervent: imponanturque transgredientibus pœnitentiæ. Nec alienum fuerit, ſi iis qui loquendo modum excedunt, hanc pœnam injunxerint, ut à communi recreatione abſtineant; & tempus illud ab aliis ſegregati ponant in conſideranda obligatione, atque utilitate ſilentii; aut alias item uſitatas pœnitentias. Denique advigilent Superiores, ut vigeat prorſus hujus Regulæ diſciplina, quæ multis in locis plus æquo, nec ſine gravi jactura, negligitur. Verendum enim nobis eſt, ne qui plurimum colloqui & tractare inter nos, & cum proximis ſolemus, minus abſurdum paulatim judicemus, frangi apud nos violarique ſilentium. Ita ut neglecto ejus, tamquam rei, quæ minimum offendat, ſtudio, jaceat omnino regula, maneatque in ſolis libris exarata. Quod vero ſervandi ſilentii permagna ſit in Societate facultas, ei facile conſtabit, qui per tempora & occupationes orationum, examinum, ſtudiorum, diſputationum, miniſteriorumque cum proximo decurrens, animadvertet, excepto utriusque recreationis tempore, quod ſilentii tempus non eſt, perexiguum eſſe ſpatium quod reſtat. Quo graviore utique cenſura & animadverſione digna, majorque linguæ incontinentia ea videtur, quæ poſt tot occupationes, & poſt ſtata recreationum intervalla, vel modicum abſtinere nequit à verbis non neceſſariis. Exhortationes de ſilentio.

10 Adhibeatur peculiaris diligentia, ut recreationes religioſe traducantur, quod eo tempore, niſi recte tranſigatur, refrigeſcat ſpiritus, plurimumque diſtrahatur. Advigiletur, ut non ſolum exterminentur obmurmurationes; ſed explodantur etiam rerum novarum narrationes, libertasque & ſæcularitas indecora. Deſignentur idonei ſyndici, ſubmittanturque ſecreto boni aliqui ac ſpirituales, qui ſermones ſanctos, & religioſæ recreationi convenientes inducant. Recreationes religioſe obeantur.

De Obedientia.

Caput IV.

In obedientia perfici debemus.

Qvartvm, in quo perfici ſummo ſtudio debemus, eſt obedientia. Cujus etſi (quæ divina eſt miſericordia) non exigua virtus cernitur in Societate, cujus ſubditi tanta cum alacritate tot periculis navigationum, tantiſque locorum difficultatibus ſe committunt; & in miſſionibus, confeſſionibus, lectionibus, aliiſque Inſtituti noſtri exercitiis, magno animi ardore & contentione verſantur; tamen cum ea ſit hujus virtutis dignitas ac momentum, ut in ejus abſoluta perfectione præſtantiſſimos B. P. Noſter eſſe voluerit homines Societatis; inficiari non poſſumus, haud exiguum eſſe, quod in multis deſideretur. Quo igitur ad perfectionis hujus apicem contendatur, ſuppleaturque quidquid uſpiam deeſſe poteſt, hæc viſa ſunt ſuggerenda, atque ut re ipſa in uſum veniant, ſedulo commendanda.

Quæ juvare poſſunt.

Aliquot diebus legenda Epiſtola B. P. N.

1 Vt ſinguli dierum aliquot ſpatio Epiſtolam B. P. Noſtri de Obedientia attente legant, meditenturque capita, excerpendo, quæ in ea ſane inſignia & plurima occurrent, tum de virtutis hujus dignitate ac præſtantia, tum de ejusdem neceſſitate, gradibus, & perfectione; de impedimentis, motivis, & ceteris. Veniatque in mentem, quod à S. Baſilio in reg. brev. interrog. 166. dictum eſt: cum quæſiſſet, *Quo animi affectu par illi ſit obedire, qui ad mandati executionem ſollicitet urgeatve? Non minore*, inquit, *quam quo parvulus vehementer eſuriens, vocanti ſe ad paſtum nutrici obtemperat, cum alio in loco Dominus dicat: Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me Patris.*

Ioan. 4. 34.

Opus eſt animi robore.

2 Hoc perſuaſum habeant omnes, animi robore, ac virtute opus eſſe, ut ipſi nos vincamus in rebus arduis: crebras autem contradictiones, procurationes, ceteroſque conatus, qui nonnumquam interponuntur, magnam imperfectionem denotare; proculque ab ea ſimplicitate, promptitudine, alacritate, reliquiſque conditionibus abeſſe, quas virtus hæc requirit, & quas Conſtitutiones noſtræ, baculi cadaveriſque exemplo declarant: non quo interdicatur id, quod eadem Conſtitutio & Epiſtola permittunt, ut Superiori proponatur, ita nimirum, ut præmiſſa oratione, & cum indifferentia, quæ ibidem præſcribitur, eo denique modo id fiat, ut vere nihil aliud ſit, quam repræſentare, hoc eſt, ob oculos Superioris ponere, totam ei curam rei expoſitæ relinquendo; ſed quoniam alter ille agendi modus, quem diximus, non eſt exponere, ſed vi quadam extorquere, voluntati ſuæ obſequi,

P. 6. c. 1. §. 1.

obſequi, occultisque cuniculis peragere, ut id demum fiat, quod ipſe velit.

3 Superiores ſuavi ac paterna imperandi ratione utentes, liberum & legitimum ad orationem recurrendi tempus ſubditis concedant: leniant ipſi difficultates, & in circumſtantiis aliquibus condeſcendant. Quod ad rem vero ipſam, fortiter adnitantur, ut ſubditi ſe ipſos vincant, fiatque id omnino, quod ad majorem Dei gloriam, inferiorumque bonum conducit.

4 Si quando vulgares perſonæ intercedant, quæ privata potius benevolentia, humanoque inſtinctu moveantur, quam quod ad eos hæc cura pertineat; rejici à Superioribus debent, ſuaviterque moneri, ad ipſos non ſpectare, ut ſeſe in talia ingerant. Quod ſi graves ſint perſonæ, ut Conſultores, aliive alicujus nominis Patres, benigne illos audiant; deinde vero ſi animadvertant levioris eſſe momenti, quod proponunt; hortentur, ut obedientiam ipſi potius promoveant, animum iis addendo, pro quibus intercedunt. Vbi autem ſæpius repugnando, modum egrederentur, aut interponerentur etiam externi, tum diſerte doceant ſibi hoc ipſo conſtringi manus, ne aſſentiri poſſint. Interceſſiones moderandæ.

5 Si ſubditus (ut fieri nonnunquam ſolet) duriorem ſe hac vel illa ex cauſa præbeat, ita ut ſolam verbi *Nolo* vocem vitando, rem ipſam præſtare videatur; conſtantes nihilominus, fixosque manere Superiores oportet, illumque ad orationem & indifferentiam, quam regula jubet, hortari. Admoneant præterea, repugnando diutiusque renitendo, graviter peccari: nec expectari in Societate præcepta debere, ubi ſatis eſſe debeat ſignum ipſum indicatæ voluntatis. Vt ſibi perſuadeant ſe poſtquam ſe ipſos vicerint, tanto lætiores fore, tum ob quietem conſcientiæ, tum ob fructum ipſum, quem magno cum merito ex victoria capturi ſunt. Quid ſi duriorem ſe præbeat.

6 Non reformident immediati Superiores ſubditi recurſum ad mediatos, nec propterea omittant obedientiam urgere: quin hunc potius expectent, quia mediati erit omnia, quæ ipſi egerint, confirmare; ſubditumque ad obedientiam inducere. Non reformidandi recurſus.

7 Serio moneantur noſtri, ut cauſas, unde obediendi difficultas naſcitur, inveſtigent: reperientque non in una ſolum obedientia peccari; ſed quoniam hæc, ut prompta ſit, alias etiam virtutes ſupponit, altius infixum hærere illarum defectum intelligent. Verbi gratia, ſi quid præcipitur, quod ab exiſtimatione vel honore proprio alienum ſit; difficultas obediendi ori- Cauſæ inobedientiæ inveſtigandæ.

di oritur ex ſuperbia. Hic igitur admovendum examen, hic meditationes, & remedia applicanda ſunt, conſiderando, quam inanis res ea ſit, præſertim in homine religioſo, qui ſui contemptum, ſeque mundo crucifixum eſſe profiteatur. Si opus aliquod imponitur vel officium, à quo ipſi abhorreamus, ex immortificata natura promanat: ſin contra, deſerendum eſt officium, ad quod propenſiores eramus; ex eodem ipſo inordinato ad officium illud, aut perſonam affectu proficiſcitur. Si terret operis difficultas, fortitudinis eſt defectus; eodemque modo in ſimilibus. Humiliemur itaque, & ad anteriora virili animo connitentes, glorioſam de nobis ipſis victoriam reportemus.

Superioribus cohibendi ii defectus.

8 Intelligant Superiores ſe, cum ſuorum in hac parte defectus non cohibent, plurimum damni adferre tum ſubditis ipſis, tum etiam Societati. In illis ſiquidem minuitur virtus & meritum obedientiæ, minusque in dies apti, & minus tractabiles efficiuntur; non aliter quam equis meticuloſis accidere ſolet, qui niſi ſtimulis incitentur, gravius ſemper ex omni re concutiuntur, & longius retrocedunt. Societati vero difficilior ſenſim redditur gubernatio, divinique obſequii curſus magnopere retardatur. Sublata enim ex Societate obediendi promptitudine, cum præcepti, ut dictum eſt, pœnarumque uſus, eo quod ſignum ipſum ſatis eſſe debeat, ordinarius non ſit; in promptu nimirum eſt, quis tandem rerum noſtrarum ſtatus futurus ſit, animo proſpicere.

Vnde fit minus ſuavis obedientia.

9 Intelligant porro ſubditi, ex tot ejuſmodi contradictionibus, interceſſionibus, difficultatibus futurum, ut & minus ſuavis ſit obedientia, & Superiores viciſſim id præſtare nequeant, quod de Præpoſito Generali agens Beatus Pater Noſter 8. par. Conſtitutionum cap. 1. lit. G. ab illis exigit, ut ſubditorum ſcilicet arbitrio aliquid relinquant, eis compatiantur, & ex parte etiam nonnihil aliquando indulgeant, cum videretur id poſſe magis convenire: quoniam hæc in ſubditis pariter ſupponunt obedientiam, ut plurimum, in ceteris rebus promptam, humilem, integram, cæcam, qualem denique ab eo deſcriptam videmus. Cum iis enim qui ſic obedire conſueverunt, poteſt & debet Superior in nonnullis indulgere, quippe qui hoc tum ſine ullo vel ſubditi vel gubernationis ſuæ detrimento facturus ſit. Cum iis vero, qui aliter ſe gerunt, aliterque fere ſemper affecti ſunt, locum non habet illa Beati Patris Noſtri admonitio; quandoquidem id magis, ſicut ipſe ait, convenire non poteſt, nec perpetuo item præſtari hoc debet: quo-

niam

niam id aliud non eſſet quam ſubditorum inobedientiam alere, eorumque infirmitatem confovere. Faciliora autem evadent omnia, ſi excitetur animus, ut in Superiore Deum agnoſcat, nec certa quadam prudentiæ lege, qua una ad obediendum duci videmur, eo quod rem ita fieri debere judicemus, usquequaque moveatur; ſed illum in iis etiam agnoſcat, quæ ab hacce humana prudentia diſſentire & diſcrepare quodammodo videantur. Quam ad rem conferre haud dubie plurimum poſſent præcipui nonnulli ex antiquioribus, majoriſque exiſtimationis Patribus, ſi hanc de ſe fiduciam Superioribus præberent; ut extraordinaria nonnumquam in ipſis earum rerum exempla edere poſſint, quæ humana hac prudentia niti minime videantur, & in quibus Deus ipſe in Superiore agnoſcatur. Ideo enim ad iſta nos Beatus Pater Noſter confirmabat tum doctrina, dum cocum ipſum inſtrueret, ut ipſo etiam loquendi modo hujus rei nos quodammodo commonefaciat; tum exemplo ubi res tulit, magnæ interdum virtutis Patres vel ipſe redarguens, vel publicas illis reprehenſiones ac pœnitentias imponi jubens: quod IGNATIVS, ut IGNATIVS, nulla prorſus ratione committendum cenſuiſſet. Ad extremum, ut caput hoc concludam, meminerint Superiores, debere ſe facem, ſicut dictum eſt, aliis præferre, & exemplo illis præire, quemadmodum à Beato Patre Noſtro præſcribitur quarta parte, cap. 10. §. 8. eodemque modo qui primas in Societate tenent, ut eſt in parte octava, capite primo, §. 33.

De caſtitate.

CAPVT V.

CVM ea, quæ huic virtuti adverſantur, honori divino, Societatis exiſtimationi, proximorum auxilio tantopere adverſentur: ſatis fore videbatur, ſi in mentem revocaremus quod in principio ſextæ partis à B. P. Noſtro dictum eſt, enitendum nobis eſſe Angelicam puritatem imitari & corporis & mentis noſtræ munditiâ. Sed quia neceſſe eſt quibusdam adjumentis & damna prævertere, quæ ſuboriri poſſunt, & bonum Religionis noſtræ odorem conſervare, ne unius cujuſpiam labes in univerſum corpus redundet; è re etiam futurum viſum eſt, ſi nonnulla breviter commoneremus. Qualis Societatis puritas.

1 Lapſus iſtos in bene conſtituta religione, qualis per Dei gratiam eſt Societas, ſi quando contingant, non poſſe niſi ex magna quadam negli- Cauſſæ hujusmodi lapſus.

gentia, longique temporis laxitate proficiſci. Quod quidem manifeſte conſtat ex Novitiis: hi enim, ſi pravos ſæculi habitus intueamur, acriores haud dubie illos habent, & minus mortificatos: ſi virtutem, ejusque firmitatem, minus ſolidam minusque confirmatam: ſi virtutum exercitia, aut ſenſuum mortificationem, multis partibus breviorem: ſi noxias rerum ſpecies, magis vividas, & magis impreſſas: ſi uſum orationis & communicationis cum Deo, longe difficiliorem. Quare nihil eſt, quod non perſuadeat, illos ad lapſum proniores, & magis expoſitos eſſe. Et tamen novo ſuo fervore, ſenſuum cuſtodia, tentationum manifeſtatione, occaſionumque abſentia, divina gratia juvante, in magna puritate conſervantur. Ex quo intelligere eſt, ceteros qui diutius in hac ſchola verſati ſunt, quique frequentiori orationis, mortificationis, pœnitentiarum, ſacramentorum, aliorumque exercitiorum uſu ſolidiores facti ſunt, niſi omnem ſui curam abjicere velint, poſſe Dei ope nixos, non ſolum immunes ab omni graviori labe ſervari; ſed in dies magis in omni puritate, ac ſanctimonia proficere.

Præſidia ad puritatem conſervandam.

2 Magna eſſe ad hunc finem, ſi recte illis uti noverimus, in Societate præſidia, ut ſacramentorum frequentationem, rationem conſcientiæ, quæ Superiori reddenda eſt, errorum ac defectuum per eos qui extra confeſſionem illos acceperint, manifeſtationem; aſſiduam ſocii præſentiam, orationem mentalem, duplex examen, frequentem librorum ſpiritualium lectionem, otii fugam, ſtudiorum laborem, ſobrietatem, & pœnitentias; modeſtiæ, caſtitatisque in aliis, quibuscum vivimus, exemplum; Superiorum vigilantiam, caſuum reſervationem, tot denique Regulas ad hunc eumdem ſcopum tendentes: ut permirum ſit hominem, qui tam multis præſidiis ſeptus ſit, labi, niſi ſenſim pervertatur, & his omnibus auxiliis ſe ipſe deſtituat, alia penitus omittendo, alia perfunctorie & ſine fructu uſurpando. Quo certe admoneri ac permoveri quisque debet, ut ad ſe ipſum animæque ſuæ ſtatum cognitionem referat, memoria repetens quod à S. Bernardo dictum eſt, Neminem repente fieri turpiſſimum; & naves ſubmerſas complures fuiſſe, dum in eas aquam ſenſim defluere ſinunt, nec laborant, ut quamprimum exhauriatur.

Tria Superioribus providenda.

3 A Superioribus tria ſunt diligentiſſime providenda:

Ut ſubditi ſpirituales ſint.

1 Ut ſubditi ſpirituales revera ſint, procedantque cum omni ſinceritate, & deſiderio perfectionis; atque ut auxiliis, quæ diximus, rite fructuoſe-

ctuoſeque utantur. Excubare ſedulo in uniuſcujusque curam debent, ita ut ſimul ac detrimentum aliquod jacturamque, aut remiſſionem ſpiritus animadvertunt; mature ſuccurrant, nec differant, quousque mala creſcant & corroborentur.

2 Amputent occaſiones, quantumvis ægre laturum ſubditum ſentiant, quaſi vel parum ipſi fidatur, vel nota aliqua inuri videatur; quandoquidem qui malis occurrit, & exacta regularum ordinationumque praxi ſuos periculis removet; nullam juſtam ſuſpicionis cauſam præbet, ſed cautela utitur neceſſaria. Et quamvis nullum ſubeſſet periculum, (& vero ſuperbus adeo nullus eſſe debet, ut ſe omni tempore, atque in omni occaſione ſecurum arbitretur; cum S. Petrus poſt iteratum ſæpius parati ad mortem animi propoſitum, poſt tam multa conſtantiæ promiſſa, quinimo poſt animi & fortitudinis ſuæ experimenta, cum in tot armatorum conſpectu, manum ferro admovere non dubitaret; ad vilis muliérculæ vocem adeo gravi fœdoque caſu prolapſus ſit) attamen vel oblocutionum cauſas præcidiſſe permagnum eſt: atque ut hoc etiam deeſſet, ipſa nihilominus diſciplinæ obſervatio per ſe laudabilis eſt, religioni decora atque honorifica, & meriti apud Deum ſingularis. Diſpiciant ergo Superiores, quemadmodum cum proximis tractetur, feminarum viſitationes, & prolixa colloquia fortiter, juxta inſtructionem, circumcidantur, præſertim, ubi levitas aliqua jocique cernerentur. Ingrediantur prorſus cum illis ſocii, ſemoto quovis reſpectu, ſerveturque ad unguem ordinatio noſtra circa Reg. 18. Sacerdotum. Nec prætereundum hoc loco videtur, quod S. Gregorius talia reprehendens, ad Ioannem Subdiaconum ſcribit de Conſtantino Monacho: *Cognovi quia ad Monaſterium, quod in Piceni Provincia ſitum eſt, ſolus pergere ſine aliquo fratrum ſuorum præſumpſit: ex qua ejus actione cognoſcimus, quia qui ſine teſte ambulat, recte non vivat.*

Occaſiones amputandæ.

Lib. 10. epiſt. 22.

Schedulæ & munuſcula clanculum data vel accepta, diligentiſſime caveantur; familiaritas tenuiorum & ignobilium feminarum, ut quæ ſuſpicioni ac periculo magis expoſitæ ſunt, procul omnibus modis habeatur. Earum cura & patrocinium ad temporalia ſubſidia conquirenda, nec ſuſcipi, niſi magno delectu & cautione, permittatur; nec tractari, ſine peculiari cum Superiore communicatione, atque ita dumtaxat, ut nec incommoda inde ulla, nec ſiniſtræ ſuſpiciones naſci poſſint.

Schedulæ & munuſcula caveantur.

Minus ſpirituales ut juvandi. *Inſtruct. pro coad. tempor. §. 3. c. 4.*

Erga Coadjutores, qui in villis degunt, ſervetur exacte ordinatio. Erga eos, qui minus ſpirituales ſunt, & diſtractionibus magis obnoxii, peculiare ſit ſtudium, ne periculis objiciantur, quia etſi nullam de caſtitate ſua ſiniſtram ſuſpicionem præbeant; hujusmodi tamen homines occurrentibus occaſionibus, quæ plerumque non deſunt, tuti parum ſunt: magnaque tum ipſis, tum Religioni fit injuria, cum velut oceano parva quædam cymba male tuta exponitur. Tales ergo parum ſolidi ad ſpecioſa concionum, lectionum, & alia id genus munia non promoveantur, quæ opinionem famamque conciliant, & caros externis illos faciunt. Hinc enim adiguntur ſæpenumero Superiores, ut de illis, vel circa locum, vel circa occupationes ea ſtatuant, quæ nec Societati, nec ſubditis ipſis expediant. Quod ſi tandem accidat, quod hominibus ſpiritu vacuis evenire ſæpe ſolet, ut aut ſua ſponte abeant, aut merito ſuo dimittantur è Societate; gravius inde fit ſcandalum, alienanturque quam plurimi; nec capere poſſunt, qua ratione homines, qui tanto cum applauſu in ejusmodi rebus occupabantur, talem in ſtatum redigi potuerint, niſi occultæ quædam perſecutiones, & graves injuriæ interveniſſent, quæ miſeros & afflictos ad extrema conſilia impulerint: aut ſi à Societate ipſa dimiſſi fuerint, quod duriſſimum cenſeri non debeat, tam utile membrum, & de quo Religio ipſa tam illuſtria magnæ in eo fiduciæ ac ſatisfactionis argumenta dabat, illico amputari.

Levia non prætereantur.

3 Si quid usquam accidet, quamvis id leve ſit, quod minus rectum videatur, non prætermittant officium Superiores, ut commonefaciant, corrigant, & remedium ſtatim admoveant: alioqui deterius paulatim fit malum, & tempore ingraveſcit.

Confeſſarii noſtrorum monendi.

Doceantur confeſſarii, ne ex pia quadam opinione, quam habent de noſtris, venialia omnia aut levia, atque extra periculum eſſe ducant: ſed conſiderantes, quonam tandem res iſtæ, quæ parvæ videntur, evadere, quoque exitu terminari poſſint, nimis liberas conſcientias extimulent, ruinas & præcipitia, in quæ ferri imprudentes poſſunt, oſtendant: hoc unum eſſe, quod dæmon technis ſuis fraudibusque moliatur. Dent operam, ut peſtiferas quasdam & nimis laxas opiniones penitus evellant, hoc, illudve non eſſe mortale, magni momenti non eſſe, neceſſarium non eſſe, ut diſtincte confitendo explicetur. Meminerint denique ſic terram paulatim alluvione conſumi, & cujusmodi puritas in Societate requiratur, ut omni cura invigilent, & mala prævertant.

De

De difficultate in gradibus acceptandis.

CAPUT VI.

HOc unum eſt, quod ad Societatis pacem unionemque conſervandam permagnam inter alia vim habet. Et quamquam per Pontificum declarationes ſublatæ fuerint difficultates non paucæ, minime tamen obſcurum eſt, humanam naturam ſe ipſam ſemper quærere; multosque ex eorum etiam numero, quos virtutis diſciplinæque in ceteris amantes eſſe conſtat, magnas, easque graves, in hac graduum materia pugnas ac moleſtias experiri. Ceterum ſperare in Domini bonitate, vocationisque gratia debemus, divinam Majeſtatem, quæ B. P. Noſtro hanc graduum diſtinctionem, Societati usque adeo neceſſariam, inſpiravit, obices etiam & impedimenta, quæ incurrunt, magis in dies magisque ſubmoturam. Sed advigilandum nobis eſt, adnitendumque, ut per exactam ordinationum eo ſpectantium obſervationem, Conſtitutiones ipſas in uſum perducamus. Quam ad rem facient, quæ ſequuntur.

Graduum difficultas. *Servanda pro gradibus.*

1 Servetur accurate quod ex Decreto V. Congregationis ad Regulam 15. & 57. Magiſtri Novitiorum adjectum eſt, ut aperte explicetur iis, qui ingrediuntur, &c.

Decretum V. Congr.

2 Serventur Ordinationes hac de re conſtitutæ circa genus tempusque ſtudiorum, varia examina ſuis temporibus inſtituenda, perſcribendum ad nos judicium, &c.

Servanda quæ circa ſtudia præſcripta ſunt.

3 Ordinationes itidem circa tempus, quo proponi nobis debent, qui ad coadjutorum gradum promovendi ſunt, ut præfixum ſpatium quam minimum prorogetur.

Quæ circa tempus proponendi.

4 Erga eos, qui virtute ſua parum ſe probant Societati, mature quod ad illorum ſtudia, & circumſpecte agendum eſt; ita ut aliis occupationibus nonnumquam interrumpantur; tum ut ipſi ex parte animum ab eis abducant, magisque in ſpiritu proficiant; tum ut hoc modo probentur, oſtendantque quantum in obedientia proceſſerint, ac præſertim in hac circa ſtudia, & circa liberam ſui ipſorum diſpoſitionem reſignatione; differantur certe, ut ſenſim perſpiciatur quomodo ſe gerant: nam abſolutis poſtea ſtudiis, ſi recte illis ſucceſſerint, inſignesque adeo, quod interdum accidit, doctrina evaſerint; obrepunt indidem tentationes, cum ſibi ob ſcientiam & talenta quemlibet gradum deberi exiſtimant: ægreque adduci poſſunt, præſertim poſt aliquot annorum curricula, ut agnoſcant defectum virtu-

Quid cum minus probatæ virtutis.

tum ſatisfactionisque in ipſis tantum eſſe, quantus revera eſt; & hunc unum promotioni ſuæ obſiſtere atque officere merito debere. Ob hanc cauſam, quando eorum ſtudia differuntur, aperte ſimul de imperfectionibus ſuis moneri debent: ſic enim aut eos paulatim corrigent, aut cauſam certe ſuam Societas æquiorem reddet: nec poterunt illi, quod ſubinde ſolent, cauſari ſe laudabiliter & cum approbatione ſemper vixiſſe, eo quod de ſuis defectibus moniti numquam fuerint, nec propter illos mortificati.

Vt exercendi, qui ad profeſſionem minus idonei.

5 Non alantur in certa quadam ſpe aſſequendæ profeſſionis, qui ob ingenii, aut virtutis, vel utriusque inopiam ad hunc poſtea gradum per Conſtitutiones provehi non poſſunt. Multoque minus in ſpecioſis ac plauſibilibus muniis exercendi erunt: ex quibus ubi famam apud imperitos, & eos quibus noti non ſunt, aliquam collegerint; hac vulgi poſtea opinione abuti ſolent, non modo ut teſtimonium id opponant Societati, verum etiam ut ſemetipſos ipſi decipiant, judicium vulgi amplectentes, & de ſe ſibi ſupra quam res habeat, mira perſuadentes.

De gradu coadjutorum non abjecte loquendum.

6 Nullo modo ferant Superiores, ut de coadjutorum gradu abjecte quisquam loquatur, aut ſentiat, præcipue ex profeſſis: ſed illos arguant, mortificent, & inſtruant, docentes quo ex ſpiritu talia procedant: & caritatem, obedientiam, fructumque proximorum, ea demum eſſe, quæ non ſolum apud Deum meritum, ſed in Religione etiam benevolentiam apud Superiores exiſtimationemque concilient. Hos eſſe operarios, qui tamquam membra revera utilia, & tali corpore digna, in Societate pluris fieri, magisque foveri debeant.

Coadjutores Patres præficiendi Collegiis.

7 Quandoquidem Conſtitutiones ex hoc Coadjutorum ordine Rectores, ut plurimum, deligi volunt; peculiari ſtudio in eos intendant Provinciales, quos idoneos ad id munus animadvertent; quoniam hos in primis, libentiusque præ ceteris admittemus.

Humilitas neceſſaria ad gradus.

8 Quæcumque ad ſpiritum humilitatemque faciunt, eadem omnia ad graduum etiam facilitatem conducent: ex hujus ſiquidem defectu, & humana quadam æſtimatione, externaque in paucis quibusdam ſpecie, omnes hæ moleſtiæ & anxietates promanant.

Antiquiores ut diſponendi pro gradu.

9 Speramus in poſterum ob varias Ordinationes, accuratioremque aliarum Conſtitutionum praxim, leviores ac pauciores fore difficultates. Præcipuus nunc labor in antiquioribus erit, qui ſtudia peregerunt, & de ſe ipſis præclare quidem ſentiunt, ſed longo intervallo, ſeu doctrinam, ſeu talenta

talenta ſpectes, ad eam formam accedunt, quam deſcribunt Conſtitutiones. Verum & hic quoque in vocationis gratia confidendum eſt fore, ut difficultates omnes facile profligentur, ſi quam poſſumus, diligentiam adferamus. Quare ſi repugnabunt, ſuaviter primum inſtruendi ſunt, quanta maturitate, ſecretis informationibus, multorum prudentium judicio, accuratisque examinibus de ipſis actum decretumque in conſultationibus fuerit. Inculcanda eſt promiſſio, quam Societati pacti ſunt, gradum, quicumque deſignatus foret, acceptandi: quæ quidem, ut aliud nihil eſſet, tale certe pactum continet cum Societate, cum ſubſcribit aliquis ſe legiſſe, intellexiſſe, &c. velleque quidquid inibi continetur obſervare, ut ſine illo, hoc eſt, niſi ab eo iniretur, religionis aditu penitus excluderetur. Ex quo liquet eos, qui poſt hujusmodi pactum, multosque poſt annos, fidem ac promiſſa ſua non ſervant, graviter omnino peccare, & injuſte agere adverſus Societatem: multoque nunc magis accedente inſuper V. Congregationis declaratione, quæ promiſſionem hanc votum eſſe declaravit. Et commiſeratione ſane dignum eſt, multisque lacrymis deplorandum, quod nonnulli aliquando in hoc genere reſponderunt, ſe quidem promiſiſſe, ſed juxta Conſtitutiones intellexiſſe, juxta quas idonei ſibi ad profeſſionem eſſe videantur. Atqui judicium hoc nemo eſt, qui, niſi cæcus plane ſit, non videat ad ipſos minime ſpectare: ſed Religionis arbitrio ſingula permitti, cujus eſt de cujusque talentis judicare, &c.

Iuverit eosdem ad exercitia ſpiritualia cohortari, ut melius perſpiciant, quam vim habent obligatio & vinculum, quo ſe Deo obſtrinxerunt, ut ei reddant, quod promiſerunt. Scandalum illis ob oculos ponere, quod ceteris præbent. Denique monendi in unoquoque nominatim erimus de perſonæ circumſtantiis, cauſisque quas adfert, de ejus diſpoſitione, &c. *Ad ſpiritualia exercitia exhortandi.*

10 Conferet ad extremum, ſi Provinciales & Conſultores de uniuscujusque promotione, tum privatim tum publice, non ex compaſſione quadam & gratificandi deſiderio loquantur, aut cenſeant; ſed juxta interrogationum reſponſa, & juxta formulam Conſtitutionum, ac Decretorum. Nec complacendi ſtudio præſeferat quisquam, ſe in contraria ſententia fuiſſe; & hunc, illumve altius provehi poſſe, dotesque aliorum opinione majores habere; aut condeſcendendum ſeu indulgendum quidpiam eſſe: quoniam hujusmodi omnia deliberationes plurimum labefactant, diſſenſiones *Sinceær informationes inſtituendæ.*

ſiones excitant, animorumque averſiones. Sed ſatis habeant ſinguli ex formula & Inſtructione, quod in Domino ſentiunt, qua ſecreti cura decet, ad Præpoſitum Generalem perſcribere. Meminerint hanc graduum diſtinctionem non in libris ſolum extare ſcriptam debere, ſed reipſa ad Societatem conſervandam, operariorumque numerum amplificandum neceſſariam prorſus eſſe; B. P. Noſtrum Spiritus ſancti ductu ſic eam inſtituiſſe; ideo & retinendum ejus uſum eſſe, & pervincendas, quæ in diem incidunt, difficultates; cum per Dei miſericordiam non deſint in eo gradu complures, qui non ſolum exemplo ſuo, ac virtute Societatem ædificant, ſed eamdem per miniſteria, fructumque erga proximos cum magna in Domino laude illam adjuvant & ſuſtentant. Romæ ultimo Iulii, 1598.

F I N I S.

INDEX

INDEX CAPITVM.

DE inſtruendis, formandisque Superioribus. Cap. 1. 330
Circa executionem. Cap. 2. 337
De Spiritu & oratione. Cap. 3. 339
De Obedientia. Cap. 4. 342
De Caſtitate. Cap. 5. 345
De difficultate in gradibus acceptandis. Cap. 6. 349

INDEX RERVM.

Caſtitas.

QVALIS Societatis puritas. pag. 345
Cauſæ hujusmodi lapſus. ibid.
Præſidia ad eam conſervandam. 346
Tria providenda, ut ſpirituales ſint, & occaſiones amputentur. ibid.
Schedulæ, & munuſcula cavenda, &c. 347

Coadjutores.

Vt juvandi. 348
Coadjutores ſpirituales Collegiis præficiendi. 350
De gradu Coadjutorum non abjecte loquendum. ibid.

Conferentiæ.

Quæ conferentiæ habendæ. 331

Confeſſarii.

Confeſſarii noſtrorum de quibus monendi. 348

Difficultas.

DIfficultas ex parte ſubditorum. 338

Diſtractio.

In rebus externis occupatio. 335
Cauſæ diſtractionis. 341

Executio.

EXecutionis defectus. 330. & 337
Executionis vis à quibus pendet. 330
Executioni incumbendum. 337

Exemplum.

Defectus boni exempli. 337

Exercitia ſpiritualia.

Frequens uſus exercitiorum. 339
Noſtri promovendi ad exercitia hortandi. 351

Exhortatio.

Exhortationibus animandi. 339
Seriæ exhortationes de examinanda conſcientia. 340
Exhortationes de ſilentio. 341

Generalis

De quibus monendus. 331

Gradus.

GRaduum difficultas. 349
Servanda pro gradibus. ibid.
Quæ circa tempus proponendi. ibid.
Quid cum minus probatæ virtutis. ibid.
Vt exercendi, ad profeſſionem minus idonei. 350
De gradu Coadjutorum non abjecte loquendum. ibid.
Coadjutores ſpirituales præficiendi Collegiis. ibid.
Quæ humilitas neceſſaria ad gradus. ib.
Antiquiores ut diſponendi pro gradu. ibid.
Ad exercitia ſpiritualia hortandi. 351

Sinceræ informationes inſtituendæ. ib.

Horæ conſiderationis

PErfunctoria obitio. 334

Impatientia

IN perferendo. 336

Indulgentia.

Nimia indulgentia. 338

Remiſſionis damna. 339

Induſtria.

Induſtriarum utilitas. 331

Interceſſiones.

Interceſſiones moderandæ. 343

Non reformidandi recurſus. ibid.

Lectio ſpiritualis.

EXtraordinarium tempus detur lectioni. 340

Medicina ſpiritualis.

IGnoratio ſpiritualiter medendi. 336

Obedientia.

IN obedientia proficiendum, & quomodo. 342

Cauſæ inobedientiæ. 343

Vnde fit minus ſuavis. 344

Oratio.

Potiſſima cura in oratione. 339

Promovendæ media. ibid.

Exigenda ratio in orando. 340

Ordinationes.

Ordinationum varietas. 330

Ordinationum frequens lectio. 338

Provincialis.

EIus Admonitori quid præſtandum. 339

Recreatio.

REcreationes religioſe obeantur. 341

Superiores.

ERrata Superiorum. 331

Ignorant ſubditorum morbos 331

Negligunt, fovent diſſimulando. 332

Augent placendi ſtudio. 333

Exaſperant acriori correptione. ibid.

Ignorantia Superioris ibid.

Exigua cura interni cultus. 331

Superioribus cohibendi defectus. 344

Viſitatio.

QVæ in viſitatione legenda. 330

Quæ inquirenda. ibid.

FINIS.

EXER-

EXERCITIA SPIRITUALIA S. P. IGNATII LOYOLÆ.

Juxta editionem excuſam



ANTVERPIÆ,
Apud JOANNEM MEVRSIVM.

SVPERIORVM PERMISSV.

ANima Chriſti ſanctifica me. Corpus Chriſti ſalva me. Sanguis Chriſti inebria me. Aqua lateris Chriſti lava me. Paſſio Chriſti conforta me. O bone IESV exaudi me: intra tua vulnera abſconde me: ne permittas me ſeparari à te: ab hoſte maligno defende me: in horâ mortis meæ voca me, & jube me venire ad te; ut cum Sanctis tuis laudem te in ſæcula ſæculorum. Amen.

PAVLVS PAPA III.

Ad perpetuam rei memoriam.

PASTORALIS officii cura, in univerſum Chriſti gregem nobis commiſſa, & divinæ gloriæ ac laudis amor facit, ut ea quæ ſalutem animarum, & ſpiritualem earum profectum juvant, amplectentes, vota eorum qui aliquid, quod fovere & nutrire pietatem in Chriſti fidelibus valeat, à nobis expoſcunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Cùm ergo (ſicut dilectus filius, nobilis vir, Franciſcus de Borgiâ, Dux Gandiæ, nobis nuper exponi fecit) dilectus filius IGNATIVS de LOYOLA, Præpoſitus Generalis Societatis IESV, per nos in almâ Vrbe noſtrâ erectæ, & per nos auctoritate Apoſtolicâ confirmatæ; quædam documenta, ſive exercitia ſpiritualia, ex ſacris Scripturis & vitæ ſpiritualis experimentis elicita, compoſuerit, & in ordinem, ad piè movendos fidelium animos, aptiſſimum redegerit; illaque Chriſti fidelibus, ad ſpiritualem conſolationem, & profectum magnopere utilia & ſalubria eſſe, non ſolùm famâ, ex plurimis locis allatâ, prædictus Franciſcus Dux didicerit; ſed etiam experimento manifeſto, cùm Barcinone, tum Valentiæ, tum Gandiæ, id compertum habuerit. Quare idem Franciſcus Dux nobis humiliter ſupplicari fecit, ut documenta, & ſpiritualia exercitia prædicta, quo latiùs eorum fructus pateat, & plures Chriſti fideles, majori cum devotione ad utendum illis invitentur, examinari facere: &, ſi approbatione & laude digna inveniremus, approbare & laudare, aliasque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolicâ, dignaremur. Nos igitur, qui documenta & Exercitia hujuſmodi examinari fecimus, & quæ teſtimonio ac relatione dilecti filii noſtri Ioannis Tit. S. Clementis, Presbyteri Cardinalis, Burgenſis Epiſcopi, ac hæreticæ pravitatis Inquiſitoris, & venerabilis fratris noſtri Philippi Saluciarum Epiſcopi, ac dictæ Vrbis noſtræ in ſpiritualibus Vicarii generalis, nec non dilecti filii Ægidii Foſcararii, noſtri Sacri Palatii Magiſtri, nobis deſuper factâ, pietate ac ſanctitate plena, & ad ædificationem & ſpiritualem profectum fidelium valdè utilia & ſalubria eſſe & fore comperimus; debitum etiam reſpectum ad fructus uberes, quos IGNATIVS, & ab ipſo inſtituta Societas præfata, in Eccleſiâ Dei ubique gentium producere non ceſſant, & ad maximum adjumentum, quod ad id prædicta Exercitia attulerunt, non immeritò habentes; hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, documenta & Exercitia prædicta, ac omnia & ſin-

& ſingula in eis contenta, auctoritate prædictâ, tenore præſentium, ex certâ ſcientia noſtrâ, approbamus, collaudamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus: hortantes plurimùm in Domino, omnes & ſingulos, utriusque ſexus, Chriſti fideles ubilibet conſtitutos, ut tam piis documentis & Exercitiis uti, & illis inſtrui devotè velint. Nec non concedentes, ut hujusmodi documenta, & ſpiritualia Exercitia imprimi, à quocumque bibliopola per prædictum IGNATIVM *eligendo, liberè & licitè valeant. Ita tamen, ut poſt primam editionem, ſine conſenſu ejusdem* IGNATII, *vel ſucceſſorum ejus, nec ab hoc, nec ab alio omnino, ſub excommunicationis, & 500. ducatorum piis operibus applicandorum pœnâ imprimi poſſint. Ac mandantes nihilominùs univerſis & ſingulis locorum ordinariis, ac perſonis in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutis, & cathedralium, ac metropolitanarum Eccleſiarum Canonicis, & earundem ordinariorum Vicariis, in ſpiritualibus, generalibus, & officialibus ubilibet conſtitutis, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, cuivis de Societate prædictâ, vel aliis quorum intererit, in præmiſſis ſpiritualibus Exercitiis, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes; faciant auctoritate noſtrâ, illos dictâ concesſione & approbatione pacificè frui & gaudere: non permittentes eos, per quoscumque, contra præſentium tenorem quomodolibet moleſtari: contradictores quoslibet & rebelles, per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo: invocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii ſæcularis. Non obſtan. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de unâ, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodò ultra tres aliquis auctoritate præſentium non trahatur; & quibusvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim, ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non posſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, quòd præſentium litterarum tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ, munitis, plena fides ubique habeatur, & illis ſtetur, tam in judicio, quàm extra, ac ſi originales litteræ exhiberentur & oſtenderentur. Datum Romæ apud ſanctum Marcum, ſub annulo piſcatoris, die ultimo Iulii. Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo. Pontificatus noſtri anno XIV.*

BL. O. EL. FVLGINEN.

TESTI-

TESTIMONIA

Eorum, quibus cenſura Exercitiorum eſt commiſſa.

In primâ translatione.

Legimus omnia in volumine hoc digeſta, nobisque valdè placuerunt, & ad animarum ſalutem in primis conducibilia ſunt viſa.

CARDINALIS BVRGENSIS.

Concedimus, ut opus hoc, omni laude dignum, & Christianæ profeſſioni valdè proficuum, imprimatur.

PHILIPPVS VICARIVS.

Non poterunt tam ſancta Exercitia non maximum commodum præſtare cuilibet ſtudioſo. Ideo obviis etiam ulnis amplectenda ſunt.

F. ÆGIDIVS FOSCARARIVS.
Magiſter Sacri Palatii.

In ſecundâ translatione.

Legimus ſpiritualia hæc Exercitia, placentque nobis valdè: & digna judicamus, quæ ab omnibus orthodoxæ fidei cultoribus recipiantur & magnifiant.

CARDINALIS BVRGENSIS.

Concedimus, ut opus hoc, omni laude dignum, & Chriſtianæ profeſſioni valdè proficuum, imprimatur.

PHILIPPVS VICARIVS.

Cùm nequeat ſubſiſtere diu Chriſtiana religio ſine exercitiis & meditationibus aliquibus ſpiritualibus (in meditatione enim, inquit vates, exardeſcit anima mea) nullas arbitror magis opportunas his, quæ proculdubiò ex ſcripturarum ſtudiis, & longo rerum uſu natæ ſunt.

F. ÆGIDIVS FOSCARARIVS.
Magiſter Sacri Palatii.

Qui-

Quidam de Societate IESV, devoto Lectori ejusdem Societatis S. in Domino.

HÆc documenta, ac ſpiritualia Exercitia, quæ non tam à libris, quàm ab unctione ſancti Spiritus, & ab internâ experientiâ, & uſu tractandorum animorum edoctus, noſter in Chriſto Pater M. IGNATIVS de LOYOLA *Societatis noſtræ inſtitutor, & Præpoſitus Generalis (ut præmiſſum eſt) compoſuit, ab idiomate Hiſpanico in Latinum, duobus modis ſunt verſa: altera verſio, non ſolùm ſenſum ſenſui, ſed penè verbum verbo; altera (quæ viſa eſt præferenda) ſenſum tantum ſenſui, ſed fideliter reddebat. Cùm autem Exercitia hæc, ut ſatisfieret quorumdam, & præcipuè Illuſtrisſimi Ducis Gandiæ, Franciſci de Borgia devotioni, qui optabat approbari ea, Sedis Apoſtolicæ auctoritate, quæ jampridem, & ſpiritualis plurimorum omnis generis & conditionis hominum profectus (qui per ea Spiritum Domini vel hauſerant, vel mirum in modum auxerant) ubique approbaverat: cùm, inquam, ante approbationem ſummi Pontificis, deſtinatis cenſoribus videnda proponerentur, utraque translatio eis eſt oblata: & licet omnino liberæ cenſuræ eorum ſubjicerentur, ut adderent, minuerent, mutarent, prout in Domino videretur; tamen ne verbo quidem mutato, utramque verſionem (quod teſtimoniis eorundem in archetypis exemplaribus patet) approbarunt. Quod ad impresſionem attinet, hoc te, pie Lector, monitum velim, non iis, qui tantùm lecturi Exercitia; ſed qui facturi, vel potiùs aliis tradituri ſunt, eſſe hoc laboris & operæ impenſum. Cùm enim ad fructum uberem capiendum parum ſit legiſſe, niſi ſtrenuè quis in eis ſe exercuerit, & magiſtrum in rebus ſpiritualibus verſatum ſit nactus; conſtat non eo animo impreſſa eſſe, ut pasſim in vulgus emanarent: ſed cùm laborioſum nimis eſſet, nec ſine magno temporis & impenſarum diſpendio, tam multa exemplaria manuſcribere, quibus ad Societatis ipſius uſum opus erat, & ut varietate, & erratis plurimis (quæ in manuſcriptis deprehendi ſolent) devitatis, indubitatæ fidei exemplaria ſuppeterent, typis hoc opus excuſum eſt: ſed omnia excuſa volumina in poteſtatem Societatis, ad ipſius, ut diximus uſum (ita ut nec vendi, nec excudi ullibi posſint) ſunt redacta. De his te monere, pie Lector (ſi fortè minùs innotuerant) cùm perſpecta mihi ſint prædicta omnia, officii mei eſſe duxi. Vale in Domino. Romæ, VI. Idus Auguſti, M. D. XLVIII.*

ANNOTATIONES

Quædam aliquid afferentes intelligentiæ ad Exercitia ſpiritualia quæ ſequuntur,

Vt juvari poſſit tam is, qui ea traditurus eſt, quàm qui accepturus.

Quid nomine Exercitiorum ſpiritualium.

PRIMA eſt Annotatio, quòd ipſo nomine ſpiritualium exercitiorum, intelligitur modus quilibet examinandi propriam conſcientiam: item meditandi, contemplandi, orandi ſecundùm mentem, & vocem: ac poſtremò alias quaſcumque ſpirituales operationes tractandi, ut dicetur deinceps. Sicut enim deambulare, iter facere, & currere, exercitia ſunt corporalia; ita quoque præparare & diſponere animam ad tollendas affectiones omnes malè ordinatas, & iis ſublatis, ad quærendam & inveniendam voluntatem Dei, circa vitæ ſuæ inſtitutionem, & ſalutem animæ, exercitia vocantur ſpiritualia.

Quid præſtandum tradenti Exercitia.

SEcunda eſt, quòd ille, qui modum & ordinem alteri tradit meditandi, ſive contemplandi, fideliter narrare debet meditationis, ſeu contemplationis hiſtoriam; percurſis obiter dumtaxat punctis illius præcipuis, & adjectâ ſolum brevi declaratiunculâ: ut is qui meditaturus eſt, accepto veritatis hiſtoricæ primum fundamento, diſcurrat poſteà & ratiocinetur per ſeipſum. Ita enim fiet, ut dum aliquid invenerit, quod elucidationem vel apprehenſionem hiſtoriæ, aliquantò majorem præbeat (ſive ex diſcurſu proprio, ſive ex divinâ mentis illuſtratione id contingat) guſtum delectabiliorem, & uberiorem fructum percipiat, quàm ſi res ipſa ei ab altero diffuſiùs narrata & declarata eſſet. Non enim abundantia ſcientiæ, ſed ſenſus & guſtus rerum interior deſiderium animæ explere ſolet.

Vbi major reverentia.

TErtia eſt, quòd cùm ſequentibus omnibus Exercitiis ſpiritualibus utamur actibus intellectus, quando diſcurrimus, voluntatis verò, quando afficimur; advertendum eſt in operatione quæ præcipuè eſt voluntatis, dum voce aut mente cum Domino Deo, vel Sanctis ejus colloquimur, majorem exigi à nobis reverentiam, quàm dum per uſum intellectus, circa intelligentiam potiùs moramur.

QVarta eſt, quòd licet Exercitiis ſequentibus, aſſignentur quatuor hebdomadæ, totidem exercitiorum partibus, ſingulæ ſingulis reſpondentes, videlicet; ut in primâ hebdomadâ fiat conſideratio de peccatis; in ſecundâ de D. N. Iesv Chriſti vitâ, usque ad ingreſſum ejus in Hieruſalem die Dominicâ Palmarum; in tertiâ de paſſione ejusdem; in quartâ de reſurrectione, & aſcenſione, adjectis tribus orandi modis; non tamen ita accipiendæ ſunt dictæ hebdomadæ, ut neceſſe ſit unamquamque continere ſeptem vel octo dies. Cùm enim contingat alios aliis tradiores, vel promptiores eſſe ad conſequendum id, quod quærunt (puta in primâ hebdomadâ contritionem, dolorem, & lacrymas de peccatis ſuis) aliquos etiam plus aut minùs agitari probarique variis ſpiritibus; expedit nonnumquam * ſuccidi hebdomadam quamcumque, vel extendi, juxta materiæ ſubjectæ rationem. Solet tamen totum Exercitiorum tempus triginta dierum, aut circiter, ſpatio concludi. Ordo hebdomadarum moderari poteſt. * a

QVinta eſt, quòd mirum in modum juvatur, qui ſuſcipit Exercitia, ſi magno animo atque liberali accedens, totum ſtudium, & arbitrium ſuum offerat ſuo Creatori, ut de ſe, ſuisque omnibus id ſtatuat, in quo ipſi potiſſimùm ſervire poſſit, juxta ejusdem beneplacitum. Quid exercitia facienti.

SExta eſt, quòd tradens Exercitia, ſi animadvertat ei qui recipit, nullas incidere ſpirituales animi commotiones, ut ſunt conſolationes, vel triſtitiæ, neque diverſorum ſpirituum agitationes, ſedulò debet percontari, an ipſa Exercitia præſcriptis agat temporibus, & quibus modis, an etiam obſervet diligenter cunctas Additiones: & de ſingulis ratio poſtuletur. Porrò de conſolationibus, & deſolationibus infrà tractabitur, p. 124. De additionibus verò p. 44. Quid cum nullæ animi motiones.

SEptima eſt, quòd is, qui alterum exercendum curat, ſi eum videat deſolatione affici ſeu tentatione, cavere debet ne ſe durum vel auſterum ipſi exhibeat, ſed mitem potiùs, ac ſuavem præſtet, confirmato ejus animo ad agendum ſtrenuè in poſterum, detectisque inimici noſtri verſutiis, eum ad conſolationem ſtudeat diſponere tamquàm brevi ſubſecuturam. Quid cùm tentatio, & deſolatio.

OCtava eſt, quòd circa conſolationes, & deſolationes ſumentis Exercitia, & circa aſtutias inimici, poterunt uſui eſſe regulæ, quæ * in prioribus duabus hebdomadis habentur, de variis ſpiritibus internoſcendis. Reg. pro deſolatione, & conſolatione. * b

NOna eſt, quòd quando exercendus eſt quispiam ſpiritualium rerum inexpertus, unde contingat, eum in primâ hebdomadâ craſſis quibus- Quid cum inexperto Exercitiorum.

 dam

dam apertisque tentationibus vexari, oſtenſis jam inde proſequendi obſequii divini certis impedimentis, (cujusmodi ſunt moleſtia, anxietas, pudor, timor, habitâ honoris mundani ratione) tunc illi, qui cum exerceri docet, ſuperſedendum eſt uſu regularum, quæ ad ſecundam hebdomadam pertinent, de diſcretione ſpirituum, & iis utendum ſolis, quæ in primâ dantur. Quia quantum alter ex his accepturus eſt commodi, tantumdem ex illis diſpendii referret ob ſubtilitatem rei, & ſublimitatem, quæ eſt ſupra ejus captum.

DEcima eſt, quòd qui exercetur, ſi tentationibus jactetur, boni ſpeciem præſeferentibus, tunc muniendus eſt per dictas regulas hebdomadæ ſecundæ. Humani enim generis inimicus, per boni ſpeciem, eos ut plurimùm oppugnat, qui anteà in viâ vitæ, quam illuminativam appellant, reſpondente Exercitiis ſecundæ hebdomadæ, fuerint potiùs verſati, quam in alterâ, quæ purgativa dici ſolet, * atque per Exercitia primæ hebdomadæ comprehenditur.

Exercens neſciat ſequentes meditationes.

VNdecima eſt, quòd exercenti ſe in primâ hebdomadâ, expedit neſcire, quid in ſecundâ ſit acturus: ſed ad conſequendum illud, quod tunc quærit, acriter laborare, perinde ac ſi nihil boni poſteà eſſet repertururus.

In quotidiano exercitio quies animi reperienda.

DVodecima eſt, quòd admonendus eſt is, qui exercitatur, ut cùm in quotidiano quolibet exercitio, ex quinque infrà deſcribendis, expendi debeat unius horæ tempus, curet ſemper animi quietem in hoc reperire, quòd plus temporis potiùs, quam minùs inſumpſiſſe, ſibi conſcius ſit. Frequens eſt enim dæmoni hoc agere, ut præfixum meditationi vel orationi temporis ſpatium decurtetur.

Exercitii tempus producatur.

DEcima tertia eſt, quòd cum facile ſit ac leve, affluente conſolatione, integram contemplationis horam traducere: difficillimum è contra, incidente deſolatione; idcircò adverſus tentationem, ac deſolationem ſemper pugnandum eſt, producto ultra præfinitam horam exercitio, vincendi gratiâ. Ita enim non ſolùm diſcimus reſiſtere adverſario, ſed eum etiam expugnare.

Vbi freno utendum in ferventioribus.

DEcima quarta eſt, quòd ſi vacans Exercitiis cernatur conſolatione multâ, & fervore magno ferri, obviandum eſt, ne promiſſo aliquo vel voto inconſulte ac præcipitanter facto, ſe obſtringat: Idque tanto fuerit diligentiùs prævertendum, quanto ille ingenii eſſe inſtabilioris perſpicitur. Quamvis enim unus alterum juſte movere poſſit ad ingreſſum religionis, in

quâ

quâ emittenda ſint obedientiæ, paupertatis, atque caſtitatis vota; quamvis præterea majoris meriti ſit opus ex voto quàm ſine voto factum; plurima nihilominus ratio habenda eſt conditionis propriæ perſonarum. Item attentè eſt conſiderandum, quid commodi, vel incommodi poſſit occurrere, ad illud præſtandum, quod aliquis promiſſurus ſit. Circa vota facienda.

DEcima quinta eſt, quod tradens Exercitia non debet alterum impellere ad paupertatem & promiſſionem ejus magis quàm ad oppoſitum; neque ad hoc potiùs, quam ad illud inſtitutum vitæ: quia licet extra Exercitia licitum ſit, & pro merito ducendum, ſi quis cælibatum, religionem, & aliam quamcumque Evangelicam perfectionem amplecti ſuadeat iis omnibus, quos ex perſonarum, & conditionum ratione probabile ſit fore idoneos; longè tamen convenientius, meliusque eſt, inter Exercitia ipſa id non attentare: ſed Dei potius voluntatem quærere, atque præſtolari, donec ipſe Creator ac Dominus noſter animæ ſibi devotæ ſeſe communicet, eamque amplexans ad ſui amorem, laudem & ſervitium diſponat, prout maximè ſcit eſſe commodum. Quapropter dictanti Exercitia ſtandum eſt in quodam æquilibrio, ſinendumque, ut citra medium, Creator ipſe cum creaturâ, & hæc viciſſim cum illo rem tranſigat. Tempore exercitiorum nemo impellatur ad paupertatem.

DEcima ſexta eſt, quod, ut Creator ipſe, Dominusque noſter in creaturâ ſuâ certiùs operetur, ſi accidat animam ad aliquid minùs rectum affici atque inclinari, ſummoperè ac totis viribus nitendum eſt in contrarium; (ut puta, ſi ad officium vel beneficium adipiſcendum aſpiret, non divinæ gloriæ, aut communis animarum ſalutis causâ, ſed commoditatis ſuæ, negotiorumque temporalium dumtaxat) tunc affectus ad oppoſitum impelli debet, per aſſiduas orationes, & alia exercitia pia, in quibus à clementiâ Dei oppoſitum petatur: videlicet, hunc ut ille animum offerat ipſi Deo, ſe tale officium vel beneficium, aut aliud quidvis, jam non appetere, niſi priorem affectum adeò mutaverit, ut nihil jam omnino deſideret, vel poſſideat aliâ ex causâ, quam divini cultus & honoris. Quid cùm ad aliquid minus rectum afficitur?

DEcima ſeptima * perutilis eſt, quòd ſcilicet tradens exercitia, inquirere ac ſcire nolens proprias alterius cogitationes & peccata; ſupereſt, ut certior factus fideliter de cogitationibus à vario ſpiritu immiſſis, & ad majus, aut minus bonum trahentibus, ſpiritualia nonnulla Exercitia illi præſcribat, præſenti animæ neceſſitati opportuna. * d Quid cùm variæ cogitationes.

Quomodò accommodanda Exercitia, & exercenti attemperanda.

DEcima octava eſt, quòd juxta ejus, qui exercetur, habitudinem, puta pro ætate, doctrinâ, vel ingenio, accommodari debent Exercitia: ne cui rudi aut imbecilli ſeu debili ea imponantur, quæ ferre non poſſit citra incommodum, nedum ad profectum ſuum aſſumere. Similiter prout cuique in animo eſt ſeſe diſponere, impartiendum id demum eſt, quod eum potiſſimum juvare poſſit. Propterea ei, qui ſe inſtrui dumtaxat poſtulat, & ad gradum aliquem perduci, in quo animus ſuus conquieſcat; tradi poteſt Particulare primum Examen infrà poſitum, pag. 24. deinde generale pag. 27. ſimulque modus orandi mane per horæ dimidium, ex præceptorum Dei, & peccatorum mortalium conſideratione, de quâ pag. 93. Suadendum etiam fuerit, ut octavo quoque die peccata ſua confiteatur, & quindecim dierum intervallo, vel octo potiùs, ſi affectus impellat, ſumat Euchariſtiæ Sacramentum. Iſta exercitationis ratio proprie competit rudioribus, ſeu illiteratis, quibus inſuper exponenda erunt ſingula præcepta Dei, atque Eccleſiæ; mortalia peccata, cum quinque ſenſibus, & operibus miſericordiæ. Itidem ſi is qui tradit Exercitia, alterum viderit debilis eſſe naturæ, ac parum capacis, unde modicus proventus & fructus ſperari queat, ſatius fuerit aliqua ex dictis levioribus exercitiis ipſi præſcribere, usque ad confeſſionem peccatorum: poſteà nonnulla conſcientiæ examina, & methodum confeſſionis frequentioris dare, quibus jam paratum ſibi animæ profectum ſeu lucrum tueri poſſit. Non erit autem progrediendum ad electionum dictamina, aliorumve, quam primæ hebdomadæ, Exercitiorum: quoties præſertim alii adſunt majori cum fructu exercitandi, nec omnia omnibus præſtare temporis permittit anguſtia.

Quid cum homine publicis negotiis diſtricto.

DEcima nona eſt, quod homini negotiis publicis, vel aliis convenientibus diſtricto, ſive ingenio ſive litteris præditus ſit, ſuppetente ipſi horâ unâ & dimidiâ diebus ſingulis ad ſumenda nonnulla exercitia; exponendum primo erit, quem in finem homo creatus ſit: deinde per horam dimidiam examen particulare, deinceps generale cum modo rite confitendi, ſumendique ſancti Sacramenti, tradi ei poſſunt: præſcribendo etiam, ut manè, per triduum, ſpatio unius horæ meditationem agat de primo, ſecundo, ac tertio peccato, ut docetur paginâ 33. Poſteà per alios tres dies eadem horâ de proceſſu peccatorum, ut paginâ 38. Per alios totidem de pœnis, quæ peccatis reſpondent paginâ 42.

Dictan-

Dictandæ quoque illi erunt intra totum dictarum trium meditationum tempus, decem additiones illæ, quæ habentur paginâ 44.

Obſervabitur eadem meditandi ratio circa myſteria Domini noſtri Iesv Chriſti, quæ infra in ipſiſmet Exercitiis latè explicatur.

Vigeſima eſt, quod ei, qui à negotiis liberior eſt, & fructum conſequi ſpiritualem optat, quam poſſit maximum, tradenda ſunt omnia exercitia eodem, quo procedunt, ordine (& quidem ſcribi rerum capita, ne excidant è memoria expedit) in quibus (ſecundum ſucceſſum communiorem) tanto majorem faciet progreſſum ſpiritualis vitæ, quanto magis ab amicis notisque omnibus, & ab omni rerum humanarum ſollicitudine ſeſe abduxerit: ut ſi ab ædibus priſtinis migret in domum cellamve aliquam ſecretiorem, unde ipſi liberum ſecurumque ſit egredi ad matutinum, ſacrum Miſſæ, vel ad veſperarum officium cum libuerit, audiendum, absque familiaris cujusquam interpellatione. Ex quâ quidem loci ſeceſſione inter alias multas commoditates hæ tres præcipuè conſurgunt. Prima, quod excluſis amicis & familiaribus, negotiisque minus recte ordinatis ad Dei cultum, gratiam apud Deum non mediocrem meretur. Secunda, quod per hujusmodi ſeceſſum intellectu minus quam antea diſtracto in diverſas partes, ſed collecta redactaque omni cogitatione ad rem unam, ſcilicet ad obſequendum Deo Creatori ſuo, & ſaluti animæ ſuæ conſulendum, multò liberius ac expeditiùs utitur naturæ viribus in quærendo eo, quod deſiderat tantoperè. Tertia, quod quantò ſe magis reperit anima ſegregatam ac ſolitariam, tantò aptiorem ſeipſam reddit ad quærendum, attingendumque Creatorem & Dominum ſuum: ad quem inſuper, quo propiùs accedit, eò melius ad ſuſcipienda bonitatis divinæ dona diſponitur.

Quid cum libero à negotiis & fructum conſequi cupiente.

EXERCITIA

Quædam ſpiritualia, per quæ homo dirigitur, ut vincere ſeipſum poſſit, & vitæ ſuæ rationem, determinatione à noxiis affectibus liberâ, inſtituere.

In primis, ut per hujusmodi exercitia, tam qui ea tradit, quàm qui accipit, juvari queat, ſupponendum eſt Chriſtianum unumquemque pium, debere promptiore animo ſententiam ſeu propoſitionem obſcuram alterius, in bonam trahere partem, quàm damnare. Si verò nullâ eam ratione tutari

Recte ſentiendum.

tutari poſſit, exquirat dicentis mentem, & ſi minùs rectè ſentiat, vel intelligat, corripiat benigne: hoc niſi ſufficit, vias omnes opportunas tentet, Ab errore liberandus. quibus illum ſanum intellectu, ac ſecurum reddat ab errore.

Principium ſive fundamentum.

Hominis finis. CREATVS eſt homo ad hunc finem, ut Dominum Deum ſuum laudet, ac revereatur, eique ſerviens tandem ſalvus fiat. Reliqua verò ſupra terram ſita, creata ſunt hominis ipſius causâ, ut eum ad finem creationis ſuæ proſequendum juvent: unde ſequitur utendum illis, vel abſtinendum eatenus eſſe, quatenus ad proſecutionem finis vel conferunt, vel obſunt. Quapropter debemus absque differentiâ nos habere circa res creatas omnes, e * (* prout libertati arbitrii noſtri ſubjectæ ſunt, & non prohibitæ;) Ita, ut (quod in nobis eſt) non quæramus ſanitatem magis, quàm ægritudinem: neque divitias paupertati, honorem contemptui, vitam longam brevi præf * feramus. * Sed conſentaneum eſt, ex omnibus ea demum, quæ ad finem ducunt, eligere ac deſiderare.

EXAMEN
PARTICVLARE

Et quotidianum, tria tempora complectens, ad diſpoſitionem ſui ac duplicem diſcuſſionem accommoda.

1. Tempus matutinum. PRIMVM tempus eſt matutinum, quo debet homo, ſtatim dum à ſomno ſurgit, proponere diligentem ſui cuſtodiam circa peccatum aut vitium aliquod particulare, à quo emendari cupit. Secundum eſt pomeridianum, 2. Pomeridianum. in quo petenda eſt à Deo gratia, ut reminiſci poſſit ille, quoties in peccatum ſeu delictum iſtud particulare inciderit, & in poſterum cavere: deinde priorem faciat diſcuſſionem, exigens ab animâ ſuâ rationem de peccato, ſeu vitio jam dicto, & ſingulas diei partes præteritas percurrens ab eâ horâ, quâ ſurrexit, usque ad præſentem, quoties illud commiſerit, & puncta totidem ſignet in priore lineâ figuræ ſubſcriptæ. Quibus peractis denuò 3. Veſpertinum. proponat per ſpatium diei reliquum, diligentiùs ſeſe cohibere. Tertium erit veſpertinum tempus, in quo, poſt cœnæ horam, facienda eſt diſcuſſio ſecunda, percurſis itidem horis ſingulis, ab examine priore usque ad præſens lapſis, & eodem modo rememoratis enumeratisque vicibus, quibus deliquerit, parem eis punctorum numerum ſignabit in poſteriore lineâ figuræ, ſequenti ſimilis ad hoc præparatæ.

ADDI-

ADDITIONES
QVATVOR.
Vtiles ad faciliorem & celeriorem peccati ſeu vitii cujusvis extirpationem.

PRIMA eſt, ut quoties id peccati ſeu delicti genus homo commiſerit, manu pectori admotâ, doleat de lapſu, quod fieri poteſt etiam aſſiſtentibus aliis, nec advertentibus. **Prima vitii expiatio.**

Secunda eſt, ut ſub noctem numeratis, comparatisque invicem punctis linearum, quarum prior priori examini, poſterior poſteriori aſſignatur, attendat, an à priore examine usque ad ſecundum aliqua ſucceſſerit emendatio. **Secunda.**

Tertia eſt, ut conferat diei ſecundæ, atque præcedentis examina invicem: conſiderans ecquid ſibi emendationis intervenerit. **Tertia.**

Quarta, ut collatis hebdomadarum duarum inter ſe examinibus, pari modo, factæ vel omiſſæ emendationis rationem habeat. **Quarta.**

Item notandum eſt ex ſequentibus figuris, primam ceteris longiorem deputari diei primæ, puta Dominicæ: ſecundam verò diei Lunæ, paulò breviorem: & ita deinceps: cùm par ſit diminui in dies erratorum numerum.

EXAMEN CONSCIENTIÆ GENERALE,

Ad purgationem animæ, & ad peccatorum confeſſionem utiliſſimum.

Triplex cogitationum genus.

PRo comperto ponitur triplex incidere homini cogitationum genus; Vnum ex proprio ſurgens motu ipſius hominis: Reliqua verò duo extrinſecùs advenientia, ex boni ſcilicet vel mali ſpiritus ſuggeſtione.

De cogitatione.

Quotuplex meritum in repellendâ malâ cogitatione.

DVOBVS modis elicitur meritum ex malâ cogitatione in materiâ peccati mortalis, de quâ hîc ſermo eſt. Primò, quando ſuggeritur de patrando mortali crimine cogitatio, ſed ea confeſtim repugnando vincitur. Secundò, quando pravæ iſtiusmodi ſuggeſtioni ſemel, ac iterum repulſæ, & ſubinde nihilominùs revertenti continuè reſiſtit homo, donec penitùs expugnetur: quod quidem victoriæ genus meritò alterum antecellit.

Quando levis culpa in cogitatione.

Peccat autem leviter aliquis, ſeu venialiter quando in ſubortâ peccati mortalis cogitatione, aliquantulùm moratur, quaſi auſcultando, vel quando aliqua obiter ſenſus delectatione afficitur, vel in ea retundenda ſeſe exhibet negligentem. Mortale verò peccatum, per cogitationem duobus modis admittitur; Primò, quando cogitationi peccati præbetur quacumque ratione, aſſenſus. Secundò, quando peccatum illud opere complectur, idque gravius eſt priore, ex tribus cauſis: Videlicet, ob majorem temporis decurſum: ob actum intenſiorem; & ob plurium denique offendiculum ſive detrimentum.

Quando mortalis, & quotuplex.

De loquelâ.

Quotupliciter verbo offendatur.

VERBO etiam multifariam offenditur Deus; ut in blaſphemia, juramento. Nam jurandum non eſt, neque per Creatorem, neque per creaturas ullas, niſi concurrentibus his tribus, veritate, neceſſitate, ac reverentia. Porro intelligenda eſt neceſſitas, non in veritatis cujuslibet affirmatione, ſed ejus tantùm, quæ circa ſpirituale, corporale, vel etiam temporale bonum aliquod, momenti eſt non levis. Reverentiam dicimus, quando aſſumens divinum nomen adhibet conſiderationem, ut Deo Creatori ac Domino debitus honor tribuatur.

De juramento.

Sciendum eſt autem, licet juramentum temerè ſeu vanè factum per Creatorem, ſit gravius peccatum, quàm per creaturam; difficilius tamen eſſe per hanc, quàm per illum licitè jurare, ſervatis debitis circumſtantiis, quas

quas diximus. Primò, quia in mentione creaturæ facienda per juramentum, non ita excitamur aut reddimur attenti, ut ex veritate ac neceſſitate juremus, ſicut nominato rerum omnium Creatore. Secundò, eò quòd ad honorem Deo exhibendum cum reverentia, longè debiliùs movemur ex commemoratione creaturæ, quàm ipſius Dei Creatoris. Quamobrem jurare per creaturas, perfectis magis conceditur, quàm craſſioribus ſive idiotis: quandoquidem perfecti ex contemplationis uſu aſſiduo, & illuſtratione intellectus, conſiderant propiùs, atque deprehendunt Deum ſecundùm eſſentiam, præſentiam, & potentiam ſuam creaturæ cuilibet ineſſe: unde ad præſtandam illi debitam in juramento reverentiam paratiores ſunt aliis, qui eò perfectionis nondum provecti ſunt. Tertio, quia creaturis ad confirmationem juramenti crebriùs adſcitis, periculum eſſet idololatriæ: id quod imperfectis magis, quàm perfectis fuerit timendum.

Vitandum eſt inſuper verbum otioſum (inter alia locutionis peccata,) quale eſſe intelligitur, quodcumque nec loquenti, nec alteri prodeſt, nec eo etiam animo profertur, ut afferat utilitatem. E converſo vero minimè otioſum cenſendum eſt verbum illud, quodcumque ad animæ vel propriæ, vel alienæ, aut ad corporis, aut rei etiam temporalis commodum pertinet: aut certè ad tale quippiam ex dicentis mente dirigitur: etiam ſi quis de negotiis loquatur, ab inſtituto ſuo alienis, ut religioſus de bellis, vel mercimoniis. Ceterùm ex ſermone quidem, ad finem bonum ordinato, meritum contingit: ad malum verò finem, aut futiliter prolatus ſermo, generat peccatum. *Otioſum verbum vitandum, & quale ſit.*

Sunt & oris peccata, mendacium, falſa teſtimonia, detractio. Nam detrahendum non eſt alteri, nec obmurmurandum. Revelato enim mortali alicujus peccato, quod publicum non ſit, cum malâ intentione, vel gravi damno famæ alterius, mortale itidem peccatum committitur: veniali autem, veniale ſolùm. Ad hæc quotiescumque alienum patefacimus vitium, vel defectum, noſtrum ipſorum vitium, ac defectum ſimul commonſtramus. Verumtamen ubi recta mens eſt, de proximi delicto licebit loqui bifariam. *Oris peccata.*

Primò, quando publicum eſt, ut meretricium, vel damnatum in judicio, vel pernicioſum, puta ob errorem publicum, animos converſantium corrumpentem. *Quando de proximi delicto licet loqui.*

Secundò, quoties occultum alicujus crimen indicatur alteri, per cu-

jus ſubventionem, ille relevari à peccato poſſit: dummodò rei hujus probabilis aliqua ratio vel conjectura offeratur.

Poſſent inter oris peccata, irriſiones, contumeliæ, & alia id genus adſcribi, quæ perſequi licebit tradenti Exercitia, prout opus eſſe judicaverit.

De opere.

Operis peccata.

PROPOSITIS ante oculos decem mandatis Dei, cum Eccleſiæ præceptis & juſſis majorum, ſeu Superiorum, æſtimandum eſt, quidquid ſit operis adverſus quodlibet eorum, id peccatum eſſe: levius aut gravius tamen, pro inæquali peccandi modo, & pro diversâ peccantium habitudine. Porrò reduci ad juſſa ducimus Superiorum, diplomata ſeu indulta Pontificum, pro infidelium expugnatione, vel Chriſtianorum pace, concedi atque promulgari ſolita; per quæ ad confeſſionem peccatorum, & Euchariſtiæ ſanctæ ſumptionem, Chriſti fideles invitantur. Peccat ſiquidem non leviter, quicumque tam pias Rectorum Eccleſiæ cohortationes, ſanctionesque aſpernari audet, ac transgredi.

EXAMINIS GENERALIS

Modus, particulas ſeu puncta quinque complectentis.

1. Gratiæ agendæ.

PRIMUM punctum eſt, Domino noſtro Deo, pro beneficiis acceptis, gratias agendas eſſe.

2. Gratia petenda.

Secundum, quòd debemus pro cognitione, & expulſione peccatorum gratiam flagitare.

3. Quomodò diſcutienda conſcientia.

Tertium, de admiſſis præſenti die peccatis, rationem ab animâ noſtrâ exigere, per horas ſingulas, ex quo ſurreximus, veſtigando. Et primò quidem circa cogitationem: deinde circa loquelam, atque operationem, eodem ordine, quo in particulari examine traditum eſt.

Quartum, poſcere veniam de delictis.

Quintum, proponere cum Dei gratiâ emendationem: & orationem dominicam poſt dicta omnia recitare. Pater noſter.

Confeſſionis generalis & Communionis uſus.

Confeſſionis generalis emolumenta. Primum.

EX Confeſſione generali ultro factâ, inter alia pleraque, percipiuntur tria hæc emolumenta. Primum, quòd tametſi, qui annis ſingulis ſaltem confitetur ſemel, ad generalem hujuscemodi confeſſionem minimè oblige-

obligetur; eam tamen facienti ipſi multò plus commodi & meriti accedit, ob dolorem ſcilicet de peccatis, & malitiâ vitæ præteritæ, quem ita ſentit vehementiorem.

Secundum, quoniam inſpectâ, per ſpiritualem exercitationem, longè quàm anteà manifeſtiùs naturâ & malitiâ peccatorum, tantò amplius commodum ac meritum percepturus eſt. Secundum.

Tertium, quia conſentaneum eſt, hominem ſic rite confeſſum, atque diſpoſitum, multò meliùs ſe habere ad Euchariſtiæ ſumptionem, quæ maximè confert & ad fugam peccati & ad gratiæ receptæ conſervationem & augmentum. Tertium.

Porrò generalis iſta confeſſio, poſt hebdomadæ primæ Exercitia potiſſimum erit opportuna.

PRIMVM
EXERCITIVM

Meditandi ſecundùm tres animæ potentias, circa peccatum triplex: Et continet orationem præparatoriam, duo Præludia, & Puncta tria præcipua, cum uno Colloquio.

ORATIO præparatoria eſt, qua petimus à Domino gratiam, ut vires atque operationes noſtræ omnes, ſincere ad ejus gloriam, & cultum tendant. Oratio præparatoria.

PRimum Præludium eſt, ratio quædam componendi loci. Pro quâ Notandum eſt, quòd in quavis meditatione, ſive contemplatione de re corporeâ, ut puta de Chriſto, effingendus erit nobis, ſecundum viſionem quandam imaginariam, locus corporeus, id quod contemplamur, repræſentans, veluti templum, aut mons; in quo reperiamus Chriſtum IESVM, vel MARIAM Virginem, & cætera, quæ ſpectant ad contemplationis noſtræ argumentum. Sin autem ſpeculationi ſubeſt res incorporea, ut eſt conſideratio peccatorum nunc oblata; poterit loci conſtructio talis eſſe, ut ſi per imaginationem cernamus animam noſtram in corpore iſto corruptibili, velut in carcere conſtrictam: hominem quoque ipſum, in hac miſeriæ valle, inter animalia bruta exulantem. 1. Præludium.

Secundum erit Præludium, ut à Domino id poſtulem, quod exopto, juxta propoſitæ contemplationis argumentum: nimirum ſi de Chriſti reſurrectione fuerit meditandum, petenda erit lætitia, quâ gaudenti Chriſto 2. Præludium.

congaudeam: ſin de paſſione; lacrymas, pœnas, & angores petam, ad compatiendum Chriſto patienti. In præſenti ergo meditatione, pudorem confuſionemque mei ipſius debeo expoſcere, attendens quam multi homines ob peccatum mortale, vel unicum, damnati fuerint; & quod ego toties peccando ſim damnationem commeritus.

Quæ orationi præmittenda.

NOtandum ad hæc, quod omni meditationi, ſeu contemplationi, præmitti debent tam Oratio præparatoria, quam Præludia duo: ſed Oratio quidem ſemper fit eodem modo, Præludia vero pro diverſitate rerum ſunt diverſa.

Circa primum Angelorum peccatum.

PRimum punctum erit, ut exerceatur memoria mea circa primum peccatorum omnium, quod fuit ab Angelis commiſſum; adhibito ſtatim diſcurſu intellectus, atque voluntatis motu, inſtigante me ad volvenda, & intelligenda ea, per quæ erubeſcam, & confundar totus, factâ unius tantum peccati Angelorum, cum tot meis comparatione: Vnde colligere liceat, cùm illi ob unicum crimen addicti ſint inferno, quam ſæpe ipſe ſupplicium idem meruerim. In memoriam itaque dicimus trahendum eſſe, quo pacto Angeli creati primùm in ſtatu gratiæ, ſed (quod neceſſe erat ad beatitudinis conſummationem,) non volentes per arbitrii libertatem, Creatori ſuo reverentiam, & obſequium præſtare, at contra eum ipſum inſoleſcentes, converſi fuerint ex gratiâ in malitiam, & de cælo ad infernum præcipitati. Conſequenter diſcurrendum erit per officium intellectus circa hæc penſiculatiùs, nec non concitandis ſimul voluntatis affectionibus, acriùs inſiſtendum.

Circa peccatum primorum parentum.

SEcundum eſt punctum, easdem potentias tres, circa peccatum primorum parentum (quod ſecundum appellabimus) exercere: tractando memoriâ, quam diuturnam ob illud pœnitentiam egerunt: quanta humanum genus corruptio invaſit: quot hominum millia ad inferos deturbata ſunt. Memorandum eſt videlicet, quomodo Adam in Damaſceno campo, de limo terræ factus, poſitusque in terreſtri Paradiſo, & Eva formata ex unâ coſtarum ejus, cum de fructu arboris ſcientiæ boni & mali prohibiti eſſent comedere, & nihilominus comediſſent; poſt peccatum ſubito ex Paradiſo ejecti ſint: veſtibus pelliceis induti, & originali juſtitiâ privati, reliquum vitæ ſuæ tempus, in laboribus, ac ærumnis maximis, pœnitendo traxerint. Super his etiam ratiocinio intellectus, & affectibus voluntatis utendum erit, ſicut priùs.

Tertium

TErtium eſt, ut exerceamur pari modo, circa peccatum mortale, & particulare quodlibet (ipſum nos tertium peccatum dicemus, ut à duobus ſuprà poſitis diſtinguatur) conſiderando, quòd peccato tali, vel ſemel duntaxat commiſſo, fortè detruſi ſint multi ad infernum: quodque præterea propè innumeri, ob delicta meis pauciora atque leviora forte crucientur æternis pœnis. Vnde memoria verſandum erit, quanta ſit peccati gravitas & malitia, Deum omnium Conditorem atque Dominum offendentis. Ratiocinandum quoque eſt, ſupplicium æternum peccato juſtè irrogari, ut pote adverſus infinitam bonitatem Dei perpetrato. Poſtremò ſuſcitandi ſunt affectus, ſicut jam dictum eſt. Circa peccatum mortale, & veniale.

COlloquium fiet imaginando IESVM Chriſtum coram me adeſſe, in cruce fixum. Itaque exquiram mecum rationem, qua Creator ipſe infinitus, fieri creatura, & ab æterna vita ad temporariam mortem venire, pro peccatis meis dignatus ſit. Arguam inſuper me ipſum, percontans quid hactenus dignum memoratu egerim pro Chriſto? quid agam tandem, aut agere debeam? Et in eum intuens ſic cruci affixum, ea proloquar quæ ſuggeret mens & affectus. Porrò Colloquii proprium illud eſt, ut fiat ſicut amici ſermo ad amicum, vel ſervi ad Dominum, nunc gratiæ aliquid petendo; nunc culpam aliquam meam incuſando: interdum propria quælibet communicando, ac petendo conſilium ſuper illis, ſive auxilium. Vltimò dicatur, *Pater noſter.* Colloquium.

II. EXERCITIVM.

Eſt meditatio de peccatis, complectens ultra Orationem præparatoriam, & duo Præludia, quinque articulos, ſeu Puncta, cum Colloquio ad finem.

PRÆPARATORIA oratio eadem quæ ſuprà. Orat. præp.

Prius præludium eamdem exigit, conſtructionem loci, ut in præcedenti meditatione. 1. Præludium.

Poſterius verò fiet, poſcendo id, quod hîc quærimus, dolorem ſcilicet intenſum de peccatis, atque abundantem fletum. 2. Præludium.

PVnctum primum, ſit proceſſus quidam, per quem peccata totius vitæ in memoriam revocantur, percurſis gradatim diſcuſſisque annis, & ſpatiis temporum ſingulis. Qua in re, triplici juvamur compendio; conſideratis Revocanda in memoriam peccata totius vitæ.

deratis videlicet locis habitationis noſtræ, converſationum modis; & officiorum ſeu negotiorum, quibus functi ſumus, generibus diverſis.

Ipſorum peccatorum perpenſio.

SEcundum eſt, peccata ipſa perpendere, quanta ſit fœditas & nequitia ſingulorum ex natura ſua, ſi vel prohibita non eſſent.

Sui ipſius cogitatio.

TErtium eſt, conſiderare me ipſum quisnam aut qualis ſim; additis exemplis, quæ me in majorem mei contemptum trahant: ut ſi mecum reputem, quantulus ſim ad hominum omnium cœtum comparatus: quid deinde ſit multitudo univerſa mortalium, ſi cum Angelis, Beatisque omnibus conferatur: poſt hæc attendendum eſt, quid rei ſit tandem, quidquid eſt creatum, præ ipſo Deo Creatore: Iam quid homuncio ego unus eſſe poſſum? Demum inſpiciam corruptionem mei totius, pravitatem animæ, atque corporis fœditatem, ac me tamquàm ulcus ſive apoſtema eſſe ducam, ex quo tanta ſanies peccatorum, tantaque vitiorum lues defluxerit.

Dei offenſi perpenſio.

QVartum eſt, cogitare quid ſit Deus, quem ita offendi, collectis comparatisque perfectionibus attributis Deo, ut propriis, cum oppoſitis meis vitiis atque defectibus: ſummam ſcilicet ejus potentiam, ſapientiam, bonitatem, & juſtitiam, cum extremâ meâ infirmitate, ignorantiâ, malitiâ, & iniquitate conferendo.

Exclamatio ex affectu dolentis.

QVintum, In exclamationem prorumpere, ex commotione affectus vehementi; admirando valdè, quomodò creaturæ omnes (diſcurſu facto per ſingulas) me ſuſtinuerint tamdiu, & hucusque vivum ſervaverint: quomodò Angeli, divinæ juſtitiæ gladium ferentes, æquo me animo tulerint, cuſtodierint, ſuisque etiam juverint ſuffragiis: quomodo pro me interceſſerint Sancti: quomodo cælum, ſol, luna, & alia ſidera, elementa, cunctaque animantium genera, & terræ germina, debitæ vindictæ loco, mihi ſervierint: ut quo denique modo non abſorbuerit me dehiſcens tellus, & mille infernos reſerans, in quibus perpetuas pœnas daturus eſſem.

Colloquium.

TErminanda demum erit hæc meditatio per colloquium, extollendo infinitam Dei miſericordiam, gratias pro viribus agendo, quod vitam ad hunc usque diem prorogaverit: unde propoſitâ in futurum mei emendatione, recitabo ſemel *Pater noſter.*

III. EX-

III. EXERCITIVM

Non erit aliud, quàm repetitio primi, & ſecundi, unà cum tribus colloquiis.

POst præparatoriam orationem, & duplex Præludium, repetenda erunt præcedentia duo exercitia, notatis punctis, ſeu locis, in quibus majorem ſenſerimus conſolationem, deſolationem, aut aliam quamcumque ſpiritualem affectionem: ac illis diutius, diligentiusque immorandum erit. Deinde occurrente nobis ſpirituali motu, ad colloquia quæ ſequuntur tria veniemus. Repetitio duorum Exercitiorum.

COlloquium primum fiat ad Dominam noſtram, Chriſti Matrem, flagitando interceſſionem ejus apud Filium, & gratiæ impetrationem nobis tripliciter neceſſariæ: Primò, ut internam criminum noſtrorum cognitionem, ac deteſtationem ſentiamus. Secundò, ut operum noſtrorum agnoſcentes, abhorrentesque ordinem perverſum, correcto eo, nosmetipſos ſecundum Deum rectè ordinemus. Tertiò, ut perſpecta & damnata mundi pravitate, à rebus mundanis ac vanis nos recipiamus. His expletis ſemel recitetur *Ave Maria.* Colloquium ad B. V.

SEcundum colloquium fiat ſimiliter ad Chriſtum Dominum, & Mediatorem noſtrum, ut illa eadem nobis impetret ab æterno Patre. Subdetur in fine oratio, quæ incipit: *Anima Chriſti.* 2. Colloquium ad Chriſtum Dominum.

TErtium eodem proceſſu faciendum eſt ad Deum Patrem, ut triplicem illam gratiam nobis largiatur, & in fine ſemel recitandum *Pater noſter.* 3. Ad Patrem.

IV. EXERCITIVM

Conficitur ex tertii repetitione.

POnitur repetitio ejusmodi, veluti quædam eorum ruminatio, quæ meditatus ſum in Exercitiis prioribus, ut ea continuè reminiſcendo, diſcurrat faciliùs intellectus ſine divagatione. Adjicienda quoque erunt tria eadem colloquia. 4. Exercitium eſt repetitio tertii.

V. EXERCITIVM

Eſt contemplatio de inferno, continetque ultra Orationem præparatoriam, & duo Præludia, Puncta quinque, & unum Colloquium.

ORatio præparatoria non differt à ſuperiore. Orat. præp.

1. Prælud. Prius præludium, hîc habet compoſitionem loci, ſubjectâ oculis imaginationis, inferni longitudine, latitudine, ac profunditate. 2. Prælud. Poſterius verò, conſiſtit in poſcendâ intimâ pœnarum, quas damnati luunt, apprehenſione, ut ſi quando me ceperit divini amoris oblivio, ſaltem à peccatis ſupplicii timor coërceat.

Ignem inferni imaginari. PVnctum primum eſt, ſpectare per imaginationem vaſta inferorum incendia, & * animas igneis quibusdam corporibus, velut ergaſtulis incluſas.

*. g

Audire planctus. SEcundum, audire imaginariè, planctus, ejulatus, vociferationes, atque blaſphemias in Chriſtum, & Sanctos ejus, illinc erumpentes.

Imaginarius olfactus. TErtium, imaginario etiam olfactu fumum, ſulphur, & ſentinæ cujusdam ſeu fæcis, atque putredinis graveolentiam perſentire.

Res amaras guſtare. QVartum, guſtare ſimiliter res amariſſimas, ut lacrymas, rancorem, conſcientiæque vermem.

Tangere ignem. QVintum, tangere quodammodo ignes illos, quorum tactu animæ ipſæ amburuntur.

Colloquium. COlloquendo interim cum Chriſto, in memoriam adducendæ erunt illorum animæ, qui ad inferni pœnas damnati ſunt, vel quia credere noluerunt adventum Chriſti; vel licet crederent, non tamen conformem præceptis ejus vitam exegerunt: idque vel ante adventum Chriſti, vel eodem tempore, quo vixit Chriſtus in hoc mundo, vel poſt illud deinceps. Gratiæ poſtremò agendæ ſunt eidem Chriſto quàm maximæ, quòd in tale quodpiam exitium non permiſerit me corruere, ſed potiùs ad hunc usque diem ſumma pietate & miſericordia me proſecutus ſit. Finis imponetur, dicto *Pater noſter.*

Quando hic adjungendæ aliæ meditationes. Si viſum erit ei, qui tradit Exercitia, expedire ad profectum eorum, qui exercentur, alias meditationes his adjicere, ut de morte, ac aliis peccati pœnis, de judicio, &c. non ſe putet prohiberi, licet hîc non adſcribantur.

Temporis diſtributio. Exercitiorum verò tempus ita diſtribuendum eſt, ut primum eorum fiat in media nocte, ſecundum manè ſimul ac ſurrexerimus; tertium ante, vel poſt Miſſæ ſacrum, nondum ſumpto cibo; quartum, circiter horam veſperarum; quintum, horâ ante cœnam. Quæ temporis diſtributio, ſingulis quatuor hebdomadis communis eſt: variari tamen poteſt, atque augeri vel minui, prout unicuique, ad peragenda dicta quinque Exercitia,

tia, ætas, animi, corporisque diſpoſitio, ſive naturæ ipſius complexio ſubſervit.

ADDITIONES
AD EXERCITIA
Meliùs agenda, & ad ea quæ optantur, invenienda, perutiles.

PRIMA eſt, ut ego, poſt cubitum, ante ſomnum, modico temporis ſpatio, quo recitaretur ſemel Angelica ſalutatio, * cogitem de horâ, qua ſurgendum mihi erit, & de exercitio faciendo. Poſt cubitum cogitanda. * h

SEcunda, ut expergefactus, ſtatim excluſis omnibus aliis cogitationibus, animum ad illud applicem, quod in primo mediæ noctis exercitio contemplaturus ſum: Vtque, majoris verecundiæ, & confuſionis gratia, exemplum mihi hujuſmodi proponam: Quomodo miles aliquis ſtaret coram Rege ſuo & cœtu aulico erubeſcens, anxius & confuſus, qui in Regem ipſum acceptis ab eo priùs beneficiis doniſque plurimis ac magnis, graviter deliquiſſe convictus eſſet. In ſecundo itidem Exercitio, reputans quantum peccaverim, fingam me catenis vinctum eſſe, ac protinus ſiſtendum coram ſummo judice, ſicut mortis reus quiſpiam, ferreis ligatus compedibus duci ad tribunal ſolet. His igitur, vel aliis, pro meditandarum rerum genere, cogitationibus imbutus, veſtitu meo me induam. Quid poſtquàm expergefactus.

TErtia, ut à loco futuræ meditationis, uno, vel gemino adhuc paſſu diſtans per tantillum tempus, quo percurri oratio Dominica poſſet, animo ſurſum elevato, conſiderem Dominum meum IESVM, ut præſentem, & ſpectantem, quidnam acturus ſum, cui reverentiam cum humili geſtu exhibere debeam. Stet paululum ante orationem.

QVarta eſt, ut ipſam aggrediar contemplationem, nunc proſtratus humi, & pronus, aut ſupinus jacens, nunc ſedens, aut ſtans, & eo me componens modo, quo ſperem faciliùs id conſequi, quod opto. Vbi adverti hæc duo debent: Primùm, quod ſi flexis genibus, vel in alio quovis ſitu, voti compos fiam, nil requiram ultra. Secundum, quod in puncto, in quo aſſecutus fuero quæſitam devotionem, conquieſcere debeo ſine transcurrendi anxietate, donec mihi ſatisfecero. Quomodò orandum.

QVinta, ut completo Exercitio ſedens, vel deambulans, per quartam circiter horæ partem, mecum diſpiciam, quonam modo meditatio, ſeu Completo Exercitio diſpiciat ut ſucceſſerit.

ſeu contemplatio mihi ſucceſſerit. Et ſi quidem malè, inquiram cauſas cum pœnitudine, ac emendationis propoſito: ſin verò benè, gratias Deo agam, eumdem poſteà modum obſervaturus.

Cogitationes lætas vitet.

SExta, ut cogitationes quæ gaudium afferunt, qualis eſt de glorioſâ Chriſti reſurrectione, ſubterfugiam: quoniam talis quælibet cogitatio impedit fletum & dolorem de peccatis meis, qui tunc quærendus eſt, adſcitâ potiùs mortis vel judicii recordatione.

Sit in tenebris.

SEptima, ut eamdem ob cauſam, omni me privem lucis claritate, januis ac feneſtris clauſis tantiſper, dum illic moror, niſi quamdiu legendum, aut veſcendum erit.

A riſu ſe temperet.

OCtava, ut à riſu, verbisque riſum provocantibus, maximè abſtineam.

Neminem aſpiciat.

NOna, ut in neminem oculos intendam, niſi ſalutandi aut valedicendi poſcat occaſio.

Pœnitentia facienda.

DEcima, ut aliquam addam ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam. Quæ quidem in interiorem & exteriorem dividitur: Interior eſt, dolor de propriis peccatis, cum firmo propoſito cavendi, tum ab illis, tum ab aliis quibusvis in poſterum. Exterior autem eſt fructus interioris, videlicet caſtigatio aliqua de commiſſis, quæ tribus potiſſimum modis aſſumi poteſt.

Circa victum.

Primò circa victum, ſubtractis quibusdam non ſuperfluis ſolum (quod temperantiæ eſt, non pœnitentiæ) ſed etiam convenientibus alimentis: Et eò fit meliùs, quò plus ſubtrahitur, vitatâ interim naturæ corruptione, aut debilitate gravi, ſeu infirmitate.

Circa ſomnum.

Secundò circa ſomni & ſtrati modum, ſublatis non mollibus tantùm, aut delitioſis rebus, ſed aliis etiam opportunis, quantum licet, citra vitæ aut valetudinis grave periculum. Quapropter de ſomno neceſſario nihil demendum eſt, niſi aliquantiſper ad conſuetudinem (ſi cui eſt nimii ſomni) moderandam.

Circa corpus.

Tertiò circa ipſam carnem, ut inflictum ſentiat dolorem, admotis, geſtatisque ciliciis, funibus, aut vectibus ferreis, vel incuſſis verberibus, ac plagis, vel aliis auſteritatis generibus aſſumptis. In quibus tamen omnibus magis expedire videtur, ut doloris ſenſus in carne tantum ſit, nec penetret oſſa cum infirmitatis periculo. Quare flagellis potiſſimum utemur ex funiculis minutis. quæ exteriores affligunt partes, non autem adeo interiores, ut valetudinem adverſam cauſare poſſint. Notanda ſunt inſuper quatuor hæc.

Circa

Circa pœnitentiam, Primum, quod pœnitentiæ exterioris triplex eſt uſus, ſeu effectus: nimirum, ut pro delictis præteritis nonnihil ſatisfiat: ut vincat ſeipſum homo, inferiorem ſui partem quæ ſenſualitas appellatur, ſuperiori, hoc eſt rationi, magis ſubjiciens. Vt poſtremò quæramus atque impetremus aliquod gratiæ divinæ donum, quod optamus, puta intimam cordis contritionem de peccatis, & abundantiam lacrymarum, vel propter illa, vel propter pœnas & dolores paſſionis Chriſti, aut dubii alicujus, quod nos angit, reſolutionem. Exterioris pœnitentiæ uſus triplex.

Secundum, quod, Additiones primæ duæ, ſolis conveniunt Exercitiis, quæ mediâ nocte, & ſub auroram fiunt. Quarta verò in templo, vel coram aliis numquàm, ſed domi tantùm & clanculum exequenda eſt. Duæ primæ Additiones.

Tertiò, quòd quando is qui exercitatur, affectum quæſitum non conſequitur, ut dolorem, vel conſolationem: mutare ſubinde expedit rationem victus ſomnique, & alia genera pœnitentiæ: ita ut pœnitentiam unam per triduum ſectemur, & proximo eam biduo relinquamus, vel etiam triduo, prout diverſis, plus aut minus pœnitentiæ eſt ſumendum. Quando quis Exercitii finem non aſſequitur.

Prætereà, cùm pœnitentias hujuſmodi ſæpè omittamus ob affectum carnis, aut erroneum judicium, quaſi naturalis noſtra complexio ferre illas non poſſit, citra ingens valetudinis detrimentum; & è contrario juſtum nonnumquàm pœnitentiæ modum excedamus, de corporis robore nimis confidentes; mutatis, ut dictum eſt, pœnitentiæ generibus, ac per vices ſumptis, & relictis, evenit plerumque, ut clementiſſimus Dominus, qui naturam noſtram perfectiſſimè cognoſcit, unicuique id compertum reddat, quod ipſi expedit. Quando pœnitentiæ mutandæ.

Quartum, quòd, Particulare examen fiat ad tollendas culpas & negligentias, quæ circa Exercitia & additiones ſolent obrepere: id quod etiam per tres alias ſequentes hebdomadas, obſervandum venit.

HEBDOMADA
SECVNDA.

Contemplatio Regni IESV Chriſti, ex ſimilitudine Regis terreni, ſubditos ſuos evocantis ad bellum:

ORATIO præparatoria fiet more ſupradicto. Oratio præparatoria.

1. Præludium. PRæludium primum ad conſtructionem loci nunc erit, ut ſpectare nos imaginemur ſynagogas, villas, & oppida, quæ prædicans Chriſtus pertranſibat, & ſic de locis aliis.

2. Præludium. SEcundum ad gratiam poſcendam pertinens, in hac parte erit, petere à Deo, ne obſurdeſcamus vocante nos Chriſto: ſed ad ſequendum, ac obtemperandum prompti ſimus.

Regem electum ſibi proponere. PVnctum primum eſto, proponere mihi ob oculos, humanum Regem divinitus electum, cui Principes, & populi omnes Chriſtiani reverentiam & obſequium præſtare debeant.

Audire loquentem. SEcundum eſt, imaginari quod audiam illum Regem loquentem ad omnes ſubditos: In animo eſt mihi regiones infidelium univerſas ditioni meæ ſubjicere. Quicumque igitur comitari me velit, paratus ſit oportet non alio uti victu, veſtitu, rebusque aliis, quàm me utentem conſpexerit. In iisdem quoque laboribus, vigiliis, & caſibus ceteris mecum perſiſtendum erit, ut particeps fiat victoriæ & felicitatis unusquisque, prout laborum ac moleſtiarum ſocius extiterit.

Conſiderare quid illi reſpondendum ſit. TErtium eſt, conſiderare quidnam reſpondere debeant Regi amantiſſimo & liberaliſſimo fideles ſubditi, & quam promptè ad omnes ejus voluntatem offerre ſe accinctos. Contra vero, ſi quis non obaudiret, quanto apud homines univerſos vituperio dignus eſſet, atque quam ignavus miles æſtimandus.

Pars 2. hujus Exercitii. Pars ſecunda hujus Exercitii conſiſtit in collatione ſimilitudinis inter dictum Regem, & Dominum IESVM Chriſtum, circa triplex illud punctum.

Exempli 1. applicatio. PRimò, ſic applicabimus exemplum: Si terrenus ille Rex, cum bellicâ ſuâ evocatione, dignus eſt, cui attentio & obſequium præſtetur; quanto magis Chriſtus Rex æternus, mundoque toti conſpicuus? qui ſingulos ad ſe his invitat verbis: Mea hæc eſt juſtiſſima voluntas totius mundi dominium mihi vendicare, inimicos meos debellare omnes, ac ita demum in Patris mei gloriam intrare: proinde quisquis eò mecum venire cupit, laboret mecum neceſſe eſt, labori enim præmium reſpondebit.

Quis ſe Chriſti ſervitio non addicet? SEcundum, ratiocinabimur neminem fore ſanæ mentis, qui non cupidisſimè Chriſti ſervitio ſe totum offerat, & addicat.

Eorum reſponſum. TErtio, judicandum erit, quod ii, qui ſe obſequiis illius prorſus duxerint mancipandos, non ſe ipſos tantum ad laborum tolerantiam; verum etiam majora & præclariora quædam munera oblaturi ſunt, expugnatâ carnis,

nis, ſenſuum, amoriſque proprii & mundani rebellione. Vnde reſpondebit quisque in hunc ferè modum: En, ô Rex ſupreme, ac Domine univerſorum, tuâ ego, licet indigniſſimus, fretus tamen gratiâ & ope, me tibi penitus offero, meaque omnia tuæ ſubjicio voluntati: atteſtans coram infinitâ bonitate tuâ, nec non in conſpectu glorioſæ Virginis Matris tuæ, totiusque curiæ cæleſtis, hunc eſſe animum meum, hoc deſiderium, hoc certiſſimum decretum: ut (dummodò in majorem laudis tuæ, & obſequii mei proventum cedat) quàm poſſim proximè te ſequar, & imiter in ferendis injuriis & adverſis omnibus, cum verâ, tum ſpiritus, tum etiam rerum paupertate: Si (inquam) ſanctiſſimæ tuæ majeſtati placeat ad tale me vitæ inſtitutum eligere atque recipere.

Fiet bis interdiu hoc Exercitium, manè cùm primùm ſurreximus, & in horâ prandium vel cœnam præcedente. Bis fiet hoc Exercitium.

In hâc hebdomadâ ſecundâ, & ſubſequentibus, utile fuerit, aliquid ſubinde legere ex Evangelio, vel pio alio codice, ut de Imitatione Chriſti, Sanctorum vitâ, &c. Lectio pia.

PRIMÆ DIEI
MEDITATIO

Prima erit, de Incarnatione IESV Chriſti, complectens Orationem præparatoriam, tria Præludia, & Puncta tria, cum uno Colloquio.

ORATIO præparatoria nihil à ſuperioribus variatur. Orat. præp.

PRæludium primum eſt, proferre in medium contemplandæ rei hiſtoriam, quæ hoc loco erit: Quomodò perſonæ tres Divinæ, univerſam terræ ſuperficiem ſpeculantes, hominibus refertam, qui ad infernum deſcendebant, in Deitatis ſuæ æternitate decernunt, ut ſecunda perſona, pro ſalute humani generis, naturam hominis aſſumat. Vnde adveniente tempore præſtituto, Archangelus Gabriel ad beatam Virginem MARIAM nuntius deſtinatur, ut dicetur infrà. pag. 407. 1. Præludium.

SEcundum pertinet ad loci compoſitionem, quæ erit viſio imaginaria, perinde ac ſi oculis pateret terræ univerſæ ambitus, quam habitant tot diverſæ gentes. Deinde ad certam mundi partem domuncula ſpectetur beatæ Virginis, apud Nazareth in provincia Galilææ ſita. 2. Præludium.

Tertium

3. Eſt gratiæ poſtulatio.

TErtium continet gratiæ poſtulationem, ut intimè cognoſcam, quo pacto Dei Filius mei cauſâ ſit homo factus, ut ardentius ipſum amem, & abhinc ſequar ſtudioſiùs.

Eadem oratio præp.

NOtandum hîc eſt, tam Orationem præparatoriam, quam tria Præludia per totam hanc hebdomadam, & reliquas ſequentes itidem fieri, Præludiis dumtaxat pro diverſitate rerum variatis.

Contemplatio perſonarum.

PVnctum primum eſt, ut ſpeculer perſonas omnes, de quibus agitur: Et primò quidem homines ſuper faciem terræ degentes, adeò moribus, geſtibus, & actionibus diverſos; quosdam albos, & nigros alios; nonnullos fruentes pace, & reliquos bellis agitatos: hunc plorantem, & ridentem illum: ſanum unum, alterum ægrotum: naſcentes multos, & multos viciſſim morientes, ceterasque varietates propè innumeras.

Deinde contemplandæ erunt perſonæ tres divinæ, è ſolio regali ſuo intuentes omnia hominum genera, in ſuperficie terræ cæcorum more viventium paſſimque morientium & deſcendentium ad infernum. Poſteà Virginem MARIAM cum Angelo eam ſalutante conſiderabimus, aliquid inde ſemper ad nos reflectendo, ut ex conſideratione tali fructum aliquem referamꝰ.

Audire eas loquentes.

SEcundum punctum eſt, auditu interno excipere, quid loquantur perſonæ omnes, ut homines in terris confabulantes, blaſphemantes, ſibique invicem conviciantes. Divinæ verò perſonæ in cælo de redimendo humano genere colloquentes: Virgo & Angelus in cellula de Incarnationis myſterio tractantes. Quorum omnium reflexione, ſeu applicatione quadam ad meipſum facta, ſtudebo ex ſingulis nonnihil fructus decerpere.

Actiones attendere.

TErtium conſequenter erit, actiones quoque perſonarum ſimul attendere: ut puta, quomodò ſeſe invicem mortales infeſtent, concutiant, trucident, & omnes ruant ad inferos: quomodò ſanctiſſima Trinitas Incarnationis opus exequatur: quomodò item ſua Angelus fungatur legatione, & Beata Virgo humillimè ſe gerens, Divinæ gratias agat majeſtati. Ex quibus ad nos ipſos, ut dictum eſt, reflexis, fructus obiter eſt legendus.

Colloquium.

COlloquium poſtremò ſubjiciam disquiſitis ſtudioſè verbis, quibus divinam quamlibet perſonam, Verbum incarnatum, & ipſius Matrem dignè valeam compellare: petendo etiam pro affectu, quem in me ſenſero, quidquid ad majorem juvet imitationem Domini mei IESV Chriſti, velut nunc recens incarnati. Recitabitur in fine *Pater noſter*.

CON-

CONTEMPLATIO II.

De Nativitate.

ORATIO præparatoria ſicut ſuprà. Oratio præparatoria.

Præludium primum ex hiſtoriâ dependet, quæ recenſenda eſt ab egreſſu Beatæ Virginis ex oppido Nazareth: quo ſcilicet modo jam nono menſe gravida, & inſidens aſinæ (ut piè meditari licet) ac Ioſeph comes, cum ancillulâ, & bove, profecti ſunt Bethlehem, tributum à Cæſare exactum, pro ſe ſoluturi. 1. Præludium.

SEcundum verò deducendum erit ex conſideratione itineris, æſtimatâ ejus longitudine, obliquitate, lenitate, vel aſperitate paſſim occurrente. Deinceps etiam nativitatis locum rimabimur, ſpeluncæ ſimilem, latum, vel anguſtum, planum, vel erectum, commodè, vel incommodè paratum. 2. Præludium.

TErtium, à ſuperiore nihil mutabitur. 3. Præludium.

PVnctum primum eſt, aſpectus perſonarum, ut Virginis Deiparæ, & Ioſeph conjugis, cum famulâ, & Christi Domini, ut infantis nunc primùm nati: * Inter quos me adeſſe fingam, tamquàm pauperculum, eorum utcumque neceſſitatibus, cum reverentiâ maximâ famulantem. Ac inde quid ad me redire emolumenti, ex tali ſpectaculo poſſit, diſpiciam. Aſpectus perſonarum. * i

SEcundum conficitur ex verborum, quæ ibidem fiunt, apprehenſione fructuoſâ. Earum verba.

TErtium ex negotiorum, quæ illic geruntur, inſpectione, puta itineris, laborum, & cauſarum ob quas ſummus omnium Dominus, in ſummâ natus ſit egeſtate, laturus quoque in hac vitâ cum perpetuâ paupertate labores, famem, ſitim, æſtum, frigus, opprobria, verbera, & crucem tandem ſubiturus, idque mei causâ: unde per ſingulas ſtudebo proventum aliquem ſpiritualem colligere. Hæc demum concludenda erunt inito colloquio, & finito cum *Pater noſter.* Cogitare labores itineris.

III. CONTEMPLATIO,

Eſt repetitio præcedentium duarum.

PRo tertio Exercitio, ſeu contemplatione, repetuntur duæ præcedentes cum Oratione præparatoriâ, & iisdem tribus Præludiis, notando ubique, & fixius tractando illas partes, in quarum priore tranſcurſu aliquid il- Pro 3. Exercitio repetuntur duo præcedentia.

luſtrationis, conſolationis, vel deſolationis acceperim. Subdetur etiam Colloquium cum oratione Dominicâ, ut prius.

Idem eſt in hac hebdomadâ repetendi modus, qui in ſequentibus.

NOtandum, eumdem eſſe repetendi Exercitii modum, & ordinem in hac hebdomada, & in ſequentibus, qui fuit in prima: niſi quòd mutatur materia, eadem forma permanente.

IV. CONTEMPLATIO,

Eſt prima ac ſecundæ iterata repetitio, proxime præcedenti penitus conformis.

V. CONTEMPLATIO,

Eſt applicatio ſenſuum ad prædictas.

Quinque ſenſuum conſideratio.

POST Orationem præparatoriam, cum tribus jam dictis Præludiis, apprimè conducit, quinque imaginarios ſenſus circa primam & ſecundam Contemplationem, eo, qui ſequitur, modo, exercere, prout res ſubjecta feret.

Imaginari perſonas.

PVnctum primum erit, ſecundum imaginationem reſpicere perſonas omnes, & notatis, quæ circa eas occurrent, circumſtantiis, utilitatem noſtram elicere.

Quaſi audire.

SEcundum, velut audiendo, quid loquantur, aut loqui eas deceat, omnia in uſum noſtrum attrahere.

Quaſi guſtare. k *

TErtium, interiore quodam guſtu, & olfactu ſentire, quanta ſit ſuavitas, & * dulcedo animæ, divinis donis ac virtutibus imbutæ, juxta rationem perſonæ, quam conſideramus, adaptando nobis ea, quæ fructum aliquem afferre poſſint.

Quaſi attrectare.

QVartum, per internum tactum attrectare, ac deoſculari veſtimenta, loca, veſtigia, ceteraque perſonis talibus conjuncta, unde fiat nobis devotionis vel boni cujuslibet ſpiritualis major acceſſio.

Per Colloquium finiendum.

HVic erit Contemplationi per Colloquium imponendus finis, ſicut prioribus, adjecto itidem *Pater noſter.*

NOTANDA

Inſuper ſunt hæc quinque.

Nullum aliud myſterium meditandum.

PRIMVM, quòd tam in hac, quàm in qualibet ſequente hebdomadâ nullum debeo legere, vel cogitare aliud myſterium, niſi quod eadem horâ aut die conſiderandum ſit, cùm alioquin unum alteri obturbet.

Secun-

SEcundum, quod primum de Incarnatione Chriſti Exercitium fit mediâ nocte, proximum diluculo, tertium circa horam Miſſæ, quartum ſub veſperas, quintum paulò ante cœnam: & eorum cuilibet ſpatium impendetur unius horæ. Id quod abhinc deinceps ubique venit obſervandum. Exercitiorum quæ repetuntur diſtributio.

TErtium, quod ſi is, qui exercitatur, ſit ſenex, vel per hebdomadam primam viribus attritus, præſtat eum aliquoties non ſurgere de nocte, ſed tres tantùm contemplationes peragere, in aurorâ, circa Miſſæ tempus, & ante prandium: * ſuperaddita circa veſperas una repetitione, & ſenſuum applicatione ante cœnam. Quid cum ſenibns vel valetudinariis agendum. * i

QVartum, quod in hac hebdomada ſecunda, ex decem additionibus in prima traditis, variari debent ſecunda, ſexta, & ſeptima, cum decimâ ex parte. In ſecundâ quidem hoc mutatur, quod ſimulatque excitor à ſomno, meditationem proximè inſtantem debeo menti objicere, ac deſiderium provocare, cognoſcendi clariùs Incarnati æterni Verbi, ut ipſi ſerviam, & adhæreſcam tantò propenſiùs, quantò incredibiliorem erga me bonitatem ejus perſpexero. Quæ in 2. hebdomada varianda.

In ſexta verò, ut frequenti verſem memoria vitam Chriſti à tempore Incarnationis ad locum usque, ſive myſterium, de quo in præſenti die, vel hora ſum meditaturus.

In ſeptima, ut luce, vel obſcuritate, ſereno cælo, vel turbido delecter, quatenus ad ſcopum refert deſideratæ rei, pertingendum.

In decima, ut ita me geram, ſicut exigere videtur myſterii contemplandi genus: cùm nonnulla ex myſteriis pœnitentiam requirant, alia non item. Decem igitur Additionibus utendum erit circumſpectè.

QVintum eſt ultimò notandum, quod in omnibus aliarum horarum (præterquàm noctis mediæ & auroræ) Exercitiis, aſſumendum erit aliquid, quod ſecundæ & tertiæ additioni æquivaleat, hunc in modum: ubi primùm in mentem veniet adeſſe meditandi horam, priusquàm accedam, proſpiciam eminus, quò ferar, & coram quo ſim appariturus, ac tranſcurſa obiter exercitii oblati parte, contemplationem ſtatim auſpicabor. Quid in aliis horis mutandum.

IN II. DIE.
ARGVMENTVM
PRIMÆ ET SECVNDÆ
CONTEMPLATIONIS,

m * *Erit Chriſti Præſentatio in templo, de quâ infrà pag 409. & * Fuga in Ægyptum, de quâ pag. 409.*

Fiet repetitio.

SVPER duabus his Contemplationibus fiet repetitio duplex, & ſenſuum applicatio, ut ſuprà.

Interdum remittendum & variandum in Exercitiis.

NOtandum, quòd expedit nonnumquàm eum, qui exercitatur, quamvis & vigore animi, & corporis robore ſit præditus; nonnihil tamen remittere de præſcriptis Exercitiis ſecundæ hujus hebdomadæ & ſubſequentium duarum: ut aſſequi, quod cupit, commodiùs valeat, acceptâ ſolummodò contemplatione unâ in crepuſculo matutino, & alterâ circa Miſſæ tempus: quarum repetitionem faciat horâ veſperarum: & ſub cœnam, quinque imaginationis ſenſus ſuper iisdem exerceat.

Aliæ meditationes de vitâ Chriſti.

DIe verò tertiâ meditandum occurret, quo pacto puer IESVS apud Nazareth ſubditus erat parentibus, ut habetur p. 410. Deinde, quomodò ab eis repertus fuerit in templo, pag. 410. Fient item duæ repetitiones. cum ſenſuum applicatione.

Præludium quoddam, circa conſiderationem ſtatuum, ſeu generum vitæ diverſorum.

n * Præludium de diverſis vitæ generibus.

CVM * ſuprà propoſitum fuerit exemplum Chriſti, de vitæ genere, quod in mandatorum Dei obſervatione conſiſtit. & primus ſeu communis ſtatus appellatur; nunc idem ipſe Dominus, dum parentibus ſuis fuiſſe ſubditus memoratur, formam videtur exhibere, alterius ſeu ſecundi ſtatus, pendentis ab obedientiâ, & perfectionem Evangelicam afferentis, quando videlicet in templum ſe contulit, patre adſcititio, & naturali Matre derelictis, ut æterni Patris obſequio vacaret. Quare opportunum hîc erit, nos quoque illius vitam contemplantes, veſtigare & efflagitare proprium vitæ genus, in quo majeſtati ſuæ nos ſervire malit.

Ad hoc igitur inquirendum, poſſumus introduci per ſequens proximè Exercitium, ad Chriſti mentem attendentes, collatam cum oppoſitâ inimici. Diſcemus etiam exinde qua ſit nobis opus diſpoſitione, ut perfecti in eo

in eo evadamus ſtatu, quemcumque bonitas divina eligendum nobis ſuggeſſerit.

QVARTA DIE

Fiet meditatio de duobus vexillis; uno quidem IESV Chriſti optimi noſtri Imperatoris; altero verò Luciferi, hoſtis hominum capitaliſſimi.

ORATIO præparatoria fit ſecundùm morem. Orat. præp.

PRæludium primum, erit hiſtorica quædam conſideratio Chriſti, ex unâ parte, & ex alterâ Luciferi, quorum uterque omnes homines ad ſe vocat ſub vexillo ſuo congregandos. 1. Præl. eſt hiſtoria.

SEcundum eſt ad conſtructionem loci, ut repræſentetur nobis campus ampliſſimus circa Hieroſolymam, in quo Dominus IESVS Chriſtus, tamquàm bonorum hominum omnium ſummus Dux aſſiſtat. Rurſum alter campus in Babyloniâ, ubi ſe Lucifer, malorum & adverſariorum ducem exhibeat. 2. Eſt conſtructio loci.

TErtium, ad gratiam petendam illud erit, ut poſcamus exploratas habere fraudes mali Ducis, invocatâ ſimul Divinâ ope ad eas vitandas: veri autem, optimique Imperatoris Chriſti, agnoſcere mores ingenuos, ac per gratiam imitari poſſe. 3. Eſt petitio gratiæ.

PVnctum primum eſt, imaginari coram oculis meis, apud campum Babylonicum, ducem impiorum in cathedrâ igneâ, & fumoſâ ſedere, horribilem figurâ, vultuque terribilem. Imaginari ducem impiorum.

SEcundum eſt, advertere quomodò convocatos dæmones innumeros per totum orbem ſpargit ad nocendum, nullis civitatibus & locis, nullis perſonarum generibus immunibus relictis. Vt convocat dæmones.

TErtium, attendere cujuſmodi concionem habeat ad miniſtros ſuos, quos inſtigat, ut correptis injectiſque laqueis, & catenis, homines primùm trahant (quod ferè contingit) ad cupiditatem divitiarum, unde poſteà faciliùs in mundani honoris ambitionem, ac demum in ſuperbiæ barathrum deturbari queant. Ejus concio ad ſuos.

Atque ita tres ſunt præcipui tentationum gradus, in divitiis, honoribus, & ſuperbiâ fundati: ex quibus in alia vitiorum genera omnia, præceps fit decurſus. Tres gradus tentationum.

Similiter ex oppoſito, conſiderandus eſt ſummus optimusque noſter Dux & Imperator Chriſtus.

Imaginari è contra Chriſtum.

Punctum primum erit, conſpicari Chriſtum in amœno campo juxta Hieroſolymam, humili quidem conſtitutum loco, ſed valdè ſpecioſum formâ, & aſpectu ſummè amabilem.

Vt ſuos per orbem diſcipulos mittat.

Secundum autem eſt, ſpeculari quo pacto ipſe mundi Dominus univerſi, electos Apoſtolos, diſcipulos, & miniſtros alios per orbem mittat, qui omni hominum generi, ſtatui, & conditioni doctrinam ſacram ac ſalutiferam impartiant.

Chriſti concio.

Tertium, auſcultare concionem Chriſti exhortatoriam, ad ſervos & amicos ſuos omnes in opus tale deſtinatos, qua eis præcipit, ut juvare ſtudeant quemlibet, ac primò inducendum curent ad ſpiritualem affectum paupertatis: & inſuper (ſi divini obſequii ratio & electio cæleſtis eò ferat) ad ſectandam actu ipſo veram paupertatem: deinde ut ad opprobrii, contemptusque deſiderium alliciant, unde humilitatis virtus enaſcitur. Et ita tres conſurgunt perfectionis gradus, videlicet paupertas, abjectio ſui, atque humilitas, quæ ex diametro divitiis, honori, & ſuperbiæ opponuntur, ac virtutes omnes ſtatim introducunt.

Colloquium ad B. Viginem.

Colloquium poſteà formandum erit ad Virginem beatam, implorandaque eſt per eam à Filio gratia, ut recipi poſſim & manere ſub vexillo ejus; Idque primùm, per ſpiritualem tantùm paupertatem, aut etiam in rerum expoliatione ſitam, (ſi quidem ad eam me vocare, atque admittere dignabitur;) deinde per abjectionem quoque, ſeu ignominiam, ut ipſum imiter vicinius, deprecando tamen culpam aliorum, ne contemptus mei, tam in alicujus detrimentum, quàm in offenſam Dei cedat.

Finitur per Ave Maria.

Terminabitur primum hoc colloquium per *Ave Maria.*

2. Ad Chriſtum.

Secundum Colloquium ad Chriſtum hominem dirigitur, ut mihi à Patre impetret illud idem, ſub de turque in fine oratio, *Anima Chriſti.*

3. Ad Patrem.

Tertium ad Patrem, ut annuat petitioni, cum *Pater noſter.*

Fiet etiam in mediâ nocte.

Tranſigetur hoc Exercitium ſemel in mediâ nocte, & alterâ vice ſub auroram.

Duæ repet. quando fient.

Repetitiones verò duæ circa matutini ſacri, atque veſperarum tempus erunt faciendæ, additis in fine tribus Colloquiis. Sequens verò Exercitium fiet ante cœnam.

MEDI-

MEDITATIO

Eodem quarto die facienda, de tribus hominum Claſſibus, ſeu differentiis, ut potiſſimam partem ampleĉtamur.

Oratio præparatoria, ut ſemper ant. hac. Orat. præp.

PRæludium primum fiat, propoſitis vice hiſtoriæ, tribus hominum claſſibus diſtinctis, quarum unaquæque decem millia ducatorum, alio quàm divini cultus & amoris ſtudio ſibi paraverit; nunc autem placatum habere Deum, & ſalva fieri exoptet, ſublato * utcumque noxio affectu rerum, utpote ſalutis impedimento. 1. Præludium. * o

SEcundum eſt, loci cujusdam imaginaria conſtructio, in quo videam meipſum coram Deo Sanctisque omnibus, cum deſiderio aſtantem, atque perſeverantem, quonam pacto ipſi Deo placere queam potiſſimum. 2. Præl. loci conſtructio.

TErtium eſt, optatæ rei petitio, nimirum gratiæ, per quam id eligam, quod & Deo acceptiſſimum, & mihi ſaluberrimum futurum ſit. 3. Rei petitio.

PRima igitur claſſis optat quidem acquiſitæ rei exuere affectum, ut conciliari Deo poſſit: ſed media, * debitaque adminicula toto vitæ tempore non admovet. 1. Claſſis affectus. * p

SEcunda itidem affectum malè ordinatum auferre cupit: ſed rem interim mordicus tenere, ac Deum potiùs trahere ad votum proprium, quam relicto impedimento, per conducibiliorem ſtatum ad illum tendere. 2. Affectus.

TErtia poſtremò affectum inſincerum volens abjicere, rem ipſam vel tollere, vel tenere æquè parata eſt, prout ad divinum cultum commodius fore, vel ex divino inſtinctu, vel ex rationis dictamine animadverterit: * Ac, interim omnia relinquens integra, illud tantum verſat, & inquirit, nec aliam admittit relinquendæ, aut retinendæ rei acquiſitæ cauſam, præter rationem ac deſiderium divinæ gloriæ, ut quam maxima ſit. 3 Affectus. * q

COlloquia tria ſubſequentur, ut nuper facta ſunt de vexillis. Colloquium.

NOtandum ad hæc, quòd ubi affectum ſentimus paupertati perfectæ, quæ tum in ſpiritu, tum in rerum abdicatione ſubſiſtit, adverſantem, & ad divitias magis inclinantem: multùm confert, ad eum elidendum, petere ex Deo, licet renitente carne, ut ad paupertatem ejusmodi ſectandam nos eligat: * ſervabimus tamen intereà deſiderii noſtri libertatem, quâ liceat convenientiorem ſervitio divino viam invadere. De affectu perfectæ paupertatis. * r

QVIN-

QVINTA DIE

Sequetur contemplatio de Domini tranſitu, à Nazareth ad Iordanem fluvium, deque ejus baptiſmo pag. 410.

Fiet circa mediam noctem: bis repetetur.

FIET tam mediâ nocte, quam primo mane. Bis præterea repetetur circa Miſſæ, ac veſperarum horam. Ante cœnam applicabuntur quinque ſenſus. Ad hæc quodlibet horum quinque Exercitiorum præcedet Oratio præparatoria, cum tribus Præludiis, ut in ſuperioribus de Incarnatione & Nativitate traditum eſt. Nec non adjectis tribus Colloquiis, ut circa claſſes, vel juxta id, quod ibi fuit ſubnotatum.

Examen particulare de qua re.

EXamen autem particulare à prandio & cœnâ uſitatum, fiet hîc, & in ſequentibus de erratis ac negligentiis, quæ circa proprias ejus diei meditationes, & Additiones contigerunt.

Sextâ die quid meditandum.

SEXTA deinceps die, contemplandum ſe offert, quomodò Chriſtus IESVS à flumine Iordanis petierit deſertum, ibique verſatus ſit. Servatâ omnino Exercitii diei quintæ formâ, pag. 411.

7. Die.

SEPTIMA, quomodo Beatus Andreas, & alii ſucceſſive Chriſtum ſecuti ſunt, ut dicetur pag. 411.

8. Die.

OCTAVA, quomodo ſermonem fecit Dominus in monte, octo beatitudinis modos ediſſerens, pag. 412.

9. Die.

NONA, quomodo navigantibus diſcipulis ſe oſtendit, ambulans ſuper aquas maris, pag. 412.

10. Die.

DECIMA, quomodo in templo docuit, pag. 414.

11. Die.

VNDECIMA, de Lazari ſuſcitatione, pag. 413.

12. Die.

DVODECIMA, de geſtis in die palmarum, pag. 414.

Notanda hoc loco ſunt hæc tria.

In 2. hebdomadâ poſſunt adjici meditat.

PRIMO, quod in hac ſecundâ hebdomadâ juxta temporis facultatem, & utilitatem perſonæ ſeſe exercentis, poſſunt aliquot meditationes vel adjici, ut de myſteriis viſitationis, paſtorum, circumciſionis, & trium Regum; vel ſubtrahi ex ſuprapoſitis, quippe, quæ introductione tantùm delineantur, ad formandam meliùs contemplationem.

ſ *

Quando inchoanda electionum diſcuſſio.

SEcundò, * quod inchoanda eſt electionum diſcuſſio à contemplatione diſceſſus Chriſti ex Nazareth Iordanem verſus usque ad eam, quæ fit quinto die, ſimul comprehendendam.

Tertio,

TErtio, quod antequam electionum materiam aggrediamur, ut ad capeſſendam germanam Chriſti doctrinam affectum noſtrum diſponamus, apprimè juvat conſiderare, ac per diem totum revolvere idemtidem tres ſequentes modos humilitatis, nec non colloquia dicenda, crebro agitare. Quid ante materiam electionum.

PRimus humilitatis modus hic eſt, ad ſalutem neceſſarius, ut me penitus ſubdam divinæ legi obſervandæ, utque ne mundi quidem totius oblato mihi dominio, vel extremo vitæ diſcrimine objecto, transgrediar ex deliberato mandatum ullum divinum, aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget. Primus humilitatis modus.

SEcundus majoris eſt perfectionis, ut fixo animo, ad divitias, paupertatem, honorem, ignominam, brevitatem vitæ, ac longitudinem, æquè ſim propenſus, ubi æqualis eſt divinæ laudis, & ſalutis meæ occaſio. Vtque nullâ, vel humanæ quantæcumque felicitatis, vel propriæ mortis conditione propoſitâ, adducar umquam, ut culpam, licet venialem tantum, decernam admittere. 2. Modus.

TErtius eſt modus humilitatis abſolutiſſimæ, ut priores duos jam adeptus, etiam ſi nullo ſuperaddito, laus Dei par foret, ad majorem tamen imitationem Chriſti, eligam potiùs cum eo paupere, ſpreto, & illuſo, pauperiem, contemptum, & inſipientiæ titulum amplecti, quàm opes, honores, & ſapientiæ æſtimationem. Porrò ad gradum hunc humilitatis attingendum, magnum afferet compendium, triplicis colloquii præcedentis de vexillis uſus, per quod ſuppliciter poſcamus (ſi divinæ placeat benignitati) ad talem perduci electionem, ſive major, ſive æqualis obſequii mei erga Deum, & gloriæ divinæ proventus ſubſit. 3. Modus.

Præludium ad electionem faciendam.

AD benè quippiam eligendum noſtræ ſunt partes, ut oculo puro ac ſimplici ſpectemus, quorſum fuerimus creati, nimirum ad laudem Dei, & ſalutem noſtram. Quapropter eligenda ſunt ea tantum, quæ conducunt ad dictum finem; cùm ubique fini medium, non medio finis habeat ſubordinari. Vnde errant, qui uxorem ducere primitus, aut Eccleſiaſticum munus ſeu beneficium adipiſci ſtatuunt, atque ita demum Deo poſteà inſervire, utentes præpoſterè fine ac medio, nec ad Deum tendentes rectà, ſed obliquè ipſum ad perverſa vota ſua pertrahere conantes. Atqui è contrario planè agendum eſt, propoſito primum divino cultu, tamquàm fine Requiſita ad electionem.

noſtro, & electo deinceps conjugio, vel ſacerdotio, ceteriſque rebus omnibus, quatenus expedit, ad præfixum finem ordinatis. Idcirco nihil movere nos debet, ad mediis quibusvis utendum, aut ſuperſedendum, niſi habitâ in primis tam divinæ laudis, quàm noſtræ ſalutis certâ ratione.

Introductio ad eligendarum rerum notitiam, complectens quatuor puncta, & annotatiunculam unam.

Res electionis quales.

PRIMUM punctum eſt, quòd res omnes, quæ ſub electionem cadunt, neceſſariò bonæ eſſe debent ex ſeipſis, aut certè non malæ, nec niſi conſonæ inſtitutis orthodoxæ Matris Eccleſiæ.

Quot genera rerum.

SEcundum, quòd genera duo rerum electioni quadrant. Nam quarumdam electio immutabilis eſt, ut ordinis ſacerdotalis, & matrimonii: aliarum verò mutari poteſt, ſicut reddituum Eccleſiaſticorum, vel ſæcularium, quos recipi & relinqui ex causâ fas eſt.

Quando nil ſupereſt eligendum.

TErtium, quod circa ea, de quibus facta jam ſit electio immutabilis, nihil ſupereſt eligendum. Sed advertendum eſt, quod ſi quis improvidè, nec ſine obliquis affectionibus aliquid elegerit, quod non liceat retractare, reliquum eſt, ubi eum cœperit pœnitere facti, electionis damnum probitate vitæ, & operum ſolertiâ penſare: reſilire autem nullo pacto decet, quamvis electio iſtiusmodi non videatur vocatio divina eſſe, utpote obliqua atque inconſulta. Quâ in re non pauci errant, electionem malam, & obliquam pro divinâ vocatione reputantes, cùm hæc ſemper pura & clara ſit, non carnali ullo affectu, vel ſtudio perverſo mixta.

Quando non eſt violanda electio.

QVartum, quod, ſi quis debito modo & ordine, absque carnali mundanoque affectu quippiam elegit, quod mutari poſſit, non eſt cur violet electionem talem, ſed potiùs, ut in eâ magis ac magis proficiat, adniti debet.

Quando corrigenda.

NOtandum autem eſt, quod ſi electio rerum hujusmodi mutabilium non ita rectè atque ſincerè proceſſerit; eam expedit corrigere, ut fructus uberior, & Deo gratior produci poſſit.

De tempore triplici, ad electiones rectè faciendas magis opportuno.

1. Tempus cùm nulla ſubeſt dubitatio.

TEmpus primum erit, quando voluntatem divina virtus ſic impellit, ut omnis dubitatio, imo etiam dubitandi facultas animæ ſublata ſit, quo minùs ſequatur impulſionem talem: ſicut legimus Beato Paulo, & Matthæo, & aliis nonnullis, vocante Chriſto, accidiſſe.

Secun-

SEcundum eſt, quoties ſatis clarum compertumque ſit beneplacitum divinum, docente id aliquo conſolationum vel diverſorum ſpirituum prævio experimento. 2. Cùm conſtat de Dei beneplacito.

TErtium eſt, quando per animi tranquillitatem aliquis, conſiderato fine, ad quem conditus eſt (ad Dei gloriam ſcilicet & ſalutem ſuam) eligit certum vitæ genus intra Eccleſiæ Catholicæ limites conſtitutum, per quod ceu medium, commodiùs ſecuriusque ad ſuum finem tendat. 3. Quando cum tranquillitate fit electio certæ vitæ.

Porrò tranquillitas ea tunc noſcitur adeſſe, quotiescumque anima nullis agitata variis ſpiritibus, vires naturales ſuas liberè exercet. Itaque niſi primi vel ſecundi temporis beneficio electio contingat, ſupereſt ad tertium recurſus, duobus modis ſequentibus diſtinctum.

Modus prior ſanæ bonæque electionis faciendæ, ſex conſtans punctis.

PVNCTVM primum erit, proferre in medium rem deliberandam, ut de officio, vel beneficio, acceptandumne, an potiùs rejiciendum ſit; & ita de cæteris rebus, quæ ad mutabilem electionem ſpectant. Rem deliberandam proferre.

SEcundum eſt, adducto ante oculos creationis meæ fine, in hoc conſiſtente, ut cum Dei laude ſalvus fiam, in neutram declinare partem amplectendæ vel repudiandæ rei controverſæ: quin potius velut in medio quodam interſtitio & æquilibrio ſubſiſtere, parato interim animo, ut in eam illicò partem totus ferar, quam novero divinæ gloriæ, & ſaluti meæ fore aptiorem. In neutram partem pendere.

TErtium, obſecrare Dei clementiam, ut dignetur mentem inſtruere, & impellere voluntatem, quocumque potiùs mihi tendendum ſit, adhibito nihilo ſecius pio fidelique intellectus mei ratiocinio: per quod, apprehensâ & probatâ Dei voluntate, ad electionem ferar. A Deo lucem petere.

QVartum, perpendere quot tandem commoda vel adminicula mihi ad finem meum proſequendum accedent ex tali officio vel beneficio ſuſcepto: quot rurſum ex eodem incommoda & pericula impendent. Prætereà, quot per oppoſitum, omiſſo illo, tam commoda & adminicula, quam diſcrimina & damna poſſim expectare. Commoda vel adminicula perpendere.

QVintum, his præmiſſis, ratiocinari in utramque partem, & juxta ipſius rationis dictamen, ſepoſito carnis appetitu omni, electionem concludere. Tum ratiocinari in utramque partem.

Electionem factam Deo offerre.

SExtum, electione factâ, ad orandum citò proſilire, & illam offerre Deo perfectè demum, ſi ei placeat, recipiendam & ſtabiliendam.

Modus poſterior benè eligendi, in Regulas quatuor, & Annotationem unam diſtributus.

Puritas affectus.

REGVLA prima, quòd, cum oporteat per affectum ex Dei amore cælitus infuſum fieri electionem, eligentem convenit perſentiſcere in ſeipſo, quòd quidquid affectionis (ſive multum ſive modicum ſit) erga rem electam tenet, ex ſolius Dei amore, & intuitu proficiſcatur.

t *

Quid ſi amico conſulerem.

SEcunda * eſt, conſiderare, ſi quis mihi vir amiciſſimus, cui nihil non perfectionis ineſſe cupiam, occurreret dubius ſuper electione hujusmodi, quidnam ego illi decernendum maximè eſſem conſulturus. Quo animadverſo, agendum & mihi ducam, ut ſuaderem alteri.

Quid eligerem morte ingruente.

TErtia, mecum inſuper reputare, ſi mors ingrueret, quem me mallem obſervaſſe modum in præſenti deliberatione. Iuxta hunc igitur eligendum nunc eſſe facile intelligam.

Quid cum tribunali Dei ſiſtar.

QVarta, proſpicere non minus, quando pro tribunali ſiſtar judicandus, quo me conſilio hac in re uſum eſſe vellem. Quo agnito nunc utar, ut eo tempore magis ſim ſecurus.

Quando, & quomodo facienda electio.

ADnotandum eſt poſtremò, quòd hiſce Regulis quatuor propter ſalutem meam, & animi quietem accuratè ſervatis, debeo juxta ultimum punctum modi præcedentis, electionem ipſam definire, & offerre Deo comprobandam.

De emendatione ſeu reformatione circa vitæ ſtatum cuivis faciendâ.

Quid faciendum matrimonio vel dignitate Eccleſiaſt. adſtricto.

IN primis illud eſt advertendum, quòd ſi quis vel matrimonio, vel officio dignitatis Eccleſiaſticæ ſit adſtrictus (de temporalium verò bonorum quantitate, magna an parva ſit, non refert) unde ipſi non vacet, aut parum libeat circa mutabilium rerum electiones verſari; operæpretium eſt, earum loco methodum ei tradi, ſeu formulam aliquam, ex qua vitam ſuam, & ſtatum proprium poſſit emendare.

Singula ſtatus perpendat.

DEbet igitur, quisquis ejusmodi conditionem ſortitus eſt, ut finem creationis, & vitæ ſuæ rectè ſtatuat ac ſequatur, per Exercitia ſupradicta, & electionum modos attendere, atque ruminando ſedulò colligere, quàm amplam domum & familiam æquum ſit ſe habere: quibus eam modis tractare

ctare & adminiſtrare conveniat: quibus inſtruere verbis & exemplis: quantum præterea de poſſeſſis facultatibus ſumptum facere liceat in uſus proprios, ſive domeſticos: quid rurſum pauperibus erogare, vel impendere piis operibus deceat, nihil affectando aliud, nec quærendo, niſi quod honorem Dei & ſalutem ſuam præſtet. Hoc enim unusquisque perſuaſum habeat, tantum ſe in ſtudiis ſpiritualibus promoturum eſſe, quantum ab amore ſui ipſius & commodi proprii affectione ſeſe abſtraxerit.

TERTIA HEBDOMADA,

I. CONTEMPLATIO

** Fit in mediâ nocte, & continet Orationem præparatoriam, tria Præludia, ſex Puncta, cum uno Colloquio.* * ii

ORATIO præparatoria eadem, quæ ſemper. Orat. præp.

PRæludium primum ſumitur ex hiſtoriâ: Quomodò Chriſtus à Bethaniâ miſit Hieroſolymam diſcipulos duos ad parandam cœnam, quò & ipſe cum reliquis deinde profectus eſt: ibique poſt agni Paſchalis eſum, & peractam cœnam, pedes lavit omnibus; & ſacroſanctum corpus ac ſanguinem ſuum largitus eſt. Poſtremò ſermonem ad eos habuit, poſt diſceſſum Iudæ, ipſum vendituri. 1. Præludium.

SEcundum ex compoſitione loci, conſiderando dictum iter aſperum aut lene, breve aut longum, cum ceteris, quæ ineſſe poterant, circumſtantiis. Deinceps conſpicando locum cœnæ amplum, vel anguſtum, vilem vel ornatum, & conſimilia. 2. Præludium.

TErtium ex optatæ rei petitione; ſcilicet doloris, indignationis, & confuſionis, eò quòd ob peccata mea, ſummus omnium Dominus tantis ſe tormentis ita objiciat. 3. Præludium.

PVnctum primum erit, reſpicere cœnantes, & aliquid in uſum meum adducere. Reſpicere cœnantes.

SEcundum, eosdem audire, quid loquantur & fructum inde decerpere. Tertium, attendere, quid agant, & per omnia proficere. Eos audire loquentes. Actiones conſiderare,

QVartum, * advertere, quid jam inde Chriſtus pati appetat, & incipiat, juxta hiſtoriam: unde incipiam & ipſe dolorem, mœſtitiam, & fletum mihi excitare, meque affligam ſimiliter in ſubſequentibus. * x Quid Chriſtus pati appetat.

Abſconſa divinitate ne adverſarii pereant.

QVintum, meditari quo ſe pacto abſcondens Chriſti Divinitas, adverſarios ſuos, cùm valeat, non perdat, ſed pœnas adeò crudeles pati ſinat Humanitatem.

Quid mihi patiendum.

SExtum, cogitare, cùm talia ferat pro peccatis meis, quid agere debeam aut pati ejus causâ.

Colloquium.

COlloquium ad Chriſtum fiet, terminandum cum *Pater noſter.*

Notandum circa Colloquia.

IN colloquiis eſt notandum (ut ſuprà ex parte jam expoſuimus) quod agere convenit, & aliquid petere, juxta præſentis rei rationem, videlicet, prout ſentio in me conſolationem, vel perturbationem: prout virtutem unam, vel alteram expeto: prout in hanc, vel illam partem de me ſtatuere intendo: prout etiam de re, quam contemplor, triſtari volo, vel lætari. Denique poſtulandum erit illud, quod circa rem certam aliquam maximè deſidero: & unum dumtaxat colloquium poterit confici ad Chriſtum Dominum, vel triplex, ſi devotio inſtiget, nempe ad Matrem, Filium, & Patrem, ſicut traditum eſt in contemplatione ſecundæ hebdomadæ, de tribus claſſibus cum ſequente illic annotatione.

II. CONTEMPLATIO

In aurorâ, de rebus à Chriſto poſt cœnam, & in horto geſtis.

Orat. præp.

ORATIO præparatoria conſueta ſemper.

1. Præl. hiſtoria.

PRæludium primum, eſt juxta hiſtoriam. Quomodo IESVS Chriſtus unà cum undecim ſuis Apoſtolis, deſcendit ex monte Sion, ubi fuerant cœnati, & tranſiens per vallem Ioſaphat, relictis ibi ex illis octo, aliis vero tribus in horti parte, ſeorſum ipſe digrediens, oravit, ad ſudorem usque ſanguineum, iteratâ jam ter eadem ad Patrem ſuum oratione. Poſteà excitis diſcipulis à ſomno, proſtratis ad ſolam vocem, cum Iuda per oſculum prodente, adverſariis; reſtituta deinceps, quam amputaverat Petrus, Malchi auricula; comprehenſus tandem eſt, quaſi nefarius aut latro quiſpiam, & per vallem illam ad Annæ domum primo tractus.

2. Prælud.

SEcundum eſt, pro conſtruendo loco, viam intueri declivem, planam & arduam; item hortum certâ magnitudine, figurâ, & habitudine depingendum.

3. Prælud.

TErtium, pro voti conſecutione, poſcere mœrorem, planctum, anxietatem, & ceteras id genus pœnas interiores, ut Chriſto patienti pro me compatiar.

Notan-

Notanda ſimul hæc quatuor.

PRIMVM, quod poſt præparatoriam orationem, cum tribus præludiis ſecundi hujus Exercitii, eodem modo, & ordine procedendum eſt per puncta, & per colloquium, ut in præcedente de cœnâ peractum eſt. Adjiciendæ quoque erunt circa Miſſæ & veſperarum tempus duæ repetitiones ſuper unâ, & alterâ dictâ contemplatione. Ante cœnam vero applicabuntur quinque ſenſus, præmiſsâ ubique oratione præparatoriâ, cum tribus præludiis, oblatæ materiæ congruentibus, quemadmodum in hebdomadâ ſecundâ ſatis deſcriptum eſt. Quid poſt orationem præp. & præludia.

SEcundum, quod habitâ ætatis, complexionis corporalis, ac diſpoſitionis totius ratione, vel quinque, vel pauciora Exercitia, diebus ſingulis implebuntur. Exercitia danda pro qualitate perſonæ.

TErtium, quod in hac tertiâ hebdomadâ mutandæ ſunt ex parte Additio ſecunda & ſexta, ſiquidem (quod ad ſecundam ſpectat) ubi fuero experrectus præcogitans, quò tendam, & inſtantem contemplationem paululum delibans, interim dum ſurgo & accingor, adnitar ſimul ad triſtitiam, & dolorem, de tot, ac tantis Chriſti pœnis, meipſum acriter incitare. Quoad ſextam verò, ſuffugiam potius, quàm quæram, aut admittam jucundas cogitationes, licet alioqui utiles & ſanctas, ut ſunt de reſurrectione Chriſti & gloria. Pro quibus in meditanda ejus paſſione, angores ac pœnas hauriam, ex frequenti eorum recordatione, quæ ab horâ ſuæ nativitatis, ad exitum usque vitæ hujus, ipſe perpeſſus eſt. Quid in hac 3. hebdomadâ mutandum.

QVartum, quod examen particulare, circa tam Exercitiorum, quam Additionum functionem, fiet ad eumdem modum, ut in hebdomada præcedente. Examen particulare.

IN SECVNDA AVTEM DIE contemplatio alia ſuccedet, noctu tranſigenda, de geſtis in domo Annæ, ut narratur, pag. 415. Sub auroram verò de ſecutis rebus in domo Caiphæ, pag. 415. Deinde repetitiones & uſus ſenſuum, velut prius. 2. Die de geſtis in domo Annæ.

IN TERTIA DIE contemplabimur per noctem mediam, quomodò ductus eſt ad Pilatum Chriſtus, & quid ibi actum, ut dicetur pag. 416. Diluculo vero de iis, quæ geſta ſunt, transmiſſo Chriſto ad Herodem, pag. 416. Subdetur repetitionum & ſenſuum conſuetus uſus. 3. Die quomodo ductus ad Pilatum.

DIE QVARTA meditatio nocturna percurret hiſtoriam de reditu ab Herode, pag. 416. usque ad mediam partem myſteriorum, quæ apud Pila- 4 Die de reditu ab Herode.

tum

tum ſecuta ſunt: reliquam vero partem circa lucem primam proſequemur. De repetitionibus quoque, & ſenſibus, pro conſuetudine ſit agendum.

Die 5. à ſententia Pilati usque ad crucifixionem.

DIE QVINTA ſub noctis medium, de progreſſu ipſo paſſionis contemplabimur, à ſententia Pilati usque ad crucifixionem, p. 416. Sub auroram deinceps, ab elevatione crucis, ad Chriſti usque expirationem, de quibus p. 4 7. Repetitiones & ſenſuum exercitatio, ut ſupra.

Die 6. de crucis depoſitione.

DIE SEXTA noctu, quomodo mortuus Dominus, ſublatus de cruce, & ad monumentum delatus eſt, p. 417. Primo manè, ex quo ſepultus fuit, pag. eadem: donec B. Virgo in domum aliquam ſe recepit.

Die 7. tota paſſio reſolvenda.

DIE SEPTIMA, internoctu & mane paſſionem totam revoluemus. Poſteà repetitionum, & ſenſuum vice, per diem totum conſiderabimus, quam licebit frequentiſſime, quo pacto ſanctiſſimum IESV Chriſti corpus remanſerit ab animâ ſejunctum: & ubinam, aut quomodò ſepultum, item quæ fuerit B. MARIÆ Matris ſolitudo, deſolatio qualis, & quanta afflictio. Quam acerbus quoque diſcipulorum mœror extiterit.

Quid ſi immorandum in paſſione.

SVbnotandum eſt, quod ſi cui libeat, meditandæ Chriſti paſſioni diutius inſtare, contemplationes ſingulas debet abſolvere cum paucioribus myſteriis, ita ut prima ſolum comprehendat cœnam: Secunda lotionem pedum: Tertia Euchariſtiæ ſanctæ inſtitutionem: Quarta ſermonem ibi ſubſecutum: & ſic in ceteris agendum.

Iteratio paſſionis.

AD hæc, trajectâ totâ paſſione, licebit proximo poſt die iterare ejus dimidium, atque reliquum poſtridie: perendie rurſus totam ſimul.

E contrario vero, ſi quis malit tempus ſuccidere, contempletur de cœna Domini per noctem: de horto, in aurorâ: de Annæ domo, circa Miſſam: ſub veſperas, de domo Caiphæ: de prætorio Pilati, ante cœnam: & ita pergendo, per dies ſingulos diverſa Exercitia quinque implebuntur, utpote repetitionum, ac ſenſuum uſu prætermiſſo. Transcurſa vero paſſione, operæpretium fuerit, eamdem ſimul totam, die unico revoluere, ſive in unum tantum Exercitium congeſtam, ſive diſtributam in plura, prout ſibi fore conducibilius ille cenſuerit.

REGVLÆ ALIQVOT

Ad victum rectè temperandum.

A pane minus abſtinendum.

PRIMA eſt, quod à pane minus abſtinendum ſit, quàm à reliquis alimentis: cùm neque gulam adeo irritet, nec tentationi æque obnoxios nos reddat.

Secunda,

SEcunda, quod circa potum attendenda ſit magis abſtinentia, quàm circa panem: cautè obſervando, quæ proſit menſura potus, ut ſumatur ſemper: quæ rurſum noceat, ut tollatur. Magis à potu temperandum.

TErtia, quod circa pulmenta & edulia potiſſimum abſtinentiæ ratio verſetur, cum per illa, tum appetitui ad peccandum, tum inimico ad tentandum, major ſubminiſtretur occaſio. Temperanda ſunt igitur, vitandi exceſſus cauſa: quod fit dupliciter, dum vel cibis craſſioribus veſcimur atque aſſueſcimus, vel dum parcè delicatis utimur. Potiſſimum ab eduliis.

QVarta eſt, quod quanto plus de conveniente victu ſibi quis ademerit (vitato interim valetudinis adverſæ gravi periculo) tanto celerius menſuram cibi ac potus juſtam reperiet: tum quia, hoc modo meliùs ſe disponens, & obnixiùs tendens ad perfectionem, ſentiet interdum quoſdam cognitionis internæ radios, & conſolatorios motus ſibi cælitus immiſſos, ex quibus facile poterit rationem victus commodiorem diſcernere: tum quoniam ſi quis ita abſtinendo, ſe deprehenderit viribus imbecilliorem eſſe, quam ut Exercitia ipſa ſpiritualia peragere commode valeat, ſic facilè advertet, quam menſuram victus naturæ neceſſitas requirat. Vt reperienda juſta cibi menſura.

QVinta, quòd expedit inter comedendum imaginari, quaſi videamus IESVM Chriſtum Dominum noſtrum veſcentem cum ſuis diſcipulis, obſervando quem teneat edendi, bibendi, reſpiciendi, & loquendi modum, eumque ad imitandum nobis proponendo. Vſuveniet enim, ut occupato magis intellectu circa meditationem talem, quàm circa corporalem cibum, diſcamus faciliùs victum moderari. Inter comedendum aliquid pium imaginari.

SExta, quòd, gratiâ varietatis, aliæ adhiberi poſſunt meditationes inter veſcendum, ut ſunt de Sanctorum vitâ, de piâ quapiam doctrinâ, vel de aliquo ſpirituali negotio agendo: unde ſic abſtractâ mente, cibus ipſe & veſcendi delectatio parum ſentiatur. Aliæ meditationes intermiſcendæ.

SEptima, quod cavendum ſit præcipuè, ne ſuper ſumendos cibos, animus quodammodò totus effundatur, & ne avidè veſcamur, aut feſtinè: ſed appetitui ſemper dominantes, tum menſuram victus, tum ſumendi modum unà temperemus. Cavenda aviditas cibi.

OCtava eſt, quòd plurimùm conducit ad tollendam cibi potusque immoderantiam, ſi ante prandium aut cœnam, & quacumque horâ nulla eſuries ſentitur, præviâ deliberatione, victum proximè ſumendum, definiamus ad menſuram certam, quam deinde nullâ vel propriâ aviditate, vel Quid pro tollendâ cibi immoderantiâ.

inſtigatione inimici, umquam excedamus; ſed potiùs vincendæ utriusque causâ, de illâ nonnihil etiam ſubducamus.

QVARTA HEBDOMADA.

CONTEMPLATIO I.

Quomodò IESVS Dominus, poſt reſurrectionem apparuit ſanctæ Matri ſuæ, ut habetur infrà pag. 417.

Oratio præparatoria.

ORATIO præparatoria juxta morem.

1. Præludium.

PRæludium primum accipitur ab hiſtoriâ. Quomodò poſtquàm expiravit Dominus in cruce, ſepulto *corpore, ſed Divinitate ſemper ſociato, ipſe in animâ, Divinitati quoque continue unitâ, deſcendit ad inferos: ereptisque inde juſtorum animabus, rediens ad ſepulchrum, corpus cum animâ denuò univit, ac reſurgens, demum apparuit Beatæ Virgini matri ſuæ vivus, ut pie ac veriſimiliter credendum eſt.

y *

2. Præludium.

SEcundum, pro conſtructione loci, ſpeculandum accipiet ſepulchri ſitum, & Beatæ Virginis domicilium, cujus formam, partes, & reliquam diſpoſitionem, ut cellulam, & oratorium ſigillatim perſcrutabimur.

3. Gratiæ petitio.

TErtium continebit gratiam petendam, ut ſcilicet immenſum Chriſti, ac Matris gaudium participemus.

Eadem quæ in contemplatione cœnæ.

PVnctum primum, ſecundum, ac tertium, eadem hîc erunt, quæ ſuprà in contemplatione cœnæ fuerunt expoſita, id eſt conſiderare perſonas, verba, opera.

z *

Vt divinitas in reſurrectione elucescit.

QVartum vero erit, animadvertere, * quomodo Chriſti Divinitas, paſſionis, & mortis tempore abſcondita, palàm ſe faciat in reſurrectione, ac tot miraculis deinceps elucescat.

Chriſti benignitas ſuos conſolandi.

QVintum, æſtimare, quam prompto copioſoque functus ſit Dominus conſolandi ſuos officio, adhibitâ conſolationis, quæ ab amiciſſimo quopiam præſtari poteſt, ſimilitudine.

Colloquium.

COlloquio uno, vel pluribus, juxta materiam faciendis, terminetur contemplatio, cum *Pater noſter.*

Recenſenda ordine myſteria reſurrectionis & aſcenſionis.

NOtandum porrò, quod in ſequentibus contemplationibus, ſeu Exercitiis recenſenda erunt per ordinem, myſteria omnia reſurrectionis, aſcenſionisque, & quæ ſunt intermedia, ſervatis ubique iisdem formulis, & modis: ſicuti per totam illam hebdomadam factum eſt, in quâ paſſionis myſte-

myſteria contemplati ſumus, & juxta modum ac exemplum primæ hujus de reſurrectione Domini meditationis, formandæ ſunt ſequentes omnes, atque regulandæ, tam in præludiis (niſi quòd hæc rebus ſunt accommodanda) quàm in punctis quinque, & additionibus ſingulis. Pari etiam ratione circa repetitiones, & ſenſuum operationes, nec non in augendo, minuendóve exercitiorum, ſecundùm myſteria numero, dirigi poterimus, ſicut in prædictâ meditandæ Chriſti paſſionis hebdomadâ fuimus edocti.

SEcundò notandum eſt, convenire magis quartæ huic hebdomadæ, quàm præcedentibus, ut quatuor dumtaxat fiant Exercitia. Primum, poſtquàm manè ſurreximus. Secundum, circa Miſſæ tempus, vel paulo ante prandium prioris repetitionis loco. Tertium, horâ veſperarum, pro ſecundâ repetitione. Quartum, ante cœnam, admotis ſenſuum officiis, ad imprimendas fortiùs animæ contemplationes tres eo die factas, ſignatis obiter, & penitiùs tractatis partibus, ſeu locis illis, in quibus motus animi efficaciores, majoremque guſtum ſpiritualem ſenſerimus. 4. Hebdomadæ magis conveniunt quatuor Exercitia.

TErtio, quod quamvis ei, qui exercitatur, certus præſcribatur numerus punctorum, puta ternarius, aut quinarius; liberum tamen ipſi erit in plura vel pauciora puncta redigere contemplationem: prout commodiùs ſe habere expertus fuerit. Quâ in re magnoperè juvabit, ante ingreſſum Exercitii, tractanda puncta comminiſci, & numero certo præfinire. Puncta meditationis plura, vel pauciora.

QVarto denique notandum eſt, quod per quartam hanc hebdomadam, variari debent ſecunda, ſexta, ſeptima, & decima Additiones. In ſecundâ quidem, ut dum evigilo, repente mihi ponam ob oculos ſtatutam contemplationem, & de gaudio Domini cum ſuis, ſtudeam & ipſe exhilareſcere. In ſextâ verò, ut memoriæ meæ objiciam ea, quæ lætitiam ſpiritualem cient, ut cogitatio de gloriâ. In ſeptimâ, ut lucis & cæli utar commoditate, quæ ſeſe offeret, putà per tempus vernum, herbarum virentium, & florum aſpectu, aut aprici loci amœnitate: per hyemem verò ſolis, vel ignis opportuno calore: & ita de ceteris corporis atque animi oblectationibus congruis, per quas Creatori & Redemptori meo, congaudere queam. In decimâ, ut loco pœnitentiæ, temperantiâ & mediocritate victus contentus ſim, niſi quo tempore jejunium, vel abſtinentiam Eccleſia indixit, cujus præceptis ſemper obtemperandum eſt, niſi juſtum adſit impedimentum. Hac 4. hebdomadâ variandæ aliquæ additiones.

CONTEMPLATIO,

Ad amorem ſpiritualem in nobis excitandum.

De naturâ amoris.

IN primis duo notanda ſunt. Primum, quòd amor ipſe ab operibus magis, quàm à verbis pendet. Secundum, quod conſiſtit amor in mutua facultatum, rerum, & operum communicatione, putà ſcientiæ, divitiarum, honoris, & boni cujuscumque.

Oratio præmittitur ex more.

1. Præludium.

PRæludium primum eſt, ut coram Domino, Angelis, Sanctisque omnibus, mihi propitiis, ſtare me videam.

2. Præludium.

SEcundum, ut gratiam Dei efflagitem, per quam beneficiorum ejus in me collatorum magnitudinem perſpiciens, ad amorem, cultum, & ſervitium ipſius, totum me impendam.

Beneficiorum recordatio.

PVnctum primum ſit, revocare in memoriam beneficia creationis, ac redemptionis: dona itidem particularia, ſeu privata enumerare: & cum intimo affectu perpendere, quantum meâ cauſa benigniſſimus Dominus egerit, atque pertulerit; quantum mihi elargitus ſit de theſauris ſuis, quodque juxta divinum ſuum decretum, & beneplacitum, ſeipſum mihi, quantum poteſt, donare velit. Quibus optime inſpectis, vertar ad meipſum, & disquiram mecum, quæ meæ ſint partes, & quid æquum juſtumque ſit, ut divinæ offeram, & exhibeam majeſtati: haud ſane dubium, quin mea omnia offerre debeam, ac meipſum cum ſummo affectu, & verbis hujuscemodi, vel ſimilibus:

Oblatio ſui.

SVſcipe Domine univerſam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo, vel poſſideo, mihi largitus es: id tibi totum reſtituo, ac tuæ prorſus voluntati trado gubernandum. Amorem tui ſolum cum gratiâ tuâ, mihi dones, & dives ſum ſatis, nec aliud quidquam ultrà poſco.

Speculandus Deus in rebus omnibus.

SEcundum erit, ſpeculari Deum, in ſingulis exiſtentem creaturis ſuis: & elementis quidem dantem, ut ſint; plantis verò, ut per vegetationem quoque vivant: animalibus inſuper, ut ſentiant: hominibus poſtremò, ut ſimul etiam intelligant. Inter quos accepi & ipſe univerſa hæc beneficia, eſſe, vivere, ſentire, ac intelligere, meque templum quoddam ſuum efficere voluit, ad imaginem ſuam & ſimilitudinem creatum. Ex quorum omnium admiratione reflexus in meipſum, agam ut in primo puncto, vel

melius ſi quid occurrerit: id quod in punctis etiam ſequentibus, erit factitandum.

TErtium eſt, conſiderare eumdem Deum ac Dominum, propter me in creaturis ſuis operantem, & laborantem quodammodò: * quatenus dat ipſis conſervatque id quod ſunt, habent, poſſunt, atque agunt. Quæ omnia, ut ſuprà, in mei conſiderationem reflectenda erunt.

Dei conſideratio in creaturis propter me.

* aa

QVartum, proſpicere quo pacto munera & bona omnia cœlitus deſcendunt, ut ſunt potentia, juſtitia, bonitas, ſcientia, & alia quælibet humana perfectio, terminis quibusdam certis circumſcripta: quæ ab infinito illo totius boni theſauro, ſicut lumen à ſole, & ex fonte aqua, derivantur. Addenda ſupereſt reflexio prædicta in mei circumſpectionem.

Conſiderare ut bona à Deo procedunt.

COlloquium etiam in fine fiet, terminandum cum *Pater noſter.*

Colloquium.

MODI TRES ORANDI.

PRIMVS orandi modus deducendus eſt ex mandatis, ex peccatis ſeptem mortalibus, ex tribus animæ potentiis, & ex quinque ſenſibus conſideratis: unde non tam habet orationis formam, quàm Exercitii cujusdam ſpiritualis, per quod & anima juvatur, & oratio Deo redditur acceptior. Prius itaque quàm hoc orem modo, juxta illud, quod tertiæ Additioni æquipollet, ſedebo vel deambulabo pauliſper (prout ad animæ quietem facere videro) penſitans apud me, quò mihi accedendum ſit, & quid faciendum. Hoc idem Additionis genus ad omnem orandi modum præmitti debet.

I. Orandi modus.

ORatio præparatoria gratiæ contineat poſtulationem, ut mihi detur agnoſcere, quidquid deliquero adverſus decalogi præcepta, meque in poſterum emendare, intellectis illis exactiùs, & (ut par eſt) ad Dei gloriam & ſalutem meam ſolito cautiùs obſervatis.

Orat. præpar. gratiæ poſtulationem continet.

PRimò ergo mandatum quodlibet ordine diſcutiam, attendens, quo pacto ſervaverim illud, aut violaverim, deque ſuccurrentibus in memoriam delictis, veniam precabor, recitando ſemel *Pater noſter.* Porrò in excutiendis ſingulis præceptis, ſatis fuerit inſumi ſpatium temporis, quo ter poſſet oratio Dominica percurri. Notandum tamen, quòd circa præceptum, cujus prævaricatio rarior nobis accideret, minùs immorandum eſſet; at eò ampliùs, quo lapſus fuerit ex aſſuetudine frequentior, idque ſimiliter circa mortalia peccata ſit præſtandum.

Mandati cujusque diſcuſſio.

Colloquium ad Deum.

COmpleto de præceptis ſingulis diſcurſu, poſt mei accuſationem, & gratiæ implorationem, ut ea vigilantiùs deinceps cuſtodiam, colloquium dirigam ad Deum, juxta rei occaſionem.

Idem orandi modus circa mortalia.

SEcundò, ſimilem orationis modum proſequemur circa mortalia peccata, poſt Additionem, & præparatoriam Orationem, ſicut fecimus in præceptis. Nihil enim utrobique varium occurrit, niſi quòd ad materiam attinet, cùm præcepta quidem ſervanda ſint, peccata verò devitanda. Cetera eadem ſunt, fietque itidem colloquium.

Peccatorum notitiam quid juvet.

SCiendum eſt, peccatorum vitiorumque notitiam juvari per contrariorum actuum & habituum conſiderationem. Quapropter per gratiam divinam, & piam quamlibet exercitationem laborandum eſt unicuique, ut virtutes ſibi paret, mortalibus peccatis ſeptem oppoſitas.

Circa tres animæ potentias.

TErtiò, circa tres animæ potentias idem ſequitur progreſſus, per Additionem, Orationem, & diſcuſſionem ſingularum, cum Colloquio ad finem, faciendus.

Circa ſenſus quinque corporis.

QVartò circa quinque ſenſus corporis, nullâ re mutatâ præter materiam. Vbi ſubnotandum eſt, quod ſi quis optet in ſenſuum ſuorum uſu Chriſtum imitari, debet in oratione præparatoria ſeipſum ſuper hoc Deo commendare, factæque ſenſuum ſingulorum examinationi, Dominicam orationem ſubjicere: ſi vero ſimilem affectet, B. Virginis MARIÆ imitationem, ei ſe commendet, tamquàm à Filio id impetraturæ, & Salutationem Angelicam, dum ſenſus excutit, idemtidem recitet.

Secundus orandi modus ex vocum orationis ſingularum perpenſa ſignificatione.

ADditio eadem, quæ ſuperius, it prævia.

Orat. præp.

Oratio præparatoria perſonæ congruet, ad quam dirigitur.

2. Orandi modus qualis.

SEcundus orandi modus eſt, ut flexis genibus vel ſedendo (pro habitudine corporis, & animi devotione) oculis vel clauſis, vel defixis in partem unam, neque huc & illuc motis, precationem Dominicam à principio recitemus, & in prima voce, quæ eſt, *Pater*, meditationis figamus pedem, quamdiu circa eam variæ nobis ſignificationes, ſimilitudines, ſpirituales guſtus, & aliæ commotiones devotæ incident: & ita deinceps per ſingula ejuſdem, vel alterius orationis verba, factitabimus.

Regula

Regulæ tres circa hæc ſervandæ.

PRIMA, ut in tali precationis cujuslibet ruminatione horæ ſpatium inſumamus, quo expleto, *Ave Maria*, *Credo*, *Anima Chriſti*, & *Salve regina*, ſemel juxta communem morem, vel mente ſolâ, vel etiam voce percurrantur. 1. Regula in 2. modo orandi.

SEcunda eſt, quòd ſi orantibus hoc modo nobis in unâ voce, vel duabus, meditatio affluat, & interna ſimul delectatio; poſtponenda erit transcurrendi cura, licet hora tota prætereat, quâ elapsâ, reliquum orationis curſim recitetur. 2. Regula.

TErtia, ut quando ita contigerit, meditandæ voci uni, aut pauculis, horam impendiſſe, proſtridie recitato breviter eo, quod excuſſum fuit, ad ſequentis verbi conſiderationem pergamus. 3. Regula.

POſt excuſſam verò ad hunc modum Dominicam precationem totam, ſuccedet Salutatio Angelica: deinde alia oratio, ut ſine interruptione hæc orandi exercitatio procedat. Quid in fine orationis.

Ad hæc, oratione qualibet ſic completâ, perſonam illam, ad quam pertinebat, paucis compellabimus, virtutem aliquam, aut gratiam petentes, quâ maximè indigere nos ſenſerimus. Colloquium.

Tertius orandi modus, per quamdam vocum & temporum commenſurationem.

ADDITIO ab utraque ſuperiore nihil differt.

Oratio præparatoria fiet, ſicut in ſecundo modo. Orat. præp.

TErtius hic orandi modus in eo conſiſtit, ut inter ſingulas reſpirandi vices, ſingula Dominicæ, alteriusve orationis verba transmittamus, expensâ interim, vel ſignificatione prolatæ vocis, vel perſonæ, ad quam oratio ſpectat, dignitate, vel meâ ipſius utilitate, vel utriusque poſtremo differentia. Eodem procedendum modo in verbis reliquis. Addendæ quoque orationes ſuprà memoratæ, *Ave*, *Credo*, &c. 3. Orandi modus.

Regulæ duæ huc ſpectantes.

PRIOR, ut, finitâ juxta hunc orandi modum precatione Dominicâ, ſumatur aliis diebus vel horis, Angelica Salutatio, ſimili reſpirationum intervallo tractanda, cum aliis orationibus, uſitato more recitandis. Regula prior pro 3. modo orandi.

POſterior, ut, qui hunc orandi modum exercere cupit diutius, ad eum applicet precationes omnes ſupradictas, aut earum partes, & paria anhelituum, ac vocum interſtitia obſervet. Poſterior.

VITÆ D. N. IESV CHRISTI MYSTERIA.

Notandum.

NOTANDVM eſt primitus, omnia ſequentium myſteriorum verba, quæ includuntur parentheſi, ex ipſis evangeliis deprompta eſſe, non item cetera. Ad hæc, in unoquoque myſterio, ſemper aut fere, poni puncta tria, ut expeditior ſit contemplatio, quò eſt diſtinctior.

De Annuntiatâ B. MARIÆ Virgini Chriſti Incarnatione, de quâ Lucæ 1.

Ang. ſalutans Virg. conceptionem nuntiat.

PRimò, quomodò Angelus Gabriel, Beatam Virginem ſalutans, divini Verbi conceptionem ei nuntiavit (*Ingreſſus Angelus ad eam dixit, Ave gratia plena*, &c. *Ecce concipies in utero, & paries filium*, &c.)

Confirmat exemplo Io. Bapt.

Secundò, confirmat Angelus id, quod prædixerat, adducto exemplo de Sancti Ioannis Baptiſtæ conceptione admirandâ (*Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſuâ*, &c.)

MARIA reſpond. Angelo.

Tertiò, reſpondit Angelo Virgo ſancta (*Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.*)

De MARIA Eliſabeth cognatam ſuam viſitante, ut habetur Luc. 1.

MARIA inviſit Eliſabeth.

PRimò, quomodo inviſit MARIA Eliſabeth, ac S. Ioannes in utero exiſtens, ſenſit MARIÆ ſalutationem, & geſtiit (*Vt audivit ſalutationem MARIÆ Eliſabeth, exultavit infans in utero ejus: & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth, & exclamavit voce magnâ, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.*)

Virgo in canticum prorumpit.

Secundò, Beata Virgo in hoc canticum præ lætitiâ prorupit (*Magnificat anima mea Dominum*, &c.)

Quamdiu apud Eliſabeth manſit.

Tertiò (*Manſit autem MARIA cum illâ quaſi menſibus tribus, & reverſa eſt in domum ſuam.*)

De Chriſti Nativitate. Luc. 2.

E Nazareth Bethlehem proficiſcitur.

PRimò, Beata MARIA cum Ioſeph ſponſo ſuo è Nazareth proficiſcitur Bethlehem (*Aſcendit autem, & Ioſeph à Galilæa*, &c. *In Bethlehem*, &c. *ut profiteretur cum MARIA deſponſatá ſibi uxore prægnante.*)

Filium parit.

Secundò (*Peperit filium ſuum primogenitum & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio.*

Tertio,

Tertiò, eo tempore (*Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo*, &c. Angeli lætantur.

De Paſtoribus. Luc. 2.

PRimò, Paſtoribus revelatur Chriſti nativitas per Angelum (*Evangelizo vobis gaudium magnum*, &c. *Quia natus eſt vobis hodie Salvator*, &c. Nuntiatur paſtoribus.

Secundò, paſtores properant in Bethlehem (*Et venerunt feſtinantes: & invenerunt MARIAM, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio.*) Paſtorum adoratio.

Tertiò (*Et reverſi ſunt paſtores glorificantes & laudantes Deum*, &c. Paſtores Deum glorificant.

De Circumciſione. Luc. 2.

PRimò, circumciſus eſt Puer. Circumciditur.

Secundò (*Vocatum eſt nomen ejus IESVS, quod vocatum eſt ab Angelo, priusquàm in utero conciperetur.*) Vocatur IESVS.

Tertiò, redditus eſt Matri ſuæ Puer, quæ illi compatiebatur de ſanguinis visâ effuſione. Redditur puer Matri.

De tribus Magis Regibus. Matth. 2.

PRimò, tres Magi Reges ad puerum IESVM adorandum venerunt, ſtellâ duce, ita atteſtantes: (*Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente & venimus adorare eum.*) Magorum adventus.

Secundò (*Procidentes adoraverunt eum, & apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham.*) Eorundem adoratio.

Tertiò (*Reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.*) Per aliam viam revertuntur.

De Purificatione B. Virginis, & pueri IESV præſentatione. Luc. 2.

PRimò, detulerunt puerum in templum, ut præſentarent eum Deo, tamquàm primogenitum, offerentes pro eo conſuetum munus (*Par turturum, aut duos pullos columbarum.*) IESV pueri præſentatio.

Secundò, Simeon veniens eadem horâ in templum (*Accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum & dixit: Nunc dimittis ſervum tuum Domine*, &c.) Simeonis prophetia.

Tertiò, Anna (*Superveniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael.*) Annæ prophetia.

De fugâ in Ægyptum. Matth. 2.

PRimò, volens Herodes puerulum IESVM interficere, occidi fecit Innocen- Innocentum occiſio.

centes, præmonito Ioſeph per Angelum, ut in Ægyptum profugeret (*Surge & accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum.*)

IESV fuga in Ægyptum.

Secundò, iter corripuit Ioſeph Ægyptum verſus (*Qui conſurgens, nocte, &c. ſeceſſit in Ægyptum.*)

Quamdiu ibi fuit.

Tertiò (*Et erat ibi, uſque ad obitum Herodis.*)

De reditu ab Ægypto. Matth. 2.

Ab Ægypto revertitur.

PRimò, admonetur Ioſeph ab Angelo, ut in terram Iſraël revertatur (*Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & vade in terram Iſraël.*)

Ejus iter.

Secundò, *Qui conſurgens*, &c. *venit in terram Iſraël.*

Archelai tempore.

Tertiò, eò quòd regnabat Archelaus filius Herodis in Iudæâ, receſſit in Nazareth.

De Vitâ Domini ab anno ætatis ſuæ duodecimo uſque ad trigeſimum. Luc. 2.

Chriſti obedientia.

PRimò, quomodo ſubditus erat & obediens parentibus.

Ejus profectus.

Secundo (*Proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia*, &c.)

Artem fabrilem exercuit.

Tertio, videtur fabrilem artem exercuiſſe, cùm dicat S. Marcus c. 6. (*Nonne hic eſt faber?*)

De Aſcenſu in templum anno duodecimo. Lucæ 2.

Hieroſol. proficiſcitur.

PRimo, natus IESVS annos duodecim, è Nazareth profectus eſt Hieroſolymam.

Remanſit inſciis parent.

Secundo, remanſit illic neſciis parentibus.

Poſt triduum in templo repertus.

Tertio, poſt triduum invenerunt eum in templo, ſedentem inter Doctores, & ipſe illis cauſam moræ percontantibus reſpondit (*Neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?*)

De Baptiſmo ejus. Matth. 3.

Ad Iordanem proficiſcitur.

PRimò, Matri valedicens, è Nazareth ad Iordanis flumen ſe contulit, ubi tunc Ioannes baptizabat.

A Ioanne baptizatur.

Secundò, baptizatus eſt à Ioanne, excuſante ſe primum de indignitate, ſed compulſo his verbis: (*Sine modò, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam.*)

Spiritus ſancti deſcenſus.

Tertiò, deſcendit Spiritus ſanctus ſuper eum, & vox de cælo ſic atteſtans (*Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*)

De tentatione Chriſti. Luc. 4. & Matth. 4.

Secedit in deſertum.

PRimò, poſt baptiſmum ſeceſſit in deſertum Chriſtus, & ibi per dies quadraginta & totidem noctes jejunavit.

Secun-

Secundò, ter ab inimico tentatus eſt (*Accedens tentator dixit ei, Si filius Dei es, dic ut lapides panes fiant. Mitte te deorſum. Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.*) Ter tentatur.

Tertiò, (*Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.*) Angelorum miniſterium.

De Apoſtolorum vocatione.

PRimò, videntur SS. Petrus & Andreas, fuiſſe ter vocati. Primùm ad ſolam quamdam Chriſti notitiam, *Ioan. 1.* Deinde ad ſequelam ſolum temporaneam, cum animo revertendi ad piſcationem, *Luc. 5.* Vltimò ad perpetuam ſequelam. *Matth. 4.* & *Marc. 1.* Qui ter vocati ad Apoſt.

Secundò, vocavit filios Zebedæi, *Matth. 4.* Et Philippum, *Ioan. 1.* Et Matthæum, *Matth. 9.* Quinam poſtea.

Tertiò, vocati ſunt reliqui, licet de quorumdam vocatione, & de ordine vocationum, expreſsè mentio non fiat in Evangelio. Demum reliqui.

TRia hìc expendenda ſunt. Primum, quomodò erant Apoſtoli abjectæ conditionis. 3. Expendenda hic.

Secundò, ad quantam fuerint dignitatem, & quàm ſuaviter vocati.

Tertiò, quibus gratiæ donis, ſupra omnes veteris Teſtamenti Patres, novique Sanctos evecti ſint.

De primo Chriſti miraculo facto in nuptiis. Ioan. 2.

PRimò, Invitatus fuit Chriſtus cum Diſcipulis ſuis ad nuptias. Invitatur ad nuptias.

Secundo, deficere vinum Mater commonuit. (*Vinum non habent*) Et miniſtris dixit (*Quodcumque dixerit vobis, facite.*) De vini defectu monetur à Matre.

Tertio, aquam in vinum Dominus convertit (*Et manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum Diſcipuli ejus*) Vini miraculum.

De fugatis è templo negotiatoribus primâ vice. Ioan. 2.

PRimo, ejecit de templo vendentes illic & ementes, facto ex funiculis flagello. Vendentes ejiciuntur.

Secundo (*nummulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit.*) Menſæ evertuntur.

Tertio, vendentibus columbas manſuetè inquit: (*Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.*) Columbæ auferuntur.

De Sermone Chriſti, habito in monte. Matth. 5.

PRimo, ad dilectos ſuos diſcipulos, octo Chriſtus beatitudinis genera expoſuit. Beati pauperes ſpiritu: Mites: Qui lugent: Qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam: Miſericordes: Mundo corde: Pacifici: Qui perſecutionem patiuntur. Sermo octo Beatitud.

Sermo de talentorum uſu. Secundo, eos exhortatur, ut acceptis donis ſeu talentis, utantur rectè (*Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.*)

Sermo de præceptis. Tertiò, oſtendit non ſolvere ſe legem, ſed implere, explicatis præceptis de vitando homicidio, furto, fornicatione, perjurio. Et de diligendis quoque inimicis (*Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros. Benefacite iis, qui oderunt vos.*)

De ſedatâ maris tempeſtate. Matth. 8.

Oritur tempeſtas. PRimò, dormiente Chriſto coorta eſt in mari vehemens tempeſtas.

De fidei levitate arguuntur Diſcip. Secundò, excitarunt à ſomno eum territi Diſcipuli, quos de fidei levitate arguit (*Quid timidi eſtis modicæ fidei?*)

Fit ejus imperio maris tranquillitas. Tertiò, ventis & mari præcepit, ut conquieſcerent, & facta eſt ſtatim tranquillitas: unde obſtupentes homines dicebant (*Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?*)

De ambulatione ſuper aquas. Matth. 14.

PRimò, cùm in monte adhuc eſſet Chriſtus, Diſcipulis in naviculam abire juſſis, & (*Dimiſſâ turbâ, aſcendit in montem ſolus orare.*)

Phantaſma noctu putatur. Secundò, cùm agitaretur noctu navicula, eò ipſe venit, ambulans ſuper aquas, unde perterrefacti diſcipuli phantaſma eſſe judicabant.

Petrus mergi cœpit. Tertiò, poſtquàm dixerat ad eos (*Ego ſum, nolite timere*) S. Petrus accedendi petiit facultatem, & gradiendo ſuper aquas, ob ſubortum metum mergi cœpit, quem increpans Dominus de modicâ fide, naviculam intravit, & ceſſavit ventus.

De miſſis ad prædicandum Apoſtolis. Matth. 10.

Dat poteſtatem dæmonia ejiciendi. PRimò, Diſcipulis Iesvs convocatis, dedit poteſtatem ejiciendi dæmonia ex hominibus, & omne morborum genus ſanandi.

Prudentiam, & patientiam docet. Secundò, prudentiam eos docuit, & patientiam (*Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.*)

Profectionis modus. Tertiò, profectionis exponit modum (*Gratis accepiſtis, gratis date; nolite poſſidere aurum neque argentum.*) Ad hæc materiam prædicationis expreſſit (*Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cœlorum.*)

De converſione Magdalenæ. Luc. 7.

PRimò, Chriſto accumbente menſæ in Phariſæi domo, ingreſſa eſt mulier, quæ fuerat in civitate peccatrix (ſive * Maria Magdalena, ſoror Marthæ fuerit, ſive alia) deferens alabaſtrinum vas, unguento plenum. Magdalenæ acceſſio ad Ieſum. * bb

Secundò, ſtans retrò cœpit pedes ejus rigare lacrymis, & capillis ſuis abſtergere, deoſculari, & ungere. Vngit, & abſtergit.

Tertiò, criminatam eam à Phariſæo defendit Chriſtus, & ad ipſum ait (*Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*) Et ad ipſam deinceps: (*Fides tua te ſalvam fecit, vade in pace.*) Defenditur à Chriſto.

De quinque millium hominum refectione. Matth. 14.

PRimò, rogabant IESVM Diſcipuli, ut dimitteret aſtantes turbas.

Secundò, ipſe afferri juſſit, quos habebant panes; eosque præmiſſa benedictione frangens, Diſcipulis porrexit, turbis hominum diſcumbere juſſis, apponendos. Fractio panis.

Tertiò, comederunt, & ſaturati ſunt, & ſuperaverunt cophini duodecim. Turba ſaturata.

De Transfiguratione Chriſti. Matth. 17.

PRimo, aſſumptis IESVS chariſſimis tribus Diſcipulis, Petro, Ioanne, & Iacobo, (*Transfiguratus eſt ante eos, reſplenduit facies ejus ſicut ſol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba, ſicut nix.*) Transfiguratio IESV Chriſti.

Secundo, loquebatur cum Moyſe & Heliâ. Coram Moyſe, & Heliâ.

Tertio, rogante Petro, ut fierent ibi tria tabernacula, inſonuit vox de cælo: (*Hic eſt filius meus dilectus*, &c. *ipſum audite*) Vnde conſternati Diſcipuli, proni collapſi ſunt, quos tangendo Chriſtus, dixit: (*Surgite, & nolite timere*, &c. *nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat.*) Patris vox è cælo delapſa.

De Lazari ſuſcitatione. Ioan. 11.

PRimo, audito Chriſtus nuntio de Lazari ægrotatione, per biduum ſubſiſtit, ut evidentius foret miraculum. Biduum expectat.

Secundo, antequam ſuſcitet mortuum, utriusque ſororis fidem exſtimulat (*Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, vivet.*) Sororum fides.

Lazari ſuſcitatio

Tertio, collacrymatus, ac precatus prius, ſuſcitavit illum: fuit autem, quo uſus eſt, ſuſcitandi modus, per mandatum (*Lazare veni foras.*)

De cœnâ apud Bethaniam. Matth. 26.

Cœna apud Simonem.

PRimò, cœnabat Chriſtus in domo Simonis leproſi, & pariter Lazarus.

Vnguenti effuſio.

Secundò, effudit MARIA unguentum ſuper caput ejus.

Iudæ obmurmuratio.

Tertiò, obmurmurat Iudas: (*Vt quid perditio hæc?*) Denuò vero excuſat Chriſtus Magdalenam (*Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me*)

De die Palmarum. Matth. 21.

Aſinæ, & pulli adductio.

PRimo, præcepit Dominus adduci aſinam, & pullum: (*Solvite & adducite mihi, & ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, & confeſtim dimittet eos.*)

Aſinam conſcendit.

Secundo, aſinam conſcendit, Apoſtolorum veſtibus inſtratam.

Populus occurrit venienti.

Tertio, excepturus eum populus, cùm veniret obviam, veſtimentis ſuis, & ramis arborum ſternebat viam & canebat: (*Oſanna, filio David: benedictus qui venit in nomine Domini: Oſanna in altiſſimis.*

De Prædicatione in templo. Luc. 19.

Docet in Templo.

PRimò, docebat quotidie in templo.

Redit in Bethaniam.

Secundò, finitâ prædicatione in Bethaniam redibat, nemine apud Hieroſolymam ipſum excipiente.

De cœnâ ultimâ. Matth. 26. & Ioan. 13.

Agnus paſchalis.

PRimò, comedit cum Diſcipulis paſchalem agnum, eoſque de imminente ſuâ morte præmonuit (*Amen dico vobis, quia unus veſtrum me traditurus eſt.*)

Pedum lotio.

Secundò, lavit eorum, Judæ quoque ipſius, pedes, incipiens à Petro, qui ad majeſtatem Chriſti, & indignitatem ſuam reſpiciens, ſeſe opponebat (*Domine tu mihi lavas pedes?*) Ignarus ſcilicet præberi à Domino exemplum humilitatis, ita poſteà declarante (*Exemplum enim dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*)

Euchariſtiæ inſtitutio.

Tertiò, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit, in ſignum ſummæ dilectionis, his verbis utens (*Accipite & comedite, &c.*) Expletâ autem cœnâ, Iudas ad vendendum illum egreſſus eſt.

De

De Myſteriis poſt cœnam & in horto geſtis. Matth. 26. & Marc. 14.

PRimo, peracta cœna, & hymno dicto, profectus eſt Chriſtus ad Oliveti montem cum Diſcipulis ſuis undecim, metu plenus: & octo remanere juſſit Gethſemani (*Sedete hic, donec vadam illuc, & orem.*) Ad Oliveti montem pergit cum ſuis.

Secundo, ductis ſecum tribus, Petro, Iacobo, Ioanne, oravit ter dicens, (*Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.*) Et in agoniâ exiſtens prolixius orabat. Ter orat.

Tertio, cum eo timoris redigi ſe paſſus fuiſſet, ut diceret (*Triſtis eſt anima mea usque ad mortem*) etiam ſanguinem ſudavit copioſum, teſte Lucâ, (*Factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.*) Vnde conjicere licet, veſtimenta ejus jam tum fuiſſe madefacta cruore. Sanguinem ſudat.

De comprehenſione Chriſti, & traductione ad Annæ domum. Matth. 26. Luc. 22. Marc. 14. Ioan. 18.

PRimo, permiſit ſe Dominus oſculô à Iudâ tradi, & quaſi latronem comprehendi (*Tamquàm ad latronem exiſtis cum gladiis ac fuſtibus comprehendere me? Quotidie apud vos ſedebam docens in templo, & non me tenuiſtis.*) Ipſoque interrogante, (*Quem quæritis?*) corruerunt in terram inimici omnes. Oſculum Iudæ.

Secundo, ſervum Pontificis percutienti Petro ait (*Mitte gladium tuum in vaginam*) & ſanavit ſervum. Servi auriculæ abſciſſio.

Tertio, captus & à Diſcipulis relictus, ad Annæ domum pertrahitur, ubi à Petro paulo poſt ſecuto, ſemel negatus eſt, & alapam accepit à miniſtro quodam objiciente (*Sic reſpondes Pontifici?*) Chriſtus capitur & deſeritur.

De geſtis poſteà in domo Caiphæ. Matth. 26.

PRimò, abducitur ligatus Chriſtus ab Annâ in domum Caiphæ, ubi Petrus rurſum eum bis negavit, atque reſpiciente ipſum Domino, (*Egreſſus foras flevit amarè.*) Ab Annâ ad Caipham ductus, à Petro negatur.

Secundo, permanſit ligatus totâ illâ nocte. Nocte manet ligatus.

Tertio, circumſtantes eum ſatellites illudebant, vexabant, & velatâ facie colaphis cædebant, interrogantes (*Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit?*) ac modis aliis blaſphemabant. Illuditur, & vexatur à ſatellitibus.

De Chriſti apud Pilatum accuſatione. Matth. 26. Luc. 23. Marc. 15. & Ioan. 18.

Coram Pilato accuſatur.

PRimo, Traducitur deinceps ad Pilatum Chriſtus, & coram eo à Iudæis calumnioſè accuſatur (*Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram & prohibentem tributa dare Cæſari*)

Cauſam non invenit.

Secundo, eo ſemel atque iterum examinato retulit Pilatus (*Ego nullam invenio in eo cauſam.*)

Barabbæ poſtponitur.

Tertio, Barabbæ latronis, quam Chriſti IESV liberationem, malle ſe Iudæi proclamarunt (*Non hunc, ſed Barrabam.*)

De transmiſſo Chriſto ad Herodem. Luc. 23.

Ad Herodem mittitur.

PRimo, Transmiſit Pilatus Chriſtum ad Herodem, æſtimans quod eſſet Galilæus.

Herodi non reſpondit

Secundo, Herodi poſcenti curioſa, nihil penitus reſpondit, licet à Iudæis validè accuſaretur.

Albâ veſte ſpernitur.

Tertio, Ab Herode cum ſuo exercitu ſpretus fuit, atque veſte albâ indutus.

De reverſione ab Herode ad Pilatum. Matth. 27. Luc. 23. Marc. 15. & Ioan. 19.

Remittitur ad Pilatum.

PRimo, Chriſtum remiſit ad Pilatum Herodes, & ambo eâ ipsâ die, cùm priùs inimici eſſent, ſibi invicem reconciliati ſunt.

Flagellatur, coronatur & purpura illuditur.

Secundo, IESVM flagellis cædi juſſit Pilatus: milites eumdem ſpinis coronarunt, atque purpurâ induerunt, deinde irridentes dicebant (*Ave Rex Iudæorum.*) Et colaphos ſimul impingebant.

Tertio (*Exivit ergo IESVS portans coronam ſpineam & purpureum veſtimentum*) & Pilatus dicit illis (*Ecce homo*) Pontifices vero conclamabant (*Crucifige, Crucifige eum.*)

De condemnatione & Crucifixione IESV Chriſti. Ioan. 19.

Morte damnatur.

PRimo, Sedens pro tribunali Pilatus Chriſtum judicavit, & tradidit crucifigendum, poſteaquàm negantes eum Iudæi ſuum Regem eſſe, dixerunt (*Non habemus Regem, niſi Cæſarem.*)

Crucem bajulat.

Secundo, Bajulavit Chriſtus crucem ſuam, donec ob virium defectum, Simon quidam Cyreneus illam poſt eum ferre compulſus eſt.

Inter latrones crucifigitur.

Tertio, Inter duos latrones crucifixus fuit aſcripto titulo (IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM.)

De

De Myſteriis in Cruce factis. Matth. 27. Luc. 23. Ioan. 19.

PRimo, blaſphemias pertulit in cruce (*Vah qui deſtruis templum Dei*, &c. *Deſcende de Cruce.*) Et diviſa ſunt veſtimenta ejus. In cruce blaſphematur.

Secundo, effatus eſt Dominus in Cruce verba ſeptem, Orans videlicet pro crucifigentibus: Latroni parcens: Matrem & Ioannem ſibi mutuo commendans: Exclamans (*Sitio*) Quando aceto eum potaverunt, & deinde ſe à Patre dicens derelictum, poſteà (*Conſummatum eſt*) Ac poſtremo (*Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.*) Septem Chriſti verba.

Tertio, Sol obſcuratus eſt, ipſo expirante, & petræ ſciſſæ ſunt, aperta quoque monumenta, & velum templi à ſummo ad infimam uſque partem ſciſſum, & latus lancea confoſſum aquam & ſanguinem effudit. Natura Chriſto morienti compatitur.

De Myſterio ſepulturæ. Ibidem.

PRimo, De Cruce ſublatus eſt mortuus Dominus per Ioſeph atque Nicodemum, in conſpectu ipſo Matris afflictiſſimæ. De cruce deponitur.

Secundò, Delatum eſt ad ſepulchrum corpus unctum & incluſum. Sepelitur.

Tertiò, adhibiti ſunt inibi cuſtodes. Cuſtodia ſepulcri.

De Chriſti reſurrectione & apparitione primâ.

PRimùm, Apparuit Dominus Matri ſuæ, poſtquàm reſurrexit, cùm dicat Scriptura, quod apparuit multis. Licet enim nominatim illam non exprimat, id nobis tamen relinquit pro certo, tamquàm intellectum habentibus: ne alioqui jure audiamus illud: *Adhuc & vos ſine intellectu eſtis?* Matri apparet.

De ſecundâ apparitione. Marc. 16.

PRimò, Summo manè ad monumentum profectæ ſunt Maria Magdalene, Iacobi, & Salome inter ſe dicentes (*Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?*) Mulieres ad monumentum.

Secundò, viderunt lapidem revolutum, & Angeli dictum audierunt (*IESVM quæritis Nazarenum Crucifixum, Surrexit, non eſt hîc.*) Angeli reſponſum.

Tertio apparuit Mariæ Magdalenæ, quæ aliis digreſſis, juxta ſepulcrum reſtiterat. Magdalenæ apparuit.

De apparitione tertiâ. Matth. ult.

PRimò, redibant à monumento mulieres cum timore ſimul & gaudio ingenti, ut narrarent Diſcipulis, quidquid de Domini reſurrectione intellexerant. Mulierum reditus ex monumento.

Secundò, apparens eis in viâ Chriſtus, ait (*Avete*) Et illæ acceden-tes, ac proſtratæ ad pedes ejus, ipſum adorarunt.

Eas affatur. Tertiò, affatus eſt illas Dominus (*Nolite timere.* (*Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.*)

De apparitione quartâ. Luc. ultimo.

Petrus currit ad monumentum. PRimò, Auditâ Petrus ex mulieribus Chriſti reſurrectione, cucurrit ad monumentum.

Videt linteamina. Secundo, introgreſſus, ſola vidit linteamina, quibus fuerat involutum corpus.

Petro apparet Chriſtus. Tertio, cogitanti ſuper his Petro Chriſtus ſe oſtendit, unde dicebant Apoſtoli (*Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.*)

De apparitione quintâ. Ibidem.

Euntibus in Emaus apparet. PRimo, duobus Diſcipulis deinceps apparuit cùm irent in Emaus, & de ipſo colloquerentur.

Incredulitas redarguitur. Secundo, Redarguit eorum incredulitatem, & myſteria paſſionis atque reſurrectionis ipſis expoſuit (*O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?*)

Rogatus cum eis manſit. Tertio, rogatus, cum eis manſit, fractoque ipſis pane diſparuit: qui ſubito in Hieruſalem reverſi nuntiaverunt Apoſtolis, quomodo vidiſſent eum, & in fractione panis agnoviſſent.

De apparitione ſexta. Ioan. 20.

Diſcipuli congregati. PRimo, Diſcipuli omnes præter Thomam domi congregati erant propter Iudæorum metum.

Ianuis clauſis ingreditur. Secundo, Ingreſſus januis clauſis Chriſtus (*Stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis.*)

Dat eis Spiritum ſanctum. Tertio, Spiritum ſanctum eis dedit, & ait: (*Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* &c.)

De apparitione ſeptima. Ibidem.

Thomæ incredulitas. PRimo, S. Thomas, cum apparitioni prædictæ non interfuiſſet, proteſtatus erat (*Niſi videro*, &c. *non credam.*)

Apparet eidem Chriſtus. Secundo, Poſt dies octo, iterum clauſis januis obtulit ſe videndum Chriſtus, & Thomæ dixit: (*Infer digitum tuum huc, & vide*, &c. & *noli eſſe incredulus, ſed fidelis.*)

Tertio, Exclamavit Thomas (*Dominus meus & Deus meus.*) Cui ſubintulit Chriſtus: (*Beati qui non viderunt, & crediderunt.*) Thomæ exclamatio.

De apparitione octavâ. Ioan. ultimo.

PRimo, Palàm ſe denuò fecit Chriſtus piſcantibus ſeptem Diſcipulis, qui, cùm totâ nocte nil cepiſſent, jactum ad mandatum ejus rete (*Iam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.*) Septem diſcipulis apparet.

Secundo, per id miraculum, agnoſcens eum Ioannes, ait Petro (*Dominus eſt:*) qui confeſtim deſiliens in mare, ad Chriſtum acceſſit. Chriſtus à Diſcipulis agnoſcitur.

Tertio, dedit eis, ut comederent panem & piſcem. Poſteà Petro an ſe diligeret, ter interrogato, ſuum ovile commendavit (*Paſce oves meas.*) Suas oves commendat.

De apparitione nonâ. Marc. ultimo.

PRimo, ex Domini mandato abeunt Diſcipuli ad montem Thabor. Ad Thabor Montem.

Secundo, iis apparens ille inquit (*Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terrâ*) Eis apparet.

Tertio, mittens eos ad prædicandum per univerſum orbem, ſic mandavit: (*Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*) Mittit ad prædicandum.

De apparitione decimâ. 1. Cor. 15.

D*Einde viſus eſt pluſquàm quingentis fratribus ſimul.*) Apparet pluſquam quingentis.

De apparitione undecimâ. Ibidem.

APparuit deinde Iacobo.

De apparitione duodecimâ.

APparuiſſe Chriſtum etiam Ioſepho ab Arimathiâ, legitur in hagiographis quibusdam: & veriſimile eſt, atque meditatu pium. Apparuiſſe Ioſepho ab Arimathiâ legitur.

De apparitione decimatertiâ. 1. Corinth. 15.

APparuit & Beato Paulo poſt Aſcenſionem (*Noviſſimè autem omnium tamquàm abortivo viſus eſt & mihi*) inquit ipſe. Apparuit etiam Patribus in limbo, quoad animam, & poſtquàm inde educti ſunt. Apparuit & Paulo.

Denique, reſumpto corpore, apparebat paſſim Diſcipulis, & cum eis crebro verſabatur. Paſſim Diſcipulis apparebat.

De Aſcenſione Chriſti. Act. I.

Poſt dies quadraginta mittit Hieroſolymam.

PRimo, Poſtquàm jam per dies quadraginta multoties ſe Chriſtus Diſcipulis ſuis vivum exhibuiſſet (*in multis argumentis*, &c. *loquens eis de regno Dei*) miſit eos Hieroſolymam, ut promiſſum ſibi Spiritum ſanctum, illic expectarent.

Educit ad montem Oliveti.

Secundo, Eduxit eos ad Oliveti montem. (*Et videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.*)

Eisdem ſuſpicientibus in cœlum Angeli apparent.

Tertio, Iisdem in cælum ſuſpicientibus dictum eſt per duos illos viros in veſtibus albis aſſiſtentes, quos Angelos fuiſſe credimus: (*Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic IESVS, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.*)

Regulæ aliquot, ad motus animæ, quos diverſi excitant ſpiritus, diſcernendos, ut boni ſolùm admittantur, & pellantur mali.

Conveniunt præcipuè 1. hebdomadæ.

ADVERTENDVM eſt, quòd potiſſimum conveniunt Exercitiis primæ hebdomadæ.

De his qui facilè peccant mortaliter.

PRima regula eſt, Quòd illis, qui facilè peccant lethaliter, & peccatum peccato addunt, ferè ſolet inimicus noſter illecebras carnis & ſenſuum delectationes objicere, ut eos teneat peccatis plenos, ac ſemper cumulum adaugeat. Spiritus verò bonus, è contrario, conſcientiam illorum pungit aſſidue, & per ſynderesis, rationisque officium à peccando deterret.

De his qui ſe à peccatis abſtinent.

SEcunda, Quod aliis hominibus, qui ſe à vitiis & peccatis purgandos curant ſollicite, & in obſequii divini ſtudio magis ac magis in dies promovent, immittit ſpiritus malignus moleſtias, ſcrupulos, triſtitias, rationes falſas, & alias id genus perturbationes, quibus profectum illum impediat. Spiritui autem bono, ex oppoſito, proprium conſuetumque eſt rectè agentibus, animum ac vires addere, conſolari, devotionis lacrymas ciere, illuſtrare mentem, & tranquillitatem dare, ſublatis obſtaculis omnibus, ut expeditius alacriusque per opera bona ſemper ultra tendant.

Spiritualis conſolatio quando dignoſcitur.

TErtia, Quod ſpiritualis propriè conſolatio tunc eſſe noſcitur, quando per internam quandam motionem exardeſcit anima in amorem Creatoris ſui, nec jam creaturam ullam, niſi propter ipſum poteſt diligere. Quando etiam lacrymæ funduntur, amorem illum provocantes, ſive ex dolore de peccatis profluant; ſive ex meditatione paſſionis Chriſti, ſive

aliâ

aliâ ex cauſa qualibet, in Dei cultum & honorem rectè ordinatâ. Poſtremo, conſolatio quoque dici poteſt, fidei, ſpei, & charitatis quodlibet augmentum. Item lætitia omnis, quæ animam ad cæleſtium rerum meditationem, ad ſtudium ſalutis, ad quietem & pacem cum Domino habendam, ſolet incitare.

QVarta, Quod ſpiritualis è contrà deſolatio vocari debet, quævis animæ obtenebratio, conturbatio, inſtigatio ad res infimas, ſeu terrenas: omnis denique inquietudo & agitatio, ſive tentatio trahens in diffidentiam de ſalute, & ſpem, charitatemque expellens. Vnde ſe anima triſtari, tepeſcere, ac torpere ſentit, & de ipſius Dei Creatoris ſui clementiâ, propè deſperare. Sicut enim conſolationi opponitur deſolatio, ita etiam quæ ab utraque oriuntur cogitationes, ſunt inter ſe prorſus oppoſitæ. *Quando ſpiritualis deſolatio.*

QVinta, Quod tempore deſolationis nihil deliberandum, aut innovandum eſt circa propoſitum animi, aut vitæ ſtatum, ſed in eis perſeverandum quæ fuerant priùs conſtituta, puta præcedente die, vel horâ conſolationis. * Quemadmodum enim, dum fruitur quis conſolatione illâ, quam diximus, non proprio ſuo, ſed boni ſpiritus inſtinctu regitur: ita, obverſante ſibi deſolatione, agitur à malo ſpiritu, cujus inſtigatione nihil umquam rectè conficitur. *Tempore deſolationis nihil deliberandum.* * cc

SExta, Quòd tametſi deſolatione affectus homo, priora ſua conſilia minimè debet immutare; expediet tamen provideri, & augeri ea, quæ contra deſolationis impulſum tendunt: qualia ſunt, inſiſtere orationi, cum diſcuſſione ſui, ac pœnitentiæ aliquid aſſumere. *Remedia contra deſolationem.*

SEptima, Quòd quamdiu premimur deſolatione, cogitandum eſt, nos interim relinqui à Domino nobis ipſis, probationis causâ, ut per naturales quoque vires, inſultibus inimici noſtri obſiſtamus. Id quod poſſumus haud dubiè, * aſſiſtente nobis jugiter præſidio divino, licet tunc nequaquam ſentiatur, eò quod fervorem priſtinum charitatis Dominus ſubtraxerit, relictâ nihilominùs gratiâ, quæ ad benè operandum, & ad conſequendam ſalutem, ſatis eſſe queat. *Quid cogitandum tempore deſolationis.* * dd

OCtava, Quod hominem tentatione pulſatum, mirè juvat patientiæ ſervandæ ſtudium, ut quæ vexationibus hujuſmodi propriè opponitur, & è diametro reſiſtit. Accerſenda etiam ſpes eſt, & cogitatio adfuturæ brevi conſolationis: ſi præſertim per ſanctos conatus in ſextâ regulâ ſignatos, deſolationis impetus frangatur. *Iuvat maximè patientia.*

Tres deſolationis cauſæ.

NOna, Quod cauſæ deſolationis tres ſunt præcipuæ. Prima, quia propter noſtram in ſpiritualibus ſtudiis ſeu exercitiis tepiditatem atque acediam, conſolatione divinâ merito privamur. Secunda, ut probemur quinam ſumus, & quomodo in Dei ſervitium & honorem, absque præſente quodam conſolationum, donorumque ſpiritualium ſtipendio noſmet impendimus. Tertia, ut certi planè ſimus noſtrarum virium non eſſe, vel acquirere, vel retinere fervorem devotionis, vehementiam amoris, abundantiam lacrymarum, aut aliam quamlibet internam conſolationem: ſed omnia hæc gratuita eſſe Dei dona, quæ ſi vendicemus nobis ut propria, ſuperbiæ & vanæ gloriæ crimen, non ſine ſalutis gravi periculo, incurſuri ſumus.

Tempore conſolationis quid proſpiciendum.

DEcima, Quod fruenti homini conſolatione, proſpiciendum eſt, quo ſe pacto gerere poterit, deſolatione deinceps occurrente: ut jam inde acrimoniam & robur animi maturè comparet, ad impetum ejus reprimendum.

Conſolatione affluente ſe deprimat.

VNdecima, ut ille idem, affluente conſolatione ſeipſum deprimat ac viliſaciat quantum poteſt, reputando ſecum, quàm imbellis, quamque ignavus eſſe apparebit, deſolatione impugnante, niſi per gratiæ & conſolationis divinæ opem cito ſublevetur. Contrà vero ille, quem deſolatio moleſtat, æſtimare debet cum Dei gratiâ, ſe poſſe plurimum, facileque adverſarios ſuos omnes devicturum eſſe, dummodo in Dei virtute collocet ſpem ſuam, & animum ſuum corroboret.

Quomodo cum hoſte noſtro confligendum.

DVodecima, Quod hoſtis noſter, naturam & morem muliebrem refert, quoad imbecillitatem virium, & animi pervicaciam. Nam ſicut femina cum viro rixans, ſi hunc conſpexerit, erecto & conſtanti vultu ſibi obſiſtere, abjicit illico animum, ac terga vertit: ſin vero timidum, fugacemque eſſe animadverterit, in extremam ſurgit audaciam, & in illum ferociter invadit. Itidem conſuevit dæmon animo & robore plane deſtitui, quoties ſpiritualem athletam, corde imperterrito, ac fronte ardua tentationibus videt reluctari. Sin autem trepidet, ad primos impetus ſuſtinendos, & quaſi animum deſpondeat, nulla eſt beſtia ſuper terram inimico illo tunc efferatior, acrior & pertinacior in hominem, ut cum pernicie noſtrâ, malignæ obſtinatæque mentis ſuæ deſiderium adimpleat.

Exemplum nequam amatoris in dæmone.

DEcima tertia. Quod idem inimicus noſter morem inſequitur nequiſſimi cujuspiam amatoris, qui puellam honeſtorum parentum filiam, vel

uxorem

uxorem viri alicujus probi volens ſeducere, ſummopere procurat, ut verba & conſilia ſua occulta ſint, nilque reformidat magis ac ægre fert, quam ſi puella patri ſuo, vel uxor marito illa patefaciat, cum ſciat hoc pacto de votis & conatibus ſuis actum eſſe. Ad eumdem modum obnixe ſatagit diabolus, ut anima, quam circumvenire cupit ac perdere, fraudulentas ſuas ſuggeſtiones teneat ſecretas. Indignatur verò maximè, & graviſſimè cruciatur, ſi cui vel confeſſionem audienti, vel ſpirituali homini molimina ſua detegantur, à quibus ita excidere ſe funditus intelligit.

DEcima quarta, Quod ſolet etiam adverſarius imitari aliquem belli ducem, qui obſeſſam arcem expugnare atque deprædari cupiens, exploratâ priùs naturâ & munitione loci, debiliorem partem aggreditur. Sic nimirum & ille circuit animam, & callide inquirit, quarumnam virtutum præſidiis, moralium ſcilicet aut theologicarum, ipſa vel munita vel deſtituta ſit: eâque potiſſimum parte machinis omnibus admotis irruit, ac ſubvertere nos ſperat, quam in nobis minus ceteris firmatam cuſtoditamque eſſe præviderit. Exemplum belli ducis in dæmonem.

Regulæ aliæ utiles ad pleniorem ſpirituum diſcretionem, & ſecundæ hebdomadæ potiſſimùm convenientes.

PRIMA eſt, Quod proprium eſt Dei, & Angeli cujusque boni, veram infundere ſpiritualem lætitiam animæ, quam movent, ſublatâ triſtitiâ & perturbatione omni, quam ingeſſit dæmon; cùm hic è contrario, ſophiſticis argumentis quibusdam, veri ſpeciem præ ſe ferentibus, lætitiam illam in anima repertam, oppugnare ſoleat. Vera ſpiritualis lætitia à quo.

SEcunda, Solius eſt Dei, conſolari animam, nulla præcedente conſolationis cauſa, cùm ſit hoc proprium Creatoris, ſuam ingredi creaturam, & illam in amorem ſui totam convertere, trahere, & mutare. Cauſam vero præcedere nullam tunc dicimus, quando nec ſenſibus, nec intellectui, neque voluntati noſtræ quidquam objectum eſt, quod ejusmodi conſolationem cauſare ex ſe poſſit. Animæ conſolatio ſolius Dei eſt propria.

TErtia, Quoties præceſſit conſolationis cauſa, auctor ejus poteſt exiſtere tam malus Angelus, quàm bonus, ſed ad fines tendunt contrarios; bonus quidem, ut anima in boni cognitione & operatione magis proficiat, malus autem, ut malè agat illa & pereat. Quando præceſſit conſolationis cauſa, quis auctor.

Quarta,

Mos dæmonis qualis.

QVarta, Id moris eſt ſpiritui maligno, ut in lucis Angelum transfigurans ſeſe, cognitis piis animæ votis, primùm obſecundet, mox inde ad perverſa ſua deſideria illam alliciat. Simulat etenim ab initio bonas ſanctasque hominis cogitationes ſequi & fovere; at deinde in occultas fallaciarum ſuarum pedicas paulatim tractum illaqueat.

Sedulò cogitationes excutiendæ.

QVinta, Sedulo & accurate excutiendæ ſunt cogitationes noſtræ, circa principium, medium & finem ſuum, quæ tria ſi rectè ſe habeant, Angeli boni argumentum eſt, cogitationes illas ſuggerentis: ſin autem per diſcurſum mentis, aliquid offertur, vel ſequitur, quod ex ſe malum ſit, vel avocet à bono, vel ad minus bonum impellat, quàm anima priùs quærendo ſequi decreviſſet, vel animam ipſam defatiget, angat, ac perturbet, ſublatâ quæ priùs aderat, quiete, pace, & tranquillitate; evidens tunc erit indicium, auctorem eſſe cognitionis ejusmodi, ſpiritum malignum, utpote utilitati noſtræ ſemper adverſantem.

Quando deprehenditur hoſtis, quid faciendum.

SExta, Quoties contingit in aliqua ſuggeſtione deprehendi hoſtem ex cauda ſua ſerpentina, id eſt, fine malo, quem ſemper nobis inſinuare ſtudet; tunc plurimum juvat, revolvere diſcurſum totum, & notare, quid ab initio prætexuerit bonæ cogitationis, & quomodò præcedentem ſpiritualis guſtus ſuavitatem, animi ſerenitatem, ſenſim amovere, ac venenum ſuum infundere tentarit, ut per hujusmodi experimentum cognitæ illius fraudes, facilius deinceps caveantur.

Diverſitas utriusque ſpiritus.

SEptima, eorum, qui promovent in bono ſalutis, animis ſe inſinuat uterque ſpiritus diverſo modo: bonus quidem leniter, placidè, ac ſuaviter, ſicut aquæ ſtilla in ſpongiam illabens; malus vero duriter, implacidè, & violenter, cum ſtrepitu quodam, ſicut imber decidens in petram; illis autem, qui in dies tendunt in deterius, oppoſitum prorſus uſuvenit. Cujus ſanè diverſitatis ratio eſt, quatenus Angelo utrilibet ſimilis eſt vel diſſimilis animæ ipſius diſpoſitio. Si enim contrariam ſibi eam alteruter ſpiritus invenerit, cum ſtrepitu & pulſu, qui facile adverti queat, ei ſe conjungit. Si conformem vero, tamquam in propriam & apertam domum ſubit cum quiete.

Quando eſt conſolatio ſine prævia cauſa, quid faciendum.

OCtava, quoties ſine præviâ ullâ cauſâ conſolatio nobis adeſt, quamvis ei, tamquam divinitus immiſſæ, ut ſupra dictum eſt, nihil fallaciæ ſubeſſe poſſit; debemus tamen attente ac ſollicite diſtinguere præſens conſolationis tempus à proximo ſequente, in quo anima fervet adhuc, & favoris

voris divini nuper accepti ſentit reliquias. Nam poſteriore hoc tempore frequenter accidit, ut vel ex habitu, diſcurſu, & judicio proprio, vel ex boni aut mali ſpiritus inſtinctu, aliqua ſentiamus, vel deliberemus, quæ cum ab ipſo Deo, citra medium non emanent, ſolerti indigent diſcuſſione, priusquam recipiant aſſenſum, vel in opus veniant.

Regulæ nonnullæ, in diſtribuendis eleemoſynis ſervandæ.

PRima, Si quid erogare libeat in homines genere vel amicitiâ conjunctos, erga quos ſentitur proclivior affectus; attendendæ erunt regulæ quatuor, quas ex parte circa electiones commemoravimus. Earum itaque prima hæc eſt, ut affectus erga tales meus recta proveniat ex amore Dei, quem certe amorem debeo ſentire in me, ut radicem eſſe & cauſam cujuscumque meæ affectionis erga cognatos & amicos omnes, ac operam dare, ut in hoc præſenti negotio præcipua ea ratio eluceſcat. *Quando erogatur in conjunctos, quæ ſervanda.*

SEcunda, Vt * conſiderem, ſi quis alter, cui parem mecum ſtatum, ſeu perfectionis gradum optem, me conſulat ſuper negotio iſtiusmodi, quam ego illi erogationis faciendæ dictaturus ſim rationem. Hac igitur & me uti par eſt. * ee *Quid ſi quis alter me conſuleret, faciendum.*

TErtia, Vt cogitem, ſi mihi vitæ nunc exitus inſtaret, quid in hac re egiſſe vellem potiſſimum. Ita ergo agendum in præſentiâ decernam. *Quid ſi vitæ exitus inſtaret.*

QVarta, ut proſpiciam ſimiliter, quid mallem in die judicii à me fuiſſe ſuper his transactum. Id quod & nunc citra dubium præeligam. *Quid mallem in die judicii.*

QVinta, ut quoties ad perſonas, mihi humano aliquo vinculo conjunctas, affectum meum ſentio magis inclinare, regulas quatuor prædictas ſedulò expendam, & juxta eas examinem affectum; nihil de eleemoſynâ, ſeu diſtributione faciendâ cogitans, donec ab animo, ſi quid non rectum ineſt, removero. *Quid quando ad conjunctos inclinatur.*

SExta, quamvis facultates divino cultui, & uſui Eccleſiaſtico dicatæ, citra culpam aſſumi poſſint diſtribuendæ ab eo, qui ad hoc miniſterium ſit vocatus; cùm tamen plurimis, in determinandâ propriis ſuis ſumptibus juſtâ portione, ſoleat de exceſſu ſcrupulus incidere, operæpretium eſt juxta regulas ſuperiores, vitæ ſuæ ſtatum rectè diſponere. *Quid ſervandum pro rebus Eccleſiaſt.*

SEptima, Propter rationes dictas, & alias plerasque, in adminiſtrandis iis, quæ ad propriam perſonam, conditionem, domum, aut familiam pertinent; optimum ac ſecuriſſimum eſt unicuique, diſtributionis curam ſubeunti, ut ſuæ ſubtrahat commoditati quantum poteſt; ac ſeipſum proxi- *Optima ratio diſtribuendi.*

mè conformet, ad exemplar Domini noſtri Iesv Chriſti ſummi Pontificis: quandoquidem in tertio etiam Carthaginenſi Concilio, in quo interfuit S. Auguſtinus, decretum fuit, ſupellectilem Epiſcopi, vilem ac pauperem debere eſſe. Hoc idem in quolibet ſtatu ſeu vitæ genere provideri convenit, habitâ interim ratione perſonarum, & ſtatuum ipſorum: ſicut in matrimonio exemplum præbent S. Ioachimus & S. Anna, qui diviſis per annos ſingulos facultatibus ſuis in tres partes, pauperibus unam erogabant, alteram dicabant in templi & divini cultus miniſterium, & tertiam poſtremò neceſſitati ſuæ reſervabant.

Quædam notatu digna de ſcrupulis, quos animæ dæmon injicit, dignoſcendis.

Scrupulus impropriè.

PRIMVM, Vulgò ſcrupulum appellant, quando ex proprio liberi arbitrii motu & judicio, aliquid concludimus peccatum eſſe, cùm peccatum non ſit, veluti ſi quis animadvertens ſe crucem, ex paleis humi figuratam, in tranſitu calcaſſe, crimini ſibi vertat. Hoc autem non ſcrupulus propriè, ſed judicium potiùs erroneum vocari debet.

Scrupulus propriè qualis.

SEcundum, Scrupulus propriè dicendus eſt, quoties poſt calcatam crucem ejuſmodi, vel poſt cogitationem, loquelam, aut operationem aliquam, oboritur nobis extrinſecus, peccati admiſſi ſuſpicio. Et quamvis alterâ ex parte veniat in mentem, nos minimè peccaſſe; ambiguitatem tamen quamdam, atque animi perturbationem ſentimus, à dæmone videlicet obtruſam.

Prior ſpecies ſcrupuli impropriè, fugienda.

TErtium, Prior ſcrupuli ſpecies, impropriè ſic dicti, prorſus abhorrenda eſt ut erroris plena. Poſterior vero, per tempus aliquod (dum præſertim recens eſt vitæ melioris inſtitutio) animam rebus ſpiritualibus vacantem, non parum juvat, cum eam mirum in modum purget, atque ab omni peccati ſpecimine abducat, juxta illud Divi Gregorii: *Bonarum mentium eſt, ibi culpam agnoſcere, ubi culpa non eſt.*

Dæmonis calliditas in conſcientiâ obſervandâ.

QVartum, Callidè obſervare ſolet inimicus, qualisnam ſit animæ cujusvis conſcientia, craſſiorne, an delicatior. Et ſi quam invenit delicatam, multo quoque delicatiorem efficere nititur, & in extremum quemdam redigere anxietatis gradum, ut ſic miſere turbatam, à profectu ſpirituali tandem dejiciat.

Puta ſi animam noverit, quæ peccato nulli conſentiat, mortali, ſive veniali,

veniali, imò ne umbram quidem (ut ſic dicamus) voluntarii peccati ſuſtinere queat; tunc, quoniam non poteſt veram peccati rationem illi objicere, eò ſatagit adducere, ut peccatum ſibi eſſe credat, quod revera non eſt, cujusmodi eſt, de verbo aliquo, vel cogitatiunculâ repentinâ. Craſſam è diverſo animam, ſeu conſcientiam, reddere craſſiorem ſtudet, ut quæ negligebat priùs venialia peccata, mortalia quoque nunc parum curet, ac in dies minùs reſpiciat.

QVintum, Vt anima progredi valeat in viâ ſpirituali, ad illius partis oppoſitum tendat neceſſe eſt, in quam inimicus tentat pertrahere: ut ſi laxiorem iſte conſcientiam facere adnititur, faciat illa ſtrictiorem: aut relaxet contrà, ſi dæmon nimiùm velit reſtringere. Sic enim continget, vitatis extremæ utriusque partis periculis, animam ipſam in medio quodam quieto & ſecuro ſtatu jugiter manere. *Vt nitendum contra ſcrupulos.*

SExta, Quotiescumque homini, dicere aut agere aliquid volenti, quod ab Eccleſiæ uſu, vel majorum noſtrorum ſenſu non diſſonat, quodque tendit in Dei gloriam, obviat extrinſecus ſuggeſtio diſſuadens, ne dicat aut agat illud propoſitum, adductâ vel vanæ gloriæ, vel mali alterius cujusvis fucatâ quadam ratione; tunc ad Deum elevanda mens eſt: ſique appareat, ad ejus gloriam ſpectare dictum aut factum ejusmodi, vel certe contrarium non eſſe, tendendum rectà erit adverſus talem cogitationem, atque obſtrepenti nobis inimico reſpondendum cum Divo Bernardo: *Nec propter te cœpi, nec propter te finiam.* *Cùm vanâ gloriâ pulſatur.*

Regulæ aliquot ſervandæ, ut cum orthodoxâ Eccleſiâ verè ſentiamus.

PRIMA, Sublato proprio omni judicio, tenendus eſt ſemper paratus promptusque animus, ad obediendum veræ Chriſti ſponſæ, ac ſanctæ matri noſtræ, quæ eſt orthodoxa, catholica, & hierarchica Eccleſia. *Animi promptitudo.*

SEcunda, laudare convenit ſolitam fieri Sacerdoti confeſſionem peccatorum, & Euchariſtiæ ſacræ ſumptionem annuam ut minimum, cum ſit laudabilius, octavo quoque die, aut ſemel ſaltem in menſe quolibet, ſervatis interim conditionibus debitis Sacramentum ipſum ſuſcipere. *Laus frequentiæ Sacramentorum.*

TErtia, Commendare Chriſti fidelibus, ut frequenter ac devotè Miſſæ ſacrum ſeu ſacrificium audiant. Item cantus Eccleſiaſticos, pſalmos, & prolixas preces in templis, vel extra templa recitandas: tempora etiam proba- *Commendatio ſacrorum, & cantus Eccleſiaſtici.*

probare, determinata officiis divinis & precationibus quibuscumque, ut ſunt quas vocamus horas canonicas.

Commendatio religioſi ſtatus.

QVarta, laudare plurimum religionum ſtatus, atque cælibatum, ſeu virginitatem matrimonio præferre.

Commendatio votorum & perfectionis religioſæ.

QVinta, comprobare vota religioſorum de ſervandâ caſtitate, paupertate, obedientiâque perpetuâ, cum aliis perfectionis, & ſupererogationis operibus. Vbi obiter notandum eſt, quod cum voti ratio ad ea pertineat, quæ ad perfectionem ducunt vitæ Chriſtianæ; de aliis, quæ ab ipsâ perfectione potius avertunt, ut de negotiatione, vel matrimonio, votum numquàm emittendum ſit.

Commendatio reliquiarum, ſtationum, &c.

SExta, Laudare prætereà reliquias, venerationem & invocationem Sanctorum. Item ſtationes, peregrinationesque pias, indulgentias, jubilæa, candelas in templis accendi ſolitas, & reliqua hujusmodi pietatis ac devotionis noſtræ adminicula.

Commendatio jejuniorum, & pœnitentiarum.

SEptima, Extollere abſtinentiæ ac jejuniorum uſum, ut quadrageſimæ, quatuor temporum, vigiliarum, ſextæ feriæ, ſabbati, aliorumque pro devotione ſuſceptorum. Item ſpontaneas afflictiones ſui, quas pœnitentias dicimus, non internas ſolum, ſed etiam externas.

Commendatio templorum & imaginum.

OCtava, Laudare inſuper templorum extructiones, atque ornamenta, nec non imagines, tamquàm propter id quod repræſentant, jure optimo venerandas.

Commendatio præceptorum Eccleſiaſticorum.

NOna, Confirmare maximè omnia Eccleſiæ præcepta: nec impugnare ullo modo: ſed contra impugnantes quæſitis undique rationibus promptè defendere.

Approbatio Patrum, decretorum, &c.

DEcima, Patrum etiam, ſeu ſuperiorum decreta, mandata, traditiones, ritus, & mores ſtudioſè probare. Licet autem non reperiatur ubique ea, quæ deberet eſſe, morum integritas; ſi quis tamen, vel in publicâ concione, vel in populari commercio, ipſis obloquitur, generat potiùs damna & ſcandala, quàm aliquid afferat remedii aut utilitatis, cùm nihil aliud ſequatur, niſi exaſperatio & obtrectatio populi adverſus Principes ac Paſtores ſuos. Temperandum eſt igitur ab iſto invectivarum genere. Verumtamen, ſicut damnoſum eſt, primates ipſos abſentes, apud populum allatrare, atque proſcindere: ita rurſus privatim admonere eos, qui ſi velint, mederi huic malo poſſunt, operæpretium videtur fore.

Vndeci-

VNdecima, Doctrinam ſacram plurimi facere, tum eam, quæ Poſitiva dici ſolet, tum, quæ Scholaſtica. Sicut enim Sanctis Doctoribus antiquis Hieronymo, Auguſtino, Gregorio, & conſimilibus, ſcopus fuit, ad amorem & cultum Dei amplectendum, animos movere; ita peculiare eſt B. Thomæ, Bonaventuræ, Magiſtro ſententiarum, & aliis recentioribus Theologis, dogmata ad ſalutem neceſſaria exactiùs tradere, atque definire, prout convenit ſuis temporibus, & poſteris, ad errores hæreſum confutandos. Siquidem Doctores hujuſmodi, ut ſunt tempore poſteriores non ſolum Scripturæ ſacræ intelligentiâ præditi ſunt, & veterum auctorum juvantur ſcriptis; ſed etiam cum influxu divini luminis, conciliorum ſanctionibus, decretis, & variis Eccleſiæ ſanctæ conſtitutionibus, ad ſalutis noſtræ ſubſidium feliciter utuntur. Doctrinæ ſacræ, tum poſitivæ, tum ſcholaſticæ commendatio.

DVodecima, Culpabilis eſt ac vitanda hominum, qui adhuc in terris vivunt, (quantumvis laudabilium) comparatio cum Sanctis & Beatis, dicendo: Iſte eſt doctior S. Auguſtino: Ille eſt alter S. Franciſcus: Æqualis eſt Paulo ſanctitate, aut aliquâ virtute, non eſt inferior, &c. Vitanda cum Sanctis comparatio.

DEcima tertia, Denique ut ipſi Eccleſiæ Catholicæ omnino unanimes, conformesque ſimus, ſi quid, quod oculis noſtris apparet album, nigrum illa eſſe definierit, debemus itidem, quòd nigrum ſit, pronuntiare. Indubitate namque credendum eſt, eumdem eſſe Domini noſtri Iesv Chriſti, & Eccleſiæ orthodoxæ, ſponſæ ejus, ſpiritum, per quem gubernamur ac dirigimur ad ſalutem: neque alium eſſe Deum, qui olim tradidit Decalogi præcepta, & qui nunc temporis Eccleſiam hierarchicam inſtruit atque regit. Eccleſiæ definitioni prompta ſubmiſſio.

DEcima quarta, Advertendum quoque eſt, quamquàm veriſſimum ſit, nemini contingere ſalutem, niſi prædeſtinato; circumſpecte tamen ſuper hoc loquendum eſſe, ne forte gratiam ſeu prædeſtinationem Dei nimis extendentes, liberi arbitrii vires, & operum bonorum merita excludere velle videamur: vel è converſo, ne plus æquo hiſce tribuentes, illis interim derogemus. Vt de prædeſtinatione loquendum.

DEcima quinta, Similem ob cauſam frequens de prædeſtinatione ſermo habendus non eſt: ſique incidat nonnumquàm, ita temperari decet, ut nulla plebi audienti detur occaſio erroris, ac dicendi: Si de ſalute meâ, vel damnatione jam definitum eſt: ſive malè, ſive benè agam, aliter eve- Vitandus de prædeſtinatione ſermo frequens.

nire non poteſt: unde ſolent multi opera bona negligere, & alia ſubſidia ſalutis.

Cautè de fide dicendum.

DEcima ſexta, Accidit etiam non rarò, ut ex immodicâ fidei prædicatione & laude, adjectâ diſtinctione aut explicatione nullâ, anſam arripiat populus, torpeſcendi circa bona quælibet opera, quæ fidem præeunt aut ſequuntur charitatis nexu efformatam.

Vt de gratiâ loquendum.

DEcima ſeptima, Neque itidem prædicandæ & inculcandæ gratiæ Dei usque adeò inſiſtendum fuerit, ut ſerpere inde poſſit auditorum animis lethalis error, negatâ liberi arbitrii noſtri facultate. De gratia ergo ipſa diffuſe quidem loqui fas eſt, Deo aſpirante, ſed quatenus in gloriam ejus uberiorem redundat, idque juxta modum convenientem, noſtris præſertim temporibus, tam periculoſis: ne & liberi arbitrii uſus, & operum bonorum efficacia tollatur.

Timores laudabiles.

DEcima octava, Quamvis ſummè laudabile ſit atque utile, ex dilectione pura inſervire Deo, nihilominùs tamen valdè commendandus eſt Majeſtatis divinæ timor. Neque porrò is timor ſolum, quem filialem appellamus, qui pius eſt ac ſanctus maximè; verùm etiam alter, ſervilis dictus. Quippe qui homini utilis eſt admodùm, & ſæpenumerò neceſſarius, ut à mortali peccato, quando incidere contingit, reſurgere promptè ſtudeamus: à quo, dum erimus immunes atque alieni, faciliùs patebit aſcenſus ad timorem illum filialem Deo penitùs acceptum, qui nobis cum ipſo Deo unionem amoris præſtat & conſervat.

Quæ ab aliis impreſſis Exercitiorum exemplis variant, ex utroque noſtro exemplari manuſcripto: In myſteriis autem vitæ Chriſti, etiam ex editione vulgatâ, emendata ſunt.

Loca

Loca quæ ex diligenti cum Hiſpanico autographo collatione adnotata ſunt in hac poſtremâ editione.

EA Patrum deputatio, quæ in V. Generali Congregatione pro recognoſcendo Directorio Exercitiorum inſtituta fuit, illud in primis propoſuit, ut antequàm liber Exercitiorum denuò imprimeretur, cum Hiſpanico autographo, qui Romæ ſervatur, diligenter conferretur, non ut nova quædam verſio fieret, ſed ut loca quædam accommodarentur, quæ in vulgatâ Latinâ editione ſubobſcura videbantur. Quod cum R. P. N. fieri mandaſſet, factâ diligenti collatione, compertum eſt, Latinam editionem in paucis ab autographo diſcrepare. Iis igitur prætermiſſis, quæ parvi momenti eſſe videbantur, ea tantum loca adnotari placuit, in quibus ſenſus ſubobſcurus cenſebatur, vel certè clarior hac novâ verſione reddi poterat. Quæ omnia cùm eſſent à R. P. N. cum Patribus Aſſiſtentibus diligenter examinata, ne vulgata editio, ob reverentiam, quæ illi meritò debetur, mutari videretur, ſatius viſum eſt, ſi in fine Exercitiorum loca omnia, quæ ſunt adnotata, ponerentur ſtellulis quibuſdam ſignata, quæ locis, in quibus facta eſt mutatio, reſponderent, ut faciliùs, quæ in poſtremâ hac editione fuerunt accommodata, reperiri à quolibet poſſent. Hic autem labor, ut ſperamus, majorem quamdam lucem afferet iis, qui Exercitia tractant, omnibusque Societatis noſtræ hominibus, qui Exercitiorum uſum habere debent frequentiſſimum, non erit injucundus. Romæ, 25. Iunii, M. D. XCVI.

Mandato R. P. N. Generalis.

IACOBUS DOMINICUS
Secretarius.

IN ANNOTATIONIBVS XX.

Quæ ſunt in principio Exercitiorum.

PAginâ 363. *Annotatione quartâ in fine, ubi dicitur:* * *a* Expedit nonnumquàm ſuccidi hebdomadam. *Senſus erit clarior ſi legatur:* Contrahi hebdomadam.

Pag. eadem. *Annotatione octavâ, ubi dicitur:* * *b* In prioribus duabus hebdomadis. *Lege:* Pro prioribus duabus hebdomadis.

Pag. 364. *Annotatione decimâ in fine ubi habetur:* *c Atque per exercitia primæ hebdomadæ comprehenditur. *Lege:* Atque exercitiis primæ hebdomadæ reſpondet.

Pag. 365. *Annotatio decimaſeptima ita poni debet:* *d Decima ſeptima. Perutile eſt, ut qui tradit Exercitia, quamvis inquirere, ac ſcire non intendat proprias alterius cogitationes & peccata; certior tamen fideliter fiat de variis agitationibus & cogitationibus, quas varii ſpiritus immittunt. Perſpecto enim majori, aut minori ejus profectu, nonnulla ſpiritualia Exercitia præſcribere illi poteſt, præſenti animæ neceſſitati opportuna.

In Fundamento.

PAg. 368. *Vbi dicitur:* *e Prout libertati arbitrii noſtri ſubjectæ ſunt, & non prohibitæ. *Clariùs ex autographo dicatur:* Prout libertati arbitrii noſtri permiſſum eſt, & non prohibitum.

Pag. eadem. *Circa finem fundamenti, ubi habetur:* *f Sed conſentaneum eſt, ex omnibus ea demum, quæ ad finem ducunt, eligere ac deſiderare. *dicatur:* Sed conſentaneum eſt ex omnibus ea demum, quæ ad finem, cujus gratiâ conditi ſumus, nos ducunt, eligere ac deſiderare.

In V. Exercitio primæ hebdomadæ.

PAg. 378. *In primo puncto:* *g Et animas igneis quibusdam corporibus, velut ergaſtulis incluſas. *dicatur:* Et animas velut igneis quibusdam corporibus, tamquàm ergaſtulis, incluſas.

In Additionibus.

PAg. 379. *In primâ Additione, ubi dicitur:* *h Cogitem de horâ, quâ ſurgendum mihi erit, & de Exercitio faciendo. *Ex autographo dicatur:* Cogitem de horâ, quâ ſurgendum mihi erit, Exercitii faciendi puncta breviter animo retractans.

In Meditatione ſecundæ diei in ſecundâ hebdomadâ.

PAg. 385. *In primo puncto:* *i Inter quos me adeſſe fingam, tamquàm pauperculum, eorum utcumque neceſſitatibus, &c. *addatur ex autographo:* Inter quos me adeſſe fingam, tamquàm pauperculum, & ſervulum indignum, eos ſpectantem, contemplantem, & eorum neceſſitatibus cum reverentiâ maximâ famulantem.

In quintâ Contemplatione.

PAg. 386. *In tertio puncto :* * *k* Dulcedo animæ, divinis donis, &c. *Legatur :* Dulcedo, divinitatis, animæ, ejusque virtutum, ac ceterorum omnium juxta rationem, &c.

In quinque Notandis.

PAg. 387. *In tertio :* * *l* Superadditâ circa veſperas unâ repetitione, & ſenſuum applicatione ante cœnam. *Ex autographo :* Superadditâ circa veſperas unâ repetitione, & poſteà ſenſuum applicatione ante cœnam.

In ſecundâ die.

PAg. 388. * *m* Et fuga in Ægyptum. *Auditur ex autographo :* Et fuga ejusdem veluti exulantis in Ægyptum.

In Præludio poſt Contemplationem tertiæ diei.

PAg. 388. *Quod ibi dicitur de diſtinctione duplicis ſtatus*, *clariùs ita ponetur ex autographo* : * n Cùm ſuprà propoſitum fuerit exemplum Chriſti de vitæ genere, quod in mandatorum Dei obſervatione conſiſtit, dum parentibus ſuis fuiſſe ſubditus memoratur, & primus, ſeu communis ſtatus appellatur. Nunc idem ipſe Dominus formam videtur exhibere alterius, ſeu ſecundi ſtatus perfectionem Evangelicam afferentis, quando videlicet in templum ſe contulit, &c.

In Meditatione quartæ diei de tribus hominum Claſſibus.

PAg. 391. *In fine primi Præludii :* * *o* Sublato utcumque noxio affectu rerum, utpote ſalutis impedimento. *Legatur :* Sublato utcumque noxio affectu rei partæ, utpote, &c.

Pag. eadem. *In primâ Claſſe* : * *p* Debitaque adminicula toto vitæ tempore non admovet. *Ex autographo :* Debitaque adminicula usque ad horam mortis non admovet.

Pag. eadem. *In tertia :* * *q* Ac, interim omnia relinquens integra, &c. *usque ad finem. Ita ex autographo verti poteſt clariùs :* Ac interim ita ſe gerit, ut qui omnia in affectu reliquerit, enitendo ſcilicet, neque hoc, neque aliud quippiam expetere, niſi quantum divini obſequii intuitus moveret; ita ut non aliam admittat relinquendæ, aut retinendæ rei acquiſitæ cauſam, præter rationem ac deſiderium melius Deo Domino noſtro ſerviendi.

Pag. eadem. *In Notando :* * *r* Servabimus tamen interea; &c. *usque*

ad finem. In autographo ſic habetur: Atque hoc ipſum optare, petere, & flagitare, ſpectato ſolùm obſequio & gloriâ divinæ ipſius bonitatis.

In ſecundo Notando poſt duodecimam Meditationem.

PAg. 392. *Secundò* *ſ Quod inchoanda eſt, &c. *usque ad finem. Omnis dubitandi ratio tollitur ſi ita vertatur ex autographo:* Secundò, quòd inchoanda eſt electionum diſcuſſio à contemplatione diſceſſus Chriſti ex Nazareth Iordanem verſus incluſivè, quæ fit quinto die, ut in ſequentibus declaratur.

In modo ſecundo benè eligendi.

PAg. 396. *In ſecundâ Regulâ:* *t Secunda eſt, conſiderare, &c. *usque ad finem. Clariùs ita verti poteſt ex autographo:* Secunda eſt conſiderare, ſi quis mihi vir anteà ignotus, & numquàm plane viſus, cui tamen nihil non perfectionis ineſſe cupiam, occurreret dubius ſuper electione hujusmodi, quidnam ego illi faciendum & eligendum ad majorem Dei gloriam, & majorem animæ illius perfectionem eſſem conſulturus: quo animadverſo, id mihi agendum ducam, quod alteri ſuaderem.

In tertiâ hebdomadâ.

PAg. 397. *In titulo primæ contemplationis:* *u Prima contemplatio fit in media nocte, &c. *addatur ex autographo:* Prima contemplatio de Chriſti Domini noſtri profectione à Bethania in Hieruſalem, & de geſtis usque ad ultimam cœnam incluſivè, fit media nocte, & continet orationem præparatoriam.

Pag. eadem. *In quarto puncto:* *x Quartum, advertere, quid jam inde, &c. *ita vertendum ex autographo:* Quartum, advertere quid Chriſtus Dominus noſter in humanitate patiatur, aut pati appetat, juxta punctum, quod meditandum ſuſcipitur: unde incipiam & ipſe maximo conatu dolorem, mœſtitiam, & fletum mihi excitare: idemque curabo in ſubſequentibus punctis.

In 1. Contemplatione 4. hebdomadæ.

PAg. 402. *In primo Præludio:* *y Sepulto corpore. *Ex autographo habetur:* Corpore ab anima ſeparato; *vox enim illa* (ſepulto) *non eſt, neque cohæret cum aliis.*

Pag. eadem. *In quarto puncto:* *z Quomodò Chriſti divinitas paſſionis

ſionis & mortis tempore abſcondita. *In autographo habetur:* Quomodò Chriſti divinitas, quæ paſſionis tempore videbatur abſcondita, &c.

In Contemplatione ad acquirendum amorem.

PAg. 405. *In tertio puncto poſt illa verba:* * *aa* Laborantem quodammodò. *addantur hæc ex autographo:* Vt in cælis, elementis, plantis, frugibus, & animantibus, quatenus dat, &c.

De Converſione Magdalenæ.

PAg. 413. *In autographo non habentur verba illa:* * *bb* Sive Maria Magdalena ſoror Marthæ fuerit, ſive alia.

In 5. Regulâ de diſcretione ſpirituum.

PAg. 421. *Verba illa:* * *cc* Quemadmodùm enim dum fruitur quis, *uſque ad finem. ita commodiùs verti poſſunt ex autographo:* Quemadmodùm enim in conſolatione bonus ſpiritus nos magis regit ac dirigit; ita in deſolatione malus, cujus inſtigatione & conſiliis nihil rectum decernere poſſumus.

In 7. Regulâ de diſcretione ſpirituum.

PAg. 421. *Circa medium:* * *dd* Aſſiſtente nobis jugiter præſidio divino, licet tunc nequaquam ſentiatur. *In autographo ſic habetur:* Aſſiſtente nobis præſidio divino, quod ſemper manet, licet tunc nequaquàm ſentiatur.

In 2. Regulâ pro diſtribuendis Eleemoſynis.

PAg. 425. *Secunda:* * *ee* Vt conſiderem, &c. *uſque ad finem. Hæc regula in autographo ſic habetur:* Secunda, Vt conſiderem ſi quis alter eſſet mihi planè ignotus, cui tamen pro hoc miniſterio, & ipſius ſtatu omnem perfectionis gradum exoptem, quam ego illum in hac diſtributione rationem ſequi vellem ad majorem Dei gloriam, & animæ ſuæ perfectionem, hac ipſa eadem mihi utendum eſſe.

LAVS DEO.

BREVIS INDEX
Meditationum, Additionum, & Notandorum, quæ hoc libro continentur.

Confirmatio Exercitiorum Pauli III. pag. 358
Teſtimonia eorum, quibus cenſura Exercitiorum eſt commiſſa. 360
Præfatio ad Lectorem. 361
ANNOTATIONES, ut juvari poſſit & is qui tradit, & is qui accipit Exercitia. 362

Prima hebdomada.

Principium, ſeu Fundamentum. 368
Examen particulare. ibid.
Examen generale. 370
Examinis generalis modus. 372
Confeſſionis generalis, & communionis uſus. ibid.
Primum Exercitium ſecundum tres animæ potentias circa triplex peccatum. 373
Secundum Exercitium, meditatio de peccatis. 375
Tertium Exercitium, repetitio primi & ſecundi cum tribus colloquiis. 377
Quartum ſimile. ibid.
Quintum de inferno. ibid.
Exercitiorum temporis diſtributio. 378
Additiones ad Exercitia meliùs agenda. 379
De pœnitentiâ, ſeu afflictione corporis. 380
Notanda alia quatuor. 381

Hebdomada ſecunda.

Contemplatio regni Chriſti. 381
Primæ diei meditatio prima de Incarnatione. 383
Contemplatio ſecunda de Nativitate. 385
Tertia, repetitio utriusque. ibid.
Quarta ſimilis. 386
Quinta, applicatio ſenſuum ad prædictas. ibid.
Annotationes quinque. ibid.
Secundæ diei contemplationes. 388
Tertiæ diei. ibid.
Præludium conſiderationis ſtatuum diverſorum. ibid.
Quartæ diei meditatio de duobus vexillis. 389
Ejusdem diei meditatio de tribus hominum claſſibus. 391
Quintæ diei. 392
Sextæ, Septimæ, Octavæ, Nonæ, Decimæ, Vndecimæ, & Duodecimæ. ibid.
Annotationes tres. ibid.
Tres modi humilitatis. 393
Præludium ad electionem faciendam. ib.
Introductio ad eligendarum rerum notitiam. 394
De tempore triplici ad electiones faciendas. ibid.
Modus prior bonæ electionis faciendæ. 395
Modus poſterior. 396
De emendatione, ſeu reformatione vitæ ſtatus. ibid.

Tertia hebdomada.

Contemplatio prima, de cœnâ Domini. 397
Secunda, de geſtis poſt cœnam, & in horto. 398
Notanda quatuor. 399
Secundâ, tertiâ & quartâ die. ibid.
Quintâ, ſextâ & ſeptimâ cum annotationibus. 400

Regulæ

Regulæ ad victum temperandum. ibid.

Quarta hebdomada.

Contemplatio prima de Reſurrectione. 402
Annotationes aliquæ. ibid.
Contemplatio ad amorem ſpiritualem excitandum. 404
Modi tres orandi, primus. 405
Secundus. 406
Ejus regulæ. 407
Tertius. ibid.
Ejus regulæ. ibid.

Vitæ D. N. IESV Chriſti Myſteria.

Notandum. 408
De Annuntiatione. ibid.
De Viſitatione. ibid.
De Nativitate. ibid.
De Paſtoribus. 409
De Circumciſione. ibid.
De tribus Magis. ibid.
De Purificatione B. Virginis, & pueri IESV præſentatione. ibid.
De fugâ in Ægyptum. ibid.
De reditu. 410
De Vitâ Domini ab anno ætatis ſuæ duodecimo usque ad trigeſimum. ib.
De Aſcenſu in Templum. ibid.
De Baptiſmo. ibid.
De tentatione. ibid.
De Apoſtolorum vocatione. 411
De Primo Chriſti miraculo facto in nuptiis. ibid.
De fugatis è templo negotiatoribus primâ vice. ibid.
De Sermone Chriſti, in monte. ibid.
De ſedatâ Maris tempeſtate. 412
De ambulatione ſuper aquas. ibid.
De miſſis ad prædicandum Apoſtolis. ib.
De converſione Magdalenæ. 413
De quinq; millium homin. refectione. ib
De Transfiguratione. ibid.
De Lazari ſuſcitatione. ibid
De cœnâ apud Bethaniam. 414
De die Palmarum. ibid.
De Prædicatione in templo. ibid.
De cœnâ ultimâ. ibid.
De myſteriis poſt cœnam, & in horto geſtis. 415
De comprehenſione Chriſti, & traductione ad Annam. ibid.
De geſtis in Domo Caiphæ. ibid.
De Chriſti apud Pilatum accuſatione. 416
De transmiſſo Chriſto ad Herodem. ib.
De reverſione ab Herode ad Pilatum. ib.
De condemnatione & Crucifixione IESV Chriſti. ibid.
De myſteriis in Cruce factis. 417
De myſterio ſepulturæ. ibid.
De Chriſti reſurrectione & apparitione primâ. ibid.
De apparitione ſecundâ. ibid.
De apparitione tertiâ. ib.
De apparitione quartâ. 418
De apparitione quintâ. ib.
De apparitione ſextâ. ib.
De apparitione ſeptimâ. ib.
De apparitione octavâ. 419
De apparitione nonâ. ibid.
De apparitione decimâ, undecimâ, duodecimâ, & decimatertiâ. ibid.
De Aſcenſione. 420

Regulæ utiles

Ad motus animæ diſcernendos. 420
Ad pleniorem ſpirituum diſcretionem. 423
In diſtribuendis eleemoſynis. 425
De ſcrupulis dignoſcendis. 426
Vt cum Eccleſiâ ſentiamus. 427
Loca adnotata in poſtremâ editione ex collatione cum Hiſpanico autographo. 430

FINIS.

DIRECTORIVM
IN
EXERCITIA
SPIRITVALIA
S. P. N. IGNATII.

Juxta editionem excuſam



ANTVERPIÆ,
Apud JOANNEM MEVRSIVM.

SVPERIORVM PERMISSV.

DIRECTORIVM Exercitiorum ſpiritualium ante aliquot annos typis excuſum eo conſilio ad Provincias miſſum fuit, ut antequàm ſuprema manus operi imponeretur, uſus atque experientia docerent, an aliquid addi, aut detrahi, vel etiam commodiùs dici poſſe videretur: atque in hunc finem omnes monuimus, ut ſi alicui tale quidpiam occurreret, per ſuos Superiores ad R. P. N. Generalem Romam mitteret. Cùm autem quædam à nonnullis obſervata, ac Romam transmiſſa fuiſſent; iis omnibus in quintâ Congregatione generali, à Deputatis Patribus ad Directorium recognoſcendum diligenter atque exactè diſcuſſis, iterumque à R. P. N. Patribusque Aſſiſtentibus accuratè perpenſis; ad hunc tandem modum Directorium accommodari poſſe viſum eſt: ſperamusque laborem hunc non ſolùm probatum iri, ſed etiam iis, qui ſpiritualia Exercitia tradituri ſunt, valdè utilem fore. Reliquum eſt, ut hac occaſione noſtri (ut pleniùs ad Provinciales communibus litteris ſcriptum eſt) in poſterum ad Exercitia ſpiritualia frequentanda ſtudioſius incumbant, & aliis etiam majori cum utilitate tradere ſtudeant. Datum Romæ, Kalendis Octobr. M. D. XCIX.

Mandato R. P. N. Generalis

IACOBVS DOMINICVS
Secretarius.

DIRECTORIVM
IN
EXERCITIA SPIRITVALIA.

PROOEMIVM.

De dignitate & utilitate Exercitiorum, & de neceſſitate Directorii.

1.

Conſtit. p. 4. c. 8. §. 5. p. 7. c. 4. §. 8. Inſtrumenta ſalutis.

INTER alia inſtrumenta, quæ Deus, pro ſuâ bonitate ac clementiâ, Societati noſtræ, tum ad propriam tum ad proximorum ſalutem perfectionemque procurandam, largiri dignatus eſt, non poſtremum locum habent ſpiritualia Exercitia.

Documenta ex unctione Spiritus ſancti.

2 Hæc enim ſunt ſpiritualia quædam documenta, quæ ut in hujus libri præfatione dicitur, non tam ex libris, quàm ex unctione Spiritus ſancti, & ex internâ experientiâ & uſu, noſter in Chriſto B. P. IGNATIVS compoſuit. Hæc ſunt lumina, quæ ei Dominus in ipſo primo converſionis fervore inſpiravit, ac deinde in omni progreſſu ejus virtutis & ſanctitatis ſemper confirmavit.

Neceſſaria ad benè orandum directio.

3 Quemadmodùm igitur Dominus Deus ideam totam Societatis noſtræ, tum exteriorem, tum etiam quæ ad interiorem virtutem formam pertineret, ei tamquàm capiti & fundatori communicàvit; ita etiam cùm oratio & communicatio cum Deo ſit tanti momenti, ut magnâ ex parte religioſa obſervantia, ac ſpiritualis profectus ex eâ pendeat; plurimùm referebat habere hanc methodum & directionem ad orationem faciendam ab eodem capite noſtro, quam nos quoque omnes ſequeremur, & præ oculis ſemper habére conáremur.

Vſus Exercitiorum magnoperè à S. P. N. commendatus.

4 Atque hæc cauſſa eſt, cur ipſe B. P. N. IGNATIVS in omni ſermone, ut accepimus, & verò praxi ipsâ tantoperè noſtris commendare ſoleret uſum horum Exercitiorum: ac in Conſtitutionibus quoque tam crebrò eo-

rum

rum mentionem faciat, & præſertim parte 4. c. 8. §. 5. ubi dicitur, omnes operam dare debere, ut in hoc armorum ſpiritualium genere tractando, quod tantoperè conferre cernitur ad Dei obſequium, dexteritatem habeant. Extat etiam ejus epiſtola ad Sacerdotem quemdam, Mionam nomine, qui Pariſiis fuerat ejus Confeſſarius, in quâ ſatis manifeſtè oſtendit, quid ille ſentiret de his Exercitiis. Monet enim eum, atque etiam inſtanter rogat, ut ea faciat diligenter, & ſi fecerit, promittit ei magnam utilitatem ſpiritualem, tum in ſe ipſo, tum ad alios quam plurimos juvandos; idque verbis valdè gravibus, & ſignificantibus.

5 Idem verò teſtimonium dederunt alii, & plurimi, & quidem inſignes viri, & doctrinâ, & virtute, & rerum humanarum experientiâ, ac præcipuè etiam ſpiritualium peritiâ: qui cùm hæc Exercitia re ipsâ experti eſſent, ita ea probarunt, ut illorum uſu, majorem quàm ſperare auſi eſſent, ſuarum animarum fructum ſe conſecutos eſſe, tum verbo tum ſcripto libenter prædicarent. *Ab aliis eorum commendatio.*

6 Sed præ omnibus eſt auctoritas Sedis Apoſtolicæ, quæ diligenti examine doctorum virorum præmiſſo hæc Exercitia approbavit anno M.D. XLVIII. *ut pietate & ſanctitate plena* (hæc enim ſunt ejus verba) *& ad ædificationem ſpiritualemque fidelium profectum valde utilia.* *Auctoritate Pontificiâ approbata.*

7 Poſtremò eſt etiam ipſa experientia ingentis ac propè incredibilis utilitatis, quæ ex his Exercitiis faciendis ſubſequi ſolet. Primùm enim plurimi ex noſtris, præſertim primis temporibus, hoc modo ſpiritum vocationis acceperunt, ut verè dici poſſit, Societatem noſtram hoc maximè medio & initio coaluiſſe, & poſteà incrementum accepiſſe. Deinde plurimi etiam alii relicto mundo alios religioſos ordines ingreſſi ſunt: multi jam ingreſſi, egregiè reformati ſunt; nec ſinguli tantum, ſed ſæpè integra cœnobia. Complures etiam in ſæculo ipſo cùm ita vitiis addicti eſſent, ut nullo modo neque cohortationibus, neque concionibus avelli poſſent, hoc uno ſeſe converterunt, & ad meliorem vitam conſtanter ducendam revocarunt. Denique negari non poteſt, quin valdè magnus fructus in omni hominum genere, & ſtatu, & conditione effectus ſit, & ubi eorum uſus magis viget, ibi etiam multò major morum reformatio cernitur. *Vtilitas eorum maxima, multorum experientiâ comprobata.*

8 Nec debet aliquis mirari, quòd tanti effectus conſequantur, & quidem non admodùm longo tempore, addo etiam, non adeò magno labore. Nam cùm Dei voluntas ſit ſanctificatio noſtra, ut ait Apoſtolus, & *Exercitiorum præcipui fructus.* *1. Theſ. 4. 3.*

ideò bonitas illa immenſa ſemper parata ſit ſua dona effundere ſuper creaturam ſuam; ſine dubio, ſi ipſamet non poneret impedimentum, ſed potiùs ſe ipſam diſponeret, facilè ac brevì magnas à Deo gratias conſequeretur. Hoc igitur faciunt hæc Exercitia, & ſanè valdè efficaciter, ut animam diſponant, ad hæc dona accipienda. Primùm enim removent eam ab omni aliarum rerum ac negotiorum occupatione, & quaſi ad ſolitudinem quamdam ducunt, ut & Deus ad ejus cor loquatur, & ipſa faciat quod dicitur in Pſalm. *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus* Deinde verò poſito ſtatim ante oculos ultimo hominis fine, nempe æternâ beatitudine, oſtendunt primùm, quantùm hactenus aberraverit, & ita peccatorum dolorem, & odium ingenerant; deinde virtutum pulchritudinem aperiunt, & Chriſti Domini exemplo ad ejus imitationem accendunt. Denique etiam modum tradunt totius vitæ ex Dei regulâ ac voluntate reformandæ, ſive ſtatus ipſe mutandus ſit, ſive non mutandus, verùm in melius corrigendus.

Pſalm. 45. 11.

Noſtris eorum uſus commendatur,

9 Cum ergo horum Exercitiorum tantæ ſint utilitates, tantusque fructus, facilè apparet, quàm eorum uſus noſtris omnibus commendatus eſſe debeat, ſi præſertim illud addamus, quod cum humilitate cognoſcere poſſumus, & certè etiam debemus, hoc totum quodcumque eſt, nempe peculiarem hanc inſtructionem, ac modum meditandi, & peculiaria hæc documenta tam utilia, tamque ſolida, eſſe præclarum quoddam donum ac munus à Deo datum Societati noſtræ. Quare cùm id Deus nobis donârit, & ideò donârit, ut uteremur, non eſt dubium, quin hoc ipſum excitare omnes debeat, ut avidiùs utamur, nec talem theſaurum abſconditum, & quaſi defoſſum inutiliter teneamus.

Methodus, neceſſaria in Exercitiis tradendis,

10 Verùm quàm utilis eſt hic Exercitiorum uſus, quem dicimus, tam etiam eſt neceſſarium aliquam methodum habere in iis tradendis: tum quia non omnes eamdem peritiam aut dexteritatem habere poſſunt, tum quia non omnia hoc Exercitiorum ſpiritualium libro comprehendi potuerunt, (& ideò ſunt in eo aliqua paullò obſcuriora, quod ad praxim attinet) tum denique etiam, ut ſervetur à noſtris omnibus uniformitas, & non ſuo quisque ingenio & placito Exercitia interpretetur, ex quâ re novi ac varii ſubinde modi introducerentur.

Cong. 1. gener. auctoritate Di-

11 Has igitur ob cauſſas Congregatio prima generalis inter alia, quæ neceſſaria judicavit ad proximos juvandos, & noſtros operarios dirigendos,

dos, hoc etiam conſtituit Tit. 6. decr. 28. ut conficeretur Directorium tradendorum Exercitiorum, ejusque rei curam Generali Præpoſito commendavit. Directorium confectum.

12 In quo cùm aliqui Patres diligenter laboraſſent, vel pro ſuâ devotione, vel Superiorum juſſu, viſum eſt P. N. Claudio Aquavivæ, tum hunc eorum laborem, tum etiam quæ nonnulli alii adumbraverant, quibusdam antiquioribus Patribus in Societate mittere, ut ea viderent & judicium de iis ferrent & prætereà ſi quid occurreret, quod addi poſſet, id ſcriptis mandarent. Ex quorum omnium ſententiis ac judiciis ea, quæ ad noſtrum propoſitum accommodatiora viſa ſunt, in hoc Directorium ſelecta, & ſuis locis digeſta ſunt, ad Dei Domini gloriam, & Societatis noſtræ, proximorumque ſpiritualem profectum. Antiquioribus Patribus diſcutiendum datur.

Quomodò inducendi ſint homines ad Exercitia.

CAPVT I.

1.

Dicitur in noſtris Conſtitutionibus cùm Exercitiorum ratio redditur, non ſolùm id agi debere, ut aliis ſatisfiat; ſed etiam ut in aliis deſiderium excitetur, ut eisdem juvari velint. Ex quo apparet oportere hoc eſſe noſtris propoſitum, ut quotquot poſſunt ad agenda Exercitia ſuaviter inducant: quoniam cùm caritas & zelus animarum nos movere debeat ad deſiderandam & procurandam earum ſalutem & perfectionem, eadem etiam impellere debet ad eam rem, quæ adeò apta, & adeò efficax eſt ad illud utrumque in eis operandum. *Par. 4. c. 8. lit. E.* In aliis excitandum deſiderium.

2 Eſt tamen opus prudentiâ, ut id diſcretè, & modeſtè fiat, nempe tempore & loco convenienti, ſine moleſtiâ, aut offenſione: & nominatim cavendo, ne ſuſpicio præbeatur, quòd ad religioſum ſtatum trahere velimus. Hunc autem modum prudentem & cautum invitandi ad Exercitia ſuggeret ſua cuique prudentia, & Spiritus ſancti unctio, quæ ut in aliis, ita in hoc diriget & juvabit ſuos operarios. Diſcretè & modeſte fiat.

3 B. P. N. IGNATIVS ita ſentiebat & monebat, optimum modum eſſe in confeſſione non importunè, atque ex abrupto, ſed aliquâ commodâ occaſione, vel è re natâ, vel dextrè accerſitâ: aut etiam extra confeſſionem, cùm cernitur aliquis non adeò contentus ſtatu ſuo, ſive propter aliquem ſcrupulum intrinſecum, ſive propter moleſtiam extrinſecam, ut ſi non benè Quinam modus tenendus.

ei ſuccedant negotia, vel ſi non benè à ſuis tractetur, vel ob aliam ſimilem cauſſam. Interdum etiam optima eſt commoditas ex ipſis vitiis aut lapſibus alicujus, cùm præſertim aliquo Dei lumine afflatus ea cognoſcit, & dolet, & cupit emendationem. Tunc enim ſæpè opportunum eſt proponere ei hoc quaſi remedium ejus infirmitatis.

Exercitiorum fructus indicandi.

4 Quæcumque verò occaſio accipiatur, indicandi ſunt magni fructus, qui ex his Exercitiis conſequi ſolent, pax, & quies animæ, lumen interius, & cognitio ad bonam gubernationem totius vitæ quocumque in ſtatu.

Exempla eorum qui fecerunt proponenda.

5 Iuvat etiam proponere aliqua exempla aliquorum, qui ea fecerint cum fructu, ita ut poſteà valdè contenti fuerint; ipsâque morum mutatione teſtati ſint, quantùm in eis profecerint: & ad hoc etiam confert indicare conſolationes ſpirituales, & guſtus, quos habuerunt, nimirum ne labore deterreantur. Verum in his exemplis commemorandis abſtinendum eſſet ab iis, qui religionem ingreſſi ſunt (vel certè hoc poſtremum tacendum) & ii potiùs narrandi, qui in melius mutati in ſæculo manſerunt, quoniam facilè fieri poteſt, ut quem hortari volumus, idem ſibi timeat, & ideò refugiat Exercitia.

Omnibus neceſſaria.

6 Imò verò hæc ipſa opinio eripienda eſſet hominibus, ut putent, ſolis religioſis, aut iis, qui religioſi fieri volunt, convenire Exercitia. Nam cùm omnes egeant gratiâ Dei, non ſolùm religioſi, ſed etiam ſæculares propter pericula, in quibus aſſiduè vivunt; ideò ipſi quoque debent ea adjumenta quærere, ex quibus ad hanc gratiam hauriendam quàm maximè disponantur.

Qualis mens S. P. N & quibus danda Exercitia.

7 Notandum eſt tamen, ſi loquamur de integris & plenis Exercitiis, eam fuiſſe B. P. Ignatii ſententiam, ut non omnibus paſſim darentur, ſed ſelectis tantùm, & qui habiles ad majora viderentur. Quod ita eſſe apertè videmus ex quadam inſtructione, quæ conſcripta dicitur ipſo dictante, quæ ſic habet: *Non mihi videtur expedire quemquam hortari ad facienda Exercitia, niſi has conditiones, vel ſaltem præcipuas habeat. Primò, ut ejuſmodi ſit, qui ſperari poſſit valdè utilis futurus domui Dei, ſi ad ejus obſequium vocatus fuerit. Secundò, ſi nondum habeat ejuſmodi talenta jam acquiſita artium ac ſcientiarum, quæ hoc præ ſe ferunt ſaltem ut ejus ætatis atque ingenii ſit, ut ad ea aliquando pervenire poſſe videatur. Tertiò, ut liberum ſit ei de ſe ipſo ſtatuere, etiam quoad ſtatum perfectionis amplectendum, ſi Deo placeret*

ceret eum vocare. Quartò, ut ad ſpiritualia affectus videatur, habitumque corporis honeſtum ac decentem habeat. Quintò, ut non ita alicui rei ſit addictus, ut ab eâ difficulter videatur poſſe dimoveri, & ad eam æqualitatem perduci, quæ requiritur ad hoc negotium animæ cum Deo rectè tractandum; ac quantò magis quisque dubius eſt de vitæ ſuæ rationibus, & cupidus ſciendi quid facere debeat de ſuâ perſonâ: denique quantò aptior ad Eccleſiam juvandam, tantò etiam magis ſimpliciter loquendo, idoneus erit ad Exercitia facienda. Qui verò has conditiones non haberent, vel qui matrimonio juncti fuerint, aut alioquin inhabiles, non debent iis tradi Exercitia omnia, maximè ſi alii aptiores ea peterent, vel noſtri aliis occupationibus diſtinerentur. Poſſent tamen dari eis aliquæ meditationes primæ hebdomadæ, idque ſi fieri posſit, in ipſis eorum domibus, hortando eos, ut in aliquâ remotiori domus parte ſe colligant, unde non niſi ad Miſſam & Veſperas egrediantur, aut quando ad meditationes accipiendas veniunt. Hisque addi poterunt, ſi ita videatur, aliqua Exercitia, ut triplex modus orandi, & ſimilia. Hæc B. P. IGNATIVS, quæ eadem licet paullò breviùs habentur etiam in Conſtit. P. 7. c. 4 lit. F.

Quomodò diſpoſitus eſſe debeat, qui ad Exercitia facienda accedit.

CAPVT II.

1.

QVi ad Exercitia agenda aggreditur, primò eniti debet, ut intelligat quanta ſit res, quam aggreditur; nempe quæ non ſolùm ad animam pertineat, ſed ita pertineat, ut ſi modò ea diligenter præſtet quæ debet, jacturus ſit fundamenta ſpiritualis ſui profectus, quæ deinde totâ ejus vitâ uſui futura ſint. Ex quo intelligat, quantam * alacritatem, & diligentiam, & fortitudinem etiam ad tantum opus, tantumque negotium afferre debeat. Itaque ſtatuat ipſe ſecum viriliter agere, & omnia impedimenta divinæ gratiæ rejicere, & omnes animi ſui vires intendere, ut huic gratiæ cooperetur, & ſe ad eam recipiendam quàm poterit optimè diſponat.

Exercitia aggreſſurus eorum neceſſitatem intelligat.

Annotat. 5. ex 10.

2 * Hanc ob cauſſam ab omnibus aliis negotiis domeſticis priùs ſe expediat, vel certè ea aliis interim committat, ac toto tempore omne ſibi amicorum ac familiarium, imò etiam nuntiorum aut litterarum commercium interdicat. Hæc enim mentem implere ſolent variis cogitationibus,

Annotat. 20.
A curis & negotiis ſegregatio.

quæ deinde magnoperè diſtrahunt, & conceptum, ſi quis eſt, fervorem reſtinguunt. Imò verò omnem etiam aliam cogitationem de quavis aliâ re excludere curet, perinde ac ſi nullum aliud negotium in hoc mundo haberet.

Cum ſpe aggrediatur.

3 Habeat deinde magnam ſpem in Domini bonitate & liberalitate, qui cùm etiam errantes requirat, & fugientes ſequatur, multò magis qui ad ſe bono animo accedunt recipiet, & complectetur. Quare confidat in illâ infinitâ clementiâ, quæ cùm pium illud deſiderium dederit, dabit etiam gratiam ac vires exequendi benè ac fructuosè, ſiquidem ejus voluntas eſt ſanctificatio noſtra.

Qualis finis.

4 Inter cetera verò ita etiam animo conſtitutus eſſe debet, ut libenter & avidè Exercitia hæc aggrediatur, non tam ut ſpirituali dulcedine fruatur, quàm ut Dei voluntatem de ſe intelligat, ſuumque affectum â terrenis omnibus avellat, & eum in ſuo Creatore collocet. Illud verò maximè neceſſarium, ut præter hoc deſiderium proficiendi in ſpiritu, ſit etiam benè reſignatus in beneplacito Dei, in iis in quibus adhuc liber eſt: itaque animo paratus ſit, ut quidquid à Deo cognoverit faciendum eſſe, omnino exequi decreverit.

Quomodò aggrediatur exercitia.

5 Quare non debet quiſquam deliberationem aliquam ſecum afferre, à quâ dimoveri nolit. Deinde non debet etiam modum ac terminum ipſe ponere Dei donis, ita ut usque ad quosdam limites ſe illuminari ac juvari velit, non autem ampliùs. Nam præterquam quòd valdè indecens eſt, ut creatura hoc modo agat cum ſuo Creatore, valdè etiam ſibi ipſi nocet, primùm quia ſeipſum privat illis majoribus donis, quæ Deus fortaſſe daturus erat: deinde quia illa ipſa illiberalitas, & reſtrictio, & ingratitudo in Deum meretur, ut ne ea quidem accipiat, quæ vellet accipere. Quare debet potiùs animi ſinum dilatare, ut quàm maximè poſſit ſeſe cum Deo conjungere & quàm maximè ab eo ditari & locupletari theſauris iſtis cæleſtibus deſideret. Atque hæc quidem obſervanda ſunt eierga Deum.

Qualiter ſe gerat circa dantem Exercitia.

6 Erga eum verò, qui daturus eſt Exercitia, ita ſe gerere debet, ut eum accipiat ut Magiſtrum & ducem hujus itineris dubii & periculoſi; & ideò etiam ſi alioqui prudens ſit, vel doctus, & in rebus agendis exercitatus; tamen pro hoc tempore non confidat ſuæ prudentiæ, vel doctrinæ, ſed totum ſeſe committat huic ſuo duci, ac quemadmodum ait Apoſtolus, *Stultus fiat, ut ſit ſapiens*; illudque Beati Petri monitum exequatur, *Sicut modò ge-*

1. Corinth. 3. 18.
1. Petr. 2. 2.

dò geniti infantes, ſine dolo lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem. Itaque inſtructorem ſuum ita intueatur, tamquàm Dei inſtrumentum ad hoc ſibi miſſum, ut eum dirigat, & perducat per eam viam, quæ ad vitam ducit. Quam ob cauſſam cum omni reverentiâ, & alacritate, & confidentiâ excipere debebit, quæ ei proponet.

7 Prætereà nihil eum celet, nihil diſſimulet, ſed ſincerè totum cor ſuum ei patefaciat, & candide referat quomodò ſingulæ meditationes ſucceſſerint, quas in eis, vel extra eas reliquo tempore conſolationes, deſolationes, lumina, vel bona deſideria ſenſerit. Denique obediat ei in omnibus perfectè, neque alias meditationes, aut alium ordinem teneat, quàm ille præſcripſerit; idemque in pœnitentiis, & corporis caſtigationibus: & in ſummâ hoc ſibi perſuadeat, quo diligentiùs & exactiùs illius ductum ſequetur, eò aptiorem fore ad Dei gratiam largiùs accipiendam; quia illa humilitas, & illa ſimplicitas valdè Deo placet, & cum talibus eſt ejus ſermocinatio. Hæc igitur neceſſaria quidem ſunt, ut plenior fructus eliciatur.

Nihil celandum.

8 Sed tamen ſi is qui tradet Exercitia timeret, ne, ſi omnia proponat Exercitia facturo, fortaſſe eum deterrerent, ac retraherent; melius eſſet, vel aliqua tantùm horum proponere ab initio, vel non admodùm exaggerare: ſed ſi poſteà cum guſtu ſpirituali eum affici viderit, magisque capacem ad hæc portanda, tunc eum paullatim excitare ad Exercitia peragenda cum omni perfectione.

Quæ proponenda facienti Exercitia.

De quibus monendus ſit Exercitia ingrediens, & de tempore meditandi.

Capvt III.

I.

SVnt etiam alia, de quibus monendus eſt qui facit Exercitia, ſed quia hæc continentur in Annotationibus, vel regulis ſcriptis in libro Exercitiorum, non eſt, quod hic repetantur. Hoc tamen de iis addendum, debere eum omnem diligentiam ponere in eis obſervandis, quoniam quo diligentior in hoc fuerit, eo citius, & uberius inveniet fructum ſpiritualem, qui quæritur.

Exacta obſervatio.

2 Illud etiam in particulari attingi poteſt, non debere eum legere niſi ſcripta, quæ ei traduntur, nec libros habere in cubiculo, ut occaſio le-

Quos libros habeat & legat.

gendi præcidatur, præter Breviarium, ſi Sacerdos ſit, aut Officium B. Virginis. Si tamen inſtructori videbitur, poſſet in primâ hebdomadâ legere librum Gerſonis de Imitatione Chriſti, in ſecunda aliquid ex Evangeliis, & Sanctorum vita, ut dicitur in Annotationibus poſt primam meditationem ſecundæ hebdomadæ. Sed has vitas Sanctorum oporteret eſſe ſelectas, & valde accommodatas ei qui facit Exercitia; ut ſi eſſet uxoratus, oporteret ei tradere vitam alicujus, qui ſanctè vixiſſet in ſæculo: ſimiliter in religioſis, & in aliis ſimilibus. Quare is labor & diligentia eſſe deberet inſtructoris in idoneis ſeligendis.

Quæ myſteria legenda:

3 Porrò in Evangeliis non debet legere niſi illud myſterium, quod eadem horâ vel die eſt meditaturus, ut habetur in primò Notab. poſt quintam contemp. 2. hebdomadæ.

Qui libri, ſi tædium ſurrepat.

4 Tamen ſi poſt factam meditationem tædio affici videretur, ac potiùs tempus perdere; poſſet etiam, ut dictum eſt, addi aliquis alius liber, ut primâ hebdomadâ, Dionyſius Carthuſianus de quatuor noviſſimis, Confeſſiones S. Auguſtini, aut ſimiles; hoc advertendo, ut non ſolùm boni & utiles ſint, verùm etiam apti & opportuni ad gignendum illum affectum, qui eo tempore in Exercitiis quæritur, ut contritionem, vel timorem, vel Dei amorem. Quin etiam monendus eſt & docendus ut ipſam lectionem dirigat ad meditationem, nimirum non legendo curſim aviditate ſciendi & videndi nova, ſed immorando, & perpendendo accuratè ea quæ legit, & intrando in eoſdem affectus.

Quæ ſcribenda.

5 Quod de legendo dicitur, idem de ſcribendo dicendum. Nihil enim aliud ſcribi debet præter ea, quæ pertinent ad orationem, nempe puncta aliqua, quæ Dominus communicaverit in meditatione, vel etiam extra meditationem: quæ tamen breviſſimè notanda ſunt, non diffusè per modum ſermonis. Hæc autem puncta poſſunt eſſe duplicis generis: vel practica, quæ pertinent ad agendum, ut ſunt deſideria quædam, aut firmæ deliberationes faciendi aliquid; vel quæ pertinent ad cognoſcendum, ut ſunt quædam veritates, aut lumina circa aliquam materiam, ut alicujus virtutis v. g. humilitatis, contemptus mundi, patientiæ, &c. vel etiam in aliquâ materiâ meditationis, ut Incarnationis, vel Paſſionis Domini, & ſimilia, ejuſmodi præſertim, quæ ſint quaſi axiomata quædam, & viam aperiant ad benè percipiendas & meditandas illas materias.

6 Sed

6 Sed illud cavendum, ne vel legendi, vel ſcribendi dulcedine ita ſe quiſpiam diſtineri ſinat, ut tempus eripiatur meditationi, aut etiam præparationi ad meditationem. Semper enim aliquantò ante meditationem debet omnia relinquere, & omnino ſuam cogitationem convertere ad puncta illius Exercitii, quod jam inſtat. Addo etiam, cavendum hoc quoque, ne nimis legendo aut ſcribendo defatigetur animus, & quaſi vires ejus exhauriantur: oportet enim ſalvam ſemper relinqui meditationem, & cetera omnia huic uni ſervire. **Lectionis & ſcriptionis moderatio.**

7 Qui Exercitia exactè facere volunt, viresque idoneas habent, iis * quinque horæ meditandi quotidie præſcribi ſolent: prima circa mediam noctem, quod tempus propter quietem, ac profundum ſilentium valdè aptum eſt meditationi; ſecunda ſub auroram, tertia paullò ante prandium, quarta poſt meridiem, quinta ſub veſperam, & poſt uniuscujusque horæ meditationem quadrans etiam ad examen præcedentis meditationis. **Quot horis orandum.** * *Ex 2. hebd. notab. 2. & 3. poſt Exercitia primæ diei & ex 3. hebdom. poſt. 2. contempl. notab. 3.*

8 Cum aliis, qui debilioris ſunt valetudinis, vel tam exactum modum ſervare non poſſunt, diſpenſari poterit de horis mediæ noctis, ita tamen ut quinque horæ maneant, aut etiam pauciores, ſi inſtructor ita expedire judicaverit. Vt verò plures ſint quàm quinque, raro continget ut expediat. Nam cum nimis continuantur hæc Exercitia mentis, ita retundi ſolet, ut obtuſior etiam reddatur intellectus, & voluntas minus efficax. **Quibuscum diſpenſandum.**

De loco Exercitiis idoneo, & de quibusdam particularibus.

CAPVT IV.

1.

LOcus ad facienda Exercitia non eſt dubium, quin debeat eſſe remotus ab hominum concurſu, & aſpectu etiam, maxime familiarium. Ita enim monet B. P. N. IGNATIVS Annot. ultimâ, ubi etiam tres ejus rei commemorat utilitates. Quare ſi Exercitia ſuſcepturus alibi tam commode & tam fructuoſe non poteſt, & Superiori ita videatur, poterit excipi domi noſtræ, ſed in aliquo cubiculo, quod ſit quàm maxime ſeparatum ab aliis cubiculis & officinis domeſticis, ut quàm minime videat vel audiat, quæ à noſtris fiunt. **Locus Exercitiorum.**

2 Quod verò ad expenſas attinet, cum ille in domum noſtram venerit, conſulatur Superior: ad cujus prudentiam pertinebit, ita omnia moderari, ut neque domus nimium gravetur, neque contrà occaſione **Expenſæ à quibus faciendæ.**

domus non gravandæ minuatur numerus eorum, qui Exercitia facere poſſunt. Videntur autem communiter nec recuſandæ, ſi offerantur, præſertim à ditioribus; nec ſi non offerantur, requirendæ. Abſit verò ſemper quidquid in eo genere ſordidum aut indecorum videri poſſit.

Qualis is qui inſerviet exercitanti.

3 In hoc loco præter inſtructorem debet etiam eſſe qui ei inſerviat, & neceſſaria ad victum deferat. Hunc autem oportet eſſe fidelem, diſcretum, taciturnum, quique ſuâ modeſtiâ, & humilitatis ac devotionis exemplo ædificet. Nihil autem loquetur, niſi de iis, quæ ad victum, aut cubiculum, & miniſterium ſuum pertineant, idque pauciſſimis, omnia ſemper ad inſtructorem rejiciendo, quem etiam de ſingulis certiorem faciet, nec rem ullam ei deferet, etiam poſtulatus, niſi illo conſulto.

Lectum componet, &c.

4 Componet lectum, & cubiculum verret opportuno tempore, quod fere erit tempore Miſſæ. Cetera etiam, quæ opus erit munda & apta afferet, præ ſe ferendo ſemper magnam caritatem, & diligentiam: atque inter alia meminerit etiam pro ipſo orare quotidie.

Interdum notus deputandus.

5 Aliquando etiam profuit huic miniſterio eum deputare, qui notus aut familiaris eſſet Exercitanti, idque juvat non ſolùm ad conſolationem quamdam ipſius, ſed etiam ad profectum ſpiritualem, quoniam aliqui interdum confidentiùs ſe aperiunt amicis hujuſmodi, quàm ipſi Inſtructori, ſi eum numquàm anteà norant. Sed hoc totum pendere debet ex judicio ejus, qui tradit Exercitia, ut videat quatenus hic progredi debeat, quid loqui, & quomodo. Debet enim uti eo tamquàm inſtrumento ſuo juxta id quod intelliget convenire ad majorem utilitatem exercitantis.

De victu.

6 Quod ad victum attinet, quærendum eſt ab eo quid ſibi parari velit, idque ei afferendum, quod ille petierit.

An, & à quibus viſitandus.

7 Præter hunc qui ei miniſtrat, ut plurimùm non debet ab aliis viſitari. Nam de ſæcularibus quidem nulla eſt dubitatio, niſi aliqua neceſſitas urgeret. Ex noſtris autem aliquis mitti poſſet, cum vel qui facit Exercitia, id peteret ab inſtructore, vel inſtructor etiam illo non petente ita judicaret ad ejus conſolationem vel profectum.

Qui ſermones miſcendi.

8 Quicumque autem eat, cavere debet, ut nullus niſi utilis ſermo habeatur, ac de rebus ſpiritualibus, nullâ tamen ſignificatione quòd eum ad hunc vel illum vitæ ſtatum impellere velit, præſertim verò ad Societatem. Nam præterquàm quòd vocatio debet eſſe libera, & à Deo venire, ipſi etiam qui in hac deliberatione verſantur, ſi id intelligant, aut ſuſpicentur,

tur, eò magis retrahi ſolent: & contrà, ut experientia ſæpè oſtendit, eò magis incitari, cùm in noſtris nullam talem cupiditatem animadvertunt.

Qualis eſſe, & quid facere debeat qui Exercitia tradit.
CAPUT V.

I.

QVod ad illum attinet, qui Exercitia traditurus eſt, illud primum à B. P. N. IGNATIO 4. par. c. 8. §. 5. præcipitur, ut priùs ea in ſe ipſo ſit expertus, ut rationem eorum reddere poſſit, & dexteritatem in iis tradendis habere. Quod ut faciliùs aſſequatur (ut ibidem dicitur in declaratione) priùs quibusdam tradere deberet, in quibus minor eſſet jactura, ſi quid erretur, ut verbi gratiâ, junioribus, aut iis, qui non ingreſſuri ſunt electionem de vitæ ſtatu. Deinde etiam proderit conferre ſuum modum procedendi cum aliquo magis exercitato, benè adnotando quid magis vel minùs convenire deprehenderit. Itaque hoc primum & præcipuum eſſe debet, ut ſit benè verſatus in rebus ſpiritualibus, & nominatim in his Exercitiis. Qualis ſit Exercitiorum magiſter.

2 Prætereà ſit prudens, & diſcretus, parcus, & moderatus, conſideratus in ſermone. * Sit etiam ſuavis potiùs, quàm auſterus, maximè cum iis, qui tentationes, vel etiam deſolationes. aut ariditates, & tædia patiuntur, quos conſolari, animare, & erigere debet opportunis conſiliis, & precibus tum ſuis, tum aliorum. Expedit etiam, ut gratus ei ſit, qui facit Exercitia; quoniam hoc modo magis ei confidet, ſeque magis aperiet. Ejus partes. *Annot. 7. ex 21.*

3 Porrò in agendo cum ipſo meminerit auctoritatem quamdam ſemper retinere, ſervatâ quadam maturitate, & gravitate, eoque etiam magis, quo is, qui in Exercitiis verſatur, major ipſe fuerit. Hoc enim valdè expedit ad ejus ſpiritualem profectum, ut locum, & perſonam Magiſtri, ut verè eſt, tueatur: etſi hæc auctoritas temperata eſſe debet humilitate religioſa, quæ eluceat in omnibus ejus dictis & factis; ita ut ne veſtigium quidem ullius vanitatis conſpiciatur. Sed in hoc Chriſtum imitari debet, qui cum forma eſſet omnis modeſtiæ, tamen, ſicut ſcriptum eſt, *Erat docens tamquàm poteſtatem habens.* Itaque cum omni libertate officium ſuum exequi debebit, tum docendo, tum monendo, tum dirigendo, ubi quippiam curvum aut diſtortum eſſe viderit. Auctoritas cum maturitate ſervanda. *Matth. 7. 29. & Marc. 1. 22.*

4 Caveat, cùm bonum aliquem effectum viderit in iis, qui ſe exercent, quidquam ſuæ induſtriæ aut peritiæ tribuere, cùm hi omnes effectus Deo referendum, ſi quid fructus.

gratiæ ſint à ſolo Deo; & conſilia extrinſecus adhibita (præterquàm quòd ſi bona ſunt, ab eodem Deo ſunt) tantam vim habeant, & tantum operentur, quantum concurrit & cooperatur Deus. Ex alterâ tamen parte multùm confidat in Domino, & ab eo ſperet certum auxilium tum ſibi, tum ei qui facit Exercitia.

5 Illud autem valdè obſervandum, ut nihil de ſuo apponat, ſed cùm ejusmodi conſilia debeant ex divinâ inſpiratione ſuſcipi, caveat ne indiſcreto zelo conetur aliquid ei ſuadere: ſed ſinat Deum, de ſuâ creaturâ disponere juxta placitum bonitatis ſuæ. * Quod ut meliùs & faciliùs in opere præſtet, ſervet ſe in animo planè indifferentem, & in nihil aliud ejus voluntas feratur, niſi ut ſanctiſſimum Dei beneplacitum in animâ illâ plenè & perfectè compleatur: & ipſe tantùm in eo laboret, ut qui ſe exercet, id inveſtigare ſciat, & ſciat ſe à dæmonis deceptionibus expedire, quibus homines retardare ſolet.

Annot. 15. ex 20.

Perſpecta ſit conditio Exercitia facientis.

6 Curet etiam perſpectum habere eum, qui facit Exercitia, non tantùm quoad ſtatum & conditionem, ſi nobilis ſit, vel plebejus; doctus, vel indoctus, &c. ſed etiam quoad peculiares quasdam partes, ut ſi ſimplex, vel prudens ſit; provectus in rebus ſpiritualibus, an adhuc rudis ac novus; ſi intelligens & capax, an verò hebetior & tardior. Nam cum diverſis diverſo modo agendum eſt, ut rudioribus ſunt res explicatiùs proponendæ, aliis autem breviùs, &c.

Perſpectum habeat librum Exercitiorum.

7 Illud autem in primis neceſſarium, ut qui Exercitia traditurus eſt totum librum Exercitiorum perlegerit, eumque præ manibus habeat, & præſertim Annotationes & Regulas. Neque ſufficit curſim ea videre, ſed omnia accuratè, imò ſingulas pœnè voces expendere oportet, quoniam quædam ſunt in iis breviſſimè dicta, quæ magnum pondus habent, & ignorata aut præterita damnum afferunt. Itaque tum anteà accuratè ea vidiſſe oportebit, tum verò in dandis Exercitiis relegenda erunt accuratiùs, præſertim quæ pertinent ad illud tempus, in quo tum verſatur ille, qui ſuſcipit.

Prius ipſe meditetur.

8 Iuvabit etiam ut ſingula Exercitia, antequàm ea tradat, aliquantulùm ipſe meditetur, ſi fieri poterit, ut meliùs imprimat alteri.

De

De viſitando eo qui exercetur.
Capvt VI.

I.

COeptis Exercitiis ſit diligens in viſitando ſuis temporibus eo, qui exercetur. Videtur autem expedire, ut quotidie ſemel eum adeat, neque tamen ſæpius, niſi aliqua occurreret neceſſitas, ut aliquando accidit primâ hebdomadâ propter rei novitatem, aut ſecundâ propter difficultatem electionis. Quoties viſitandus.

2 Imò cum aliquibus hominibus gravibus, & benè introductis in ſpiritu & devotione, poſſet etiam aliquando eſſe utilius, ut aliquis dies omitteretur. De tempore autem eum viſitandi, videat ipſe quod ſit commodius & aptius. Ex naturâ quidem ſuâ videtur matutinum, quia tunc animus eſt magis diſpoſitus ad res percipiendas & penetrandas. Quamquàm ſub veſperam ſolet eſſe major neceſſitas, quia tunc interdum magis creſcunt tentationes & deſolationes, quia animus eſt minus aptus ad contemplandum, & ideò interdum incidit in moroſitatem quamdam, & magis eſt expoſitus tentationibus. Quando non viſitandus.

3 Videat etiam inſtructor, an aliquando ex peculiari cauſa expediat, ut ſtatim à prandio, vel à cœnâ ipſe, vel aliquis alius maturus & diſcretus, ab eo deſignandus, cum eo, qui eſt in Exercitiis, maneat ad honeſtam recreationem. An quis pro recreatione deſignandus.

De exigendâ ratione meditationis.
Capvt VII.

I.

IGitur quodcumque tempus elegerit ad eum inviſendum, cùm ad ipſum venerit, interrogabit quomodò ſe habuerit ab eâ horâ, quâ illum poſtremò vidit, & præſertim in meditatione, nimirum quem modum tenuit in meditando, quos mentis diſcurſus, quas voluntatis motiones habuerit, quas conſolationes ſenſerit, & in quibus punctis. Quomodo interrogandus.

2 Si benè procedit, & conſolationibus abundat, non valdè laudare oportet, ne ſibi complaceat, ſed primùm doceat quomodò ſolidum fructum ex illis conſolationibus elicere debeat. Nam ſi nihil aliud fiat, abeunte illo ſuavi ſenſu, qui ferè non diu durare ſolet, nullus fructus remaneret. Quare inſtruendus eſt, ut eas conſolationes dirigat ad morum emendatio- Quid ſi conſolationes abundent.

Rom. 2. 13.

dationem, vitæque totius inſtitutionem, quia ut ſcriptum eſt. *Non auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.* Atque hic etiam monendus eſt, * ut breviter in ſcripto ponat notabiliores conſolationes, & lumina, deſideria quoque & firmas deliberationes faciendi aliquid, quoniam proderunt multùm alio tempore, cùm ea non habebit.

Annotat. 20.

Diſponendus pro tempore deſolationis.

3 Deinde verò præparet illum ad tempus deſolationis & ariditatis, quæ ſolet frequenter contingere, ne deinde cùm contigerit, imparatus ſit. Atque hoc tempore cum res bene ſuccedit, non oportet diu cum ipſo remanere, ſed ſinendum, ut Creator cum creatura ſua, & hæc viciſſim cum illo tranſigat; niſi neceſſarium videretur ad eum vel dirigendum, vel etiam recreandum, ſi nimis abſorptus eſſet cogitationibus illis.

Annot. 6 ex 20.

Quid cum abundat deſolatio.

4 Contrà verò ſi exercitans aridus ſit, & deſolatus, aut diſtractus in meditando, percunctari debet, quomodo ſe geſſerit in meditatione, & nominatim quomodò obſervarit Additiones, & ſi in aliquâ remiſſum invenerit, moneat & inſtruat.

Viam meditationis aperiat.

5 Aperiat etiam ei viam ad meditationem, attingendo & quaſi indicando aliquos conceptus, quos deinde ipſe cogitatione proſequatur.

Ad quæ hortandus.

Annot. 13. ex 20.

Habac. 2. 3.

Annot. 7. ex 20. reg. 8. ad motus animi diſcernendos.

6 Hortetur ad patientiam & longanimitatem, ne ſe obrui ſinat tædio, ac propter moleſtiam & laborem avertatur ab oratione: quia ſi fortiter cum ſpe ac fiduciâ perſeveret pulſare ad oſtium miſericordiæ divinæ, non poterit non aperire, juxta illud, * *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.*

Modus conſequendi devotionem.

Moneat etiam, optimum remedium conſequendi à Deo devotionem eſſe, ut humilietur ſub potenti manu Dei, & ſe ſubjiciat, ac reſignet ejus divinæ voluntati: ſæpe enim illa diſplicentia, & amaritudo non tam venit ex fervore, quàm ex tacitâ quadam ſuperbiâ, quâ homo confidit in ſuâ diligentiâ; vel quia in eo etiam vellet excellere; aut ex amore proprio, quia amat conſolationem. Quare hoc omnino obſervandum eſt, ut cùm fecerit quod in ſe eſt, cetera permittat divinæ voluntati & caritati, & confidat, quòd illa ipſa ariditas ideò permittitur à Deo, quia ſibi ſic expedit. Et hic ipſe affectus humilitatis, & ſubjectionis erga Deum ſæpè magis efficax eſt, ut concedat gratiam benè orandi.

Nulla detur ſuſpicandi occaſio.

8 In primis autem caveat Inſtructor, ne unquam det ei occaſionem ſuſpicandi, quòd minùs bonam opinionem de ſe habeat, etiamſi non ita ſe bene geſſerit: ſed oſtendat illi ſemper ſe bene ſperare, & ſuâ ſpe etiam illi animum ac ſpem addat.

De

De proponendâ meditatione.

Capvt VIII.

I.

IN proponendis punctis meditationum non oportebit ea valdè exaggerare, aut etiam ita enucleare, ut qui meditatur, ipſe nihil novi per ſe invenire poſſit, aut certè ægrè. Experientia enim docet magis omnes delectari, & moveri etiam iis, quæ per ſe inveniunt. Et ideò ſatis erit, quaſi digito indicare venam, quam deinde ſibi quisque effodiat. Si tamen eſſent aliqui parùm capaces, iis poſſent paullò magis declarari. *Annotat. 2. ex 20.* Quomodo proponenda puncta meditationis.

2 Ipſæ autem meditationes dari ſolent in ſcriptis, ne fatigetur memoria exercitantis, quod ſolet impedire devotionem, cum vires omnes ſint integræ reſervandæ intellectui & voluntati. Meditationes dentur ſcriptæ.

3 Denique inter alia, quæ Inſtructor attendere debet, eſt etiam illud, ne qui exercetur caput lædat nimiâ attentione orandi. Eſt enim magnum hujus periculum, tum tempore deſolationis, quo anima magis conniti ſolet, quaſi adverſo flumine; tum etiam conſolationis, cùm ſe totam dat propitiis ventis. Quare non ſufficit monere de moderatione ſervandâ: nam cùm ii, qui Exercitia faciunt, ut plurimum ſint rudes & novi in meditando, non ita poſſunt cognoſcere, quid ſibi nociturum eſt: ſed oportet interrogare, quem modum ſervent in elevandâ mente in Deum, & in eâ retinendâ in Deo, & nominatim in compoſitione loci: ac ſi appareat eos ſibi vim facere, docendi ſunt de modo ac ratione cogitandi ſuaviter de divinis; primò quia alioquin durari non poteſt, & impeditur meditatio; deinde etiam quia ſolidus fructus conſiſtit in cognitione illarum veritatum, & voluntatis motione, quæ procedunt ex lumine intimo, non autem in hac attentione violentâ, aut in coactitiis illis lacrymis, quas meritò irridet Caſſianus. Poſtremò quia hoc negotium orationis etiam ſi noſtram quoque cooperationem exigat, majori tamen ex parte pendet à Deo, & eſt donum Dei. Quare ad hoc potiùs ſe anima diſponere debet per humilitatem, & puritatem, quàm confidere in ſuâ præparatione, & induſtriâ. Præcavenda capitis læſio. *Coll. 9.*

4 Reliqua quæ in univerſum monendus eſſet Inſtructor, fere continentur in libro Exercitiorum, partim in meditationibus ipſis, partim in Annotationibus, partim etiam in Regulis illis diſcernendi ſpiritus, quæ ſunt valde utiles, & quaſi lucem præferunt in omni hoc itinere ſpirituali, tum De quibus in univerſum monendus Inſtructor.

primâ hebdomadâ, tum omnibus ſequentibus. Et ideò iterum repetendum quod ſuprà attigimus, debere hunc librum admodum familiarem eſſe Inſtructori, ejusque memoriam renovandam eo tempore, quo Exercitia traduntur, quia quoties eum leget, toties novum lumen, & intelligentiam hauriet.

Quando mutare liceat ordinem ac methodum.

5 In quo etiam admonendus eſt, etiamſi ex una parte omnem ejus ordinem, ac methodum, & particularia documenta exacte ſervare debeat, & quò exactius ſervabit, eo magis concurret Dominus; tamen ex altera parte multa permitti ejus prudentiæ, pro varietate vel perſonarum, quæ faciunt Exercitia, vel ſpirituum, quibus agitantur, ut vel iſta Exercitia moderari, vel etiam aliqua alia præſenti earum neceſſitati opportuna præſcribere poſſit, ut aperte dicitur Annot. 17. & 18. ex primis, & alibi.

De variis hominum generibus, quibus dari poſſunt Exercitia.

CAPVT IX.

1.

Duæ claſſes exercitantium.

QVibus Exercitia dari poſſunt, in univerſum in duas claſſes dividi poſſe videntur. Alii enim ſunt, qui omnes illas conditiones habent, quas cap. 1. diximus requiri, ut integra Exercitia peragant; & de his nihil hîc in particulari dicendum eſt: ad eos enim pertinent omnia, quæ toto hoc Directorio dicentur, maxime ſi de totius vitæ ſtatu deliberare velint.

2 Alii igitur ſunt, quibus non ſunt tradenda plena Exercitia, vel quia jam in ſtatu ſunt, ut matrimonio vincti, & alii, quibus ob alias cauſſas non expedit dari electionem; vel quia propter negotia publica, aliàsve occupationes tempus aut locum non habent, ut ſunt Magiſtratus, & quidam aliquando nobiles, aut patresfamilias, & ſimiles; vel quia non aliam utilitatem quærunt ex Exercitiis, quàm ut generalem confeſſionem faciant, & ad reliquam vitam bene dirigendam inſtruantur; vel quia non admodùm capaces ſunt, ut ſunt rudes, & illitterati, qui tamen juvandi ſunt juxta eorum captum.

Quomodò cum religioſis.

3 Igitur quod attinet ad religioſos, (non agimus hîc de noſtris, quia de his ſeparatim agemus capite ſequenti) ſi anteà nullum mentalis orationis uſum habuerunt, eadem eſt ratio quod ad eos inſtruendos attinet, quæ alterius cujusvis ſæcularis, maximè ſi anteà laxiorem & liberiorem vitam duxiſſent. Tunc enim diligenter exercendi eſſent primâ hebdomadâ, ut

habeant

habeant cognitionem & contritionem ſuorum peccatorum, tum quæ in ſæculo, tum quæ in religione commiſiſſent, quia hoc eſt fundamentum ad reformationem & correctionem totius vitæ. Si verò anteà etiam dediti fuiſſent orationi mentali & devotioni, tunc prima hebdomada breviùs percurri poterit, ut diligentiùs immorentur in meditatione vitæ Chriſti.

4 Illud verò in primâ hebdomadâ & deinceps præcipuè curandum erit, ut in ſuâ vocatione confirmentur, & ſibi perſuadeant hanc viam ſibi conſtitutam eſſe ad beatitudinem conſequendam, ut regulas ſui ordinis plurimi faciant, & eas quàm diligentiſſimè obſervent, & ad ſuum inſtitutum quàm maximè afficiantur; ut cauſſas intelligant, quare adhuc minùs profecerint, & ad hunc finem meditationes & examina dirigant: quod ab initio explicandum erit, & deinde ſemper continuandum. *Finis religioſorum in Exercit.*

5 Denique etiam, ut zelum concipiant juvandi alios, ſive proximos juxta ſuum inſtitutum, ſive etiam fratres ejusdem inſtituti & exemplo & opere. *Zelus proximos juvandi.*

6 Electio ſtatus non eſt eis danda, ſed tamen juvabit tradere regulas & inſtructiones ejus, ut poſſint deinde alios juvare, vel etiam de rebus occurrentibus deliberare eodem modo, quo infrà dicetur de hominibus Societatis. *Quid de electione.*

7 Quin etiam finitis Exercitiis poſſet eis magno tum cum delectu, & ſpe fructus, nec ſine facultate Provincialis communicari liber, ſi ipſi cuperent, & eo benè uſuri viderentur: & denique doceri etiam poſſent de modo tradendi aliis Exercitia. *An liber communicandus.*

8 Ceterùm ſciant noſtri, vix fructuoſiùs operam poni poſſe, quàm cum religioſis, quoniam non in ipſis tantùm fructus ille reſidet, ſed ordinariè manat ad alios; primùm quidem ad eorum fratres qui ipſorum exemplo juvari poſſunt, deinde etiam ad ſæculares, quorum animas illi tractant. Et ideò licet omnibus religioſis utilia ſemper ſint Exercitia, tamen iis maximè, à quibus vel ratione officii, vel alterius ejusmodi cauſſæ utilitas in alios derivari poteſt, ut ſunt Magiſtri Novitiorum, Superiores, Baccalaurei, Concionatores, & alii ejusmodi. Quo fiet ſæpè, ut uno reformato alii multi reformentur: idque commodius eſt, quàm ut nos ipſi id per nos præſtemus, ne videamur velle eſſe aliarum religionum reformatores, quod ſolet eſſe odioſum. *Magna utilitas Exercitiorum in religioſis.*

9 Si ſint conjugati, aut patresfamilias, dirigenda erunt Exercitia ad *Quid ſi ſint conjugati.*

eum finem, ut juxta divina præcepta familiam regant, liberos & ſervos inſtruant: præterea ut reditibus & facultatibus juſte, ac pie, & ſobrie utantur; & eleemoſynas faciant pro viribus ſuis, neque excedant in ſumptibus, aliaque ſimilia de quibus agitur in libro Exercitiorum in fine ſecundæ hebdomadæ. Hi autem effectus, quos diximus, plerumque ſolent in animâ conſequi ex meditationibus ipſis quamquàm alterius materiæ: quoniam cum vere timor vel amor Dei ingeneratus fuerit, facile etiam reliqua vita tota

Annot. 17. ex 20. reformatur. Sed tamen ſi Inſtructori videretur propriam aliquam directionem de his dare, vel extra orationem, vel in ipsâ oratione per aliquam meditationem, poſſet etiam hoc fieri. Quod idem intelligimus de aliis quoque hominum generibus, de quibus ſtatim dicemus.

Quid ſi ſint Eccleſiaſtici.

10 Si ſint Eccleſiaſtici, ita erunt inſtituendi in Exercitiis, ut cognoſcant quantam virtutem exigat ille ſtatus, eamque acquirere cupiant, & doleant ſi non hactenus habuerint. Quare ita dirigendi ſunt, ut vitia & pravos affectus exuere decernant, & contrariis ſe virtutibus ornare; quæ Eccleſiaſtico homini neceſſaria ſunt: ut ſemper meminerint, ſe divino cultui, & Eccleſiæ miniſterio dicatos & conſecratos eſſe, ideoque munus ſuum implere ſatagant: ut etiam beneficiorum proventus rectè diſpenſare, & in eos uſus, quos oportet, erogare ſtudeant; denique ut etiam zelum Dei habeant, & pro animarum ſalute juxta vires, & talentum, & officium elaborent.

Quid cum ſunt Magnates viri.

11 Si ſint Magnates, aut Magiſtratum aliquem gerant, iis quoque debebunt ſua præcepta & documenta tradi, ut juſtitiam adminiſtrent, ut avaritiam & ſuperbiam fugiant, ut pauperes ſublevent, ut ſe Dei miniſtros in illo opere eſſe ſentiant, ut ſemper Dei timorem atque honorem omnibus rebus præponant, & alia, quæ Inſtructor ſuâ prudentiâ per ſe videre poterit, & ad ea dirigere eum quem inſtruit.

Quid de valdè occupatis. *Annot. 19. ex 20.*

12 Quòd ſi ejusmodi homines propter publica negotia quæ gerunt, vel ob alias honeſtas cauſſas, non poterunt omnino vacare Exercitiis; oportebit accipere quod poſſunt, ut ſcilicet aliquas ſaltem horas quotidie meditationi tribuant. Et tunc etiam poterunt manere in domo ſuâ, ita ut Inſtructor adeat ad ipſos ſuis temporibus: quod aliquando melius eſſe poſſet, quàm ut ipſi domum noſtram veniant ad Inſtructorem, præſertim cum ſunt perſonæ illuſtriores, quia ſic facilius res celatur.

Annotat. 20.

13 Illud tamen longe utilius, ſi poſſent in aliquod prædium, aut cœnobium

nobium ſecedere, ut fecit B. P. N. IGNATIVS in monte Caſſinate. In ipſis autem Exercitiis ita procedendum erit, ut res ac tempus poſtulabit. Nam ſi minus temporis ſpatium quotidie impendant meditationi, eò magis prorogenda erit prima hebdomada, & confeſſio generalis, & reliqua. Si verò plures horas meditando inſumant, poterunt iſta omnia celeriùs expediri, ut magis vel minùs accedatur ad conſuetam formam Exercitiorum. Locus remotus pro Exercitiis.

14 His autem electiones non ſunt dandæ, niſi fortè deliberare vellent de officio vel dignitate aliquâ ſuſcipiendâ, vel deponendâ, aut etiam de vitæ ſtatu ii quibus integrum eſt. Monendi autem ſunt, ut ſaltem horis illis, quibus meditationi vacant, ab omnibus aliarum rerum cogitationibus ſe expediant, quantùm fieri poteſt. His quando electiones dandæ.

15 Si ſint rudes & illitterati, non erit multum temporis cum eis inſumendum, nec tradenda ſunt eis integra Exercitia, ſed ſervandus eſt modus, qui indicatur in Annotat. 18. ex viginti. De rudibus & illiteratis.

16 Ad hoc autem caput pertinent etiam feminæ, quarum aliquæ interdum expetunt Exercitia, atque ideò cum iis idem modus ſervari debet, qui cum rudibus, niſi eſſet aliqua tam bono judicio, & ita capax rerum ſpiritualium, tantumque otii domi haberet, ut exactè omnia, aut majorem partem facere poſſit: tunc enim nihil impediret etiam hæc fieri. Sed illud obſervari deberet, quòd prudentiæ eſt, ut ipſæ in eccleſiam noſtram veniant ad accipiendas meditationes; & ita cautè procedatur, ne ulla ſuſpicio aut ſcandalum ſequatur. Quam etiam ob cauſſam fortaſſe expediet, ut non dentur meditationes in ſcriptis, ſed voce, ne homines exiſtiment aliquas eſſe epiſtolas. Quòd ſi ſcripto utendum erit, fiat omnino diſcretè. De feminis.

De modo tradendi noſtris Exercitia.

CAPVT X.

1.

QVod ad noſtros attinet, primùm quidem iis, qui Societatem ingrediuntur, omnino debent dari Exercitia omnia integra, & juxta formam in libro præſcriptam. Cum enim hoc ſit unum ex experimentis, quod B. P. N. IGNATIVS requirit, requiritur etiam, ut fiant planè ut jacent, exceptâ tamen electione, idque ſingulas meditationes ſingulis pagellis deſcriptas quotidie afferendo: neque enim liber ipſe dari debet hac prima vice. Pro Societatem ingredientibus. *Exam. c. 4. §. 10.*

Pro jam provectis.

2 Prætereà in progreſſu temporis, cum contigerit ut ſe colligant ad facienda Exercitia, debebunt hæc ipſa aliquoties, ut bis vel ter, facere, ſi non integrè, ſaltem ea, quæ ſunt primæ hebdomadæ, & aliquot meditationes ex ſequentibus, ut de regno Chriſti, Incarnatione, Tentatione Domini, Inſtitutione ſanctiſſimi Sacramenti, Paſſione, & illa, quæ eſt de amore excitando, prout opportunum fuerit, & tempus conceſſerit.

Cauſſa noſtros exercendi in Exercitiis *Conſtit. p. 4. c. 8. §. 5.*

3 Quod propterea faciendum eſt, quia cum deinde Exercitia aliis daturi ſint, omnino oportet, ut ipſi ea prius benè nota & perſpecta ſibi fecerint. Quam etiam ob cauſſam oportet, ut præter meditationes benè intelligant ac teneant uſum quarumdam regularum, & annotationum, v. g. Annotationes viginti initio libri Exercitiorum poſitas, Examina, Additiones decem in fine primæ hebdomadæ, regulas electionum, diſcretionis ſpirituum, & alia ejusmodi. Et ideò legere debebunt librum, & benè intelligere, ac de quo dubitabunt, quærere ab eo, qui eis tradit Exercitia.

Quid poſt repetitiones.

4 Ceterum poſtquàm ea, ut dictum eſt, aliquando fecerint, & repetierint reliquo deinde tempore dum nondum ita exercitati erunt in uſu meditationum; etſi in quotidianis meditationibus poteſt quisque pro ſuâ devotione vel neceſſitate ea meditari, quæ Dominus ſuggeſſerit, ex Evangelio, Scripturis, vel aliâ (re tamen pro ſecuriore directione, ac utilitate majore cum Præfecto rerum ſpiritualium, aut cum Superiore communicatâ) tamen cum agitur de tempore aliquo certo meditationibus & ſeceſſioni tribuendo, quod nos communiter Exercitiorum vocabulo appellamus, quia fere expedit ab aliquâ purgatione inchoare, convenit ut aliqua Exercitia purgativa non prætermittant, ut de morte, & de peccatis, præſertim reflectendo ad ea, quæ in religione admiſerint.

Ne dentur alia Exercitia ſcripta.

5 Neque tamen expedit dare in ſcriptis Exercitia iſta accommodata religioſo ſtatui, ut Exercitia B. P N. Ignatii integra, ut ſunt, conſerventur, nullâ re additâ vel transformatâ; ac prætereà quia etiam ipſi majorem ſine dubio guſtum & motum ſentient ex iis, quæ ipſimet invenerint, quàm quæ ab alio ita minutè enucleata acceperint. Sed tamen Inſtructor poteſt aliquam inſtructionem aut lucem dare, & tamquàm in viâ ponere; monendo eum, qui exercetur, ut ipſe ſibi applicare conſueſcat, ut v. g. in fundamento, poſtquàm cogitaverit finem hominis, actuet hunc finem in eo ſtatu, in quo nunc eſt, ut quoniam jam non poteſt eſſe indifferens ad divitias

tias & paupertatem, applicet hanc indifferentiam ad eas materias, quæ occurrunt in Societate, & ſic de aliis.

6 Notandum eſt etiam, primam hebdomadam debere in noſtris, ſi ſemel exactè Exercitia fecerint, ordinarie ſatis brevi tempore expediri, ita ut etiam interdum minori ſpatio quàm tridui, vel etiam aliquando bidui expediri poſſit, ſi ita videatur, ut gradus fiat ad ſecundam hebdomadam, in qua, ut plurimùm, diutius immorandum eſt. Quare hoc potiſſimùm ex Inſtitutoris judicio pendere debebit, qui ſi viderit aliquem majore purgatione indigere, poterit & debebit eum diutius in eâ retinere, ante omnia conando, ut eum inducat ad deſiderandam ſui ipſius reformationem perfectam.

Exercitia 1. hebdom. cum noſtris.

Annotat. 4. ex 20.

7 Materia autem, circa quam hæc reformatio verſari debet, hæc ferè eſt, paſſiones non bene domitæ, mali habitus, perverſæ inclinationes, ut ad honorem & æſtimationem propriam, vel propriam voluntatem, ad corporis commoditates, &c. tentationes ab extrinſeco provenientes, præſertim vehementes & crebræ; deinde etiam miniſteria Societatis, ut concionari, audire confeſſiones, habere ſcholam; denique omnes actiones, quas aliquis componere & ordinare velit, ut comedere, dormire, ſtudere, agere cum externis, vel cum noſtris, & alia.

Materia reformationis quæ.

8 Quare hoc primùm curari debet in eo, qui facit Exercitia, ut quàm maximam ſui ipſius acquirat cognitionem, percurrendo tempus anteactum, & occupationes, vel officia, & in iis perpendendo tum multitudinem defectuùm ſuorum, tum etiam gravitatem ratione ſtatus & obligationis, tum denique etiam conſiderando cauſſas, & origines, & radices eorum vitiorum.

Sui cognitio in primis neceſſaria.

9 Ad quam etiam reformationem valde utile eſt, ut in fine primæ hebdomadæ fiat confeſſio generalis de toto tempore religionis, non quidem ſemper quoties Exercitia repetuntur, ſed cum aliquis peculiariter motus à Deo vellet inſtituere novam vitam, ſeque perfectius reformare. Hoc enim uſu compertum eſt magnoperè multis profuiſſe, & valdè juviſſe ad cognitionem ſui, & emendationem.

Pro ſpirituali reformatione confeſſio general. utilis.

10 Quòd ſi viderit Inſtructor, eum qui exercetur, hac ratione juvandum ad eum finem conſequendum, qui intenditur; poterit etiam aliquas meditationes ſtatui cujusque vel neceſſitati præſenti accommodatas addere, ut de beneficio vocationis, de tribus votis, de cauſſis cur vota renovantur,

Quando aliæ meditationes addendæ.

vantur,

vantur, & de ipsâ formulâ votorum noſtrorum, de divinis beneficiis, de periculo tepiditatis, & hujusmodi. Interdum etiam ex Summario Conſtitutionum, præſertim ex præcipuis regulis, quibus religioſa ferè perfectio continetur, ut 11. & 17. & ſimiles, & in univerſum eæ ſint materiæ, quæ ad timorem & amorem Dei, ad ſui ipſius odium, virtutis ſtudium, rerum viſibilium contemptum, æternarum deſiderium, atque caritatis ardorem augendum pertinent.

Modus meditandi pro parum inſtructis.

11 Ad faciliorem etiam introductionem eorum, quibus vel non eſt facultas, vel non vacat per ſe invenire, poterit via aperiri ad myſteria vitæ & paſſionis Domini, ſi nonnullæ veritates Theologicæ proponantur. v. g. cùm de Incarnatione agitur, ſi cauſſæ ejus & fructus explicentur; aut cùm de paſſione, ſi cauſſæ acerbitatis ejus: ſi etiam inſinuentur modi eam meditandi, v. g. ad compatiendum, ad imitandum, ad admirationem, & ſic de aliis.

Quid cum provectioribus.

12 Poſtremò qui ſunt jam provectiores in rebus ſpiritualibus, & meditando magis exercitati, de quibus par. 6. c. 3. §. 1. iis, ſi interdum ad ſpiritum colligendum, & fervorem hauriendum ſe recipiunt, vel ad aliquod opus aggrediendum, ut miſſionem, aut aliquid ejusmodi, cùm nec eadem ſit omnium diſpoſitio, nec una menſura, non videtur quidquam præſcribendum circa materiam: ſed poſſunt ea meditari, quæ ſibi utilia putaverint ad eum finem conſequendum, quem intendunt. Credendum eſt enim, quòd ex notitiâ, quam ex Exercitiis B. P. N. Ignatii anteà jam habebant, & ex unctione Spiritus adjuti, inoffenſo pede, imò magnâ cum utilitate per hanc viam current.

Electio noſtris minimè danda.

13 Quod attinet ad electionem ſtatus, ea non eſt noſtris danda in Exercitiis. De electione autem negotii aut actionis alicujus conſultare non eſt proprium Exercitiorum; ſed poteſt fieri etiam extra Exercitia omni tempore & occaſione: & ideò in hac etiam diligenter inſtruendi ſunt noſtri, ut ſciant benè uti regulis eligendi ad indagandam Dei voluntatem, & beneplacitum, ut cum Superiores debent ſtatuere de re aliquâ dubiâ, maximè ſi non poſſint cum ſuis conſultare, ut dicitur 16. reg. Provincialis, & denique in rebus omnibus, quas coram Deo conſtituere ac definire oporteat, ſemper admodùm juvat illa praxis, quæ in eligendo præſcribitur, de qua infrà prolixius agemus, & inde peti poterunt, quæ noſtros juvare poſſint ad intelligendam Dei voluntatem in omni ejusmodi re, juxta cujusque rei qualitatem.

De primâ hebdomadâ in univerſum.

Capvt XI.

1.

OMnia hæc Exercitia à B. P. N. Ignatio in quatuor hebdomadas diſtributa ſunt. Quæ quidem hebdomadæ non tam numero dierum, quàm materiæ genere diſtinguuntur: & ideò non neceſſe eſt, ut ſeptem, vel octo dierum circulus in ſingulis conſumatur, ſed ſufficit ut illi affectus vel fructus inveniantur, qui in unaquaque exquiruntur. *Annot. 4. ex 20.* Exercitia in 4. hebdomadas diſtributa.

2 Prima continet conſiderationem peccatorum, ut eorum fœditatem cognoſcamus, vereque deteſtemur cum dolore & ſatisfactione convenienti. Secunda proponit vitam Chriſti, ad excitandum in nobis deſiderium ac ſtudium eam imitandi: quam imitationem ut meliùs perficiamus, proponitur etiam modus eligendi vel vitæ ſtatum, qui ſit maxime ex voluntate Dei; vel ſi jam eligi non poſſit, dantur quædam monita ad eum, in quo quisque ſit, reformandum. Tertia continet Paſſionem Chriſti, quâ miſeratio, dolor, confuſio generatur, & illud imitationis deſiderium unà cum Dei amore vehementius inflammatur. Quarta demum eſt de Reſurrectione Chriſti, ejusque glorioſis apparitionibus, & de beneficiis divinis, & ſimilibus, quæ pertinent ad Dei amorem in nobis excitandum. Quid ſingulæ hebdomadæ contineant.

3 Igitur in hac primâ hebdomadâ proponuntur media, quæ ad animam purgandam per contritionem & confeſſionem pertinent, & ad veram pœnitentiam in nobis gignendam juvare poſſunt. Quare huc omnia dirigere debet, qui facit Exercitia, ut peccati malitiam, ſuamque abjectionem, & vilitatem agnoſcat, eamque ex animo intimè ſentiat. Quam ob cauſſam expediret, ut hoc tempore ſi ſacerdos ſit, ex hoc ſpiritu humilitatis abſtineat à quotidianâ celebratione (niſi devotio, aut profectus ſpiritualis, aut aliqua obligatio ad id impellat) ut poſtea generali confeſſione peractâ, majori cum præparatione, fiduciâ, ac reverentiâ ad ſacrificium altaris redeat. In 1. hebdomadâ ſunt media animæ purgandæ.

4 Notandum etiam hanc primam hebdomadam eſſe fundamentum ac baſim ceterarum, & ideò nunquàm prætermitti debere. Vnde etiam ſi quis alia Exercitia hujus hebdomadæ, aut etiam omnia integra feciſſet, & denuò ea repetere vellet, tamen hinc incipiendum eſſet, quamvis breviùs expediri poſſet. 1. Hebdomada cum ſit baſis ceterarum, nunquam omittenda.

Quid ante Exercitia faciendum.

5 Igitur poſtquàm aliquis in eum locum venerit, ubi Exercitiis vâcaturus eſt, eâ ipsâ die debet Inſtructor ad eum adire, & príusquam tradat fundamentum, debet ei explicare aliquas ex Annotationibus, nempe primam, & quintam, & ex decimaſeptimâ illam admonitionem de animo aperiendo, item ex vigeſimâ id quod dicitur de utilitate ſeceſſus in loco ſeparato. Quod etiam oportunitatem ei dabit, ut eum moneat de iis, quæ ſupra cap. 2. diximus eum eſſe monendum, cum eâ tamen dexteritate, quam ibi diximus, nempe ut non omnia ſimul, ſed quantum prudentia dictabit.

De 1. Annotatione ante fundamentum.

6 Annotatio autem illa ante fundamentum, quæ incipit, *In primis ut per hujusmodi* &c. expediet magis hoc tempore, ut non proponatur ita in genere, quando quis incipit Exercitia, ſed in diſcurſu Exercitiorum, ſi quid dubium, vel obſcurum occurrat, aut ob aliquam ejus qui exercetur diffidentiam, videatur opportunum, tunc ei explicari poterit.

De Fundamento.

CAPVT XII.

1.

De primo ingreſſu 1. hebdomadæ.

PRimus ingreſſus in hanc primam hebdomadam fit per conſiderationem ultimi finis: quæ conſideratio ideò dicitur Fundamentum, quia eſt baſis totius ædificii moralis & ſpiritualis.

Dividi poteſt in tres partes.

2 Poteſt autem dividi in tres partes, primo in finem, propter quem homo creatus eſt; ſecundo in media ad conſequendum hunc finem: tertio in difficultatem eligendi hoc vel illud medium, cùm ignoremus quid magis aptum ſit ad hujus finis conſecutionem: omnis autem error in hac parte non poſſit eſſe non damnoſus & periculoſus. Ex quo naſcetur etiam quartum, ut homo ponat ſe in illa omnimoda indifferentia & æquilibrio.

Indifferentia magni momenti.

3 Hæc autem indifferentia eſt maximi momenti: & admonendus eſt qui ſe exercet quanto altius hoc fundamentum jecerit, tanto firmius futurum ædificium: idque etiam indicavit B. P. N. Ignatius Annot. decima quinta, & decima ſexta ex viginti.

Meditatio Fundam. ne videatur aridior, juvanda.

4 In danda hac meditatione, maxime quia nonnullis cùm nondum aſſueverint orationi, videri poteſt aridior, addi poterunt aliquæ excurſiones ad meditandum, ut in eo quod dicitur creatum eſſe hominem, poteſt ſimul cogitari à Deo eſſe creatum de nihilo, & ſimul quot, & quanta in-

creatio-

creatione habuerit, & præterea quomodò ſemper ab illo in eſſe conſervetur.

5 Sed horum conſideratio non tam dirigenda eſt ad gratitudinem, ut fit cùm conſiderantur beneficia Dei, verùm ad ſcopum hujus fundamenti, nempe quòd illa omnia à Deo data ſint, ut perveniremus ad illum ultimum finem. Vnde etiam poteſt homo in hac meditatione reflectere cogitationem ad ſeipſum, quomodò hactenus habuerit ſe ad finem & ad media, quantum aberraverit, quod creaturis abuſus ſit, quæ illi adjumento eſſe debuerunt; ut jam quaſi in generali jaciat fundamenta ad cognoſcendam deformitatem vitæ ſuæ, quod poſteà uberius & magis particulariter faciet in meditatione peccatorum.

Quis ſcopus hujus meditationis.

6 In meditatione hujus fundamenti liber Exercitiorum non præſcribit certas horas, ut fit in Exercitiis ſequentibus: ſed ut facili initio inchoëmus, unusquiſque pro viribus & pro devotione ſuâ ad id tempus ſibi aſſumat: vel ſi opus ſit, Inſtructor ei præſcribat.

Tempus hujus meditationis quale.

7 Debet autem curare, ut cognitio hujus veritatis, quæ in fundamento tractatur, quàm maximè menti infigatur: quoniam ut fundamentum fabricæ totam ipſam ſuſtinet, ita hæc veritas influit in omnia Exercitia, & præſertim in ipſam electionem ſtatus, quæ tota ferè hinc pendet. Et ideò quo meliùs hæc meditatio ſucceſſerit, eò etiam meliùs reliqua ſuccedunt.

Firmiter animo hæreat hæc meditatio.

De duplici examine.
Capvt XIII.

I.

Dvm durat meditatio fundamenti, debet Inſtructor exercitantem aliquoties viſitare, & ſemper ei aliquid novi in ſcriptis afferre, quia ſic videtur quodammodò levari tædium, & meliùs etiam percipi quæ ſingula proponuntur.

Quid faciendum Inſtructori, tempore hujus meditationis.

2 Igitur in primo congreſſu poſt datum fundamentum datur examen particulare, in quo tradendo ſignificandum eſt, in quovis homine unum aut alterum vitium, ſive peccatum eſſe ſolere præcipuum, & quod in eo ſit quaſi cauſſa & radix aliorum.

Examen particulare quando dandum.

3 Et licet in aliquo plura eſſent præcipua, expedire tamen, ut unum deligatur, ad quod extirpandum toti incumbamus, ut eo ſuperato ad aliud, & aliud deinceps, peculiarem hunc conatum & ſtudium transferamus.

Vitiorum extirpatio.

Perutile examen particulare.

4 Huic igitur rei ſerviet examen particulare, cujus uſus etſi poſt peracta Exercitia eſſe debet toto vitæ tempore, nunc tamen inchoatur, tum ut aliqua ejus peritia acquiratur, tum etiam quia hoc examine uti oportet circa Exercitia, & eorum Additiones.

Hujus examinis uſus commendandus.
Caſsian. Coll. 5. cap. 14.

5 Eſt autem multum commendandus hujus examinis uſus, propter magnam ejus utilitatem, præſertim ad conſequendam animi puritatem, ut docet Caſſianus Collat. 5. & S. Bernardus ſæpe. Itaque in fine Exercitiorum cum diſcedenti dantur præcepta vitæ bene inſtituendæ, hoc in primis inculcandum eſt. Additiones autem illæ quatuor dictandæne ſint, an verbo tantum explicandæ, prudentiæ Inſtructoris relinquatur.

Quando, & quomodo dandum examen.

6 Deinde eadem die & ſequenti datur examen generale, & quotidianum. Non autem datur per modum meditationis, ſed inſtructionis cujusdam, & ut homo incipiat aperire oculos ad cognoſcenda peccata vitæ præteritæ.

Aliunde petendæ ſpecies peccatorum.

7 Quod verò attinet ad examen generale, non eſt dubium, quin aliæ etiam multæ ſint peccatorum ſpecies, quæ hîc non ponuntur; ſed vel hîc ea tantum peccata attinguntur, quæ frequentius accidunt, reliqua autem peti poſſunt ab aliis auctoribus, qui ex profeſſo de hoc agunt; vel hoc examen pro iis tantum conſcriptum eſt, qui jam paullo magis ſpirituales ſunt, & ab aliis gravioribus peccatis abſtinent, in hæc autem frequentius incidere ſolent. Itaque non fuit mens B. P. N. Ignatii tam brevi tractatione omnia peccata comprehendere, ſed tantum, ut dictum eſt, pios animos admonere de iis, quæ frequentiora ſunt.

Examen quotidianum.

8 Porrò examen quotidianum, quod quinque puncta complectitur, dictetur prout jacet. Ad illud autem faciendum juvat illa lux, quam præbet examen generale per illam diſtinctionem peccatorum, quæ fiunt, cogitatione, locutione, & opere.

De primo Exercitio primæ hebdomadæ.
Capvt XIV.

1.

Quis ordo in tradendis Exercitiis.

Circa ordinem tradendi Exercitia, ſequendus eſt is, qui ponitur in ipſo libro Exercitiorum, nempe ut primâ horâ fiat Exercitium trium potentiarum; ſecundâ autem peccatorum; tertiâ verò, & quartâ repetitiones utriusque: ſi autem addatur etiam quinta hora, fiat de inferno. Sin fiant

fiant tantum quatuor horæ, hoc Exercitium de inferno differendum erit in diem ſequentem: quo eodem die poſſunt dari etiam alia Exercitia de morte, de judicio, cum ſuis repetitionibus. Tertio die proponenda erit eadem materia, ſed cum aliquibus novis punctis, ut in materiâ peccati, proponendo effectus, quos facit in animo aut aliquid ejusmodi, ſic enim tollitur tædium, & materiæ profundiùs penetrantur.

2 Porrò primum Exercitium illud eſt, quod appellatur trium potentiarum, non quia in aliis etiam non exerceantur hæ tres potentiæ; ſed voluit B. P. N. IGNATIVS in hoc quaſi aditu & principio omnium Exercitiorum viam monſtrare, quæ in meditando tenenda eſt, nempe, ut per memoriam adjuvaretur ratio ad diſcurrendum ſive ratiocinandum; per diſcurſum autem excitaretur voluntas & affectus: idque actuare voluit in materiâ peccati, quæ prima occurrebat ad meditandum. 1. Exercitium trium potentiarum.

3 Itaque in hoc primo Exercitio ſunt ſigillatim explicanda Exercitia ſumenti omnia, quæ in ſequentibus Exercitiis futura ſunt uſui, quis ſcilicet modus ſervandus, ut cum attentione, & ſine capitis læſione perſeverari poſſit, & quomodò ſe animus colligere, collectumque tenere debeat; & quòd licet adhibendus ſit intellectus ad cogitandum, major tamen habenda eſt cura affectus, & interioris guſtus, quàm ut multi conceptus, quantumvis pulchri & acuti, formentur, & alia ejusmodi. Quid in 1. Exercitio explicandum.

4 Hìc etiam declaranda ſunt præludia, quorum uſus præſcribitur in omnibus Exercitiis: & in primis quid ſit compoſitio loci, quæ nihil aliud eſt, quàm fingere ſibi, & quaſi videre oculis imaginationis locum illum, in quo res, quam meditamur, geſta eſt; ut ſtabulum, in quo Chriſtus natus eſt, aut cœnaculum grande ſtratum, in quo Apoſtolorum pedes lavit, aut montem, in quo paſſus eſt. Præludia quænam ſint declaranda.

5 Hac enim loci compoſitione valdè juvamur ad attentionem & motionem animæ, quæ hoc modo quaſi alligatâ phantaſiâ rei illi certæ, alligatur ipſa quoque quodammodo ne evagetur; aut ſi quando divertat, habet ad manum, quo ſe facile colligat, & revocet in ſitum illum ſuum, in quo ſe ab initio compoſuit. Vnde S. Bonaventura in prooemio de Vitâ Chriſti, *Tu*, inquit, *ſi fructum ex his ſumere cupis, ita te præſentem exhibeas his, quæ per Dominum Ieſum Chriſtum dicta & facta narrantur, ac ſi tuis auribus audires & oculis ea videres, toto mentis affectu diligenter, delectabiliter & moroſè, omnibus aliis curis & ſollicitudinibus tunc omiſſis.* Ad quid juvat loci compoſitio.

In quo locum habeat.

6 Atque hoc quidem locum habet in meditatione rerum corporearum: nam in rebus incorporeis, ut eſt peccatum, & ſimilia, alia quædam eſt inſtituenda compoſitio loci, de quâ dicitur ſatis clare in libro Exercitiorum, in Exercitio trium potentiarum.

Quid in compoſitione loci vitandum.

7 Denique in hac loci repræſentatione vitandum eſt diligenter, ne nimis in eâ fabricandâ immoremur, vim capiti faciamus, quia non conſiſtit in eâ fructus præcipuus meditationis, ſed eſt tantùm via & inſtrumentum ad ipſum fructum. Nec eſt dubium, quin aliqui majorem in hac re habeant facilitatem, in quibus videlicet acrior eſt vis potentiæ imaginativæ. Alii verò, quibus hoc difficilius eſt, non ita laborare debent, ut caput obtundant, quo ipſam meditationem impedirent.

De aliis Exercitiis primæ hebdomadæ,
CAPUT XV.

I.

In 2. Exercitio de quo monendus exercitans.

IN ſecundo Exercitio, in primo puncto monendus eſt exercitans, ne deſcendat ad examinanda peccata ſigillatim, ut fieri ſolet, cùm quis ſe ad confeſſionem parat; hoc enim poſteà facturus eſt extra meditationem: ſed hoc tempore in genere tantùm proponat ſibi ſua peccata, eorumque multitudinem & magnitudinem, ut concipiat confuſionem & dolorem. Ad hoc autem confert percurrere loca, negotia, & perſonas, ut hic dicitur.

Quis uſus repetitionum Exercitiorum.

2 Tertium & quartum Exercitium conſtat ex repetitione primi & ſecundi. Harum autem repetitionum uſus eſt valdè utilis, ſæpè enim fit, ut cùm ejusmodi materiæ primùm cogitantur, intellectus paſcatur illâ rerum novitate, ac curioſitate quadam; poſteà verò cum ſpeculationem moderamur, magis aperitur via internis affectibus, in quibus potiſſimum conſiſtit fructus. Quare in his repetitionibus vitandi ſunt longi diſcurſus, ſed tantum proponere ſibi oportet, & quaſi percurrere, quæ priùs meditati ſumus, & in iis immorandum voluntate & affectu: & hæc etiam eſt cauſſa, cur plura hîc colloquia ſint, quàm in prioribus Exercitiis.

Intelligentia tertii Exercitii primæ hebdomadæ.

3 Quod autem dicitur in libro Exerc. in 3. Exercitio 1. hebdomadæ repetitionem hanc faciendam de iis, in quibus anteà majorem conſolationem aut deſolationem ſenſerimus; ita intelligendum eſt, ut præcipuè repeti debeant ea, quæ lumen aut fervorem attulerunt; ſed etiam expedit illa puncta repetere, in quibus ariditatem ſenſimus; quia ſæpè contingit, ut deinde

deinde in ipſis majorem conſolationis copiam ſentiamus. Imò etiam bis repeti poteſt idem, ſi magna ſentitur conſolatio, aut alius bonus & ſpiritualis affectus, & hoc potiſſimum in primâ hebdomadâ.

4 Præter quinque hæc Exercitia B. P. N. Ignatii poſſunt addi alia, ut in fine quinti Exercitii dicitur, ut de aliis peccati pœnis, de morte, de judicio, vel de aliis cruciatibus Inferni: & quidem hæc rariſſimè omittenda videntur, quia multum habent momenti, ut avocetur animus ab inordinato amore rerum harum viſibilium: & in his meditationibus concipit anima timorem ſanctum Domini, ut pariat ſpiritum ſalutis. Præter quinque, alia poſſunt addi.

5 In fine cujuslibet Exercitii ſemper fieri debet colloquium, ut in libro Exercitiorum præſcribitur: nec tamen prohibetur, quin juxta cujusque devotionem etiam in principio, & in medio alia colloquia, & petitiones fieri poſſint, imò etiam aliquando expedit. Proprius tamen locus eſt in fine, cùm anima ex meditatione magis elevatam ſe ſentit: illa enim ſunt aptiſſima colloquia, quæ formantur ex affectu interiori varia, ut ipſe affectus varius eſt. Quando facienda colloquia.

6 Interdum enim homo agit cum Deo, ut filius cum patre; interdum, ut ſervus cum Domino; modò, ut amicus cum amico; modò etiam, ut reus cum Iudice; aliquando etiam petens aliquod donum; aliquando gratias agens de beneficiis acceptis; aliàs accuſando ſe ipſum; aliàs communicando cum eo familiariter. Varii modi agendi cum Deo.

7 In quo notandum quod dicitur in tertiâ Annotatione ex viginti, hæc colloquia, quando fiunt cum Deo aut cum Sanctis, requirere majorem reverentiam, quam ipſas meditationes & ſpeculationes. In particulari verò colloquium ſecundum ad Chriſtum ut impetret à Patre, explicandum erit rudioribus, hoc intelligi, non ut eſt Deus, ſed ut homo mediator & advocatus, ut interpellet pro nobis. Intelligentia tertiæ Annotationis ex 20.

8 Additiones, quæ in libro Exercitiorum ponuntur in fine primæ hebdomadæ dandæ ſunt pridie quàm incipiantur Exercitia (nempe meditatio, quæ dicitur trium potentiarum, & reliquæ) quia in iis agitur de multis, quæ adjuvant meditationem. Decima tamen additio poſſet differri in ſequentem diem, quia non eſt adeò neceſſarium ut detur illo die. Deinde ſequentibus diebus dandæ ſunt reliquæ Additiones, & Regulæ de diſcernendis ſpiritibus, quæ conveniunt primæ hebdomadæ, & quæ convenire Additiones 1. hebdomadæ quando dandæ.

venire videbuntur exercitanti: quas tamen non erit ſemper neceſſe ſcripto dare, ſed id Inſtructoris judicio permittitur.

Additiones exactè ſervandæ,

9 Hæ Additiones curandum eſt ut exactè ſerventur, quia ex ipſis valdè pendet fructus ſpiritualis Exercitiorum: quamquàm ex alterâ parte caveri etiam debet omnis exceſſus, & habenda eſt ratio perſonarum & complexionum, ut ſi qui eſſent naturâ melancholici, non debent nimiùm coarctari, imò potiùs dilatandus eſt eis animus; & idem de perſonis imbecillioris valetudinis, & inſuetis ad hos labores: & ideò opus eſt prudentiâ & diſcretione. Experientia enim oſtendit, quibusdam profuiſſe, quod eis concederetur aliqua laxitas in his regulis ſervandis; aliis autem profuit ſeveritas & rigor, ſemper tamen mixtus ſuavitate.

De confeſſione generali.

CAPVT XVI.

1.

Quando ad generalem confeſſionem excitandus.

SIve qui ſe exercet, verſetur in primis quinque Exercitiis, ſive alia adjungantur, cùm jam id ſatis conſecutus videbitur, quod in hac hebdomadâ, ut finis proponitur, nimirum cognitionem intimam peccatorum, & veram contritionem; & ad id ſeriò conatus, & divinæ gratiæ cooperatus, tam per Exercitia, quàm per Additiones judicabitur; moneri debet, ut ſe ad generalem confeſſionem diſponat. Et niſi Inſtructori nimium fatigatus videatur, poterit adhuc pergere in meditando per unam, aut alteram horam aliquid, quod ad compunctionem peccatorum faciat, vel ſi id magis expedire judicetur, aliquid legendo ad eum finem.

Indicandæ utilitates confeſſionis generalis.

2 Vt autem hoc diligentiùs & accuratiùs faciat, indicandum eſt ei quantæ ſint utilitates hujus confeſſionis generalis, de quibus utilitatibus agitur in ipſo libro Exercitiorum poſt examen generale. Quòd ſi nulla alia eſſet, hoc certè ſatis eſſe deberet, quòd experimur homines plerumque, aut ſine examine ſufficienti, aut ſine debito dolore, nullo vel valdè infirmo melioris vitæ propoſito ad confeſſionem accedere, ac propterea ad conſequendam pacem conſcientiæ, & ad tollendos ſcrupulos, qui ſi non anteà, ſaltem in puncto mortis animam excruciare, & in periculum ſalutis æternæ adducere ſolent, multùm prodeſt, ſemel ſe ab omnibus anteactæ vitæ peccatis abluere.

3 Quam etiam ob cauſſam, etſi cavendum eſt à nimiâ anxietate in faciendâ hac confeſſione, ne ſemper deinde maneant ſcrupuli ac reliquiæ ut quibusdam contingit; tamen ex alterâ parte ſtudendum & conandum eſt; ut ita diligenter atque accuratè fiat, ut poſteà ſecura eſſe poſſit anima, ſe feciſſe quod in ſe erat: nam ſine hoc nunquàm frui poterit illâ pace animi, & tranquillitate conſcientiæ, quam diximus. Ideò præter proprium ſtudium & diligentiam ipſius qui Exercitia ſuſcipit, juvandus eſt etiam aliquâ viâ & methodo, nempe Directorio aliquo ad benè confitendum, cujusmodi jam multa extant bona & apta, ſi opus fuerit, & pro cujusque indigentiâ. *Quæ diligentia ſervanda in hujusmodi confeſſione.*

4 Aliquando etiam, præſertim inſignioribus hominibus, proderit dare legendam Summam Navarri, ubi agit de ſtatibus, ut attente conſiderent, quæ ad ſuum ſtatum pertinent. Sic enim meliùs videbunt in quibus defecerint, quæ ſi noſtri per ſe proponerent, fortaſſe non tantam iis fidem haberent, & poſſent putare eos eſſe nimios in urgendis conſcientiis. *Quibus Navarri Summa legenda.*

5 Hanc generalem confeſſionem, ut plurimum, magis expedit non fieri ei, qui tradit Exercitia: ſi tamen qui ſuſcipit, ei confiteri mallet pro ſuâ devotione, vel Sacerdotum penuria, aut aliæ cauſſæ ita exigerent, nihil impediret quin etiam ipſi fieri poſſet. *Cui facienda confeſſio generalis.*

De fine primæ hebdomadæ.
CAPUT XVII.

1.

QVoniam, ut ſupra dictum eſt, Exercitiorum hebdomadæ non dierum ſpatio definiuntur, ſed ex effectu, qui in eis prætenditur; ideò hujus primæ hebdomadæ tempus vel contrahi, vel prorogari poterit, prout citiùs vel tardiùs quisque contritionem, devotionem, vel meditandi modum asſecutus fuerit. Alii enim celeriùs, alii ſeriùs eò perveniunt. Illud tamen notandum, eos homines, qui multùm proficiunt in viâ ſpiritus, & qui jam ab aliquo tempore Sacramenta frequentant, aut qui multùm cupiunt ſtatuere de modo vitæ ſuæ, in quo magis Deo Domino ſervire poſſint, non eſſe diu detinendos in hac primâ hebdomadâ. Imò ſi fieri poſſit, quatuor aut quinque diebus abſolvere eam debent. Contrà verò faciendum in iis, qui non ita diſpoſiti ſunt. Hi enim ut peccata ſua defleant, & ut peccati turpitudinem ac fœditatem agnoſcant, debent diutius in his exerceri, mutando *Primæ hebdomadæ tempus quando contrahendum, aut prorogandum. Annotat. 4. ex 10.*

tando ſubinde rationem victus ſomnique, & alia genera pœnitentiæ, ut habetur in Exercitiis Notabili tertio poſt Additiones primæ hebdomadæ.

1 Qui abſolutis Exercitiis primæ hebdomadæ ad reliqua progreſſurus eſt, poſtquam generaliter confeſſus fuerit, & communionem ſumpſerit, ſaltem per unum diem vacare debet ab illo labore tam intenſo meditandi. Interim tamen poſſet in mente verſare parabolam illam filii prodigi, applicando eam ad ſe pſum, aut aliquid ejusmodi. Porro ad communionem eſt ita etiam diſponendus, ut ad eam accedat cum reverentiâ, & fide & guſtu, & ob eam cauſſam danda eſt ei aliqua meditatio ad hoc apta.

De ſecundâ hebdomadâ; & primò de fine, qui in eâ prætenditur.

CAPUT XVIII.

1.

Scopus Exercitiorum 1. hebdomadæ. Finis & ſcopus, qui Exercitiis omnibus primæ hebdomadæ præfixus eſt, hic præcipuè eſt, cognoſcere quòd erravimus ab eâ viâ, quæ nos ducere debebat ad ultimum illum finem, cujus cauſſa creati ſumus; & conſequenter dolere de tali & tanto errore, & concipere intenſum deſiderium redeundi in illam viam, & in eâ ſemper perſeverandi.

Finis ſecundæ. 2 In hac autem ſecundâ hebdomadâ finis eſt, proponere ſibi Chriſtum Dominum ac Salvatorem noſtrum, ut veram viam, juxta illud, quod ipſe dixit: *Ego ſum via, veritas, & vita*, &, *Nemo venit ad Patrem niſi per me.* (Ioan. 14. 6.)

Ipſe enim eſt exemplar à Patre hominibus propoſitum, cujus imitatione emendemus & componamus mores noſtros corruptos, & dirigamus pedes noſtros in viam pacis. Quare cum Chriſti vita ſit perfectiſſima, & ipſa idea virtutis & ſanctitatis; ſequitur, ut quò vita noſtra propiùs ad eam imitatione acceſſerit, ipſa quoque perfectior ſit, imò & propiùs accedat ad ultimum finem ſuum, ideoque eò etiam felicior ſit.

2. Hebdomada reſpondet viæ illuminativæ. 3 Propter hanc cauſſam hæc ſecunda hebdomada reſpondet viæ illuminativæ, quia Chriſtus eſt ſol juſtitiæ, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; & ad hoc venit, ut illuminaret ſedentes in tenebris, & umbrâ mortis. Et quoniam peccata, & pravæ affectiones obtenebrant animam, eamque impediunt, & retrahunt à Chriſti imitatione, ideò

ideò hæc prius eradicanda ex corde erant primis illis Exercitiis & meditationibus.

4 Diſpoſitio quam B. P. N. Ignatius requirebat in iis, qui facturi eſſent Exercitia hujus hebdomadæ, eſt, ut oſtendant fervorem, ac deſiderium progrediendi ulteriùs ad deliberandum de ſtatu vitæ. Quare qui hoc nollet, vel tepidè vellet, etiamſi cuperet progredi in meditationibus, melius eſſet eum differre ad unum aut alterum menſem. Hoc enim negotium ejusmodi eſt, ut niſi cum fervore ſpiritus ſuſcipiatur, non poſſit habere bonum ſucceſſum: requirit enim magnum, & fortem, & conſtantem animum, qui ex augmento devotionis proveniat. Quænam diſpoſitio in facientibus Exercitia requirebatur à S. P. N.

5 Verum eſt, quòd ſi quis eſſet, à quo nihil magnum ſperari poſſet, quia non eſſet admodùm capax, vel impeditus eſſet ſtatu matrimonii, poſſet pro ejus captu, aliquid addi de ſequentibus hebdomadis, ut dirigatur in ſtatu, in quo eſt, ad benè vivendum in eo. Quando quis non eſt a imodum capax.

6 Ceteros autem melius eſt relinquere cum fame, ut ſciant adhuc ſibi reſtare aliquid, quod faciant. Contingit enim ſæpè, ut hac dilatione experientia ipſa apertius eis detegat ſuas neceſſitates & infirmitates; quod facit, ut deinde ardentiores & magis diſpoſiti redeant. Cum fame relinquendi.

De primis quatuor Exercitiis ſecundæ hebdomadæ.
Caput XIX.

1.

PRimum Exercitium in hac ſecundâ hebdomadâ eſt de Regno Chriſti, quod tamen non computatur inter meditationes, quia prima eſt de Incarnatione Domini. Eſt igitur quaſi fundamentum quoddam, aut procemium totius hujus tractatus; & ſumma ac compendium vitæ & operum Chriſti Domini, in eo negotio, quod ei commiſerat Pater, de quo Eſaias: *Opus ejus coram illo.* & ipſe Dominus: *Opus quod dediſti mihi, ut faciam.* Et addit quidnam id eſſet: *Clarificavi te ſuper terram: Manifeſtavi nomen tuum hominibus.* Vocat autem omnes homines in ſocietatem tanti & tam glorioſi operis unumquemque juxta ſuum gradum. Ex quo jam incipit apparere diverſitas graduum in imitatione Chriſti. 1. Exercitium 2. Hebdomadæ quid ſit. Eſai. 62. 11. Ioan. 17. 4. & 6.

2 Diſpoſitio autem, quæ requiritur in animâ ejus, qui facit Exercitia, hæc eſt, ut quantum eſt ex ſuâ parte, tendat in id, quod perfectius eſt, ſi Dominus dederit gratiam & vires. Vnde apertè colligitur ex hoc jam loco, Quæ diſpoſitio neceſſaria.

animam incipere præparari & diſponi ad electionem ſtatus, quæ poſteà ſuo loco expreſſiùs proponetur. Sic enim mirabili quodam artificio Spiritus ſancti hîc anima excitatur ad perfectionem, ut deinde hanc eandem perfectionem eliciat & indaget in omnibus ſequentibus meditationibus, Incarnationis, Nativitatis, & aliarum; & ita perfectionis ſemina, quæ hîc ſparguntur, per illas deinde meditationes latenter creſcant & promoveantur, donec in tempore electionis ſuum fructum ferant. Atque hoc benè notandum eſt Inſtructori pro ſuâ directione, non quòd de hoc monere debeat Exercitantem, ſed potiùs ſinat res ipſas per ſe in ejus animâ operari, vimque ſuam exercere.

Cui danda hæc meditatio.

3 Neque hoc tamen impedit, quin hæc meditatio, ſicut etiam quæ deinde ſequitur de duobus vexillis, tradi poſſit etiam iis, qui non ſunt facturi electionem, quoniam etiam hi eâ juvari poſſunt: ſiquidem in genere tantum agunt de iis, quæ ad majorem Dei gloriam ab unoquoque fieri poſſunt in Dei obſequio pro cujusque capacitate.

Quare in 2. hebdomada addatur unum præludium.

4 In hac ſecundâ hebdomadâ notandum eſt, addi hîc unum præludium. Nam cum in primâ hebdomadâ primum præludium ſit conſtitutio loci, hic ante conſtitutionem loci ponitur quædam repræſentatio hiſtoriæ, ſeu myſterii, quod meditandum occurrit. Hoc autem non ita intelligendum eſt, ut tunc immorari debeamus in meditando illo myſterio, ſic enim nihil differret præludium à meditatione; ſed ita eſt accipiendum, ut in primo illo præludio proponatur hiſtoria generatim, & quaſi tota in communi, ut ſciatur materia, de quâ tunc cogitandum eſt, & anima incipiat in eâ actuari, & ad eam elevari: deinde verò in ipsâ meditatione incipiat in ſingulis ejus partibus immorari, easque ponderare & penetrare. Vt cum quis conjicit oculos in tabulam aliquam pictam, in quâ ſit varietas rerum pictarum, priùs unico intuitu omnia confusè cernit, & ſcit quid in eâ tabulâ contineatur; poſteà verò figit oculos in ſingulis particularibus rebus, quæ ibi pictæ ſunt, easque ſigillatim meliùs & accuratiùs perpendit.

Vnde ſumenda puncta harum meditationum.

5 Quod autem attinet ad puncta harum meditationum, ſumenda erunt in fine libelli Exercitiorum, ubi myſteria vitæ Chriſti ordine poſita ſunt, diſtincta ferè ſingula tribus punctis: etſi ſimplicioribus, qui ea non legerint, aut legere non poſſint in Evangeliis, explicatiùs tradi oportebit, additâ brevi declaratione, ut dicitur 2. Annotatione ex 20. Vnde quod in meditatione Incarnationis & Nativitatis etiam dicitur de contemplandis perſo-

perſonis, & earum verbis & operibus, intelligi debet, referendo ad illam, quam diximus diſtributionem, quæ in fine libri ponitur, nempe cogitando hæc in ſingulis punctis, ut occurrunt ordine ſuo; non autem quòd neceſſarium ſit omnes prius perſonas totius myſterii, deinde omnia verba ejuſdem, ac demum opera ſeparatim meditari; hoc enim, præſertim in quibuſdam meditationibus, pareret confuſionem.

6 Quare hoc tantùm voluit B. P. IGNATIVS, regulam dare in ſingulis punctis, quò meditantis intentio ferri debeat, primùm quidem in ipſas perſonas, quæ in illo puncto occurrant, tùm ad verba, ſi priùs verba, vel ad facta, ſi priùs occurrant facta. Et ita abſoluto uno puncto tranſeatur ad illud, eumdem ordinem in eo ſervando. Cur meditatio in punctis.

7 Ceterum etſi hîc tantum mentio fit de his tribus, non tamen prohibetur, quin poſſint etiam addi alia puncta, ut v. g. cogitationes, & affectus perſonarum interiores, tum etiam virtutes, & præterea modus & finis myſteriorum, quæ occurrunt, cauſſa item, & effectus, tempus, & reliquæ circumſtantiæ, ut fœcundior ſit meditatio, & major ejus fructus. Alia præterea addi poſſunt puncta.

De quinto Exercitio ſecundæ hebdomadæ, quod eſt, applicatio ſenſuum.

CAPVT XX.

1.

EXercitium quintum, quod eſt applicatio ſenſuum, eſt facile valdè, & utile, imaginando nos videre perſonas, & audire verba, aut ſtrepitum ſi qui ſit, vel tangere, aut oſculari ſive loca, ſive perſonas, quod tamen fieri debet cum omni reverentiâ, & modeſtiâ, ac timore. Olfactum B. P. N. IGNATIVS refert ad odorandam fragrantiam animæ ex donis Dei, & guſtum ad guſtandum ejus dulcedinem, quod utrumque ſignificat præſentiam quamdam rei, vel perſonarum, quas meditamur, cum guſtu & amore earum tenero. De 5. Exercitio, videlicet de applicatione ſenſuum.

2 Quod autem hîc dicitur, factâ meditatione Incarnationis, & Nativitatis, faciendam deinde ſeparatim hanc applicationem ſenſuum, intelligendum eſt idem deinceps fieri debere in reliquis meditationibus vitæ Chriſti. Quod non ita accipiendum eſt, quaſi hanc applicationem debeamus habere ſejunctam ab omni materiâ meditationis, ſed ut præcipuus ſcopus circa myſterii conſiderationem ſit ſenſuum applicatio. Intelligentia illius Notandi poſt meditat. de Incarn. & Nativ. faciendam eſſe applicationem ſenſuum.

In quo differt applicatio ſenſuum à meditatione.

3 Differt autem applicatio iſta ſenſuum à meditatione, quoniam meditatio eſt magis intellectualis, & magis verſatur in ratiocinatione, & omnino eſt altior: diſcurrit enim per cauſſas illorum myſteriorum, & effecta, & in eis inveſtigat attributa Dei, ut bonitatem, ſapientiam, caritatem, & reliqua. At verò applicatio non diſcurrit, ſed tantum inhæret in illis ſenſibilibus, ut in aſpectu, & auditu, & reliquis ejusmodi, quibus fruitur & delectatur cum profectu ſpirituali.

Ejus duplex utilitas.

4 Eſt autem ejus duplex utilitas, interdum enim cùm anima non poteſt profundiora ſpeculari, dum in his immoratur, paullatim diſponitur & elevatur ad illa altiora. Interdum autem contrà, anima jam impinguata, fervens devotione ex cognitione illorum myſteriorum altiorum, deſcendens deinde ad hæc ſenſibilia, in omnibus invenit paſtum, & conſolationem, & fructum ex abundantiâ amoris, qui facit, ut minima quæque, ac vel ipſi nutus, magnificant, & materiam amoris & conſolationis præbeant.

Vnde ſumenda Chriſti myſteria.

5 In myſteriis Chriſti tradendis debet Inſtructor ea deſumere ex ipſo libro Exercitiorum in fine, ubi, ut dictum eſt, deſcripta ſunt cum ſuis punctis. Quare qui magis verſati ſunt in meditando, iis ſatis erit dictare, vel dare in ſcriptis puncta, ut ibi habentur, admonendo, ut ſemper eamdem formam teneant, quam primâ die. Cum aliis autem minùs verſatis oportebit ad particularia magis deſcendere, accommodando præludia ad materiam, & introducendo eos, ut ſciant ſibi proponere perſonas cum ſuis circumſtantiis, tum earum verba, & facta, &c.

De meditationum horis, lectione ſpirituali, & eo qui exercetur viſitando.

CAPUT XXI.

I.

Ex Notabili in die 2.2. hebdomada.

Exercitanti quando danda relaxatio.

SI, qui ſe exercet, fatigatus videatur, imo etiamſi non adeò fatigatus ſit, tamen ut meliùs durare poſſit, expedit, ut detur illi aliqua relaxatio in horis meditandi, & tunc omitti poterit meditatio, quæ fit mediâ nocte, & retineri aliæ quatuor horæ.

De lectione in 2. hebdomadâ.

2 Poteſt etiam in hac hebdomadâ, & ſequentibus, poſt abſolutas meditationes reliquo tempore legi aliquis liber, ſed ejusmodi, qui pietatem potiùs nutriat, quàm intellectum novitatibus exerceat, ut ſunt aliqua ex operibus S. Bernardi, vel Gerſon de Imitatione Chriſti, vel Granata. Si

verò

verò liber hic contineret aliquem tractatum de Chriſti myſteriis, non expediret, ut ea legerentur, de quibus poſteà faciendæ ſunt meditationes, ſed de quibus jam factæ ſunt, vel quæ eo die ſunt faciendæ. *Ex Notab. 1. 2. hebdom. poſt meditat. 1. diei.*

3 Quod attinet ad viſitandum eum, qui exercetur, ſemel ſaltem eſſet viſitandus in die, excepto tempore electionis, quo tempore ſolent incidere frequentiores deſolationes & perplexitates, quæ crebriorem viſitationem requirunt. *Quando viſitandus.*

De electione, quanti momenti ſit, & quis ordo in hac materiâ ſervandus.

CAPUT XXII.

1.

IN omnibus Exercitiis nullus eſt difficilior locus, aut qui majorem dexteritatem & diſcretionem ſpiritualem requirat, quàm electionis: quoniam hoc tempus expoſitum eſt diverſis motibus animi, & ſæpè etiam erroribus, cùm homo non ſolum à malo vincatur, ſed plerumque etiam boni & recti imagine fallatur. *Electionis difficultas.*

2 In hac ergo materiâ illud ante omnia intelligendum videtur, & ante oculos tenendum, quanti referat eligere ſtatum vitæ. Nam ſi homo, ut rationalis, debet omnino ſuis actionibus ponere finem congruentem rationi, Chriſtianus autem debet omnia opera ſua dirigere ad finem ſupernaturalem; ſi hæc ergo in ſingulis actibus fieri debent, quantò magis in capiendo ſtatu, ex quo ſcilicet conſequuntur ferè omnia opera vitæ noſtræ, ita ut, ſi finis ipſius ſtatus ſit vitioſus, ea etiam quæ ad finem conſequuntur oporteat eſſe vitioſa. *Attendenda electionis neceſſitas, & gravitas.*

3 Deinde ut in corpore animantis plura ſunt membra, neque omnia membra ſunt oculus, aut omnia pedes, ut ait S. Paulus, ita in hoc corpore Eccleſiæ oportet eſſe varios gradus & ſtatus. Hujus autem diviſionis & partitionis auctor eſt Spiritus ſanctus, ad quem pertinet ſingulis ſuum locum tribuere. Unde Apoſtolus eodem loco: *Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus: & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diviſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Ex quo conſtat, ut famuli à ſuo domino ſuo quisque operi ac muneri deſtinantur; ſic homines à Deo: ac proinde non debere hominem impedire *Indifferentia ad electionem.* *1. Corinth. 12.* *Ibid. v. 4. 5. 6.*

pedire

pedire in ſe ipſo id quod Deus in eo & de eo agere vult; ſed oportere, ut ei fideliter ſerviat in quacumque re ejus majeſtas voluerit.

Vtilitas talis electionis.

4 Accedit etiam propria utilitas, eaque magna, quoniam pertinet ad ſalutem æternam. Nam etſi Deus nemini negat auxilium neceſſarium ad ſalutem, tamen non eſt dubium, quin iis multò abundantius gratiam ſuam, & lumen, atque opem communicet, qui non ſe in aliquem vitæ ſtatum ex libito ſuo intruſerunt, ſed eum elegerunt, quem præmiſsâ diligenti conſideratione putarunt eſſe juxta Divinum beneplacitum.

Dei, non autem noſtra, ſequenda voluntas.

5 Denique ſi nos in tantâ re noſtro judicio ac placito gubernare velimus, facilè in maximos & maximè pernicioſos errores incidemus: ſi verò Dei voluntatem executi fuerimus, ille ut pater & creator noſter, nihil de nobis ſtatuet, quod nobis utile & ſalutare non ſit, imò verò etiam aptum & accommodatum nobis, quoniam ipſe noſcit figmentum noſtrum.

Hæc omnia ſuggerenda.

6 Hæc igitur & alia in hanc ſententiam non ſolum Inſtructori utilia erunt, ut in hoc negotio magnum ſtudium adhibeat; ſed multo magis ei, qui facit Exercitia, ut videat quo animo aggredi debeat rem adeò neceſſariam.

Partitio ſequentium capitum.

7 Igitur, ut in hoc tractando aliquis ordo ſervetur, primo dicemus quales eſſe debeant, qui ad electionem admittuntur; ſecundò quales ii, qui eos dirigunt; tertio quæ ſint res, de quibus eſt electio; quartò quæ in eâ regulæ ſervandæ; quintò, quis ſit ordo, & praxis electionis faciendæ.

Quales eſſe debeant, qui ad electionem admittuntur.

CAPVT XXIII.

1.

Quinam ad electionem admittendi.

CIrca primum, apertum eſt non omnes eſſe admittendos ad electionem ſtatus. Qui enim jam tenent ſtatum determinatum, ut conjugati, aut religioſi, non debent de hoc agere, ſed tantum juvari debent, ut in ſuo quisque ſtatu ad perfectionem tendat pro menſurâ gratiæ, quam ei Dominus Deus concedat. Qui autem adhuc ſtatum non habent, non tamen omnibus indifferenter dari debet electio, ut habetur in ſeptimâ parte Conſtit. cap. 4. lit. F. ubi dicitur, quòd non niſi paucis, iisque hujusmodi, ut ex eorum profectu non vulgaris ad Dei gloriam fructus ſperetur. Igitur qui vel incapaces eſſent hujus perfectionis (cujusmodi ſunt leves naturâ & inconſtantes, quos in primis explorare oportebit, nec ullo modo admittere

tere ad electionem; aut quos conſtet habere paſſiones quaſdam indomitas, aut malos habitus, qui videantur incorrigibiles) non eſſent admittendi, niſi tam certa ſigna eſſent peculiaris cujusdam gratiæ, ut hæc omnia ſuppleret.

2 Secundò, præter naturam & mores aptos, requiritur etiam, ut ille, cui datur electio, eam ipſe deſideret & petat. Et hoc omnino neceſſarium eſt; & nullo modo alioquin dari debet, multò autem minùs ingeri & obtrudi non cupienti. Nam præterquàm quòd, qui ſic affectus eſt, omnia, quæ ei dicentur, cum ſuſpicione accipiet, & ideò iis juvari non poterit; eſt etiam ea cauſſa, quòd in electione faciendâ multæ & magnæ incidunt difficultates, etiam cùm voluntas bona & fervens eſt: quare multò erunt majores, cùm voluntas languet, & ideò numquàm eas ſuperare poterit. Neceſſarium eſt deſiderium & petitio.

3 Tertio valde expedit, ut qui ingreditur electionem, ſtudeat eſſe liber ab omni affectu inordinato, & planè ad omnia indifferens: ad hoc vero unum inclinatus, ut ſanctum Dei beneplacitum ſequatur, quodcumque illud eſſe cognoverit. Quare ſi cerneretur eum nimis propendere ad divitias, minùs autem ad paupertatem, non eſſet benè diſpoſitus, nec ſperandus eſſet bonus exitus in electione. Ille enim affectus averſus à viâ perfectiori, & ad imperfectiorem converſus intellectum traheret ad excogitandas rationes tali affectui conſentaneas. Ac cùm, ut dici ſolet, quidquid recipitur, recipiatur ad modum recipientis, facilè fieret, ut exiſtimaret illam eſſe Dei voluntatem, quæ eſt ipſius voluntas. Oportet igitur ut perveniat ad tertium gradum humilitatis, qui ponitur in libro Exercitiorum, aut ſaltem ad ſecundum, cui comparando ſerviunt meditationes de Vexillis, & de Tribus claſſibus, & aliæ, de quibus infrà dicetur: & ideò eſſet in iis meditationibus diutius retinendus, ut paullatim diſponatur ad hoc æquilibrium animi, partim conando propriâ diligentiâ, partim id à Deo petendo ferventibus orationibus. Quòd ſi ad hanc reſignationem, & indifferentiam non pervenerit, tota tractatio de modo eligendi relinquenda eſt. Et tunc, ſi ita expedire videbitur, procedendum in reliquis Exercitiis faciendis, ut, ſi fieri poteſt, per ea ad majorem maturitatem perducatur, vel poſt breve tempus finis eis imponendus. Electurus ſit ab omni affectu liber.

4 Quartò omnium optima eſt illa diſpoſitio, ut non modo non magis propendeat ad terrena retinenda, ſed quoad fieri poteſt, voluntatem ſuam ſemper inflectere conetur ad id, quod perfectius eſt. Nam licet re Quænam optima diſpoſitio ad electionem.

ipſâ non id electurus ſit, quia fortaſſe Deus eum non vocat ad talem ſtatum, tamen nihil ei nocebit, imo plurimum proderit tale deſiderium; ac proinde in his Exercitiis ſemper proponitur via perfectior, tamquam magis optanda, & à Deo petenda. In quo valdè notanda eſt ſententia quædam B. P. N. IGNATII, quæ inventa eſt in quodam ejus ſcripto, ubi ita ait, debere Inſtructorem ita diſponere eum, qui eſt in exercitiis, ut omnino reſignatus ſit, tam ad conſilia ſequenda, quàm ad præcepta, imo vero, quantum in ipſo eſt, magis inclinatus ſit ad conſilia, ſi id majus Dei obſequium fuerit: & addit, Majora utique ſigna requiri ad ſtatuendum, quòd ea ſit Dei voluntas, ut quis in eo ſtatu maneat, in quo ſatis ſit ſervare præcepta; quàm ut viam conſiliorum ingrediatur, quia Dominus tam apertè ad conſilia exhortatus eſt, at verò in illo ſtatu magna oſtendit eſſe pericula.

Vltima diſpoſitio eſt, S. P. N. IGNATII.

5 Vltima eſt ea diſpoſitio, quam idem B. P. IGNATIVS eodem loco præcipit, nempe ut qui facit electionem colligat ſe totum intra ſe, & toto tempore quo durat hæc deliberatio, claudat ſenſus, claudat animum omnibus aliis rebus, nihilque velit videre, aut audire, quod non de ſurſum ſit. Quibus verbis duo indicantur; primum, ut anima non ſinat ſe diſtrahi ad alias cogitationes, ſed hoc unum agat, & huic uni intenta ſit, ceteris omnibus negotiis à ſe rejectis. Alterum eſt, ut in hac deliberatione non admittat rationes, quæ non ſint è cælo, id eſt, nullas admittat, quæ ſapiant carnem & ſanguinem, aut aliquid humanum ac terrenum, quia omnia manare debent ex uno illo principio, quod eſt deſiderium gloriæ Dei, & exequendi ejus voluntatem. Hic enim eſt verus ille ſumptus ad ædificandam turrim, de quâ eſt in Evangelio, & hoc magnam animæ fiduciam affert, quod Deus non ſinet eam decipi, quia cùm eum in toto corde & in veritate quærat, nunquàm ſe Deus ab eâ avertet, cujus ſcilicet tanta eſt bonitas, & amor in ſuam creaturam, ut etiam occurrat ſæpè non quærentibus. Quod licet ita ſit, & ea ſit perfecta electio, ad quam ſolius Dei amor impellit; tamen ſi præcipuus quidem eſſet amor Dei, ſed præter illum aliquid etiam accederet, quod eodem inclinaret, modo non repugnans Dei legi ac voluntati, & ex ſuâ naturâ bonum, utputa conſolatio propria, & quies ſpiritualis, ratio valetudinis, aut aliquid ejuſmodi, non propterea improbanda eſſet electio. Hæc tamen oporteret ſemper minus eſſe præcipua, & minus præcipuè movere, & hæc ipſa ad Dei amorem referri.

Annot. 16. ex 20.

Luc. 14. 28.

Qualis

Qualis eſſe debeat qui dirigit electurum.

Capvt XXIV.

1.

Circa ſecundum officium ejus, qui tradit Exercitia, in hoc particulari negotio eſt, cooperari motioni divinæ, eamque non præire, ſed ſequi; & ad hoc diſponere animam ejus, qui facit Exercitia, removendo impedimenta, nempe errores, dolos, affectiones, atque inclinationes inordinatas. Non debet eum movere vel ad unam, vel ad aliam partem, ut dicitur in 15. Annotat. ex prioribus. Etſi enim ex naturâ ſua licitum eſt, ac meritorium etiam, hortari ad perfectiora; tamen ut ejusmodi deliberationes ſolidiùs fiant, & ſine ullâ humanâ perſuaſione, multò melius eſt permittere, ut ſolus Deus cum ſuâ creaturâ tractet, nec aliquis tertius intercedat: & hoc maximè in Exercitiis, ubi ſe anima ad hoc ipſum diſponit. Ratio hujus eſt, quia electio tantæ rei, ut eſt ſtatus vitæ, non debet niti perſuaſione aut inductione humanâ, ſed ſolâ Dei voluntate, alioqui metuendum eſſet illud, quod Dominus dixit: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cæleſtis, eradicabitur.* Et cùm in ejusmodi viâ per ſe arduâ, & deinde dæmonum invidiæ expoſitâ, ſine dubio ſecuturæ ſint multæ tentationes ac difficultates; non poteſt ullum auxilium ac ſublevatio expectari ab homine, qui nos induxit, niſi levemus oculos noſtros in cælum, & dicere poſſimus: Dominus ſolus dux meus fuit, quoniam juxta Apoſtolum ſperandum eſt, Eum qui dedit velle, daturum etiam perficere, & confirmaturum usque in finem.

Officium tradentis Exercitia.

Matth. 15. 13.

Phil. 2. 13.

2 Ex quo colligitur, eum qui dirigit in hac electione, debere ipſum quoque ſuo modo indifferentem eſſe, ut fideliter peragat opus, quod ei commiſſum & creditum eſt; idque tantum reſpiciat & cupiat, ut Dei voluntas & beneplacitum compleatur, nihil apponens de ſuo ſpiritu proprio: hoc enim eſt immittere falcem in meſſem Dei. Et præterea poſſet aliquando præbere materiam tentationum exercitanti, quia maneret ſemper aperta dæmoni hæc porta ſuggerendi, quod hominis inſtinctu ad religionem inductus eſſet. Perſuadeat autem ſibi, illud tutum fore, ac ſine periculo, quod indagaverit juxta regulas ſanæ electionis. Tantùm diligens ſit in ſublevando ac dirigendo, quem Dominus ejus curæ ac fidei commiſit.

Annot. 15. ex 20. Indifferentia etiam dantis Exercitia.

Ejuſdem vigilantia.

3 Vigilet in detegendis fraudibus, & paralogiſmis dæmonis, quoniam ex falſis principiis, qualia ille ſuggeret, ſequetur non niſi falſa concluſio.

Vt debet ingredi in electionem

4 Animadvertat etiam, contingere ſæpè, ut quis ingrediatur in electionem cum optimâ diſpoſitione, & tamen in ipſo articulo eligendi inſurgat in ipſo aliquis ſiniſter affectus, qui omnia perturbet, & ſuffocet bonum ſemen: & ideo cautus ſit & induſtrius ad hæc omnia tum providenda, tum præcavenda.

Quæ ſint res, de quibus eſt electio.

CAPVT XXV.

I.

Electio ſit bona.
Ex introductione ad eligendarum rerum notitiam.

CIrca tertium, illud certum eſt, rem omnem, quæ ſub electionem cadat, oportere eſſe bonam, ſive ſit negotium aliquod particulare, ſive ſtatus totius vitæ.

Electio ſtatus.

2 Electio autem ſtatus verſatur circa duo, ſitne manendum in præceptis, an progrediendum ad conſilia.

Si conſilia ſequenda, quid agendum.

3 Si conſilia ſequenda, num in religione, an extra eam. Quamquàm enim vix jam extra religionem ſervari poſſunt, tamen poteſt eſſe talis natura, ut non ſit valdè idonea ad communitatem vitæ, & obedientiam, & tamen poſſit ſervare paupertatem & caſtitatem.

Si in religionem ingrediendum, quænam eligenda.

4 Tertio ſi in religione, reſtat etiam in particulari quis ordo eligendus, quia alios vocat Dominus ad majorem ſolitudinem, alios ad juvandos proximos, & ipſa naturalis complexio vel corporis vel etiam animæ alia alii inſtituto aptior eſt.

Temporis electio.

5 Quarto electâ peculiari religione, deliberatur etiam de tempore & de modo id exequendi.

Quid cavendum in electione religionis.

6 In eligendâ hac autem vel illa religione cavendum eſt primo, ne eligatur aliqua jam corrupta, vel in quâ non vigeat obſervantia. Secundò inter illas ipſas, in quibus viget obſervantia, præferenda eſt ea, cujus inſtitutum ſit perfectius: in quo dijudicando eſt optima doctrina S. Thomæ 2. 2. quæſt. 188. artic. 6. & habenda eſt maximè ratio perſonæ, non ſolum juxta vires & propenſionem, ſed etiam juxta dotes & talenta, quæ habet propter majus Dei obſequium.

7 In tempore autem exequendi divinam vocationem eſt interdum peculiaris difficultas, quoniam in his, quæ repugnant ſenſui, ſolet humana infirmitas procraſtinare quantum poteſt, & cauſſas morarum innectere, ſeque ipſam decipere, quærendo rationes differendi. Quare optimum eſt hanc ipſam difficultatem profligare in Exercitiis, & cogitare quod ait S. Ambroſius: *Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia.* Imitanda eſt etiam promptitudo Apoſtolorum, relictis ſtatim retibus & patre: valetque illa ratio: Si aliquando, cur non modo? & ſi non modò, fortaſſe numquàm. Nunc enim recens eſt Dei motio, & ejus auxilium, poſteà verò facilè fieri poteſt, & fit quotidie, ut refrigeſcat hic ſpiritus, & ſic multo difficilius erit reſiſtere pugnæ carnis & diaboli. Et hæc de electione conſiliorum.

Difficultas vocationem exequendi.

8 Si quis verò eligat ſervare præcepta, reſtat adhuc conſultandum, in quo ſtatu, aut in quâ ratione vivendi ea ſervet: quæ ſingula diſcutienda ſunt, ut eo melius, & cum majori luce vita inſtituatur.

Quid ſi eligat ſervare præcepta.

9 Denique in aliis particularibus negotiis, ut in ſuſcipiendâ aliquâ re, vel non ſuſcipiendâ, utendum eſt his iisdem regulis, ſumendo ſcilicet eam partem ipſarum, quæ ſufficit pro qualitate rei. Modus autem, ſeu regula etiam in his omnibus particularibus actionibus eſt, omnia metiri ex Dei honore, nullo habito reſpectu ad proprias commoditates, maximè temporales, ut intentio ſemper in Deum recta ſit, nec inflectatur ob aliquid terrenum.

In aliis particularibus utendum iisdem regulis.

De tempore triplici ad electionem rectè faciendam.

CAPUT XXVI.

I.

CIrca quartum declaranda ſunt tantùm tempora electionis faciendæ, quæ habentur in libro Exercitiorum: nam his benè cognitis, nihil ferè aliud deſiderari poſſe videtur. Tempora autem dicuntur, quia cùm tales anima motiones ſentit, quales ibi deſcribuntur, tunc aptum eſt tempus & opportunum electioni. Ac de primo quidem tempore pauca ſunt dicenda, cùm ſcilicet adeò clarè conſtat de Dei voluntate, ut ne dubitari quidem de eâ poſſit, pro cujus exemplo ponitur vocatio Matthæi, & Pauli. Et quamvis jam non contingant ejusmodi vocationes ita miraculoſæ, tamen & legimus & videmus quasdam, quæ quodammodo ad eas videntur accedere

Tria tempora electionis.

dere tantâ claritate & ſatisfactione ſpiritus, tamque certâ illuſtratione divinæ voluntatis, ut ne in has quidem videatur cadere poſſe dubitatio. Sed hæc vocatio nimis extraordinaria eſt, nec cadit ſub regulam, & ideò nec à Deo petenda, aut expectanda eſt: & ob hanc etiam cauſſam, cum tam rarò accidat, non multum eſt in hujus primi temporis conſideratione inſiſtendum, & obiter dumtaxat declarandum ei, qui facit Exercitia.

Secundum tempus magis ordinarium.

2 Secundum igitur tempus eſt magis ordinarium, cum ſcilicet animus inſpirationibus & motionibus internis agitur, iisque tam efficacibus, ut ſine ullo intellectus diſcurſu, aut ferè nullo, voluntas feratur ad Dei ſervitutem & ad perfectionem.

Tertium tempus.

3 Tertium tempus eſt, cum intellectus ratiocinando, & ponderando rationes pro unâ & alterâ parte, veritatem clarius aſpicit, & veluti lumen voluntati præfert, ut voluntas id demum eligat, quod omnibus perpenſis melius fuerit judicatum.

Comparatio ſecundi temporis faciendæ electionis cum tertio.

CAPUT XXVII.

Differentia voluntatis & intellectus in electione.

Itaque etiam ſi hæ duæ potentiæ animæ ita conjunctæ ſint, ut una ſine alterâ in eligendo operari non poſſit; eſt tamen hæc differentia, quòd in primo & ſecundo tempore voluntas præcedit, intellectus verò ſequitur, & ab eâ trahitur ſine ullo ſuo diſcurſu, aut cunctatione; in tertio autem præcedit intellectus ipſe, tamque multas rationes voluntati proponit, ut eam extimulet, & impellat in eam partem, quam judicat meliorem. Et quidem hoc ſuppoſito, quod motio illa ſit immediatè à Deo, ſine dubio excellentior via eſt & altior, cum voluntas divinitùs illuſtrata præcedit ac trahit intellectum: quia etiam Ariſtoteles, ut refert S. Thomas, ita ait; Illis qui moventur ſecundum inſtinctum divinum, non expedire conſiliari ſecundum rationem humanam, quia moventur à meliori principio, quàm ſit humana ratio. Sed poſterior via, nempe per ratiocinationem & diſcurſum, eſt ſecurior & tutior.

Quid in primo & ſecundo tempore.

2 Pro notitiâ autem primi & ſecundi temporis, quando ſcilicet, ut dictum eſt, anima afflatu divino permovetur, declarandum eſt exercenti ſe,

quid

quid ſit conſolatio, & quid deſolatio, de quâ utraque agitur in tertiâ & quartâ regulâ diſcernendi ſpiritus.

3 Hæc autem conſolatio non eſt habitus, ſed veluti ſpiritualis paſſio data ſupernaturaliter, cujus natura eſt, ut dum præſens eſt, facilè exerceantur actus virtutis, imò cum delectatione & guſtu, & cum inflammatione affectus: contrà verò facit, ut opera carnis deſipiant, & inſuavia videantur. Ejus partes vel modi varii ſunt, ut pax & quies quædam interior, gaudium ſpirituale, lumen, & clarior cognitio rerum divinarum, lacrymæ, mentis elevatio in Deum, ſpes in Deo fixa, ſenſus rerum æternarum, converſio ad cæleſtia, calor ſancti amoris, & ſi qui ſunt ſimiles alii effectus vel affectus, qui ſunt omnes à ſpiritu bono. Quid ſit conſolatio.

4 Deſolatio contrà eſt triſtitia, perturbatio animi, ſpes in rebus vel perſonis, amor rerum inferiorum, ariditas, depreſſio, & evagatio mentis in res hujus mundi, quæ ſunt omnia à ſpiritu malo. Quid deſolatio.

5 Hoc igitur poſito, ad cognoſcendum, utra ex duabus partibus, de quibus conſultatur, magis placeat Deo; debet homo in ſe ipſo notare, & animadvertere, quando ſentit conſolationem, ad quam partem eum inclinet conſolatio, & tranquillitas animæ: & contrà deſolatio, cum eam ſentit, ad quam partem eum magis inclinet. Et cùm his temporibus contrariis videat ſe moveri ad contrarios effectus, debet pro certo habere, naſci id ex principiis contrariis. Proprium enim eſt ſpiritus mali, invadere animam tempore deſolationis, eamque obruere puſillanimitate, & triſtitiâ, & torpore: contra verò proprium eſt boni Spiritus, afferre animæ lætitiam, & tempore lætitiæ cum eâ tractare, & in eam influere. Vterque enim dat ex eo, quod habet, & quo abundat, ut conſtat ex regulis diſcretionis ſpirituum, præſertim quæ huic ſecundæ hebdomadæ conveniunt, quæ valde opportunæ ſunt hoc tempore; & ſine illis ferè ambulabitur in tenebris. Quæ obſervanda in his temporibus electionem facturo.

6 Eſt etiam altera quædam praxis hujus rei, quam ponit B. P. N. Ignatius illâ ſimilitudine ejus, qui præſentat Principi ſuo genus aliquod cibi, ut exploret quàm ei arrideat. Sic anima cum profundâ humilitate, & ferventi amore, ac deſiderio gratificandi Deo, offerat ei diverſis temporibus modò unam modò alteram rem, obſervans quænam ex illis à Deo magis accipiatur & admittatur, dicens ſemper: Domine, quid me vis facere? Quod non ſolùm ore, aut leviori mentis affectu, ſed toto corde, & multis cordibus, ſi tot haberet, ei dicendum, & ſentiendum eſt. Similitudo S. P. N. Ignatii.

7 Porrò

Optimum ſignum Dei vocantis ad perfectionem.

7 Porrò inter alia indicia divinæ voluntatis vocantis ad ſtatum perfectiorem, illud eſt optimum, ſi anima ſentit ſibi promitti tantum pecuniæ ſpiritualis, quantum neceſſe ſit ad ædificandam hanc turrim Evangelicæ perfectionis, id eſt, ſi ſentit labores hujus vitæ, qui aliis ita graves videntur, & ipſimet anteà ita videri ſolebant, nunc leviores & faciliores reddi, ſic ut voluntaria paupertas vel abnegatio propriæ voluntatis, caſtitatis obſervantia, & reliquarum virtutum exercitatio, jam non adeò gravis ei videatur, ut de ſe ipſo ſcribit S. Auguſtinus in libris Confeſſionum. Secundum eſt indicium, ſi hæ cogitationes pergunt ſemper movere ad bonum. Satanas enim licet ab initio diſſimulet, in progreſſu tamen non poteſt diu ſe celare, quin incipiat depromere ſuum venenum.

De ſignis boni, & mali ſpiritus.

8 Denique de ejuſmodi ſignis boni vel mali ſpiritus optimè & valdè dilucidè agitur in regulis diſcretionis ſpirituum poſterioribus libri Exercitiorum: agit etiam Gerſon in libro de probatione ſpirituum, & S. Bonaventura de proceſſu relig. c 18.

Quando ad 3. tempus progrediendum.

9 Atque hæc hactenus de primo & ſecundo tempore electionis: in quo ſi ita conſtet de divinâ voluntate, ut anima planè confirmetur & ſtabiliatur, nec deſideret majorem certitudinem, poteſt hîc conquieſcere: ſin verò non ſufficiat, poterit progredi ad tertium tempus.

De modo priore & poſteriore bonæ electionis faciendæ.

CAPVT XXVIII.

1.

Quot modis tempus 3. diſtinguatur.

TErtium tempus in libello Exercitiorum duobus modis diſtinguitur, qui vocantur modus prior & modus poſterior bonæ electionis; prior ſex punctis, poſterior quatuor regulis continetur. Si ergo in priori non fiat electio, veniendum eſt ad poſteriorem, qui eſt ultimus modus, qui in hac materiâ tradi poſſit.

Quid in his modis eligendi requiratur.

2 Pro his autem duobus modis benè eligendi, ſicut etiam omni tempore quo durat electio, requiritur tranquillitas animæ, quoniam tempore turbationis non eſt locus electionis, cùm ſcriptum ſit Eccleſ. 1. 2. *Ne feſtines in tempore obductionis.* Quare qui hanc tranquillitatem in ſe non ſentiret, ſatius eſſet ut progrediatur in meditationibus, donec tempeſtas deferveat, & redeat ſerenitas, quoniam dum turbida eſt aqua, nihil in eâ perſpici poteſt.

3 Sup-

3 Suppoſitâ ergo hac tranquillitate, proponenda ſunt ex unâ parte commoda, ex alterâ parte incommoda provenientia ex eâ re, de quâ agitur, & ſingula benè æſtimanda & examinanda, ut videatur quænam præponderent. Poſitâ animi tranquillitate quid faciendum.

4 Tantùm illud obſervandum, & actuandum hîc, quod ſuprà attigimus, nempe has rationes, quæ ad deliberationem adhibentur, debere omnes proficiſci ex illo principio Divini obſequii; nec admittendos eſſe in hac conſultatione reſpectus humanos, aut terrenas cogitationes. Rationes unde petendæ.

5 Notandum eſt etiam, quòd hi duo modi, quibus tertium tempus diſtinguitur, non ſolùm tunc adhibendi ſunt, cùm in ſecundo tempore nihil concluſum eſt; ſed etiam ſi facta ſit electio confert ad eam magis confirmandam & ſtabiliendam. Si enim anima certa eſſet, quòd illa motio ſecundi temporis eſſet à Deo, ſine dubio nihil ei eſſet amplius requirendum: ſed quia ſatanas transfigurat ſe aliquando in Angelum lucis, ideò hæc generalis regula eſſe debet, valdè periculoſum eſſe, cùm homo vult ſe gubernare tantùm per motus voluntatis, & ſenſus quoſdam interiores, non adhibendo conſiderationem debitam. Et ideò probatio & examen fieri debet per lumen, quia, ut dicit Apoſtolus, *Omne, quod manifeſtatur, lumen eſt.* Hoc autem lumen poſt lumen fidei eſt etiam ipſa humana ratio, adjuta tamen & illuminata lumine fidei, quæ ipſa quoque à Deo eſt: & non poteſt unum repugnare alteri, quia neceſſarium eſt, ut verum verò conſonum ſit. Electio 3. temporis, alias confirmat. *2. Cor. 11. 14.* *Epheſ. 5. 13.*

6 Itaque hoc etiam ſignum eſt ſpiritus mali, quando refugit hoc examen, quia amat tenebras, & non vult venire ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Hanc igitur ob cauſſam hic modus eligendi ſecurior eſt, quia ratio fide illuminata, & Eccleſiæ Catholicæ doctrinâ inſtructa ſuo officio fungitur; & cùm totas vires ſuas, & quidquid poteſt, exponat in inquirendâ Dei voluntate, fideliter facit, quod in ipsâ eſt. Aliud ſignum mali ſpiritus. *Ioan. 3. 20.* *Ex reg. 13. ad motus animi diſcernendos.*

7 Si verò ad has rationes adjungatur etiam experientia, quam quis habeat ſuæ infirmitatis, ut manifeſtè ſentiat ſalutem ſuam in ſæculo exponi magno diſcrimini, non eſt dubium, quin ſecuriùs etiam res procedat. Experientia ſuæ infirmitatis.

8 Quòd ſi prætereà rationes iſtæ confirmentur per aliqua ſigna ſecundi temporis, quæ ſuperiùs diximus, nempe pacis, conſolationis, &c. guſtum, tum verò anima majorem etiam ſatisfactionem & claritatem accipit. Majus animæ lumen.

Quid ſi 2. tempore ſit inclinatio.

9 Quæret aliquis, quid faciendum ſit, ſi fortè contingat, ut ſecundo tempore in aliquam rem inclinemur, tertio verò tempore in alteram contrariam vel diſſimilem. Reſpondemus eſſe diligenter rem examinandam per regulas diſcernendi ſpiritus, & per rectam rationem, & æſtimandum pondus rerum moventium utroque modo. Quòd ſi conſtaret clarè, quòd ratio aſtipuletur electioni tertii temporis, ſecurius eſt eam ſequi, quia non eſt certum, an motio illa ſecundi temporis ſit à Deo, & tunc maximè cum ratio aliud ſuadet. Contrà verò ſi rationes, quæ tertio tempore movent, eſſent debiles, motiones autem ſecundi temporis benè examinatæ juxta regulas videntur eſſe à Deo, & recta ratio eis non repugnat, tota electio ſecundi temporis eſt præferenda: licet enim priùs clarè non conſtaret per eam de Dei voluntate, tamen rebus melius agitatis & diſcuſſis, accedente rationis teſtimonio, poteſt fieri ut conſtet.

De praxi & ordine electionis.

CAPVT XXIX.

1.

Praxis electionis.

RESTAT nunc ultimum, nempe tota praxis, & ordo proponendi electionem, & manuducendi eum, qui facit Exercitia. In primis igitur hoc valdè notandum eſt, quod etiam ſuprà indicamus, jam tum ab initio hujus ſecundæ hebdomadæ incipere diſponi animam per meditationem illam de Regno Chriſti, quæ mentem erigit à terrenis & fluxis ad Salvatoris imitationem deſiderandam: quæ quidem diſpoſitio alenda eſt ſemper deinceps in eo, qui ſe exercet, excitando eum, & dirigendo ad id, quod perfectius eſt, per reliquas meditationes, ut Nativitatis, Circumciſionis, & alias, in quibus ita inſtruendus eſt, ut concipiat deſiderium aſſimilandi ſe filio Dei, & præterea quàm maximam poſſit erga eum gratitudinem, qui tanta nobis dedit, & tanta pro nobis fecit. In hac autem contemplatione de regno Chriſti, exiſtimandum non eſt, verba illa, *Atteſtans coram infinita bonitate tuâ*, &c. voti vim habere, cùm Annotatione 14. ex 20. ſit peculiaris admonitio, ne quis vacans Exercitiis voto ſe facilè obſtringat.

4. vel 5. die inchoanda meditatio electionis. *Prælud. circa elect. ſtatuum.*

2 Deinde quarto vel quinto die inchoantur meditationes electionis per illud Exercitium pueri IESV, cùm remanſit in templo, in quo, ut dicitur in libro Exercitiorum, cœpit dare exemplum hujus Evangelicæ perfectionis, quando, patre putativo & naturali matre relictis, voluit occupari in iis, quæ æterni Patris eſſent.

3 Igitur

3 Igitur ad diſponendam animam electioni faciendæ, poſt hanc meditationem datur primo Exercitium duorum vexillorum, deinde eodem die meditatio de tribus hominum claſſibus, quæ ad hoc tendit, ut juxta eas, qui in Exercitiis eſt ſe examinet, & cognoſcat affectum ſuum erga res mundanas; & ſi in primâ, vel ſecundâ claſſe ſe deprehenderit, conetur ſibi vim facere, ut ſe transferat in tertiam. **Exercitans diſponendus ad electionem.**

4 Ad majorem autem intelligentiam harum trium claſſium, notandum eſt hoc in omnibus ſupponi, modum illum, quo pecunia illa acquiſita eſt non eſſe illicitum, ita ut obliget ad reſtitutionem. Nam alioquin non poſſet homo indifferens eſſe ad eam retinendam, vel relinquendam, quod tamen dicitur in tertiâ claſſe. Eſt ergo hic modus, ut quando v. g. aliquis ex nimio ſtudio lucri, vel ex aliquo alio affectu humano, & vitioſo negotiatur. **Pro intelligentiâ majori trium claſſium.**

5 Secundò notandum primam & ſecundam claſſem ita inter ſe differre, quod utraque habet quidem voluntatem quandam infirmam & remiſſam exuendi affectum ad rem illam, ſed prima claſſis nulla unquam adhibet media, nec cogitat de mediis; ſecunda verò aliquid amplius facit, quia adhibet quidem aliqua media, ſed quæ ipſi placent, non autem juxta Dei voluntatem ac beneplacitum; & ideò videtur ſibi parata omnia alia facere, præter illud, ut privetur re illâ quam amat. Tertia porrò ad hoc etiam parata eſt, ſi Deo ita placeat, idque tantum inquirit an placeat. **Alia notanda.**

6 Et ſic patet totam hanc meditationem eò tendere, ut oſtendat animæ quam turpe & perverſum ſit, ſi non ſolùm exuere nolit inordinatas cupiditates, ſed ſi velit quidem eas exuere, ſed eo modo velit, quo ipſi libeat, & ſe non reſignat in manibus Dei. Ex quo apparet, illam eſſe voluntatem admodum debilem, quia verè vult & non vult. **Finis meditationis 3. claſſium.**

7 Vnde quia res hæc tanti momenti eſt, præſertim ad diſponendam animam electioni jam vicinæ, poſſet etiam, qui Exercitia ſumit, ad majorem claritatem, præter hanc ſimilitudinem trium mercatorum, effingere ſibi alias ſimilitudines ejusdem tenoris, ut v. g. ſi eſſent tres ægroti, qui ſanari quidem omnes cupiunt, ſed primus nolit adhibere medicinas ullas propter earum amaritudinem, nec abſciſſionem propter dolorem. Secundus velit quidem adhibere, ſed quas ipſe probet ac judicet, non eas, quæ aptæ ſunt ejus morbo, ut v. g. ſi nollet abſtinere à vino, aut ſimilibus. Tertius de- **Aliæ quoque ſimilitudines effingendæ.**

nique ſe totum medico permittat, ut & diætam imperet, & urat, & ſecet ipſa etiam membra, ſi opus ſit.

Poſteà electionem facturo proponantur tres gradus humilitatis.

8 Porrò ſimul cum his duabus meditationibus, quas diximus, nempe de duobus vexillis, & de tribus claſſibus, vel ſi ita melius videatur ſequenti die, poſt meditationem de tranſitu Chriſti à Nazareth, & de ejus baptiſmo, proponuntur electionem facturo tres gradus humilitatis, ut quemadmodum dicitur in libro Exercitiorum, toto die eos animo verſet: ſimul tamen unum, vel duo myſteria vitæ Chriſti eodem die ſicut in reliquis diebus, meditanda ſunt. Nam hi tres gradus non dantur pro certâ horâ alicujus meditationis, cum non contineant, niſi unum punctum præcipuum, ſcilicet deſiderium attingendi tertium illum gradum humilitatis, quod toto die mente revolvendum eſt extra meditationem, imò etiam in meditatione opportuno tempore, adhibito triplici illo colloquio de vexillis, ut ibidem dicitur.

De ipsâ electione juxta rationem ſecundi temporis.

CAPVT XXX.

1.

Præludium electionis declarandum.

HIs peractis accedendum jam propiùs eſt ad electionem, & in primis declarandum præludium electionum, quod ferè coincidit cum fundamento poſito ante Exercitia: & ideò, qui benè illud meditatus fuerit, nullam in hoc habebit difficultatem.

Exploranda exercentis voluntas.

2 Interim Inſtructor exploret voluntatem exercentis ſe, an habeat indifferentiam, de cujus neceſſitate ſuprà locuti ſumus: & ſi magis propendere ad imperfectiorem ſtatum animadverterit, explicet ei illud Notabile, quod eſt in Exercitiis poſt tres claſſes, ut ſcilicet qui ſentit affectum repugnantem paupertati reali, petat à Deo, ut ipſum potiùs inclinet in illam partem. Cujus ratio eſt, quia virga incurua flectenda eſt in contrariam partem, ut deinde manens in medio, fiat recta: quod præſertim locum habet in hac materiâ, cùm illa pars ſit ſecurior, & hoc nihil impediat vel Dei voluntatem vel libertatem noſtram. Hoc ergo ſuppoſito pergendum eſt in meditationibus myſteriorum Chriſti, quæ ſunt in libro Exercitiorum, & ſimul vacandum electioni, ad quam dirigendam, danda ſunt tria illa tempora rectè eligendi, voce vel ſcripto, ut magis videbitur Inſtructori.

3 Electio

3 Electio autem ita peragenda eſt, non ut electurus meditetur tria illa tempora toto tempore meditationis, ſed poſt peractam unamquamque meditationem, vel in aliquâ ejus parte, cùm animus jam quietus eſt, tunc tempus proprium eſt agendi, & ratiocinandi circa rem propoſitam. Et ideò diligenter curandum eſt, ut meditationes, quemadmodùm diximus, de Chriſti vitâ diligenter fiant ſuo tempore. Nam ſi quis omiſſis ſuis meditationibus vellet ſe totum dare cogitationi de electione ſtatus, non bene faceret; idque ei damnum afferret: quia per meditationes anima corroboratur, & illuminatur, & elevatur à terrenis, unde fit aptior ad Dei voluntatem & cognoſcendam, & amplectendam, & ad ſuperanda omnia impedimenta: & contrà ſi ceſſaret à meditando, obſcurior fieret & infirmior. Quomodo electio peragenda. *Ex 3. temp. bonæ elect.*

4 Quare, ut dictum eſt, dandum eſt ſuum tempus meditationi divinarum rerum, quæ prò varietate myſteriorum occurrunt; & ſuum deinde tempus electioni, ne ſi anima tota occupetur in hoc negotio, hæc una cogitatio exſugat & exhauriat quodammodò ſuccum & florem devotionis, & ita reddatur languidior. Miſcendæ electioni meditatio.

5 Quod ſi adhuc magis in particulari quæratur, quomodò hoc faciendum ſit, dicendum, quòd ſi in ſecundo tempore eligendi verſetur, debet qui deliberat ſine ullâ ſuâ ratiocinatione, aut diſcurſu adhibito, dum facit meditationem, aut colloquia, & in ſumma dum conſtitutus eſt ante Deum, proponere oculis mentis ſuæ viam conſiliorum, & obſervare an ſentiat in animâ ſuâ motus aliquos conſolationis, aut deſolationis. Deinde proponere ſibi viam mandatorum; & hoc idem circa eam obſervare. Peculiaris modus in electione tenendus.

6 Nec eſt ad hoc neceſſaria particularis meditatio, ut paullò antè dictum eſt, ſed ſufficit hoc facere dum verſatur in meditationibus & orationibus conſuetis. Et hoc idem faciat extra tempus meditationis proponendo hoc modo dicto, & obſervando motus prædictos; nihil diſcurrendo per ſe, ſed tantum audiendo vocem Domini, & ſe ad eam audiendam, & ad motum illum accipiendum diſponendo, quantum poterit; maximè renovando ſæpè reſignationem, & deſiderium cognoſcendi divinum beneplacitum, & hoc ſemper curando, ut ceſſet omnis propria voluntas, aut inclinatio. Non eſt neceſſaria particularis meditatio.

7 Cum autem venerit Inſtructor, exigat ab eo rationem hujusmodi motionum: & ſi boni vel mali ſpiritus ſigna deprehendat, utatur regulis de diſcernendis ſpiritibus, ſed iis præcipue, quæ ſecundæ hebdomadæ conveniunt: Exigenda ratio motionum exercitantis.

veniunt: & declaret ei, quantum ſatis eſſe judicabit ad ipſum dirigendum vel erigendum ſi opus fuerit. Et ſi benè procedere hac viâ videbit, aliâ meditatione propoſitâ hortetur, ut eamdem viam teneat circa electionem propoſitam, ut experiatur an durent eædem motiones, an aliæ contrariæ ſuccedant: quod ſi contrariæ occurrerint, conetur diſcernere per prædictas regulas, quæ ſint bonæ, quæ malæ.

De electione juxta priorem & poſteriorem modum.

CAPUT XXXI.

I.

Quid ſi hoc ſecundo tempore conficitur electio.

SI hoc ſecundo tempore non conficitur electio, quia qui exercetur nullam notatu dignam motionem in ſe ſentit, vel ſentit in utramque partem; adhibendi ſunt modi tertii temporis, prior & poſterior, qui declarandi erunt, ut cum priori modo aliquid conſtituerit, idem deinde expendat poſteriori: & ſi idem reſultet ex utroque, id bonum ſignum eſt bonæ electionis.

Vna detur meditatio tertio tempore.

2 Hoc autem tertio tempore poterit dari una tantum meditatio ex iis, quæ ſecundâ hebdomadâ proponuntur cum ſuâ repetitione, ut reliquum tempus impendatur electioni. Idque videtur innui in libro Exercitiorum per exemplum contemplationis baptiſmi, quæ ponitur quintâ die. Quamquàm, cum hoc non præcipiatur, credi poteſt quòd permittitur Inſtructori, ut unam vel duas in die det meditationes, ut viderit exercitanti magis profuturum, pro difficultate, quam ſentiat, & prout indigeat tempore ad faciendam hanc diſcuſſionem.

Notet ſcripto rationes.

3 Monendus etiam erit, ut notet ſcripto rationes, quæ ſe offerunt pro utraque parte, idque ſeorſim. Nam rationes omnes cujusque partis ſimul collectæ magis veritatem oſtendunt, & majorem vim habent ad movendum. Has verò cum Inſtructore conferre debebit, ut ab eo melius dirigi poſſit.

Non obruendus exercitantis animus.

4 Porrò illud etiam cavendum Inſtructori, ne in hoc negotio per ſe tam difficili & laborioſo nimis obruat exercitantem, nec ſemper eum ſtimulet & fatiget: quin potius ſinendus eſt aliquando reſpirare, ne ſemper affligatur, aut abſorbeatur triſtitiâ, aut tædio, & deſperatione abjiciat ſe ipſum. Quod tunc maxime metuendum eſt, cum præter propriam infirmitatem & repu-

repugnantiam carnis, accedunt etiam dæmonum impugnationes: difficile eſt enim relevare ejusmodi cor, cum ſemel conciderit.

5 Imò verò etiam ſi quis cerneretur minus prompte reſpondere divinæ voluntati, nec ſe vincere ut deberet, ſuſtinendus tamen patienter eſſet, & expectandum, ut paullatim & quaſi pedetentim ſuperet obices illi oppoſitos. Et in hoc etiam imitandus mos divinæ bonitatis, cui cooperamur, quæ omnia ſuaviter diſponit, & longanimiter exſpectat animæ moras in veniendo ad eum.

Vt ſuſtinendus qui non promptè vocationi divinæ reſpondet.

6 Denique hoc etiam advertendum, quidquid eliget ſecundo vel tertio tempore, ne votum ullum emittat, ut dicitur Annot. decima quartâ, & præſertim in ſecundo tempore. Sæpè enim in illo calore vel conſolatione fiunt vota, quæ deinde diſplicent. Et hoc præſertim ſervandum cum iis, qui naturâ ſunt ferventi, & præcipiti, vel parùm ſtabili. Sed tamen ſi electio facta eſſet maturo conſilio, ut cum magnâ claritate, & indiciis haud obſcuris divinæ vocationis, præſertim ſi ætas, aut natura hominis non eſſet ſuſpecta, & hic ſuam electionem voto firmare cuperet, ut ſe melius muniret contra oppugnationes carnis, & mundi, & ſatanæ; non poteſt Inſtructor, nec debet ejus devotionem impedire, ſicut nec ad id ullâ ratione impellere.

Tempore electionis nullum votum emittendum.

De oratione poſt factam electionem.

Caput XXXII.

1.

Vltimum eſt in hac electione id, quod in libello Exercitiorum ponitur in ultimo puncto, ut homo poſt concluſam electionem ad orationem ſe conferat. Quo tempore ſi ſenſerit mentem ſuam confirmari in electione jam factâ, ſentiendo in ſe motiones aliquas, vel illuſtratione, deſuper immiſſas, ita ut Deus approbare videatur quod factum eſt, & promittere vires ad exequendum; id eſt optimum indicium, & haberi debet tamquàm ſigillum totius electionis.

Quid poſt electionem factam peragendum.

2 Si verò motiones, vel affectus, vel illuſtrationes intellectus ejusmodi eſſent, quæ infirmarent electionem factam; & examinatæ juxta regulas ſuprapoſitas, viderentur à malo ſpiritu, vel ſaltem eſſent dubiæ, non eſt mutanda electio.

Quid cùm electio à malo ſpiritu tentatur.

3 Si autem clarè appareret eſſe à bono ſpiritu, ſignum eſt diſcurſum non fuiſſe bonum, & electionem denuò faciendam.

Quid ſi ſit à bono ſpiritu.

4 Quòd

Quid ſi in oratione nihil notabile acciderit.

4 Quòd ſi in hac oratione nihil in utramvis partem notabile accideret, nec in affectu, nec in intellectu, & voluntas eligentis in ſuo propoſito perſeverat; non eſt electio in dubium revocanda, ſed ita putandum eſt voluiſſe Deum per diſcurſum rationis voluntatem ſuam inveniri.

Quid agendum Inſtructori, cùm ſentit, eum, qui electionem facit, hallucinari.

CAPUT XXXIII.

I.

Quid cum exercens hallucinatur.

CEterùm illud quoque interdum contingere ſolet, ut Exercitia ſumens hallucinetur in electione faciendâ: & licet Deus illum vocet ad vitam perfectiorem, ipſe tamen vel propter dæmonis deceptionem, vel propter propriam infirmitatem, imperfectiorem eligat, idque à Spiritu ſancto eſſe putet, nec ab eo dimoveri poſſit.

Erigendus eſt.

2 Tunc igitur prudentiæ eſt, ut Inſtructor non multùm reluctetur (quod fruſtrà faceret) ſed neque ex alterâ parte confirmet electionem factam, ac potiùs oſtendat ſibi non valdè ſatisfeciſſe, ſed ſperare, quòd progreſſu temporis Dominus ei clariùs indicabit voluntatem ſuam, & ſic eum relinquat aliquantùm dubium, & incertum de tali electione. Deinde etiam inſtruat quomodò diſponere ſe debeat, ne aditum claudat divinæ luci.

Multi extra Exercitia veritatem agnoverunt.

3 Sæpè enim experientia monſtravit, quosdam, qui ipſo conflictu Exercitiorum ſuccubuerant, deinde extra Exercitia commodiùs veritatem agnoviſſe: idque ex iisdem principiis, quæ hauſerant in ipſis Exercitiis; ſive quia dæmon acrius oppugnat in illo articulo electionis, ſive quòd natura ipſa (præſertim in iis, qui timidiores ſunt & puſillanimes) ut in illâ quaſi agoniâ quodammodò opprimitur & ſuffocatur, ita cum deinde quodammodò reſpirat, eſt meliùs diſpoſita ad ratiocinandum, & percipiendum lumen Dei: ſive denique, quia experientiâ deinde cognoverunt, ſe non eam vitam poſſe in ſæculo tenere, quam fortaſſe in Exercitiis vel ipſi ſibi finxerant, vel eis dæmon perſuaſerat.

De iis, qui jam ſtatum habent.

CAPUT XXXIV.

I.

Methodus reformationis vitæ.

POſt tractationem de electione, ponitur à B. P. N. methodus quædam de emendatione ſeu reformatione vitæ: quæ doctrina maximi momenti eſt

ti eſt pro iis, qui jam ſunt in ſtatu immutabili, vel ſaltem quos Deus non vocat ad mutationem ſtatus. Per hanc enim reformationem tolluntur multi abuſus, qui etiamſi non ſint peccata, ſaltem ſunt origo multorum malorum.

2 Hac verò doctrinâ id agitur, ut multi, qui jam uxorem & familiam habent, licet in ſæculo maneant, ſuo tamen modo perfectionem ſectentur, ad quam nos quoque invitare & perducere eos debemus ex vocatione noſtrâ, itaque paſſim jubent Conſtitutiones noſtræ. Nec eſt dubium, quin ſi proximos juvare conaremur ac dirigere ad hanc formulam, quæ hic expreſſa eſt, valdè inſignis fructus ſequeretur. Itaque hoc omnibus operariis Societatis valdè commendatum eſſe deberet.

Fructus hujus doctrinæ.

3 Cum his igitur hunc modum tenere oportet, ut præter Exercitia ordinaria de Myſteriis vitæ Chriſti dentur etiam illa de duobus vexillis & tribus hominum claſſibus, imò etiam Præludium electionum. Hæc enim licet non adeò neceſſaria ſint, ut iis qui de toto vitæ ſtatu deliberaturi ſunt, non poteſt tamen dubitari, quin valdè ſint utilia, ut animentur ad eam perfectionem, cujus ipſorum ſaltem ſtatus ac conditio eſt capax.

Quis modus tenendus in juvandis firmum ſtatum habentibus.

4 Ceterùm ſecundus modus eligendi non valdè ad hoc negotium pertinet, ſed potiùs tertius modus, ejusque membrum utrumque. Res autem inſtituenda ita eſt, ut ſingula puncta diſcutiantur, v. g. de familiâ, vel de expenſis: & poſt deliberationem factam de uno puncto tranſeatur ad aliud: in ſingulis autem majus vel minus tempus inſumatur, ut fuerit negotii gravitas, vel difficultas. Aliquando enim una hora, aut etiam plures in uno puncto inſumendæ erunt, aliquando autem plura puncta in unâ horâ concludentnr.

Tertius modus eligendi iis utilior.

De tertiâ hebdomadâ.

Capvt XXXV.

I.

IN tertiâ hebdomadâ ſtabilitur & confirmatur electio vitæ melioris jam facta, & voluntas ſerviendi Deo, propoſito tanto & tali exemplo, nempe paſſione Domini & Salvatoris noſtri. In eâ enim omnes ejus virtutes multò inſigniùs atque excellentiùs elucent, & efficaciùs nos invitant ad ſui imitationem. Itaque magnus hîc theſaurus reconditus eſt. Vnde videmus Sanctos omnes in hac potiſſimùm parte ſe exercuiſſe, ut apparet ex li-

In 3. hebdomadâ ſtabilitur vitæ melioris electio.

bris, quos ſcriptos reliquerunt. Et ideò in hoc etiam oportet meditantem diligenter inſtrui, quoniam hic eſſe deberet ordinarius animæ cibus.

Idem ordo harum meditationum, qui in 2. hebdomadâ.

2 Ordo & diſcurſus harum meditationum eſt idem, qui in præteritâ hebdomadâ, nempe intuendo perſonas, dicta, & opera. Debet tamen iis præſertim, qui non adeò ſunt exercitati, aperiri via in hac materiâ per illa puncta, quæ communiter tradi ſolent, quis patiatur, quid patiatur, à quibus, & propter quos.

Quomodò in compoſitione loci quis ſe ſtatuat. *Gal. 2, 20.*

3 In compoſitione loci debet qui meditatur, ita ſe conſtituere, quaſi præſens eſſet myſterio illi dum ageretur; & quidem ac ſi geſtum eſſet propter ſe ſolum, juxta formam illam Apoſtoli: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Itaque debet anima ita ſe reſpicere, quaſi ipſa cauſſa fuerit tantorum dolorum & ignominiarum, quas Dei filius perpeſſus eſt: deinde videre, quidquid bonorum ſpiritualium, quidquid gratiæ, & quòd ab æternis malis liberata ſit, quòd æterna bona ſe conſecuturam ſperet, hæc omnia ex Chriſti meritis ſibi proveniſſe: imò etiam conſiderare, Chriſtum, dum illa pateretur, habuiſſe ante oculos & nos & noſtra peccata in particulari omnia, & pro iis oraſſe, eorumque remiſſionem & gratiam nobis impetraſſe.

Affectus curandi.

4 Quamquàm autem affectus compaſſionis eſt valdè bonus, debetque & peti cum inſtantiâ, & deſiderari cum humilitate, & excipi cum gratiâ; debent tamen ſimul etiam curari alii affectus, qui ſunt utiliores ad profectum noſtrum ſpiritualem.

1. Odium peccati.

5 Primus autem eſt, quanta res ſit offendere Deum, quando ad ſatisfaciendum ei divina ſapientia dignum putavit adhibere ipſum Filii ſui ſanguinem & vitam. Ex quo etiam naſcitur ſummum odium peccati, quod præſertim ab illâ juſtitiâ tam ſeveris pœnis vindicetur, quia ſi hoc in viridi, quid in arido?

2. Cognitio bonitatis Dei. *Rom. 5. 8.*

6 Secundò cognoſcenda & veneranda eſt bonitas & ſapientia Dei infinita, quæ tam aptum medium invenit, ut hominum corda amore ſuo liquefacta ad ſe attraheret juxta Apoſtolum: *Commendat caritatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus,* &c.

3. Spei confirmatio.

7 Tertiò, hîc etiam confirmatur ſpes noſtra, quia, ut ait S Auguſtinus, Qui dedit, quod plus eſt, nempe unigeniti ſui ſanguinem, dabit & gloriam æternam, quæ minus eſt ſine dubio. Et ideò hic Chriſti ſanguis tenendus ut arrha & pignus tum divini amoris, tum futuræ beatitudinis.

8 Quar-

8 Quartò, & omnium maximè, inflammatur amor in Deum conſideratione tantæ bonitatis; & tanti beneficii nobis dati, & dati tali modo. 4. Amor in Deum.

9 Quintò, ſic etiam animantur omnes ad perfectam imitationem, ut ait S. Petrus: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Turpe enim eſſet, & intolerabile, cum ille, ut nos pro noſtrâ ipſorum ſalute doceret, non dedignatus ſit tam humilia perpeti, ſi nos, quorum ſalus agitur, recuſemus. 5. Inflammatio ad imitationem Chriſti. 1. *Petr.* 2, 21.

10 Denique poteſt etiam & debet concipi magnus zelus animarum, quas videlicet Deus tanti æſtimavit, & tanto affectu amavit, & tam magno pretio emit. 6. Zelus animarum.

11 Iuvat etiam habere in promptu hac hebdomadâ aliquas ſententias ſacræ Scripturæ ad Domini paſſionem pertinentes, ex pſalmis, vel ex Prophetis, & maximè ex Iſaiâ, vel etiam ex Evangeliis, aut ex epiſtolis Pauli, quæ vel magnitudinem dolorum ac cruciatuum Chriſti Domini indicent, vel ejus bonitatem, aut effectus mirabiles in hominum reparatione, quæ extra meditationem valdè proderunt ad cor excitandum, & etiam ad tollendam neſcio quam ſatietatem, quæ ſubrepere ſolet ex continuatione earumdem rerum. Hæc autem loca ſcripturæ poterit Inſtructor colligere, vel ab alio jam collecta ſuppeditare; ſunt enim multa, & paſſim occurrunt. Vſurpandæ aptæ ſententiæ è S. Scripturâ.

12 Cetera, quæ ad hanc hebdomadam pertinent, ſcripta ſunt in libro Exercitiorum clarè & diſtinctè in meditationibus, & additionibus. In particulari autem quæ in fine hujus hebdomadæ traduntur de regulis ad victum temperandum, non eſt quod ſcripta dentur, ſed verbo tantum explicentur, tum ob alias cauſſas, tum quia non omnibus eodem modo proponendæ ſunt, ſed adhibitâ diſcretione pro cujusque complexione, & viribus tam corporis quam animi. Cetera quærenda ex libello Exercitiorum. Regulæ victus.

13 Notandum etiam, quòd hæ regulæ non ſolum proponi debent hac hebdomadâ, ſed anteà etiam aliquo opportuno tempore: ſaltem, ſi tamen priùs factum non eſt, hîc declarentur. Fortaſſe enim in hunc locum dilatæ ſunt, ne prioribus hebdomadis nimis oneretur is, qui in Exercitiis verſatur, tot documentis extra ipſas meditationes. In hac autem hebdomadâ multò pauciora ſunt ejusmodi documenta, & ſic magis vacabit Inſtructori ea explicare. Expedit enim ut ſemper aliquid novi afferat, cùm illum, cui tradit Exercitia, inviſit. Quando ea proponenda.

De quartâ hebdomadâ.

CAPUT XXXVI.

1.

Quarta hebdomada reſpondet viæ unitivæ.

QVarta hebdomada videtur reſpondere viæ unitivæ: tota enim exercetur in amore Dei & deſiderio æternitatis, cujus tamquam exemplar proponitur reſurrectio Chriſti, eaque gaudia, quæ etiam in hoc mundo eam conſecuta ſunt. Poſſent etiam hîc addi aliquæ meditationes de gloriâ Paradiſi, & de futurâ juſtorum felicitate, cujus pignus accepimus in hoc myſterio Reſurrectionis Chriſti: quia, juxta Apoſtolum, Deus nos etiam conreſuſcitavit, & conſedere fecit cum illo. Quare eò magis excitari debemus ad contemnenda terrena, & cæleſtia appetenda, juxta illud ejusdem: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite; quæ ſurſum ſunt ſapite*, &c.

Epheſ. 2. 6.

Coloſſ. 3. 1.

Exercitium de amore Dei.

2 Exercitium de amore Dei eſt valdè aptum ad amorem noſtrum in Deum excitandum, & continet quatuor puncta fœcundiſſima, & quæ magnam materiam ſuppeditant ad meditandum. Poteſt autem duobus modis fieri, primò iisdem diebus cum aliis myſteriis Reſurrectionis, ita ut ſecundo die poſtquàm cœpta ſint myſteria Reſurrectionis, incipiatur etiam hæc meditatio de amando Deo: eique quotidie una aut altera hora tribuatur, diſtincta à meditatione illorum myſteriorum. Alter modus eſt, ut abſolvantur prius omnia illa myſteria, & deinde integer dies, aut duo dies huic uni meditationi aſſignentur.

Quid advertendum hanc meditationem facienti.

3 Eſt autem benè notandum & declarandum hanc meditationem aggredienti, quod in eâ dicitur, amorem magis pendere ex operibus, quàm ex verbis, & conſiſtere in mutuâ quadam facultatum & omnium rerum communicatione. Per hoc enim intelligere debet, non ſufficere ſibi teneriorem quemdam affectum, quem in ſe ſentiat, neque eo contentum eſſe debere. Verum eſt enim quod ait S. Gregorius, *Probatio amoris, exhibitio eſt operis*, Et *Amor ubi eſt, magna operatur; & ubi operari renuit, amor non eſt.* Nec aliud occurrit circa hanc quartam hebdomadam.

De tribus modis orandi.

CAPVT XXXVII.

I.

FVit illa ſemper ubique multorum in Societate ſententia, (Patres Fratresque in Chriſto cariſſimi) non minùs ad fructum utile, quàm ad voluptatem fore jucundum, ſi quis datarum à Præpoſitis noſtris Generalibus litterarum magis communium, atque præceptis utilibus, & inſtitutis ad vitam religiosè conformandam facientibus refertarum, delectum haberet; easq; cum noſtræ Societatis hominibus non vulgari illorum emolumento, & ſpiritus profectu communicaret: (ea proptér enim ſingulis in Provinciis in librum ſingularem deſcriptæ referuntur, ut identidem repetitâ lectione, recens illarum memoria conſervetur) ſimul etiam, ut hîc erectum extaret quaſi monimentum, cujus aſpectu poſterorum animi ad propriam perfectionem exſtimularentur: quippe cùm ad illam in his paſſim invitentur, & ut ſe in ſpiritus vocationis noſtræ primitiarum trunco, hilareſcente in dies viriditate ramos frondeſcentes conſervent, ad quod unum tamquàm ad ſcopum univerſæ collimant. Quamobrem, ut tam juſtæ petitioni, ſanctisque plurimorum Patrum & Fratrum, qui hoc enixè contendebant, deſideriis aliquâ ſaltem ex parte ſatisfieret; convenientiori quàm potuit ratione curatum eſt, ut ex aliquammultis, quas hinc inde cum negotio conquiſitas collegimus (interierunt enim per incuriam, à Superioribus præſertim Generalibus non paucæ) potiſſimæ quæq; ſeligerentur, & in unum corpus ſimul redactæ compingerentur. Viſum inſuper fuit opportunum, ut in commune Societatis bonum eodem, quo ſcriptæ ſunt, temporis ordine darentur in lucem, niſi quòd ea, quæ ſuper Obedientiâ à B. Patre Noſtro conſcripta eſt Epiſtola, (ut quæ tanto habetur in pretio, Noſtrorumq; manibus jam pridem teritur) digna judicata eſt, cui meritò primæ inter ceteras deferrentur. Hoc ut facerem, licet principiò mea me ſponte voluntas, & nonnullorum conſilium impelleret, tamen eò nunc libentiùs ſtudioſiusque ad hunc laborem ſuſcipiendum adductus ſum,

quò præterquàm quod omnium voluntati fiet ſatis, ex earum litterarum accuratâ lectione, quemadmodùm ipſe mihi polliceor, ſuaviſſimi fructus, & qui palato noſtro ſapiant, abundè percipientur. Adde quòd his in litteris fidele terſumq; nobis ob oculos ſpeculum conſtituitur, ut expreſſa ad vivum ſpiritus majorum noſtrorum lineamenta intueamur, & hanc ab iis vivendi rationem, à quibus ea petenda eſt, percipiamus: ſic ut poſteris deinde liceat, dum libeat, (modò ut eas, non corporeis tantùm oculis perlegant, ſed acri mentis acie rimentur & penetrent) in ſeipſis, tanquàm in tabellâ, Majorum ſuorum perfectam exprimere, non adumbrare, ſimilitudinem; ut juxta D. Cypriani verbum, Ad Patrem paribus lineamentis proles ſucceſſiva reſpondeat. *Et quamquàm de rebus ſpiritum ſpectantibus, quæq; ad viam ſalutis & perfectionis fideliter inſiſtendam conferrent, tum à Noſtris, tum ab aliis pleriſque, admirabili planè nobilium ingeniorum applauſu, hac ætate noſtra ſingulares & exculti libri lucem viderunt; tamen hactenus extitit nemo, qui ex inſtituto copiosè de materia vocationi noſtræ usq; eò conſentaneâ diſſereret; aut qui particulatim de ſingulis, ut de ſpiritus renovatione, de Inſtituti dignitate, propoſiti noſtri excellentia, miniſteriorum nobilitate, operandi modo, mutua caritate, & rerum omnium inter tam diverſas nationes ſumma conſenſione, de ſtudio perfectionis & illius obtinendæ rationibus, de ſingulari deniq; tam altæ vocationis beneficio diſputaret. Quæ univerſa, licet ſingula juſto volumini materiam utique parem ſuppeditarent, his tamen in litteris abundè ſatis non uno in loco ſunt pertractata. E quibus, donec ſuper ejusdem modi argumento perfectius aliquid edetur, tamquàm è fodinis felicibus, venâq; divite, magnam vim auri & argenti in ærarium veſtrum ſpirituale congeſti poteritis interim depromere. Hoc vobis à communi Domino, & largum in nos donorum cæleſtium imbrem precor, petoq; ut mei memoriam in ſacrificiis & orationibus veſtris conſervare non dedignemini. Romæ, in Domo Profeſſâ, V. Dec. M.DC.VI.*

Omnium ſervus in Domino

BERNARDUS DE ANGELIS.

EPISTO-

EPISTOLA I.

S. P. N. IGNATII

Ad

Patres & Fratres Societat. IESV, qui ſunt in Luſitaniâ.

DE OBEDIENTIÆ VIRTVTE.

Summa gratia, & amor æternus IESV CHRISTI Domini noſtri ſalutet vos, ac viſitet cum ſuis ſummis donis & gratiis ſpiritualibus.

1.

MAGNAM animi voluptatem capio, Fratres in Chriſto cariſſimi, cùm affertur ad me, quàm acri ſtudio conatuque ad ſummam virtutis ac divini obſequii perfectionem enitamini, beneficio illius, qui vos, ut ad hoc vitæ Inſtitutum vocavit, ſic in eodem pro ſuâ clementiâ retinet, dirigitque ad beatum finem, ad quem, qui ſunt ab ipſo electi, perveniunt.

2 Atque ego ſanè cum vos omnibus donis ornamentiſque ſpiritualibus perfectos, tum verò (quod aliàs ex me cognoviſtis) in primis Obedientiæ virtute præſtantiſſimos eſſe cupio: idque non ſolùm ob eximia quædam ac ſingularia ejus bona, quæ tot, tamque illuſtribus ſacrarum litterarum teſtimoniis atque exemplis in Teſtamento æquè novo ac veteri comprobantur; ſed etiam quòd (ut eſt apud S. Gregorium) *Obedientia ſola virtus eſt, quæ virtutes ceteras menti inſerit, inſertaſque cuſtodit.* Hæc dum floruerit, florebunt procul dubio reliquæ, edentque fructus, quales & ego in animis veſtris exopto, & ſuo jure poſtulat is, qui humanum genus neglectæ Obedientiæ ſcelere afflictum ac perditum ſalutari ipſemet Obedientiâ reparavit, *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Greg. lib. 35. Moral. c. 10.

Ad Philipp. 2.

3 Ab aliis religioſis Ordinibus faciliùs patiamur ſuperari nos jejuniis, vigiliis, & ceterâ victus cultuſque aſperitate, quam ſuo quique ritu ac

diſciplinâ ſanctè ſuſcipiunt: verâ quidem ac perfectâ Obedientiâ, abdicationeque voluntatis atque judicii, cùm maximè velim, Fratres cariſſimi, eſſe conſpicuos, quicumque in hac Societate Deo Domino noſtro deſerviunt: ejusdemque Societatis veram germanamque ſobolem hac quaſi notâ diſtingui, qui numquàm intueantur perſonam ipſam, cui obediunt, ſed in eâ Chriſtum Dominum, cujus causâ obediunt. Siquidem Superiori, nec ſi prudentiâ, bonitate, ceterisve quibuslibet divinis donis ornatus inſtructusque ſit, propterea obtemperandum eſt; ſed ob id ſolum, quòd vices gerat
Luc. 10, 16. Dei, ejusdemque auctoritate fungatur, qui dicit: *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Nec contrà, ſive conſilio, aut prudentiâ minùs valeat, quidquam idcircò de Obedientiâ remittendum, quatenus ille Superior eſt: quando illius perſonam refert, cujus ſapientia falli non poteſt: ſupplebitque ipſe, quidquid miniſtro defuerit; ſive probitate, aliisque ornamentis careat. Siquidem diſertis verbis Chriſtus Dominus cùm
Matth. 23. 2. & 3. dixiſſet, *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi;* protinus addidit: *Omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite; ſecundum opera verò eorum nolite facere.*

4 Quocircà ſedulo vos in eam curam, atque exercitationem incumbere cupio, ut Chriſtum Dominum in Superiore quolibet agnoſcere ſtudeatis; in eoque divinæ Majeſtati reverentiam atque obedientiam ſummam cum religione præſtare. Quod vobis minùs mirum videbitur, ſi animadverteritis præceptum eſſe ab Apoſtolo, ut Superioribus etiam ſæcularibus ethnicisque pareamus, ut Chriſto, ex quo omnis poteſtas benè inſtituta de-
Epheſ. 6. v. 5. 6. 7. ſcendit: ſic enim ſcribit ille ad Epheſios, *Obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto: non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes; ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo; cum bonâ voluntate ſervientes, ſicut Domino, & non hominibus.* Atque hinc exiſtimare poteritis ipſi, cùm ſe religioſus quispiam regendum ac moderandum alteri tradidit, non ſolùm ut Superiori, ſed etiam nominatim, ut Chriſti partes agenti; quo illum loco apud animum ſuum habere, utrùm ut hominem, an ut Chriſti vicarium debeat intueri.

5 Iam verò illud etiam vobis clarè compertum eſſe, ac in animis veſtris penitùs inſidere vehementer cupio, infimam, & valdè imperfectam eſſe primam illam Obedientiæ formam, quæ mandata dumtaxat opere exequitur;

quitur: nec virtutis nomine dignam, niſi ad alterum gradum aſcendat, qui voluntatem Superioris ſuam efficiat, & cum eâ ita concordet, ut non ſolùm in effectu executio appareat, verùm etiam in affectu conſenſio; ſicque idem velit uterque, idem nolit. Atque propterea in ſacris litteris legimus, *Melior eſt Obedientia, quàm victimæ.* Siquidem (ut Sanctus Gregorius docet) *per victimas aliena caro; per Obedientiam verò voluntas propria mactatur.* quæ quidem pars animi, quoniam eſt adeò præſtans, ſic fit, ut ejus oblatio, Domino ac Creatori noſtro per Obedientiam facta, magni ſit æſtimanda.

1. Reg. 15. 22.
Greg. lib. 35. Moral. c. 10.

6 Quanto in errore, quamque periculoſo verſantur, non dico ſolùm ii, qui in iis, quæ ad carnem & ſanguinem pertinent; ſed illi etiam, qui in rebus alioquin admodùm ſanctis ac ſpiritualibus, (ut jejuniis, precationibus, aliisve quibusvis pietatis operibus) fas putant à præſcripto Superioris ac voluntate diſcedere. Audiant quod ſapienter adnotat Caſſianus in Collatione Danielis Abbatis: *Unum ſanè*, inquit, *atque idem inobedientiæ genus eſt, vel propter operationis inſtantiam, vel propter otii deſiderium, ſenioris violare mandatum: tamque diſpendioſum eſt pro ſomno, quàm pro vigiliâ, Monaſterii ſtatuta convellere. Tantum denique eſt Abbatis tranſire præceptum, ut legas; quantum ſi contemnas, ut dormias.* Sancta fuit actio Marthæ, ſancta contemplatio Magdalenæ, ſancta pœnitentia, & lacrymæ, quibus pedes Chriſti Domini rigabantur: ſed hæc omnia nimirum oportuit fieri in Bethaniâ, quam vocem domum Obedientiæ interpretantur: ut eâ re, quemadmodùm ait S. Bernardus, nobis ſignificare voluiſſe Dominus videatur, nec ſtudium bonæ actionis, nec otium ſanctæ contemplationis, nec lacrymam pœnitentis, extra Bethaniam illi accepta eſſe potuiſſe.

Col. 4. c. 20.
Serm. ad miſſ. Templi c. 13.

7 Quocircà voluntates veſtras (Fratres cariſſimi) quoad ejus fieri poteſt, omnino deponite: libertatem Conditori veſtro, quam vobis ipſemet elargitus eſt, in ejus miniſtris liberè tradite ac dicate. Nolite exiguum veſtri liberi arbitrii fructum putare, quòd liceat vobis illud, à quo id accepiſtis, eidem per Obedientiam plenè reddere. Quod cum facitis, non modò non perditis ipſum, verùm etiam augetis atque perficitis: quippe qui veſtras omnes voluntates certiſſimâ rectitudinis regulâ moderamini, voluntate divinâ, quam videlicet interpretatur is, qui vobis Dei nomine præſidet.

8 Itaque diligenter illud etiam cavendum eſt, ne Superioris ullo unquam tempore voluntatem (quam ducere pro divinâ debetis) ad veſtram detorquere nitamini: id enim eſſet non veſtram divinæ conformare, ſed divinam veſtræ voluntatis normâ regere velle, ejuſdem divinæ Sapientiæ ordinem invertentes. Sanè quàm magnus eſt error, & quidem eorum, quos amor ſui obcæcavit, obedientes exiſtimare ſeſe, cùm Superiorem ad id, quod ipſimet volunt, aliquâ ratione pertraxerint, Sanctum Bernardum in hac re præclarè exercitatum audite: *Quiſquis*, inquit, *vel apertè, vel occultè ſatagit, ut quod habet in voluntate, hoc ei ſpiritualis Pater injungat, ipſe ſe ſeducit, ſi fortè ſibi quaſi de Obedientiâ blandiatur: neque enim in ea re ipſe Prælato, ſed magis ei Prælatus obedit.* Quæ cum ita ſint, quisquis ad obedientiæ virtutem velit pervenire, oportet ad hunc ſecundum Obedientiæ gradum aſcendat, ut Superioris non ſolum juſſa exequatur, ſed etiam ejus voluntatem ſuam faciat; ſeu potius ſuam exuat, ut divinam à Superiore expoſitam induat.

Bern. in Serm. de trib. ord. Eccleſ. ad Patres in Capitulo.

9 Qui verò ſe totum penitus immolare vult Deo, præter voluntatem intelligentiam quoque (qui tertius & ſummus eſt gradus Obedientiæ) offerat neceſſe eſt; ut non ſolùm idem velit, ſed etiam ut idem ſentiat, quod Superior, ejusque judicio ſubjiciat ſuum, quoad poteſt devota voluntas intelligentiam inflectere. Quæ vis animi, tametſi non eâ, quâ voluntas pollet, libertate prædita eſt, atque ipsâ naturâ fertur ejus aſſenſus in id, quod ſibi veri ſpeciem præbet; tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognitæ veritatis evidentia vim illi non infert, poteſt voluntatis pondere in hanc potius, quam in illam partem inclinari. Quæ res cum incidunt, debet, quisquis Obedientiam profitetur, inclinare ſeſe in ſententiam Superioris. Etenim cum Obedientia ſit quoddam holocauſtum, quo totus homo ſine ulla prorſus imminutione Conditori ſuo ac Domino per manus miniſtrorum in caritatis igne immolatur; cumque ſit eadem renuntiatio quædam integra, per quam omni ſuo jure ſponte decedit religioſus, ut divinæ providentiæ Superioris ductu gubernandum ac poſſidendum ultro ſeſe addicat ac mancipet; negari non poteſt, quin Obedientia comprehendat non ſolùm executionem, ut imperata quis faciat, & voluntatem, ut libenter faciat; ſed etiam judicium, ut quæcumque Superior mandat ac ſentit, eadem inferiori & recta & vera eſſe videantur, quatenus, ut dixi, vi ſuâ poteſt voluntas intelligentiam flectere.

10 Vtinam

10 Vtinam hanc mentis ac judicii Obedientiam ita & intelligerent homines & exercerent, ut grata Deo eſt, ac omnibus, qui in religione vivunt, neceſſaria. Nam ut in corporibus globisque cæleſtibus, ut alius alium afficiat moveatque, requiritur, ut certâ quadam convenientiâ & ordine inferior orbis ſuperiori ſubjiciatur; ſic in hominibus, cùm alter alterius auctoritate movetur (quod per Obedientiam fit) oportet, ut is, qui ab alterius nutu pendet, ſubſerviat & obſecundet, ut virtus ab imperante ad eum derivetur & influat. Hæc autem obtemperandi, obſecundandique ratio conſtare non poteſt, niſi voluntas ac judicium inferioris cum Superioris voluntate ac judicio congruat.

11 Iam verò ſi finis & cauſſa Obedientiæ ſpectatur, quemadmodum voluntas, ita & judicium in eo, quod nobis convenit, decipi poteſt: ergo ſicuti, ne voluntas erret, cum Superioris voluntate conjungitur; ſic intelligentia, ne fallatur, ad Superioris intelligentiam conformanda eſt. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, ſacræ litteræ monent. Atque in rebus etiam humanis cenſent Sapientes, verè prudentis eſſe, ſuâ ipſius prudentiâ minimè fidere, præſertim in rebus ſuis, quarum homines animo perturbato ferè boni judices eſſe non poſſunt. Quòd ſi in rebus noſtris, alterius etiam non ſuperioris, judicium atque conſilium noſtro anteponendum eſt; quantò magis ipſius Superioris, cui nos, ut Dei vicem gerenti, ac divinæ voluntatis interpreti, moderandos tradidimus? In cauſſis verò, perſonisque ſpiritualibus eô major etiam cautio proculdubio eſt neceſſaria, quò gravius eſt ſpiritualis viæ periculum, cum ſine frenis conſilii diſcretionisve in eâ decurritur. Quâ de re commodè Caſſianus in Collatione Abbatis Moſi ait: *Nullo alio vitio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quàm cum neglectis conſiliis Seniorum, ſuo judicio perſuaſerit, definitionique confidere.*

Prov. 3. 5.

Coll. 2. c. 11.

12 Præterea, niſi hæc Obedientia judicii exiſtat, fieri non poteſt, ut vel conſenſus voluntatis, vel executio talis ſit, qualem eſſe oportet. Naturâ enim ita comparatum eſt, ut animi noſtri vires, quæ appetitivæ dicuntur, ſequantur apprehenſivas: & niſi adhibitâ vi, voluntas, judicio repugnante, diu obtemperare non poterit. Quòd ſi forte quis aliquo temporis ſpatio obediat per communem illam apprehenſionem, quâ cenſetur perperam etiam præcipienti parendum eſſe; certe id ſtabile ac fixum eſſe non poteſt. Atque ita perſeverantia deficit, vel ſaltem Obedientiæ perfectio,

quæ in promptè & alacriter obediendo conſiſtit: non enim ibi poteſt eſſe alacritas ac diligentia, ubi eſt animorum ſententiarumque diſſenſio. Perit etiam exequendi ſtudium & celeritas, cum ambigitur, expediat nec ne, facere, quod jubemur: perit celebris illa Obedientiæ cæcæ ſimplicitas, cùm apud nos ipſos in quæſtionem vocamus, rectene præcipiatur, an ſecus; atque etiam fortaſſe damnamus Superiorem, quod ea mandet, quæ nobis non ita jucunda ſunt: perit humilitas, quoniam etſi ex altera parte paremus, ex alterâ tamen nosmetipſos Superiori præferimus: perit in rebus arduis fortitudo: perit denique (ut ſummatim complectar) virtutis hujus vis omnis ac dignitas. Succedunt autem in eorum locum dolor, moleſtia, tarditas, laſſitudo, obmurmurationes, excuſationes, aliaque vitia non ſane levia, quibus Obedientiæ pretium ac meritum prorſus extinguitur. Itaque S. Bernardus, de iis, qui graviter ferunt imperata minùs ſibi ſuavia, ſic ait: *Hæc ſi moleſtè cœperis ſuſtinere, ſi dijudicare Prælatum, ſi murmurare in corde; etiamſi exteriùs impleas, quod jubetur, non eſt hæc virtus patientiæ, ſed velamentum malitiæ.* Quod ſi pax & tranquillitas animi quæritur, certè hac non fruetur is, qui habet intra ſeſe cauſſam perturbationis atque tumultus, diſſenſionem videlicet judicii proprii ab Obedientiæ lege.

Serm. 3. de Circumciſ.

13 Atque idcircò tuendæ concordiæ cauſâ (quæ ſocietatis omnis eſt vinculum) tantopere hortatur Apoſtolus, *ut id ipſum omnes ſapiant, & dicant;* nimirum ut conſentientibus & judiciis & voluntatibus mutuo foveantur & conſerventur. Iam ſi unum eumdemque oportet eſſe membrorum ſenſum & capitis; facile cernitur, utrum ſit æquius, caput membris, an membra capiti conſentire. Atque ex his quidem, quæ dicta ſunt hactenus, ſatis apparet, Obedientia judicii quam ſit neceſſaria.

Rom. 15. 5. 1. Cor. 1. 10. 2 Cor. 13. 11. Philip. 2. 2.

14 Quam vero ſit eadem ipſa perfecta, grataque Domino, inde primum oſtenditur, quod per eam præſtantiſſima pars hominis ac pretioſiſſima Domino conſecratur: deinde quòd Obediens ita fit holocauſtum vivum, gratumque Majeſtati divinæ, cum nihil ſuimet omnino retineat: poſtremo, quod magna eſt hujus certaminis difficultas: frangit enim ſeſe Dei cauſſa Obediens ipſemet, reſiſtitque naturali propenſioni, quæ omnibus hominibus inſita eſt ad ſuam complectendam ſequendamque ſententiam. Ex his igitur rebus efficitur, ut Obedientia, tametſi propriè voluntatem perficere videatur, quippe quam reddit ad nutum Superioris promptam ac paratam, nihilominus ad intelligentiam quoque ipſam, ut diximus, pertinere debeat,

eamque

eamque inducere ad ſentiendum id ipſum, quod ſentit Superior: ſic enim fiet, ut omnibus connixi viribus, & voluntatis & intelligentiæ, ad executionem celerem atque integram veniamus.

15 Videor mihi vos (Fratres cariſſimi) audire dicentes, de virtutis quidem hujusce neceſſitate jam non ambigere; illud verò ut cognoſcatis vehementer optare, quo pacto ad ejus perfectionem pervenire poſſitis. Huic ego quæſtioni cum S. Leone ita reſpondeo: *Nihil arduum eſt humilibus, & nihil aſperum mitibus*: modò non deſit vobis humilitas, non deſit manſuetudo, non utique deerit Deo benignitas ad vos adjuvandos, ut quæ ſibi promiſiſtis, ea præſtare poſſitis, animo non ſolum æquo, ſed etiam libenti. *Serm. 5. de Epiphaniâ.*

16 Præterea vobis tria nominatim propono, quæ ad Obedientiam judicii comparandum multùm juvant. Primum illud eſt, ut, quemadmodum initio dixi, non intueamini in perſona Superioris hominem obnoxium erroribus atque miſeriis; ſed Chriſtum ipſum, qui eſt ſapientia ſumma, bonitas immenſa, caritas infinita, qui nec decipi poteſt, nec vos vult ipſe decipere. Et quoniam conſcii vobiſmet eſtis, vos Dei amore jugum Obedientiæ ſubiiſſe, ut in Superioris voluntate ſequenda, voluntatem divinam certiùs ſequeremini; nolite dubitare, quin pergat fideliſſima Domini caritas, eorum miniſterio, quos vobis præfecit, vos deinceps gubernare, & rectis itineribus ducere. Itaque Superioris vocem ac juſſa non ſecus ac Chriſti vocem excipite. Siquidem Apoſtolus etiam in hanc ſententiam ſcribens ad Coloſſenſes, cum ad obtemperandum Præpoſitis ſubditos adhortatur, ait: *Colloſſ. 3. 23.* *Quodcumque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus; ſcientes quòd à Domino accipietis retributionem hereditatis. Domino Chriſto ſervite.* Sanctus vero Bernardus, *Sive Deus*, inquit, *ſive homo, Vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reverentiâ deferendum; ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.* *In tract. de Præcepto, & diſpenſat. cap. 12.* Atque ita, ſi non hominem externis oculis, ſed Deum inſpexeritis internis, haud ſanè grave fuerit vobis, voluntates veſtras atque judicia conformare ad eam regulam actionum veſtrarum, quam ipſimet elegiſtis.

17 Altera eſt ratio, ut, quod Superior mandat vel ſentit, defendere ſemper apud animos veſtros ſtudiosè nitamini, improbare autem nequaquam. Atque ad eam ipſam rem proderit, bene animatos affectosque eſſe ad id omne, quod ipſe juſſerit: ſic enim fiet, non ſolum ut ſine moleſtiâ,

ſed etiam ut cum voluptate, lætitiaque pareatis: nam (ut eſt apud S. Leonem) *Non dura ibi neceſſitate ſervitur, ubi diligitur, quod jubetur.*

Serm. 4. de jejunio ſeptimi menſis.

18 Poſtrema ſubjiciendi judicii ratio eſt, cum facilior tutiorque, tum etiam apud ſanctos Patres in more poſita, ut ſtatuatis vobiſcum ipſi, quidquid Superior præcipit, ipſius Dei præceptum eſſe & voluntatem: atque, ut ad credenda, quæ Catholica fides proponit, toto animo aſſenſuque veſtro ſtatim incumbitis, ſic ad ea facienda, quæcumque Superior dixerit, cæco quodam impetu voluntatis parendi cupidæ, ſine ulla prorſus disquiſitione feramini. Sic egiſſe credendus eſt Abraham, filium Iſaac immolare juſſus. Sic novi Teſtamenti tempore aliqui è ſanctis Patribus iis, quos commemorat Caſſianus, ut Ioannes Abbas, qui, quod erat ei imperatum, non reputabat utiléne eſſet an inutile; ut cum aridum lignum tanto ac tam diuturno labore per annum irrigavit: nec utrum fieri poſſet, necne, ut cum conatus eſt tam ex animo ingens ſaxum ſolus dimovere loco, quod ne multi quidem ſimul homines impellere potuiſſent. Quod Obedientiæ genus ipſis interdum miraculis divinitus comprobatum videmus. Nam (ut alios taceam, quos ipſi non ignoratis) Maurus, S. Benedicti diſcipulus, mandato Superioris lacum ingreſſus, nec merſus eſt: alius quidam à Superiore juſſus leænam ad ſe ducere, illam cepit atque perduxit. Eſt igitur hæc ratio ſubjiciendi proprii judicii, ac ſine ulla quæſtione ſanciendi & collaudandi apud ſe quodcumque Superior juſſerit, non ſolum ſanctis viris uſitata, ſed etiam perfectæ Obedientiæ ſtudioſis imitanda omnibus in rebus, quæ cum peccato manifeſto conjunctæ non ſunt.

Gen. 22.

Lib. 4 c. 24. & 26.

Gregor. 2. dial. c. 7. In vitis Patrum lib. 5. libel. 14. n. 4.

19 Nec tamen idcirco vetamini, ſi quid forte vobis occurrat à Superioris ſententia diverſum, idque vobis (conſulto ſuppliciter Domino) exponendum videatur, quo minus id ad Superiorem referre poſſitis. Verum in hac re ne vos amor veſtri, judiciumque decipiat, illa cautio eſt adhibenda, ut animo ſitis & ante & poſt relationem æquiſſimo, non ſolum quod pertinet ad eam rem, de qua agitur, vel ſuſcipiendam vel deponendam; ſed etiam ad approbandum, rectiusque putandum, quidquid Superiori placuerit.

20 Atque hæc, quæ de Obedientia diximus, æque privatis erga proximos Superiores, atque Rectoribus Præpoſitisque localibus erga Provinciales, Provincialibus erga Generalem, Generali denique erga illum, quem Deus ipſi præfecit, nempe ſuum in terris Vicarium, obſervanda ſunt: ſic, ut & ordinum perfecta diſtinctio, ac proinde pax retineatur & caritas, ſine quâ nec

nec Societatis noſtræ, nec alterius cujuslibet ſodalitii poſſet recta gubernatio conſervari. Nimirum hoc modo Providentia illa divina, *diſponit omnia ſuaviter*, infima per media, media per ſumma, ſuos ad fines cuncta perducens. Hinc illa videlicet in Angelis unius Hierarchiæ ad aliam ſubordinata series: hinc & cæleſtium, & aliorum omnium, quæ cientur, corporum certis locis ac ſedibus inter ſeſe apta connexio, quorum converſiones ac motus ab uno movente ſupremo gradatim omnes usque ad infimos ritè proveniunt. Idem in terris cum in omni civitate bonis inſtitutâ legibus, tum verò in Hierarchia Eccleſiaſtica cernitur, cujus omnia membra & functiones ab uno generali Chriſti Domini Noſtri Vicario derivantur. Et quò accuratiùs hæc diſpoſitio & collocatio cuſtoditur, eò rectior eſt gubernatio & melior. Contrà verò hujus ordinis negligentia, quam gravia incommoda multis hominum ſocietatibus importentur, nemo non videt. Atque idcircò in hac, cujus mihi nonnullam procurationem ac curam Dominus tradidit, tam diligenter hanc virtutem exerceri, vigereque percupio, quaſi in ea Societatis noſtræ bonum ac ſalus univerſa conſiſtat. Sap. 8.

21 Quæ cum ita ſint, ut unde exorſa eſt, ibidem terminetur epiſtola, vos ego per Chriſtum Dominum Noſtrum obteſtor, qui ſeſe nobis non modò præceptorem, ſed etiam exemplar præbuit Obedientiæ, ut ad eam virtutem toto pectore incumbatis, & glorioſæ victoriæ appetentes atque avidi, vosmetipſos ſuperare, id eſt, excelſiorem & difficiliorem animi partem, voluntatem, dico, atque judicium expugnare & ſubjicere ſtudeatis: quò Dei Domini Noſtri ſolida veraque cognitio atque amor veſtros ad ſe animos penitùs trahat, totoque vitæ hujus, & quaſi peregrinationis curriculo usque eò gubernet ac regat, dum vos demum, aliosque complures, veſtra opera exemploque adjutos, ad ultimum & feliciſſimum finem, nimirum ad beatitudinem ſempiternam perducat. Veſtris ad Deum precibus me valdè commendo. Romæ VII. Kal. Aprilis, M. D. LIII.

Omnium ſervus in Domino,

IGNATIVS.

EPISTOLA
S. P. N. IGNATII,
Ad
Patres & Fratres Societatis IESV,
qui ſunt in Hiſpania.
DE PERFECTIONE RELIGIOSA.

Gratia & amor æternus IESV CHRISTI Domini Noſtri ſit ſemper in favorem & auxilium veſtrum. Amen.

I.

SÆpe, cum litteris Fratris noſtri Simonis, tum à Sanctacruce, de vobis nuntios accepi. Neque Deum fugit, bonorum omnium fontem, quantam lætitiam animo & conſolationem hauſerim, cum quibus ſtimulis Divina Majeſtas veſtra in virtutem ſtudia incitaret, accepi. Quod etiam in his plagis tanto à veſtris locorum intervallo & longinquitate disjunctis, magno eſt multis animo & exemplo. Atque illud quidem omni vero germanoque Chriſtiano, meritiſſimo jure, lætandum intelligo, cum & Dei creatoris noſtri gloriam quantam maximam honoremque diligere, & ipſius imaginis, quam pretioſo ſanguine unigeniti Filii ſui redemit, utilitate emolumentoque gaudere, communi omnes obligatione teneamur: mihi vero in primis in Domino lætandum, qui non modò nulli in hoc genere cedere, ſed peculiari etiam amore veſtri ardere & flagrare debeam. Sit laus & gratia Deo Creatori noſtro, ex cujus infinita liberalitate & munificentia bonorum omnium ratio gratiæque redundat. Faxit Divina Majeſtas, ut ſuus ille fons divinæ miſericordiæ, largiori in dies perennitate ſcaturiat, ut quod in vobis clementer inchoavit, aſſidua acceſſione, cumuloque perficiat. Nec verò dubito, quin ſumma ejus bonitas, immenſus amor, caritaſque paterna (quæ ad perfectionem nobis ſponte largiendam, quam nos ad eamdem veſtigandam paratior eſt) ad egregios exitus ſua cœpta perducat: quod ſi ſecus haberet, æternus ejus Filius ad eam perfectionem, quæ à ſola

ſola ipſius benignitate dependet, nequaquam in hæc verba nos hortatus fuiſſet: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt:* ut quod ad illum attinet certum omnino ſit, illum ſemper eſſe ad liberalitatem paratum: modo altam in nobis profundamque humilitatem, & dignum ſua gratia deſiderium inveniat, & bene acceptis beneficiis uti, & in impigra gratiæ cooperatione verſari inceſſanter, nos videat. Quo ſanè in genere committendum non puto, ut qui veſtrûm in hoc virtutis ſtadio, bravii ſtudio gratiaque decurrunt, non eos ſuis aculeis incitandos ſuſcipiam. Quamobrem veſtrum eſt, ad acquirendam virtutem veſtram omnem operam induſtriamque convertere; ſi quam non modò in veſtro regno, ſed alibi paſſim, in multorum animis expectationem concitaſtis, ſuſtinere velitis: qui cum vobis interiùs & exteriùs, ſuæ præſidiis gratiæ undequaque vallatis, & peculiari quodam favore dotatis, benignè Deum facientem aſpiciant, à vobis non immeritò inſignem quemdam fructum, & extraordinarium expectant. *Matth. 5. 48.*

2 Et verò, quem tanta, quanta vos ſerviendi Deo obligatio devincit, vulgari labore & famulatu non eſt contentus, qui par quidem obligationi ante veſtram vocationem fuiſſet, quia quod tunc temporis non in minimis erat ponendum, jam certè vobis in nihilum verteretur. Neque enim Deus vos ſolùm eduxit, *De tenebris in admirabile lumen ſuum; & tranſtulit in regnum Filii dilectionis ſuæ*, quod cum aliis fidelibus vobis voluit eſſe commune; verùm etiam ut meliùs puritatem ſtudiumque rerum ad ſuum obſequium pertinentium tueremini, è voragine illa gurgiteque mundano vos amanter extraxit: non ſolùm ut ne veſtra ſalus & innocentia in diſcrimen veniret in mediis procellis & tempeſtatibus iis, quas nunc bonorum & opum, nunc honoris & gloriæ, nunc voluptatum avidiſſimus turbo, ac importunus metus naufragii & jacturæ, excitare conſuevit; ſed etiam inſuper ut ne veſtrum animum humanæ res viles atque labiles irretitum tenerent, & veſtrum cor in varias partes diſtractum occuparent; quò gloriæ divinæ, quò veſtræ ſaluti, quò auxilio proximi, (quem in finem vos condidit) vos totos certatim penituſque dedatis. Tametſi autem quidquid Chriſtiana doctrina complectitur, ad eum vos finem dirigat & perducat; nihilo tamen ſeciùs vos eò vocavit, ut ad Dei gloriam, proximique ſalutem juge ſacrificium vos exhibeatis: ejus bonum & progreſſum ſpiritualem, non tantùm exemplis, deſideriis, internis orationibus aſſiduè procurando; ſed mediis *1. Petr. 2. 9. Coloſſ. 1. 13.*

etiam

etiam & inſtrumentis externis, quibus ut alter alteri ſuccurreret, & proximum juvaret, divina providentia præcepit. Atque inde videre licet, ad quàm celſum, nobile, & regale genus vivendi vos extulerit; cùm nec in hominibus, nec in ipſis Angelis, quàm in ſe Deum magnificè laudare, & ejus res creatas, pro earum captu, ad ipſum convertere, nullum exercitium officiumque ſublimius reperiri poſſit.

3 Gaudete igitur, & infinitas agite Deo gratias pro tanto beneficio: cui utcumque pares ut eſſe poſſitis, particularis gratiæ ab ipſo auxilium opemque poſtulate. Nam magna certè vobis opus eſt diligentia, ut tantum finem aſſequi valeatis. Quæ retro ſunt, quæſo, in gratiam IESV CHRISTI obliviſcimini: & quaſi nunc primum tam longum iter ſuſciperetis, virtutis viam indefeſſo progreſſu alacriter metimini: & in bonis veſtris ſanctisque exercitiis ab omni tepore atque pigritia, tamquam ab hoſte capitali abhorrete. Illos ſibi quisque ad imitandum proponat, quos diligentia inſignes & magnanimitate videbit. Cavete, ne filii hujus ſæculi majori cura & ſollicitudine in caducarum rerum, quam vos æternarum aſſecutionem, incumbant. Pudeat, quod in mortem illi, quam vos in vitam, citatiori gradu ferantur. Viles, abjectos, imbelles vos, ignavosque putate, ſi vel unus in Aula reperiatur, qui ut terreni Principis favorem neſcio quem, & gratiam aucupetur, ipſius nutibus diligentius ſerviat, quam vos, ut gratioſi apud cæleſtem Regem, Imperatoremque evadatis: & ſi in bello miles generoſius pugnet ut victoriam obtineat, futilem gloriam colligat, exuvias conſequatur, quam vos ut de vobis victoria ſtrenue parta, æternam gloriam in cæleſti regno conſecuti triumphetis. Quocirca per IESVM CHRISTVM vos oro & obteſtor, ut nullum unquam in divino ſervitio teporem admittatis: quandoquidem, *Arcum frangit intenſio, animam remiſſio:* & contra, ut
Prov. 13. 4. teſtatur ſacra pagina, *Anima operantium impinguabitur.* Fovete ſemper in ſinu cordis veſtri vividum quemdam ſanctumque fervorem ad quosvis pro virtute exantlandos labores: quia rarum aliquod & eximium facinus ſexcentis vulgaribus minutisque antecellit: ad quem enim virtutis gradum multis annis piger non poteſt adrepere, exigua temporis intercapedine, diligens mirabiliter volat.

4 Certum eſt etiam, pigros, quod ſeipſos non vincant, nec ad animi pacem, nec ad perfectam unquam ullius virtutis poſſeſſionem venire; cum tamen diligentes utrumque paucis diebus facile conſequantur. Eodem

accedit

accedit, uſu ipſo & experientia patere, non ignavos & tepidos, ſed ardentes & gnavos in obſequio divino animi pace & tranquillitate potiri. Et merito quidem: dum enim in victoria ſui ipſorum laborant, ut amoris proprii ſe à vinculis laxent, usque ab imis fibris mœſtitiam, mœrorem, aliosque turbulentos motus animi evellunt, & ſenſim ſine ſenſu virtutum habitudines ſuis animis induunt, à quibus parati, quaſi natura duce, deinceps operantur, & ad ſanctam à Deo percipiendam lætitiam conſolationemque parantur: quia *Vincenti dabitur manna abſconditum.* At vero contra, Apoc. 2. 17.
negligentia & tepiditas ſemper mœſtos pariunt ignavo labores, quod illorum cauſſam, amorem nempe proprium, non procul amandet, nec bonis operibus Dei gratiam mereatur. Nullum ergo laborem in bonis omnibus, laudabilibusque exercitiis detrectare debetis: quia vel in hac vita, in ſtudio perfectionis religioſæ, & in conſtanti bonorum operum & virtutis exercitio, ſancti fervoris fructum deguſtandum capietis. Deinde ſi mentis oculos in gloriæ æternæ præmium mercedemque jaciamus, nullo negotio nobis illud Apoſtoli in animum inducemus: *Non ſunt condignæ paſſiones hu-* Rom. 8. 18.
jus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: quia, *Quod in* 2. Cor. 4. 17.
præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

5 Quòd ſi in mundo, in Chriſtianis omnibus, qui Dei cultum & obſequium profitentur, fervor ille elucere videtur; quanta vos tandem manet in cælo corona, ſi ad veſtram vocationem vos totos fingatis; cujus tota ratio non in eo ſolùm conſiſtit, ut ipſi apud Deum in famulatu ſimus, ſed ut alios multos ad eumdem trahamus? De illis enim ſic ſcripturæ loquuntur: *Qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ* fulgebunt *in perpetuas* Dan. 12. 3.
æternitates. Quod in illos convenit, qui & in ipſa ſpiritualium armorum tractatione, & in ſolerti ad illa præparatione, diligentiâ quàm maximâ ſua munera exequuntur. Neque enim ſufficit opera per ſe bona facere, ſed benè facere: cùm unus ex Prophetis dicat: *Maledictus, qui facit opus Do-* Hier. 48. 10.
mini negligenter. Et Apoſtolus: *Qui in ſtadio currunt, omnes quidem cur-* 1. Cor. 9. 24.
runt, ſed unus accipit bravium. Item: *Non coronatur, niſi* qui *legitimè* 2. Tim. 2. 5.
certaverit. Quod de illis dicitur, qui dum adhuc in vivis verſantur, ne latum quidem unguem de officio diſcedunt. At præter omnia velim unumquemque veſtrum cum zelo gloriæ Dei, proximorumque ſalutis, Iesv Christi Salvatoris noſtri puro & ſincero amore lucere.

6 Ad quem finem eſtis vocati, infractis animis enitimini; cùm tot ejus cauſſa vobis à Deo auxilia & inſtrumenta ſuppetant. Hæc inſtrumenta ſunt omnia gratiæ dona ſpiritualia, quibus nos in omni bono opere, nos, inquam, à natura ipſi adeò adverſos, rebelles, contumaces, hactenus prævenit & prævenire dignatur: hæc inſtrumenta ſunt, incredibiles promiſſiones ſuæ gloriæ, ut communione ſuæ immenſæ præſtantiæ, quod ipſe eſt naturâ, nos gratiâ evadamus: inſtrumenta denique, tota iſta rerum univerſitas eſt; cùm non ſolùm quæcumque ſubter, ſed etiam ſuper orbes cæleſtes ſunt, illæ nimirum omnes divinæ mentes, cæleſteſque Hierarchiæ noſtris ſint ab eo miniſteriis deſtinatæ: *Omnes* enim *ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hereditatem capient ſalutis.* Quòd ſi omnia hæc inſtrumenta ſufficere non videantur, ſe ipſe inſtrumentum præſtitit, cùm pretium noſtræ ſalutis in cruce ſe obtulit; & in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento in viaticum, & ducem hujuſce mortalis peregrinationis ſe dedit. Heu, quid illi ſufficiat, cui non tot bona & incitamenta ſufficiant, ut ad ſui Principis ſe obſequium componat? Et ut ad hoc majori promptitudine & alacritate curandum pluribus nominibus nos obſtrictos haberet, poſthabita quodammodo ſuæ infinitæ gloriæ, qua fruebatur, præſtantia, ut eamdem nobiſcum aliquando communicaret, tanto beneficio nos indignos affecit; noſtris miſeriis ſe onerans, ut nos illis levaret; ſeipſum vendi volens, ut nos redimeret; infamari, ut gloria donaret; pauper eſſe, ut ditaret; usque adeo denique infamem mortem ſibi deligere, ut nobis immortalem & beatam vivendi rationem impertiret. Itaque ſi vinculis obligationis tantæ vos ligatos videtis, & ad ejus ſervitium accretionemque gloriæ toto pectore aſpiratis; in hoc vos tempore verſari habetote, quod etiam atque etiam induſtriam veſtram zelumque requirit. Videte, quantulus honor divinæ Majeſtati in præſens habeatur, veneratio exhibeatur, obedientia præſtetur. Imò vero cum intimo maximoque dolore diligenter videte, in quantâ ubique gentium ignoratione verſetur, nomen ejus blaſphemis vocibus proſcindatur; & IESV CHRISTI ſempiternæ Sapientiæ doctrina contemnatur, vita repudietur, pretium ſanguinis vileſcat, & quadam ratione, quantum in nobis eſt, penitus perdatur, & in nihilum occidat. Tanta illorum paucitas, qui ad ſalutem utantur.

Hebr. 1. 14.

7 Videte veſtrum proximum tamquam imaginem ſanctiſſimæ Trinitatis, ipſius gloriæ capacem, cui totus orbis, utpote templo ſancti Spiritus,

membro

membro IESV CHRISTI, pretioſo ejus ſanguine redempto, famulatur; videte, inquam, proximum, quot & quantas miſerias incurrat, in quibus tenebris ignorantiæ jaceat, quibus terreſtrium deſideriorum, vanarum opinionum, impotentium appetituum procellis obruatur; quot & quantorum hoſtium impreſſione laceſſamur & impugnemur, cum periculo perdendi non recculas caducas & perituras, ſed regnum gloriæ & felicitatem æternam; & ſimul incidendi in pœnas intolerabiles & ſupplicia ſempiterna: videte, inquam, ut IESV CHRISTI gloriam, honoremque defendere, & proximi ſalutem procurare debeatis; & certe videbitis, quanta ad quoscumque ſuſcipiendos labores præparatio ſit adhibenda, ut apta ad eum finem vos divinæ gratiæ inſtrumenta præſtetis, præſertim cum tam rarum ſit bonorum operariorum genus, qui quærant, non quæ ſua ſunt, ſed quæ IESV CHRISTI.

8 Atque eo conſilio ita locutus ſum, ut vos excitarem; & ad eorum, qui parum feſtinant, tarditatem curſus, pernicitatem adjungerem; non ut in aliud extremum minus cauti fervoris vos impellerem: nam ex tepore pariter & fervore nimio, morbi animi proficiſcuntur: *Rationabile obſequium veſtrum*, inquit Apoſtolus: & regius Propheta, *Honor Regis judicium diligit*; ſcilicet diſcretionem: & in Levitico divinitus præcipitur: *In omni oblatione tuâ offeres ſal.* Et verò hoſtis ille noſter nullâ re magis caritatem extinguit, quàm immodico & inconſiderato in virtute progreſſu. *Ne quid nimis*, ait parœmia. Quod cum in omnibus, tum etiam in juſtitiæ, ut monet Sapiens, rationibus obſervandum. ſic enim: *Noli eſſe juſtus multum.* Quæ ſi regula & moderatio abſit, bonum in malum deſinit, & virtus in vitium: ac inde incommoda, quæ cum mente illius, qui per extremum illud iter facit, depugnant, alia ex aliis quàmplurima enaſcuntur.

Rom. 12. 1. *Pſalm. 98. 4.* *Levit. 2. 13.* *Eccleſ. 7. 17.*

9 Primum illorum eſt, diu illum Deo ſervire non poſſe, ut equis accidit, qui poſt nimium iter in curſu fatiſcunt. Sic ſæpè uſu venit, aliorum operas noſtri gratiâ impediri, cùm noſtras aliis præſtare deberemus. Alterum eſt, illum ſibi moderari non poſſe, qui nimias celeritates præcipitanter ſuſcipiat. *Nam ſubſtantia feſtinata minuetur*, ait ſacra pagina. Atque ita æſtus & præcipitatio caput ruinæ eſt. *Qui enim feſtinus eſt pedibus, offendit.* Tertium eſt, illi curæ non eſſe, periculo nimii & inſolentis oneris ſuam navem liberare. Quia ſi periculoſum eſt, illam ad portum fortunatum appellere, non minoris periculi & diſcriminis eſt, tantum illi pon-

Prov. 13. 11. *Proverb. 19. 2.*

dus atque onus imponere, ut neceſſariâ depreſſione ſubſidat. Quartum eſt, novum hominem, non autem, ut par erat, veterem crucifigi, cùm præ debilitate, exercendæ virtuti vacare non poſſit. Atque ex S. Bernardo, per immodicum illum fervorem quatuor nobis injuſtè ſubripiuntur, nimirum, *Corpori effectus, animo affectus, proximo exemplum, Deo honor:* ut qui ita ſe gerit, tamquàm ſacrilegus, quod templum Dei vivum tam malè habuerit, illorum omnium ſit, quæ attigimus, reus; & rationem Deo reddere teneatur. Ad hæc ſuum proximum bono fraudat exemplo, quòd unius caſus ceteris ſit terrori, & multorum fervori in viâ virtutis teporem adſpergat, & ita próximo offendiculum pariat. Quamobrem idem Sanctus hujuſcemodi hominem, reum veritatis, & inimicum pacis nominatim proclamat. Præterea genus illud hominum arrogans, ſuperbum, glorioſum esſe ſolet, & in judicio ſuo ceteris præferendo, & in eo ſaltem, in quod jus non habet, ſibi arrogando, cum in propriâ cauſsâ, quod Superioris eſt, perſonam velit judicis ſuſtinere. His autem incommodis alia quædam accedunt: nempe tot armorum onus ſubitur, (quod Davidi contigit in armis Saulis) ut uſus nullus illorum conſequatur: & calcaria quidem, nullum autem frenum indomito equo intractabilique paratur. Vt diſcretio & prudentia fit opus, quæ, ut optimè D. Bernardus monet, inter utrumque extremum progrediatur. *Bonæ*, inquit, *voluntati non ſemper credi expedit, ſed frenanda eſt, ſed regenda eſt, & maximè in incipiente.* Si vero vobis rara & inventu difficilis diſcretio videbitur, per obedientiam, ad quam confugiendum, ejus defectum ad ſecuritatem ſupplete. Quod ſi quis proprio velit adhærere judicio, D. Bernardum audiat: *Quidquid ſine voluntate vel conſenſu Patris ſpiritualis fit, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi.* Et divini illius refricate memoriam: *Quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare; & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere.* Quapropter per obedientiam voluntates veſtras & judicia mactate, & nimiam corporis debilitationem vitate.

1. Reg. 17 39.

Bernard. ad Frat. de monte Dei de vitâ ſolit.

1. Reg. 15. 23.

10 Neque tamen putetis velim, diſplicere mihi, aut ſuam apud me laudem non obtinere, quod de veſtris per litteras mortificationibus accepimus: ſiquidem non me præterit, Sanctos olim ſanctas id genus inſaniendi rationes, præſertim ſuæ converſionis initio, magno ſuo fructu & progresſu virtutis, ad ſui victoriam & majorem virtutis acquiſitionem adhibuiſſe: ſed illi, qui dante Deo, ſuæ jam voluntatis & amoris proprii victores evaſerunt,

runt, longe certe ſatius erit, ut ſe ad normam moderationemque diſcretionis componant, nec ab obedientia recedant, quam vobis maxime, & illam pariter commendo virtutem, quæ alias omnes continet, cuique Præcepti nomen Dominus noſter fecit his verbis: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem.* Neque vero dumtaxat invicem vos perpetuo diligere & amare debetis, ſed amorem illum omnibus communicare, excitantes in vobis, quoad ejus fieri poterit, ſalutis proximi ardentia deſideria, & juſtam illius, ut IESV CHRISTI ſanguine & morte redempti, rationem habentes: ut ea præparatione, & internæ caritatis incremento, apta divinæ gratiæ ad cooperationem tam arduam & præſtantem convertendi animas ad Deum finem noſtrum ultimum, inſtrumenta evadatis. Neque vos proximo inutiles eſſe credatis, quamdiu affectiones hujusmodi ſentietis: quia præter fructum veſtrum, multis modis illi vos fructuoſos præbetis: in primis quidem præſenti labore, & illius ſuſcipiendi intentione, cum vos omnino totos ad ejus inſtructionem & ædificationem formetis. Etenim quando miles egregiis armis ad ſua cœpta ſe munit, nemo laborem ejus ad obſequium ſui Principis ſpectare negaverit, licet ante moriatur, quam vota ſua implere potuerit. Itaque ad alias peculiares pietatis rationes, cujusque veſtrum eſt quotidiana ſe Deo in proximi ſalutem, oblatione dicare. Secunda ratio juvandi proximi ſtudio pietatis virtutisque cenſetur: ex illo enim, ad eos, cum quibus agitis, pari pietate & virtute informandos, magna vobis aptitudo oborietur. In effectionem naturalium rerum præter communes cauſſas, ut cælum, aſtra, elementa, peculiaris & proxima (quod uſu conſtat & Philoſophiâ) cauſſa neceſſaria eſt, quæ formâ ſimili producendæ ſit prædita: perinde id eſt placitum divinæ Sapientiæ, ut cauſſa proxima, quâ utitur ad aliquem humilitate & caritate exornandum, earumdem virtutum ornamentis effulgeat. Itaque dum operam virtuti navatis, ſimul ſaluti proximi conſulitis. Nam licet ad perfectum abſolutumque inſtrumentum, vitæ ſanctimonia ſcientiaque requirantur; nihilo tamen minùs tum ad percipienda, tum ad communicanda dona ſancti Spiritus, multis partibus litteris bona vita antecellit. Tertia ratio eſt, virtutis veſtræ exemplum, ex quâ, non ſolum per veſtras, quæ Dei eſt gratia, ſed per omnes etiam regiones Europæ, bonus odor afflatur. Qui ſanctitatis & bonæ vitæ odor, ut in immenſum excreſcat, ſua dona noſtrum Dominum vobis conſervaturum aucturumque confido. Quarta ratio juvandi proximi

Ioan. 15. 12

(quæ longè & latè patet) ſanctis deſideriis precibusque continetur. Verùm haſce rationes & alias hujuscemodi, quarum non eſtis neſcii, melius didiciſtis ab illis, cum quibus agere & communicare licebit, quàm ego docere aut ſcribere valeam. Quamobrem multarum rerum ſcriptione abſtinebimus, quibus hoc tractare argumentum poſſemus: ſed cum ſcribam ex occaſione, acceperimque vos aliquid à me litterarum expetere; jam unis ad vos litteris me pariter & vos conſolandos putavi. Nihil aliud inpræſentiarum habeo, unum dumtaxat precibus à Deo Salvatore & Domino Noſtro ſuppliciter contendo, ut ſicut vos tantâ vocationis gratiâ dignari, & efficaci voluntate vosmetipſos ſibi conſecrandi, impertiri non dubitavit; ſic ſua dona donis, & gratiam gratiâ vobis cumulet, ut perpetuò in virtutem creſcatis, magisque ac magis in ſuo ſancto obſequio ad ſuam ipſius gloriam, & emolumentum Eccleſiæ, perſeveretis. Datum Romæ, IV. Nonas Martias, anno Domini M. D. XLVII.

Veſter in Domino Noſtro

IGNATIVS.

EPISTOLA
R. P. N. GENERALIS
IACOBI LAINES
Ad
Patres & Fratres Societatis IESV,
qui ſunt in India,
DE MAGNITVDINE SVSCEPTI OPERIS,
Et conſervatione ſpiritus
IN ILLA MISSIONE.

Gratia & pax Chriſti Domini ſit ſemper in animabus noſtris. Amen.

I.

ETſi minus neceſſarium videbatur ad vos peculiariter ſcribere, (cariſſimi in Chriſto Fratres) cum ſæpius ad Superiores de rebus neceſſariis litteras

ras demus; quæ autem ad ædificationem & conſolationem Noſtrorum faciunt, communibus litteris mittantur è Luſitania; vobiſcum tamen per haſce litteras nunc temporis colloqui volui, meque ipſum conſolari, in ſignum amoris erga vos mei: quippe quos omnes in corde, ipſaque anima inſcriptos ac penitus impreſſos geſto; & quorum cauſſa omnibus noſtris injunxi, ut quotidie ſpecialem quamdam orationem faciant, nec modo in Domo Profeſſa & Collegio Romano, verum etiam ubicumque Societas habet in Europa domicilium, oratione & interceſſione multorum ſimul animo unitorum, divina & ſumma bonitas dignetur vos ſervos magis ac magis perficere, & aptiora ſimul utilioraque reddere inſtrumenta divinæ ſuæ miſericordiæ, ac providentiæ ad converſionem tot animarum è tenebris infidelitatis & peccati, in lucem agnitionis, amoris, & libertatis filiorum Dei; atque ad eas tota cura juvandas, in hac difficili & plus ſatis impedita ſui ſervitii via; ut per eam tuto incedentes, ad ultimum & feliciſſimum finem, ſempiternam ſcilicet beatitatem, ad quam fruendam cum creatæ tum redemptæ à Chriſto Domino ſunt, poſſint feliciter pervenire.

2 Magno eos beneficio, & inſigni favore (Fratres cariſſimi) afficit divina bonitas, quos in hanc ſuam minimam Societatem, à ſæculi vanitate vocatos, nova impertit gratia juxta ejusdem Inſtitutum incedendi. Verumtamen, multo peculiarius donum accipiunt, quibus tam bona ſors obtigit, ut iſthic in excolendo novali Domini elaborent; ſive magnitudinem & momentum ſuſcepti operis conſideres, ſive operariorum in tam ſublime opus incumbentium prærogativam, & non minimam dignitatem.

3 Et momentum quidem ſuſcepti operis quantum ſit, liquidò conſtat: agitur enim non ſolum conſervatio, & auxilium Chriſtianorum, qui cum fide ſint illuſtrati, ſuæ ſalutis & initium & pignus jam acceperunt (in quod ipſum nos hîc etiam collimamus) verum & aliorum multorum, qui adhuc ceu vilia mancipia ſathanæ ſerviunt, & cum eo filii ſunt iræ ac perditionis, vindicatio in ſtatum ſanctæ veræque libertatis, & adoptionis filiorum Dei, coheredum Chriſti Domini Noſtri in cæleſti regno, & ſempiternâ felicitate.

4 Qualis autem & quanta ſit operariorum prærogativa, hinc intelligitur, quòd vobis peculiari quodam modo conceſſum eſt, non ſolum multa bona, Deo favente, præſtare, ſed etiam mala plurima, eodem juvante, pati; & neque paucos neque parvos labores Chriſti Redemptoris Noſtri amore

amore tolerare: ad hæc, præter ingenium, & induſtriam, vitam quoque ipſam continuis periculis ejus cauſſa ſpeciali quadam divinæ caritatis ratione prodigere, æmulantes in tam ſancti chariſmatis exercitio & merito, ipſos ſanctos Apoſtolos & Diſcipulos, quorum veſtigiis inſiſtitis, portantes nomen ejus coram gentibus, parati vivere ac mori ad gloriam divinæ Majeſtatis, & ſalutem animarum, quas ille tanto amore dilexit, tantoque pretio æſtimavit.

5 Et quamquàm ea caritas, quâ vos diligimus, invidiæ obnoxia neque ſit neque poſſit eſſe; multos nihilominus hîc ardens tenet deſiderium participandi vobiscum tantæ Miſſionis laborem. Et ſanè ſi eis ea fieret gratia, multos brevî ſocios in ſuſcepto opere haberetis: verumenimverò mittentur à nobis ſuo tempore, quotquot Deo libuerit in eum finem deligere, ita tamen ut non pauci ſuperſint ejusdem gloriæ cupidi.

6 Vnum hoc poſſum aſſeverare (Fratres cariſſimi) magnam iſthic habere vos ſolidarum virtutum & perfectæ vitæ conſectandæ obligationem. Mihi enim dubium omnino non eſt, propè infinitas occaſiones, & materiam tantum non continuam offerri vobis, ad virtutes tamquàm aurum in fornace, ita examinandas & purgandas igne laboris & tribulationis, necnon præſentiâ divinâ, quæ ad eos, qui tot anxietates ſui nomin s cauſſa patiuntur converſa, ſolet tantò majori copiâ divinas conſolationes augere, quantò major eſt humanarum inopia. Quod verò ad illud attinet, quò veſtri labores reſpiciunt in converſione & conſervatione multarum animarum, tantò utiliora efficacioraque inſtrumenta divinæ manus ac potentiæ eritis, quantò majori cum puritate, humilitate, obedientia, patientia, & caritate, patiemini vos ab ea poſſideri, duci, & gubernari. Id porro perſuaſum vobis eſſe debet, non modo ſocios, verum etiam externos, intentis in vos eſſe oculis, quibus omnibus non conſolationi dumtaxat, ſed auxilio etiam eſſe debetis, ut omnes magis ac magis animemur, & creſcamus in divino obſequio, cum veſtræ virtutis typo, ſanctique laboris, quem Chriſti cauſſa ſubitis, exemplo.

7 Præterea (Fratres cariſſimi) quamquam zelo divinæ gloriæ, & ſiti ſalutis animarum, debeatis ſemper creſcere interius, & foris mente conceptum ardorem patefacere operibus caritatis & miſericordiæ erga proximos; nihilominus in fatigando atque affligando corpore, ne videlicet opprimatur, certæ menſuræ ratio ſervanda; & bilancis æquum examen tenendum

nendum eſt; & ad conſervationem ſpiritus aliquid temporis pia ſollicitudine expendendum. Et quandoquidem vos ipſos Deo Creatori ac Domino noſtro tamquam hoſtias vivas obtuliſtis, ut totum id, quod in vobis eſt, impendatis in ea quæ ipſius attingunt ſervitium & gloriam, auxiliumque animarum; mementote ſic ea facienda, ut & corpus diu ferre poſſit laboris moleſtiam, non omiſſa cura ſanitatis, viriumque neceſſariarum; & anima ſui ipſius oblita non dormitet in iis, quæ ſua ſunt, ut ad ea, quæ aliorum ſunt, plus ſatis attendat: quando nequidquam univerſum mundum lucratur, qui animæ ſuæ detrimentum patitur, juxta ea, quæ aſſeruit Chriſtus Dominus noſter. Ipſa porro quo majorem faciet in virtute & perfectione progreſſum, tanto aptior ad auxilium aliarum futura eſt.

8 Eam ob rem valde caute ambulandum vobis eſt in medio nationis pravæ atque perverſæ, ut omnem puritatem in eâ conſervetis: & quantò plus deeſt de ſeptis domeſticis, vigilantia Superiorum, ordine, ac regulis Societatis (quæ omnia exacte ſervari à vobis nequeunt) tanto majori cura & ſollicitudine ſupplendum ſancto timore & amore Dei, diligenti obſervatione votorum ſubſtantialium, & ceterorum omnium, quæ Inſtituti noſtri cum ſint, commode obſervare poteritis: necnon aliqua recollectione, quæ quotidie facienda eſt per orationem, examen conſcientiæ & rationis converſandi cum proximo. Si tamen ita obruamini occupationibus, ut per eas nullus relinquatur locus attentioni quotidianæ, tempore ad id præſcripto; poteſtis nihilominus levi negotiorum interruptione, ſpatiolum aliquod ſumere; & frequenti memoria Dei, atque mentis ad eumdem elevatione, quamquam brevi, ſupplere continuationem exercitiorum, quæ ſolent fieri, quando commode licet per neceſſitatem proximorum.

9 Porro unum illud eſt neceſſarium, cogitare, cum tantâ occupationum turbâ dandos nihilominùs quotannis aliquot dies, quibus longè à nobis poſiti, atque ad converſionem & conſervationem Chriſtianorum attenti poſſitis vos colligere, vobis attendere, renovare ſpiritum, animum confirmare, & veſtræ converſationis rationem attentâ mentis acie conſiderare, ſi fortè aliquâ in re perfici queat, ad veſtrum majus bonum, & augmentum divinæ gloriæ, communicando quidquid commodè poteſt cum Superioribus, ipſiſque obediendo cum quantâ maximâ fieri poterit perfectione. Hoc enim pacto vos totos tradetis divinæ ſapientiæ, in ſanctiſſimo ejus obſequio dirigendos, ut certus ſum vos facere, & ſuavem paternamque in ve-

ſtris rebus providentiam experiri. Quapropter totâ mente ſupplico infinitæ illi ac ſummæ bonitati, ut eam continuò ſentiatis, veſtrumque omnium peculiari protectione curam habeat; vobisque ſanctam ſuam impertiat benedictionem, cum quâ in virtute creſcatis, numero, & fructu ſui ſancti ſervitii, & omnibus ubicumque gentium conſtitutis ſuam gratiam largiatur, ut ſemper agnoſcatis impleatisque ſanctiſſimam ipſius voluntatem. Veſtris ad Deum precibus me valdè commendo, cum omnibus, qui hîc ſunt Fratribus. Romæ, XII. Decemb. M. D. LVIII.

Servus in Christo

IACOBVS LAINES.

EPISTOLA B. P. N. FRANCISCI BORGIÆ GENERALIS

Ad

Patres & Fratres Provinciæ Aquitaniæ.

DE MEDIIS CONSERVANDI SPIRITVM *Societatis, & vocationis noſtræ.*

Pax Chriſti, &c.

I.

ADventus PP. Procuratorum occaſionem lætitiæ & jucunditatis in Domino magnam mihi præbuit: cum ex eorum relatione magis agnoverim providentiam ſingularem, qua divina Majeſtas tuetur & auget hujus vineæ ſuæ fructus: quæ licet novella, & non ita pridem conſita ſit, extendit tamen palmites usque ad mare. Quò verò in dies magis propagatur, eò clarius perſpicere licet, eam futuram ut granum ſinapis, quod humili ſtirpe & tenui ſemine, tam brevi in tantam arborem crevit, quanta magna noſtra

noſtra cum voluptate miramur. Itaque immortales gratiæ præpotenti Deo agendæ ſunt, qui id amoris & ſtudii ſervis ſuis impertit, quo omnia quæcumque faciunt, proſperantur, & res multo felicius ex ſententia geruntur, quam ab iis unquam expectari potuiſſet: & quod longe maximum eſt, quia ex noſtris incuriis elicit cautionem, & ex noſtris calamitatibus bonorum nobis facit acceſſionem. Benedictus ſit is, qui hanc vineam hoc miſerrimo temporum ſtatu ad res tantas inſtruxit. Benedictus, qui in eam continuis cœli muneribus & beneficiis influit, unde tam ferax ejus propagatio cernitur, quam liberalis fuiſſe creditur divinæ miſericordiæ in ipſius plantatione beneficentia. Sed quia mos eſt una cum bono ſemine oriri inimica zizania, pertimeſcendum eſt, ne cum adoleverint & multiplicatæ ſegetes terræ noſtræ fuerint, major atque amplior fiat invidia, & confortetur malitia hoſtis, numquam ab inferenda calamitate quieſcentis. Proinde cura quam maxima pervigilandum eſt, ne quà aditum zizaniorum ſatori, per quem ſegetes ſalvæ eſſe non poſſunt, ad agrum noſtrum faciamus. *Pſalm. 1. 3.*

2 Quocircà & pro onere, quod ſuſtineo, ac officio, quod caritas exigit, *Ne ſceleris arguar, ſi reticuero*, viſum eſt quam breviſſimè aliqua præmonere; quæ tametſi modò minimè eſſe neceſſaria videbuntur, non defuturum tamen puto tempus, quo *Horum meminiſſe juvabit.* Nam eo animo nobis accipienda ſunt Dei munera, ut quo illa fuerint majora, hoc gravius ingrati animi culpam metuamus. *Beatus* enim *homo, qui ſemper eſt pavidus.* Propterea aliquot fallacias & artes callidiſſimi hoſtis aperiam, quibus incautos circumvenire & capere poſſet, niſi oculos aperiremus, eique nos viriliter opponeremus, *Quia jacula præviſa minus feriunt.* Cum ergo in campum noſtrum zizania multis ac variis modis per fraudem induci queant, eo tamen ex capite maxime formidarim, ſi minime nobis curæ eſſet ſpiritum noſtrarum Conſtitutionum retinere in admittendis ad Societatem noſtram hominibus. Nam ſi alia intentione procedatur, quam quæ à noſtris Conſtitutionibus requiritur, certiſſimæ ruinæ porta aperietur. Sane ſi nulla habita ratione vocationis & ſpiritus, quo quisque impulſus accedit, litteras modo ſpectemus, & alia exteriora talenta ac dona, veniet tempus, quo ſe Societas multis quidem hominibus abundantem, ſed ſpiritu & virtute deſtitutam mœrens intuebitur: unde exiſtet ambitio, & ſeſe efferet ſolutis habenis ſuperbia, nec à quo contineatur & ſupprimatur habebit. Quippe ſi animum converterint ad opes & cognationes, quas habent, intel- *Proverb. 28. 14.*

ligent illi ſe quidem propinquis & opibus affluentes, ſed ſolidarum virtutum, ac ſpiritualium donorum copiis egenos ac vacuos. Itaque hoc primum eſto conſilium, & in capite libri ſcribatur, ne tandem aliquando experientia doceat, atque utinam nondum docuiſſet, quod mens demonſtratione concludit.

3 Iam vero quando Dei afflatu inſpirati, in noſtram Societatem admittuntur; æquum eſt eorum cooperari vocationi, & per animi ſubmiſſionem altiùs terræ defigere, ac iis officiis ſedulò exercere, quæ Domus Probationis ſunt propria. Ex bono namque Novitio, bonus exiſtit Scholaſticus; atque ex ejus culturæ negligentia ſæpè contingit, quod ædificiis evenire ſolet; quæ ſi firmis careant fundamentis, repente corruunt, unaque cum ipſis omnes ſumptuum expenſæ pereunt. Alterum enim ex duobus ſequetur, aut ut Novitius poſtquàm Scholaſticus evaſerit, & litteris animum excoluerit, diſcedat à nobis; aut ſi maneat, cum neque ſit ipſe firmiter ædificatus, neque aliis ædificationi, parum quoque Religioni utilis ſit futurus. Itaque celeritas illa & feſtinatio educendi è Novitiatu nondum maturos, damnum eſt certiſſimum, quod quo latius ſerpit, hoc clarius cernitur. Et in quo ſi obdormiamus, zizaniorum ſeminator non dormiet.

4 Quapropter bene atque utiliter collocari illud tempus putandum eſt, quod ad inſtruendum & efficiendum operarium in vinea Domini utilem confertur: cujus munus tam præclarum & illuſtre eſt, ut ad declarandam magnitudinem perfectionis, quæ ad illud requiritur, noluerit prius Chriſtus Dominùs initium concionandi facere, quam annos triginta natus eſſet, tametſi ejus ſapientia in momento conceptionis æque perfecta fuerit, atque anno ætatis trigeſimo. Quo nomine congruenter convenienterque inſtituta exiſtimari debet exercitatio illorum experimentorum, quæ in Societate ordinaria ſunt: quippe cum per illa quisque poſſit & vires ſuas probare, & effrenes animi motus domare. Nam ſi quis illis haudquaquam ſedatis, idem qui ante erat, cum Ægyptiis agere cœperit; dubitari non poteſt, quin jacturam ſui facturus ſit potiùs, quam ab iis quidquam in ſua emolumenta reportaturus. Itaque Dominus Moyſi Ægyptum ingreſſuro, quòd filios non circumcideret, graviter comminatur, deſignans converſationem cum Ægyptiis homini non circumciſo, nec mortificato plus damni, quam utilitatis afferre ſolere. Certe ſi Novitius probationis tempore non imitetur exemplum formicæ, omni ſtudio æſtate ſibi ad hyemem

mem tranſigendam frumenta congregantis; non parum jactabitur, cum ingruerit hyems tribulationum, & tempeſtas tentationum, niſi bene munitus & inſtructus caritatis, obedientiæ, humilitatis, ac patientiæ præſidiis, quibus comes ſit voluntas efficax ſe deſpiciendi, & usque ad mortem conſequendi Chriſtum crucifixum, ad Dei gloriam & proximorum ſalutem.

5 Quas ob res non immerito dicere poſſumus, Domum Probationis Novitiis eſſe Bethleem, quam domum panis interpretantur; quod ex ea panes verbi Dei petantur, & cibaria parentur ad enavigandum periculoſum hujus vitæ mare, quousque ad portum terræ Promiſſionis, quæ cæleſtis eſt Hieruſalem, perveniatur. Ideoque experimento deprehendimus, Novitios, qui id ſtudioſiùs animo conſiderant, angi & dolere, cum è Novitiatu educi ſe ſentiunt, accuratius cogitantes, quam parum virtutibus inſtructi abeant, quæ ſunt panes & cibaria, quibus ad ſuam quisque navigationem conficiendam opus habet. Qui autem expetunt aut delectantur Novitiatu cito ſolvi, aperte indicant parum illud ſibi perſpectum eſſe, quantopere conferat bene illinc armatos procedere; nihilque ducere præſtitutam diem, cum nequaquam vereantur ad illam inermes prodire & imparati. Hos equidem monitos cupio, (faxit autem Deus, ne hac monitione egeant) ni ſibi ad eam diem providerint, qua ad Collegia & capeſſenda ſtudia mittentur, fore ut multum negotii habeant, ſi priusquam litteris & doctrinis imbuantur, præclare in religioſa ſimplicitate non fuerint informati, *Scientia enim inflat*, & ab eâ, ejusque argumentis emanant ſui exiſtimatio, judicium proprium, opinionum diverſitas, &, quod deterius eſt, inter condiſcipulos, atque adeo inter Fratres & Patres noſtros diviſio. Væ illi, qui hanc primam diem ingrediens non ante ſenſerit ſe in ſuis defectibus examinandis facilem & bene verſatum, quam ad alienos perſpiciendos & notandos deſcendat. Væ etiam illi, qui inſatiabili quadam ſtudiorum voluptate abreptus, nullam temporis partem ſpirituali profectui ex ipſis colligendo tribuerit; quem non exiguum decerpere ſolent ii, qui amorem ſuum omnem projecerunt in eum, à quo eſt omnis intelligentia & ſapientia. Neque vero aliam ob cauſſam diſciplinas ſectari debemus, quam ut per eas clarius cognoſcentes Conditoris noſtri magnitudinem, bonitatem, ſapientiam, illum vehementius & diligentius diligamus. Id ſi forte difficile cuiquam videbitur, incumbat modò in eum laborem ſæpius, ac in eo ſe verſet: neque adeo laborioſum opus eſſe comperiet, cum Maria & Martha germanæ ſint ſoro-

1. Cor. 8. 1.

 res,

res, quamvis in vitæ ratione non conſentiant; & ſtudium litterarum & ſpiritus fratres cenſeantur, licet interdum diſſimili exercitatione ſegregentur. Neque tandem ſpiritus ac litteræ mutuis ſibi obſiſtant impedimentis, ſi qui in utrisque quo par eſt ſtudio elaborent. Singulare & inſigne nobis hujus rei, ut etiam virtutum ceterarum, præſtitit exemplum bonæ memoriæ P. Laines, qui mirifice ſemper conjunxit ſcientias cum ſpiritu, maximè verò cum ſolidis virtutibus humilitatis & caritatis.

6 Quapropter væ iterum illi, qui quò magis ſe ſtudiis litterarum addixerit, eò minùs intellexerit quam nihil ſit: cùm omnis Philoſophia non ſpiritualis modò, ſed etiam moralis, quam Ethnici Philoſophi coluerunt, hac ſui cognitione & deſpicientiâ, tamquàm baſi innitatur. Itaque eum Scholaſticum, qui ſubmiſſionis & deſpicientiæ ſui loco, propriæ inhiat opinioni & exiſtimationi, verè dixerim non capere quæ audit, plusque dedidiciſſe quàm didicit. Ex quibus omnibus perſpicuè ſequitur, quàm neceſſarium ſit quemque in Domo Probationis amplam virtutum ſupellectilem comparare, cum ab Scholaſtico in arenâ fundato expectari aliud non poſſit, quàm exurgentibus ventis ambitionis & vanitatis haud dubie ruiturum. Atque hinc naſcitur mentis inquietudo, quâ aliis faſtidio ſunt, & perturbationi, dum pacem Domini in ſeipſis non reperiunt. Hinc etiam oriuntur querimoniæ, obmurmurationes, diſſidia nationum, diſcordiæ non modò inter Fratres, ſed quod gravius eſt, ab ipſis ſuis Superioribus, quòd eos in poſtremis habeant ad officia, gradus, aliaque ſimilia. Quâ in re iſtiusmodi homines apertè declarant, ignorare ſe, quid ſit Profeſſionem edidiſſe, cum eam ad honores & dignitates, ad quietem & otium, atque ad ampliora privilegia, falſa pietatis ſimulatione detorqueant. Heu quanto in errore verſantur! Siquidem eorum mihi videntur eſſe ſimiles, qui cum medicamentum ſumpſerint, nihil de ejus effectu laborantes, obdormiſcunt, cùm certum ſit ex eo majus corpori detrimentum proventurum, niſi ægroto ſalutem, quæ ſperabatur, afferat. Ita Profeſſio plus eorum nocet animis, quàm proſit, ſi ſuum finem non conſequantur. Idcircò enim Profesſio eſt inſtituta ut in vineâ Domini alacriter operam ſuam quisque ponat; ſitque ad obedientiam, ſubmiſſionem, humilitatemque paratior; proximorumque neceſſitatibus ſubveniat, illisque perfectioris virtutis præbeat exemplum. *Vos enim eſtis lux mundi*, inquit Chriſtus, cum iis loquens, qui ejus veſtigia perſequuntur. *Matth. 5. 14.*

7 Hinc

7 Hinc facilè perſpicitur, neminem, quod ante dixi, ad litterarum ſtudia idoneum fore, quin anteà in pietatis & Religionis diſciplinâ firmum jecerit fundamentum; nec Profeſſum eſſe poſſe, qualem requirit forma Inſtituti noſtri, niſi in utroque ſtudio pietatis & doctrinæ ſedulò verſatus fuerit. Quod Deo aſpirante eveniet, ſi in recipiendis in Societatem hominibus ea teneantur, quæ in primâ Conſtitutionum parte præcipiuntur: ſi in Novitiatu ea ſerventur, quæ ſunt in tertiâ parte: ac demum ſi in Collegiis ea adimpleantur, quæ 4. parte continentur. Et quoniam mihi ad omnes ſermo eſt, vehementer unumquemque hortor ac precor, ne ſola lectione eorum, quæ Conſtitutiones noſtræ præſcribunt; & admiratione divini ſpiritus atque ordinis, qui in ipſis elucet, contentus ſit: ſed multo magis incumbat in obſervationem, cum ab hac ſola pendeat fructus ſpiritualis, & progreſſus, quem omnes optamus. Vellem equidem hac de re plura dicere, tum officii mei vinculo adductus, tum quod vos alloqui per litteras (quoniam viribus & valetudine impedior, quo minus poſſim Provincias ipſe luſtrare) multo mihi jucundiſſimum eſt: ſed hæc ipſa pauca cum ſub Procuratorum adventum paullo ante ægritudinem meam ſcribere inſtituiſſem, ex ea, licet diuturna, tandem convaleſcens, tantam contraxi virium imbecillitatem, vix ut paucos hos verſus dictare ſine gravi moleſtia poſſim. Quare ne ſcribendo longius provehar, & ad laborem affectæ valetudinis minuendum, ſtatui ad ſumma quædam capita ea revocare, de quibus mei muneris eſſe cenſeo vos admonere, ne zizaniorum diſſeminator agros noſtros, ut initio dicebam, ingreſſus, quod Spiritus ſanctus in corda noſtra per gratiam vocationis noſtræ ſparſit, ſalutare ſemen extinguat. Ac majorem in modum peto ab omnibus, ut Deum precentur, quo nobis omnibus concedat, ut non in eorum numero ſimus, qui cum iter facturi, ocreas induti, adjunctiſque calcaribus, ſuperſedentes itinere in diverſoriis commorantur: ſed continuo curramus alacrius ac velocius in via perfectionis, donec perveniamus *ad montem Dei Horeb.* *3. Reg. 19. 8.*

8 Illud igitur inprimis occurrit, quod habetur initio decimæ Conſtitutionum partis, ubi de ratione agitur, qua conſervari Societas & augeri poſſit, his verbis: *Media illa, quæ cum Deo inſtrumentum conjungunt ac diſponunt, ut à divina manu rectè gubernetur, efficaciora ſunt, quam quæ illud diſponunt erga homines. Hujuſmodi eſt probitas & virtus, ac præcipuè caritas, & pura intentio divini ſervitii, & familiaritas cum Deo in ſpiritualibus*

devo-

devotionis exercitiis, & zelus ſyncerus animarum ad gloriam ejus, qui eas creavit ac redemit, quovis alio emolumento poſthabito. Dignæ plane voces, quæ ab omnibus attentiſſime conſiderentur, cum eas B. P. N. ſuis filiis tanto ſtudio & amore ſcriptas reliquerit. Nam ſi paullo attentius conſideremus, vere agnoſcemus, cum ea non adhibentur, quæ inſtrumenta cum Deo magis conjungunt, omnes ſacrorum Ordinum ac Religionum diſſenſiones ærumnasque ſubſequi ac ſuccreſcere. Vt enim ex ſiccitate terræ, arborum flores & fructus areſcunt; ita ſi mens religioſa in meditationibus & piis exercitationibus arida perſeveret, omnis flos fructusque ſpiritualis exuretur. Quare qui ſe in Chriſti crucifixi meditatione atque imitatione minus exercuit, non modo tepidum ſe ſentiet in tolerandis pro Chriſto laboribus, ſed etiam laborum ipſorum impatientem: ac ſibi nimium proculdubio arrogabit; aliosque deſpiciet, quòd rariùs inter orandum de ſui ipſius cognitione, & viliſſimâ hominis conditione cogitaverit. Præclarum omnino, & ſuaviſſimum in omnibus moleſtiis noſtris remedium eſt Crux Salvatoris. Si enim virga Moyſis perdidit Ægyptios; quantò magis ſæculares ac Ægyptios animorum noſtrorum motus Crux Chriſti profligabit? Qui ſi adhuc vigent vivuntque in nobis, certe in Cruce poſitam vitam noſtram non habemus. Nam cui in eâ viventi quidquam ad ſummam animi tranquillitatem vel jucunditatem deſit? Quòd ſi rebus utimur ſecundis, ejus beneficio id fieri putandum eſt: ſin autem acerbitatibus & ærumnis premimur, in eâ proculdubio mitigantur. Quis audeat cum habitatoribus Crucis Chriſti pugnare? *Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti?* Quare ſi qui ab hoſte vehementiùs oppugnati tandem ſuperantur; ideò fit, quòd eas res pro viribus adhibere nolunt, quæ nos arctiùs cum Deo Opt. Max. perfectiusque conjungunt. *Perditio ex te Iſraël: tantummodo in me auxilium tuum.* Si autem huic decimæ partis præſcripto pareatur, nihil prætereà requiretur ad vitam quietam, & ſine ullâ diſſenſione traducendam. Atque ita fiet, ut idem omnes cogitemus, & ſentiamus, nemoque vel de victu, atque veſtitu, vel de impoſito ſibi munere conqueratur. Quia *caritas benigna eſt, non inflatur, non agit perperam, non quærit quæ ſua ſunt,* &c.

Exod. 14. Rom. 8. 35. Oſe. 13. 9. 1. Corinth. 13. 4.

9 Quod ad virtutem Obedientiæ pertinet (ad quam Societas omnia refert, tamquàm ad ſcopum & vexillum, quæque ejus eſt turris præcipua) etſi nonnulla fortaſſe dicenda erant, tamen quia B. P. N. Epiſtolam de eâ ſcripſit, non utilem modo, ſed omni dignam admiratione, quippe cui nec

quid

quidquam addi poſſit, nec detrahi; ad eam vos remitto, cum hac unâ voce Evangelii: Hoc fac & vives. Hoc enim in Domino nobis polliceri *Luc. 10. 28.*
poſſumus fore, ut ſi quæ in illâ continentur præſtiterimus, perfectæ Obedientiæ filii nominemur & ſimus.

10 Cum de Paupertate in ſextâ Conſtitutionum parte B. P. N. Ignatius ageret, eam eſſe confirmat inſtar muri fortiſſimi Religionum, quo illæ in ſtatu ſuo & diſciplinâ conſervantur, & à compluribus hoſtibus proteguntur. Quare maxima nobis eſt ratio habenda tanti præſidii. Illudque in primis ſollicitos nos tenere debet, ne Religionis aut zeli ſpecie dum Collegia ſtabilire, aut Domibus volumus adjumento eſſe, ſubeat animum ſollicitudo immoderatior, propenſioque cupidior, quàm probari poſſit hominibus externis & ſæcularibus, atque adeò domeſticis ipſis dolorem afferat & mœrorem. Nam cum curam vehementiorem habendi prohibitam nobis in Evangelio ſciamus, illud omni contentione vitandum eſt, ne prætextu zeli alicujus minuatur in nobis noſtræ recordatio paupertatis; ac ſubintret cupiditas bonorum temporalium, quæ certiſſima peſtis eſt Religionum earum, quæ aditum penitus hujusmodi perverſis affectibus non occluſerunt. Nec tamen ideo interdictum putetur, quo minus Collegia & Domus egentiores, neceſſitate expoſcente, honeſtis moderatisque rationibus juvari poſſint: illud tamen dico, quod aliquando animadverſum eſt, multis Collegiis uſu veniſſe, ut dum ſtudio nimio procurandæ dotationis varios modos exquirunt, aliis negotium potius faceſſerint importune, quam exemplo ædificationique fuerint. Cum autem hujusmodi rationibus humanis poſthabitis, ea conati ſunt Noſtri conſervare, quæ pauca Collegiis donata fuerant, brevi tempore, unde minime ſperarent, aut ſperare potuiſſent, divina providentia pro ipſis advigilante, uno anno adepti ſunt, quod fruſtra pluribus annis concupiverant. Hæc vero idcirco à me dicta ſunt, ut intelligatur appetitu iſto immoderato rem noſtram bene non geri, quin potius inde jacturam non lucrum exiſtere. At contra ubi cum moderatione in ſilentio & ſpe proceditur, proſpere cuncta ſuccedunt; proximi bene ædificantur; nosque ipſos veræ Paupertatis titulo gaudentes majore gratia, & propenſiore auxilio Chriſtus proſequitur. Quia *tibi derelictus eſt pauper*: & *orphano tu eris adjutor.*

11 Sed & illud operæ pretium mihi viſum eſt, excitare Patres ac Fratres in Chriſto mihi dilectiſſimos, ac hortari in Domino, ut memores ſint, *Pſalm. 10. 14.*

nos per vota Deo nuncupata ſemel mortuos eſſe, vitamque iſtam jam non eſſe noſtram, ſed illius, qui ſuæ non pepercit, ut eam nobis impartiret: atque ideò æquum eſſe, ut eam in ipſo abſcondamus, quam ſi noſtris viribus conſervari in nobis poſſe credimus, graviter decipimur. Nos autem mortuos eſſe in Chriſto, hæc ſigna teſtantur, ſi non videamus, non ſentiamus, non reſpondeamus: ut qui oculos habeat apertos, ut aliena facta dijudicet; reſpondeat etiam facile, & contradicat iis, quæ ab Obedientia injunguntur; doleat ac conqueratur, ſi quando ſuorum defectuum commonefiat, argumento ſit certiſſimo, eum nondum eſſe mortuum, ſed plane vivere cupiditatibus ſuis, oblitum ejus propoſiti, quod principio vocationis ſuæ arripuerat.

12 Quæ idcircò commemoro, quod audiam initio naſcentis Societatis eximiam quamdam ſynceritatem, ſimplicitatemque floruiſſe inter Noſtros, cùm admonitiones ac correctiones non mœrorem, non amarorem afferrent, ſed amorem cum grati animi memoria & ſignificatione conjunctum, & jure id quidem. Nam ſi ſæculares homines, qui coram Principe aliquo adſtare debent, grati in eos eſſe ſolent, quorum indicio vel infectam ſibi eſſe corporis faciem, vel aliud quippiam non ornate compoſitum intelligunt; quanto majorem gratiam habere debet is, cui ab alio indicatur, quibus maculis anima fœdetur, ut ante Dei conſpectum lotus ac purus veniat. Quod ſi aut dolor, aut perturbatio, aut etiam abalienatio pro gratia ſuccedat, in horum & quidem graviſſimorum detrimentorum alterum neceſſe eſt incurramus, ut vel nullo nos monente ac corrigente, vitia in nobis altiores agant radices; cum nemo ſit, qui ejusmodi infirmo, correptionis impatienti, audeat adhibere medicinam; vel ſi adhibebitur, cum ea recipiatur ſtomacho indignabundo, & amaro animo, facile impleatur domus tota felle & amaritudine propter illos, qui ut minus perfecti, neque admoneri volunt, neque corrigi. Quare nulla nos iſtius ſanctæ ſimplicitatis, veræque humilitatis oblivio capiat, cum ſcriptura dicat; *Cum ſimplicibus ſermocinatio ejus.* Nec mirum ſit ibi abeſſe communicationem Dei, ubi non eſt ſimplicitas.

Prov. 3. 32.

13 Iam vero ſicut lex Chriſti circumciſionem corporis vetuit, ita commendat præcipue cordis circumciſionem ei, qui Chriſti vult eſſe Diſcipulus, quippe qui ad hoc vocetur, ut abneget ſemetipſum, tollat Crucem ſuam, atque ipſum ſequatur. Pari ratione vetantur in Societate publicæ mortificationes

cationes, ob juſtas & graves cauſſas: at propriæ voluntatis abnegatio, & interior mortificatio ſic proponuntur, ut qui aliter faciat, eum pro legitimo filio Societas non agnoſcat. Et ſane manifeſto eſt indicio, minime illos animadvertere, quodnam voluntati propriæ ſupplicium debeatur, quæ Deum Creatorem ſuum non eſt verita offendere; cùm illi obſequuntur & adblandiuntur, neque eam tractant pro merito; quod non eſt aliud, niſi omni ſtudio eniti, nihil unquam ut fiat, quod ipſa velit. Verendum porro eſt, ne harum rerum incuria grave damnum afferat Societati: idemque ipſi contingat, quod vineæ, quæ ſuis temporibus non putatur, quam ſteri-leſcere & interire paucis annis videmus; neque uvas ferre, ſed in palmites & ſarmenta ſilveſcere. Ita planè apud nos, ſi qui animum ad commoda ſua vehementius adjunxerint, periculum eſt, ne mortificationis obliti pro racemis ſarmenta proferant, quæ ad nihilum valeant, niſi ut in ignem mittantur. Atque ex incircumcisâ voluntate, atque amore proprio aliud etiam incommodum ſequitur, nempe quod denſiſſima quædam nubes ex corde immortificato exoriatur, quæ ipſi præſentiam divini conſpectus obſcurat, atque adeò tollit. Et vero cum mihi in animum ſubeunt dona & virtutes B. P. N. Ignatii, aliorumque Patrum, qui primitiæ quodammodo fuerunt Societatis, cum ſua omnia ſic agerent & decernerent, perinde ac ſi præſentem Deum intuerentur; ſic afficior intimis ſenſibus, ut nihil malim quàm ne tantorum donorum, tantarumque virtutum, quas Societati Deus cœpit impertiri, copioſus imber culpa noſtra reſidat. Nam ſi Iſraëliticus populus, ducem habens itineris columnam igneam cælitus demisſam, tot nihilominus pericula & labores in deſerto adiit; quid fiet illis, qui cæleſti illo lumine deſtituti, per hujus vitæ ſolitudinem, tot periculis obnoxiam gradientur? Quàm facile poterunt in errorem induci? Siquidem non niſi in lumine Dei lux aſpicitur; Quia *in lumine tuo videbimus lumen.* *Pſalm. 35. 10.*
Itaque inter hæc monita hoc ſit non ultimum, ut omni ſtudio incumbamus in cordis noſtri mortificationem; atque operemur omnia opera noſtra in conſpectu Dei ac Domini noſtri, dicamusque cum Propheta: *Propter hoc* *Pſalm. 15. 9.*
lætatum eſt cor meum; & caro mea requieſcet in ſpe. Nec quisquam miretur, ſi ne corpore quidem quieto & tranquillo vivat, cum nullam dat operam, uti Deum ſemper præſentem habeat. Neque enim hoc donum confertur iis, qui illud minus æſtimant, ſed qui in eo aſſequendo plurimum elaborant.

14 Licet autem hæc Societatis noſtræ vinea, quæ, ſicut principio ſcripſi, *Extendit palmites ſuos usque ad mare*, jam protulerit & frondes & flores, nec racemi deſint; hoc tamen expectatur, ut vinum copioſum fundat, cujus cauſſa vinea omnis conſeritur: idque ut fiat, uvas neceſſe eſt in torcular injici, & calcari. Hoc forſan nobis, Fratres cariſſimi, deeſt, quod non guſtemus, neque cum voluptatis ſenſu optemus calcari, premi, contemni, ut optatæ conſolationis atque exultationis vinum proferamus. Meminerimus Chriſtum dixiſſe: *Torcular calcavi ſolus*. Quis jam calcari recuſabit, cum videat in torculari Chriſtum premi, ut fundat nobis illud vinum, de quo ipſe dixit: *Non bibam à modo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei?* Nam niſi fumum vani honoris atque exiſtimationis propriæ proculcaverimus, facile ab hoſtibus noſtris conculcabimur, & Chriſti Diſcipuli eſſe deſinemus.

Pſalm. 79. 12. *Iſa. 63. 3.* *Matth. 26. 29.*

15 Verum ut tandem huic Epiſtolæ finem imponam, atque ad unum caput omnia reducam, quæ maxime à vobis deſidero; ſit nobis continuo ante oculos illud Apoſtoli: *Videte vocationem veſtram, Fratres*. Si quis igitur humiliandi ſe deſiderio tenetur, etiam atque etiam cogitet, quantum debeat vocationi ſuæ, & quid ab eo gratia illius expoſcat: in dictis, factisque omnibus circumſpiciat, an dici fierique debeant ab eo, qui in hanc Societatem ſit adſcriptus. Omnia metiatur ad illam menſuram, eritque in locutione modeſtus, honeſtus in converſatione, aſſiduus in ædificatione proximi, prudens & ſanctus in operationibus ſuis, potens in revocandis hominibus à peccato, ardens in tolerandis pro Chriſto & ejus Eccleſiâ laboribus, ac demum unus ex iis, quos Conſtitutiones noſtræ informant atque inſtruunt, qui cum ſaluti propriæ invigilet, idoneus ſit & in ſalutem proximorum incumbere: eritque is operarius, de quo meritò dicatur: *Dignus eſt operarius mercede ſuâ*. Vtinam permulti à Deo in hanc vineam ſuam mittantur, ut ſuppetat copia multos non ſolum in Europam, ſed & in Africam, atque Aſiam, Indiamque mittendi; atque ut dum omnibus ubique terrarum ad Chriſtum trahendis opera ponitur, tandem fiat *unum ovile, & unus Paſtor*. Ille, qui ſuarum nos ovium numero aggregavit, optimus & veriſſimus Paſtor CHRISTVS IESVS, eam nobis tribuat gratiam, ut ipſius vocem verè audiamus, ac tandem in hac vitâ per gratiam, & in cælo per gloriam eum cognoſcamus.

1. Cor. 1. 26. *Luc. 10. 7.* *Ioan. 10. 16.*

16 Quoniam vero quantum homini afflictâ valetudine licet conjicere

cere, tempus reſolutionis meæ inſtat, omnes oro atque obſecro, ut quæ eſt veſtra caritas, in precibus & ſacrificiis veſtris habeatis me apud Deum commendatum, uti hoc exiguo tempore, quod mihi reliquum eſt vitæ, gratiam Vocationis meæ agnoſcam; & ex ejus ſpiritu actiones meas definiam, atque ad iter me comparem in ſanctitate & juſtitiâ coram ipſo omnibus diebus meis. Quod ipſum peto, petamque à Deo quoad vivam pro totâ Societate, ſicut à me non ſolum officii mei ratio, ſed etiam ſingularis erga ipſam caritas ſuo jure flagitat. Romæ, menſe Aprili, M. D. LXIX.

RR. VV. Servus in Chriſto

FRANCISCVS BORGIA.

EPISTOLA R. P. N. GENERALIS EVERARDI MERCVRIANI

Ad Superiores Societatis.

MONITA AD RECTAM GVBERNATIONEM.

1.

INter ea, quæ Superiores Societatis ut certiſſima habere debent, id unum eſt in primis, non intentionem rectam, non prudentiam, non alia id genus dumtaxat eſſe neceſſaria, ut è more atque Inſtituto noſtro cum manſuetudine & amore agatur; verum præter hæc omnia illud maxime donum requiri, quod Apoſtolus inter gratias gratis datas appellat guberna- *1. Cor. 12. 18.*
tiones; quodque longe omnibus præſtat, non parum in edomandis animi perturbationibus & affectibus profeciſſe.

2 Alterum, quod quantumvis ſubditi ab exactâ obedientiæ ratione deficiant, humana tamen imbecillitas magnam ſane induſtriam, amorisque ſignificationem à Superioribus depoſcit. Apertum enim eſt, rationem, jusque ipſum quodammodo poſtulare, ut quemadmodum noſtri homines ſe per ſummam liberalitatem Deo Dominoque noſtro conſecrarunt; ſic à

Superioribus excipiantur eodem amoris ſinu ac tractentur: præſertim cum hæc caritas & liberalitas mutua, adhibita ſollicitudine ac diligentia, citius quam quidvis aliud diſciplinæ obſervantiam promovere poſſit.

3 Porro ſubditos in Superioribus agnoſcere illum oportet, cujus locum tenent, Chriſtum ſcilicet ac Dominum noſtrum: ſicut enim Superioribus non obtemperatur ob eorum probitatem & virtutem, ſed Chriſti cauſſa, à quo id muneris habent; ſic omittenda non eſt illa ipſa obediendi celeritas & reſignatio, quantumvis humanum aliquid in iis obſervaretur.

4 Quod vero ipſum Superiorem proxime attingit, ut boni Paſtoris officium cum auctoritate fungatur apud ſubditos; duo procuranda ſunt: alterum ut intelligant certumque omnino habeant ſubditi ipſi, quidquid Superior agit, Chriſti cauſſa, cui obedire debet, ipſiusque Inſtituti, & ob majus ipſorum bonum facere. Et quidem amorem adverſus omnes æqualem nullo diſcrimine ſignificabit; ita ut, ſi neceſſitas poſtulet eum pro officio quempiam admonere, reprehendere, aut pœnitentiam aliquam injungere, id ſemper æſtimetur fieri amoris ergo. Quamobrem caveat, ut ne ſubditis occaſionem præbeat ſuſpicandi, quòd de ipſis malè ſentiat aut diffidat. Magnoperè enim hæ ſuſpiciones minuunt reverentiam & amorem erga Superiores; & ſpe abjectâ recuperandæ ipſius gratiæ manent in ſuis vitiis absque ullâ curatione: neque omnium modò, ſed imperfectiorum etiam quorumlibet, (non omiſſis ideò debitis diſciplinæ modis) oſtendet ſe ſpem bonam concipere futuræ emendationis, nec ſe præteritorum eſſe memorem.

5 Ad hæc Superior caveat uſum artificii humani erga ſubditos, unde ipſi conjiciunt Superiorem aliquid ambiguè loqui. Id enim prorſus adimit fiduciam, quâ ſubditus curæ paternæ Superioris ſe committit ac tradit. Et ſanè cum eâ arte ſtare haudquaquàm poteſt unitas & mutuus amor ac reverentia, ſine quibus abſoluta reſignatio & indifferentia ad virtutem, religioſamque perfectionem haberi non poteſt. Neque verò homines tot rerum capaces, totque dotibus ornatos, quales Societas habet, id genus artibus ad religioſam diſciplinam, ſolidamque virtutem cogat; cùm illo in genere vix unus alteri cedat: veritas autem ſinceraque virtus benè arctam & diuturnam unitatem inter Superiorem ac ſubditos generare ac fovere poteſt.

6 Alterum, quod ad parandam ſuſtinendamque auctoritatem in ſubditos

ditos magnam vim habet, in eo poſitum eſt, ut iis impendiò perſuadeatur Superiorem eſſe ſui officii gnarum, neque aliunde regi aut pendere, quàm à Superioris ſui nutu. Vt verò id perſuaſum habeant, omnino eſt opus, ſui ut muneris partes opere ipſo impleat. Ea propter ipſum ſcire oportet, qualem omnem Societatis familiam, nec non qualem unumquemque interius eſſe deceat: quandoquidem Societas exteriore diſciplinâ contenta non eſt, ſed diſpoſitionem maximè & culturam animi interiorem intendit. Quoniam autem exterior diſciplina certis regulis comprehenditur, Superioris eſt, omnes noſſe cùm communes, tum peculiares officiorum atque miniſteriorum. Quinetiam pari diligentiâ procurandum eſt, non tantùm ut eas ſinguli intelligant, ſaltem eas, quæ ipſos attingunt, verùm etiam, ut eaſdem apud ſe habeant, uſuque ſibi familiares faciant.

7 Expedit etiam, imo neceſſarium eſt, curare ut ſinguli quod ſciunt, prompte exequantur, adeoque animentur ad id amplectendum; tum vero ſuppeditare quidquid muneri bene obeundo faciet. Poſtremo videndum frequenter, quo pacto rem gerant, quem modum in obſervandis regulis ſequantur, inſtruendo, admonendo, reprehendendo per ſeipſum, aut alium, quo dirigantur, animentur, confirmentur, prout opus fuerit. Quapropter ipſum ſcire oportet, quibus difficultatibus cujusque officii implicata ſit functio: easque primo apud Deum ſedulo diſcutere, tum apud ſuos conſultores, ut convenientia cuique auxilia dentur, & univerſi ſuaviter jugum ferant, intelligantque, ſi minus ex omni parte proviſum eſt, non deſiderari tamen diligentiam & caritatem Superioris.

8 Iam quod ſpectat ad officii paſtoralis eam partem, quæ in diſciplina interiore verſatur, (quæ ſatis ex ea, quæ illi cum exteriore eſt proportio, cognoſci poteſt, cum quæ de hac dicta ſunt ad cognitionem illius juvare poſſint) animadvertendum eſt, quod quemadmodum ut ſciatur qualis in Societate familia aliqua eſſe debeat, ex regulis, quæ de illa tractant, notitiam ejus parare opus eſt; pari ratione ei, qui ſcire velit, qualis quisque è Societate interius eſſe debeat, petenda eſt notitia à regulis & Conſtitutionibus ea de re tractantibus. In illis enim omnia perſpicue tamquam in ſpeculo videbuntur, ut colligitur ex cap. 4. Examinis, itemque ex 3. 6. 9. & 10. parte Conſtitutionum, atque adeo paſſim ex aliis locis, quod magna ex parte ſummatim comprehenditur regulis Summæ ſapientiæ, & libello ſpiritualium Exercitiorum B. P. Ignatii. Cum ergo duo vel tria capita complecta-

plectatur omnis diſciplina interior; primum, de iis, quæ abneganda ſunt, deque affectu ipſorum penitus exuendo; alterum de ſtudio comparandi virtutes neceſſarias, Societatis miniſteria tractaturis, ut taceam propoſita ſancta & pia deſideria, quæ ad hoc ſubinde à Deo injiciuntur: qui in hanc paſtoralis muneris curam adverſum alios incumbet, non modo qualem eſſe oportet unumquemque ex regulis & Conſtitutionibus noſſe convenit, verum etiam (quod ante dixi) plane neceſſarium eſt, ut ſubditi perſuaſum habeant, eum eſſe ejus rei peritiſſimum: quæ perſuaſio ſola rei veritate acquiri poteſt.

9 Præterea curandum Superiori eſt, ut ſubditorum quisque norit, qualis interius eſſe debeat, idque uſitatis in Societate rationibus, quales nimirum ſunt explicationes regularum, publicæ aut privatæ inſtructiones, exhortationes, aliaque id genus in Societate ordinaria. Quamobrem tanto diligentius procurandum erit, ut ſubditorum animi dirigantur, inflammentur, confirmentur, ac Superior apte foveat deſideria hujus diſciplinæ interioris, quanto certius eſt ſine illa nullum profectum ſperandum eſſe. Hujus porro diſciplinæ exercitatio tota vita tenenda eſt, ut quaſi nobis ſit Novitiatus continuus. Neceſſitas quippe & continuitas delictorum, & neceſſitatum noſtrarum continuam hanc meditationem poſtulat. Demum Superiori videndum ſedulo eſt, quam quisque viam in hac exercitatione inſiſtat; quid, & quantum in unoquoque deſideretur, ſeu ad tollenda impedimenta virtutum, ſeu ad vires & arma conquirenda. Atque ut erunt difficultates, ad Deum recurret, magnoque ſtudio radices & cauſſas in ſingulis inveſtigabit, inquiretque remedia nunc vini, nunc olei, his malis neceſſaria. Propterea ad manum habeat regulas, quæ tractant de diſcernendis ſpiritibus, & curandis animabus, ut ſancte docuit B. P. IGNATIVS in libro Exercitiorum; ſitque ſollicitus, ut ſinguli tam ſuarum imperfectionum cauſſarumque notitiam habeant, quàm remediorum convenientium; incumbatque in rectam animorum diſpoſitionem, ut ea omnia adjumenta ac remedia ex animo admittere, & complecti poſſint.

Atque ut finem faciam, in cura hujus paſtoralis officii, promptoque harum induſtriarum uſu, Superior plurimum in Domino confidat oportet: quoniam ipſe unctionem Spiritus ſancti effundet, quo facilius omnia dirigantur ad ſpirituale auxilium animorum, præparenturque ipſius hæc inſtrumenta ad obſequium divinæ ſuæ majeſtatis. EVERARDVS.

EPISTO-

EPISTOLA
R. P. N. GENERALIS
CLAVDII AQVAVIVÆ
Ad Superiores Societatis.
De ejusdem Societatis felici progreſſu.

I.

DVm recogito gaudium & conſolationem, qua ab initio converſionis meæ perfundebantur intima viſcera interioris hominis mei, hac una cogitatione, quod in omnibus rebus à Superioribus dirigendi eſſent greſſus mei cum maxima pace atque ſecuritate cordis mei, & cum maximis ſubſidiis ad caſtigandam propriam voluntatem, quæ nos, quo id magis laboramus, eo minus vere noſtros eſſe ſinit; dumque contemplor, quod mihi Divina bonitas revelatis oculis oſtendere dignata eſt, quanta videlicet ſit vocationis noſtræ altitudo; quantique momenti ad animarum ſalutem, atque Eccleſiæ Chriſti obſequium, corpus hoc Societatis æſtimandum ſit; non poſſum non animo dolere in hac mutatione dexteræ Excelſi, quam illi in me & de me, præter omnem humanæ ſapientiæ opinionem, facere viſum eſt. Quandoquidem altero me expoliatum video, quod tantopere à teneris annis concupivit anima mea, ut à Chriſti ſervis veluti cæcus deducerer; alterum, unde aſſidua copia gaudiorum erat, jam mihi perpetua materia ſit timoris. Non enim ſolum tot tantisque adjumentis me orbatum cerno, quæ mihi oculi eorum afferre conſueverant, à quibus antea gubernabar; ſed me repente video tanto exercitui ducem factum, & navi tantæ, talibus militibus ac mercibus onuſtæ, gubernatorem ſubito conſtitutum. Proinde procul dubio formidine majori, quamvis in diſpari onere, verba illa mihi uſurpanda ſunt, quibus in cauſſa ſimili D. Gregorium è Scripturis uſum ſcimus: *Ne vocetis me Noëmi, ſed amaram:* quandoquidem contemplatus *Ruth. 1. 20.*
in domo hac veri Salomonis pacifici noſtri, cibos menſæ ejus, & habitacula ſervorum & ordines miniſtrantium, (minori quidem ſenſu, ſed admiratione non minori, ac Regina illa.) Non habeo ultra ſpiritum. Nec *3. Reg. 10.*
quidquam in me invenire poſſum, unde non *renuat conſolari anima mea,* *Pſalm. 76. 4.*

niſi cum Dei memor ſum: de cujus infinita bonitate, ita plane futurum confido, ut Societatem noſtram, quippe opus digitorum ſuorum, ſibique gratiſſimum, tanto majori cum ſua gloria conſervet ac promoveat, quanto ineptius cognoſcitur inſtrumentum, quod ille aſſumere, & quidem non ignarus, voluit; qui ſuperbas turres Ierico non tormentis bellicis, ſed tenuiſſimo tubarum flatu, in brachio extento dejecit; & arrogantia Madian caſtra viliſſimis fictilibus, iisque confractis, ſuperavit ac perdidit. Cùm itaque ex rei magnitudine intelligam, quantum à me diligentiæ requiratur; & quantum mihi ut ſpeculatori immineat periculum; ex eo autem quòd ſperem permanſuros oculos Domini & cor ejus in Societatem cunctis diebus, confidere debeam illum noſtros conatus atque labores nec deſerturum, nec irritos eſſe paſſurum; id à me officii exigi arbitratus ſum, ut ad Reverentias Veſtras nonnulla ſcriberem, quæ ſentio multum per omnem modum ad felicem Societatis noſtræ progreſſum pertinere: quò novo quodam ſpiritu induti, excitemur omnes Chriſto capiti conjuncti, ad opus hoc, quod illius opus eſt, totis viribus promovendum.

2 Hoc itaque primum cupio inſculpi cordibus noſtris, familiam hanc univerſam, tam Deo caram, atque ad tam præclara facinora electam, impoſitam eſſe ſuper humeros & capita noſtrûm omnium, quibus hæc paſcendi cura credita eſt. Ad quos, quandoquidem polliciti ſumus nos vigilaturos, quaſi rationem pro animabus eorum reddituros, quos paſcimus, peculiari ratione pertinent monita illa Salomonis: *Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo*, &c. *Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipſum libera, quia incidiſti in manus proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum: ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* Verè etenim ita habet res, ut ſpiritualis ſubditorum profectus ab iis, qui regunt, maximâ ex parte pendeat. Videmus namque, quæ Dei eſt bonitas, ita affectos ac paratos Societatis homines, ut maximus lucis fructus ſperandus ſit in omni bonitate, juſtitiâ, & veritate, ſi nos omnes, qui præſumus, vigilanter & diſcretè miniſterium noſtrum impleamus. Quod quidem miniſterium ut rectè intelligatur, illud neceſſariò ſtatuendum eſt, eſſe hunc exercitum quemdam filiorum Dei, quos ſingulari vocatione dignatus eſt Deus noſter congregare, ut ſerviant ei ex caritate non fictâ, corde magno, & animo volenti; & onus crucis (ut ita loquar) ei illi allevent, in ovibus, quæ perierant, ad cælum reportandis. Cùm igitur exercitus ſit, maximum ordinem,

Proverb. 6. 1.

nem, maximaſque vigilias exigit: cum ſint filii Dei, ſatis apparet, quibus oculis ſint aſpiciendi à Superiore; quanto amore ac reverentiâ diſponendi, quàm ingenti profectus eorum deſiderio: cum tam excellenti vocatione vocati ſint, non decet Superiores, ea quæ perfectionis ſunt, puſillanimitatis ſpiritu, qui è ſæculi prudentia naſcitur, ulla ratione metiri: ac denique cum ſervitus quædam ex amore ſit, id efficax maxime erit ad eos dirigendos, ſi Superior eorum teneat ac poſſideat voluntatem. Neque enim, qui in Societate præſunt, eo contenti eſſe debent, ut obediat ſubjectus; & hoc aut illud quod injungitur modo præſtet, quoquo modo præſtet; ſed illud maxime ſpectari oportet, ut id magna cum perfectione in Chriſto exequatur: ad quod præcipue conducet, ſi ſubditi vere intelligant, ſe á Superioribus diligi, qui ſuis ſe filiis patres, matres, nutrices, medicos, denique omnia omnibus, pro cujusque neceſſitate exhibeant neceſſe eſt. Quare D. Bernardus cum Superioribus agens, *Diſcite*, inquit, *ſubditorum matres vos eſſe debere, non dominos: ſtudete magis amari, quam metui.* Atque idem paullo poſt: *Quid jugum veſtrum ſuper eos aggravatis, quorum potius onera portare debetis? Cur morſus à ſerpente parvulus fugit conſcientiam Sacerdotis, ad quem eum magis oportuerat tamquàm ad ſinum recurrere matris?* *In Cant. ſerm. 23.*
Quod idem etiam ante D. Gregorius præclare docuerat iis verbis, *In quâ videlicet compasſione neceſſe eſt, talem ſe, qui præeſt, exhibeat, cui ſubjecti quique oculta quæque ſua prodere non erubeſcant: ut cum tentationum ſuarum fluctus parvuli tolerant, ad Paſtoris mentem, quaſi ad matris ſinum recurrat: & hoc quòd ſe inquinari pulſantis culpæ ſordibus prævident exhortationis ejus ſolatio, ac lacrymis orationis lavent.* Et revera qui ſe ipſum conſiderat circumdatum infirmitate, ac ſimul diligentius æſtimat amorem, quem Deo debet, ac propter eum ejus etiam filiis (hinc enim trina, qui gubernaturi ſunt, ratione amoris, interrogatione tentantur) optimè videt quanta in his omnibus, quæ hoc loco ſunt, compaſſio; quanta etiam erga Deum & proximum caritas requiratur. Neque enim ſine certi ratione myſterii Sacerdotali byſſo, coccus, isque bis tinctus, adjungitur. Hunc ſanè affectum animi (ut in rationali pectoris, nomina etiam Patriarcharum intexamus) Moyſes oſtendebat, cùm ita reputaret & diceret, Deum ſibi ita populi illius curam demandaſſe, quaſi ipſe eam omnem multitudinem concepiſſet ac genuiſſet, eique Dominus expreſsè præcepiſſet: *Porta eam in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum.* *Ioan. 21.* *Num. 19. 6.* *Num. 11. 12.*

1. Theſſ. 2. 7. 2. Cor. 11. 29. Gal. 4. 19. 3 Hinc etiam illæ Apoſtoli Pauli voces: *Facti ſumus*, inquit, *parvuli in medio veſtrûm, tamquàm ſi nutrix foveat filios ſuos.* Et, *Quis infirmatur & ego non infirmor?* Et, *Filioli mei, quos iterum parturio.* Sic ſic nimirum ſanctæ memoriæ B. P. IGNATIVS in Conſtitutionibus exigit, ut Superiores amari potiùs, quàm timeri ſtudeant. Sic in formulâ Inſtituti præcipitur, ut in gubernatione memores ſimus benignitatis & manſuetudinis Chriſti, & formulæ Petri & Pauli Apoſtolorum: de quorum altero ut in præſens taceam, de Paulo certè novimus quæ miro quodam compendio in ſuo Apologetico colligat Nazianzenus, quantâ caritate atque diſcretione, quanto animi fervore atque compaſſionis affectu omnibus omnia fieret, & uno eodemque principio, tamquàm ſapiens medicus, diverſis diverſa exhiberet medicamenta. Quod ipſum officium egregiè, D. Bernardus paucis in epiſtolâ quadam pinxiſſe videtur, cùm ait: *O bona mater caritas, quæ ſive foveat infirmos, ſive exerceat provectos, ſive arguat inquietos, diverſis diverſa exhibens, ſicut filios diligit univerſos. Cùm te arguit, mitis eſt; cùm blanditur, ſimplex eſt. Piè ſolet ſævire, ſine dolo mulcere: patienter novit iraſci, humiliter indignari.* Et ne longior ſim hac in re, cùm ſubditus currit benè, quis neſciat, quantus ei addatur animus exhortatione Superioris ac laude? cùm reprehenditur, ſi id ex amore intelligat provenire, dolere fortaſſis poteſt, exulcerari non poteſt. Medici, vulnus quamvis urat, ſectio non odium parit, ſed amorem. Si à Superiore inſtruitur, à quo ſe diligi putat, ſuſcipiet inſtructionem lætus, non ut murmuret, ſed ut faciat, quod monetur (ſin contrariâ opinione imbutus ſit, quod alioqui cibus eſt, ei vertitur in venenum) ſi tentatione pulſatur, ſecurus in manu matris deponit ſpinam; & manifeſtè apparet, non aperiri medicamento januam, ſed occludi, cùm Superior ſuſpicandi cauſſam præbet, vel ſe minùs diligere, aut malè ſentire, aut ſperare de filiis. Atque hanc quam dico fiduciam, Patres cariſſimi, non credere debemus in ipſo neceſſitatis articulo in ſubditos gigni poſſe, licet tunc amantiſſimis verbis eam efficere conemur; ſed neceſſarium eſt præterito tempore variis occaſionibus, ac beneficiis, tum oſtendendo curam, etiam corporalium illius neceſſitatum, tum familiarius cum ipſo agendo, tum denique aliis rationibus, apud eum & alios communiter hanc amoris opinionem collectam eſſe demonſtrando, quæ non modo diſciplinam noſtram ac Inſtituti & Regularum obſervationem non enervat, ſed etiam maxime perficit; quippe cum diſciplinæ cura

Epiſtol. 2. ad Falcon.

dilectio

dilectio ſit, & dilectio cuſtodia legum illius, ut etiam infrà differemus. Nunc enim primum hoc caput concludam, ſi illud addidero, quod ſicut magiſtri ſpiritualis viæ, & ii, qui alios regunt, graviter decipiuntur, cum omnes ad regulam propriæ conceptionis dirigunt; ita ad ſubditorum voluntates conciliandas & ſuaviter gubernandas in primis neceſſarium eſt, ut quis in gubernatione, non modo aliorum partes deponat, ne adverti poſſit Superior eſſe Pauli aut Apollo, ſed ipſe ſeipſum exuat, & proprium ſpiritum Societatis induat; quem & in Conſtitutionibus expreſſit, & vivis exemplis oſtendit ſanctæ memoriæ B. P. N. quem etiam perpetua ſucceſſione atque traditione quadam ſervandum ac cuſtodiendum, non immutandum, accepimus.

4 Secundo autem loco, quod vehementer exopto, quia magni momenti eſſe intelligo, illud eſt, ut ſingulari diligentia atque induſtria circa ea, quæ ad orationis & meditationis ſtudium pertinent, Superiores vigilent. Neque enim erga Deum, neque erga ſuos Superiores, neque erga ſeipſum, neque denique erga proximos recte unquam poterit absque hujusmodi exercitatione Societatis operarius ordinari. Nam quo modo poſſet aliquis aut ſenſu cordis divina beneficia percipere, niſi ea diligentius ruminaverit? aut iis gratus eſſe, vel operibus reſpondere, ſi ea non frequentius atque impenſius cogitaverit? quomodo poterit ea, quæ videntur & temporalia ſunt, ſeriò contemnere, qui non guſtavit æterna? quomodo noverit honoris appetitum, amoremque proprium, graviſſimum boni communis hoſtem, (ut eum B. P. Noſter appellat) pedibus conculcare; qui clara luce non deprehenderit, quid ſit homo, cur ſit homo? Ave quando vires ſuppeditent ad difficultates ſuperandas, quæ ſeſe in via ſpirituali opponunt; paſſiones edomandas, quæ ſingulis horis inſurgunt; ad virtutum actus exercendos, quibus habitus acquiruntur; ei, qui meditatione, ut D. Bernardus loquitur, non cognoſcat quid ſibi deſit, & oratione non impetret? Quam verò rationem ſervare poterit agendi cùm proximis de rebus ſpiritualibus, ſic ut ad cæleſtium amorem illos excitet, aut eorum animos cæleſti rore perfundat ille, qui nullam aut raram cum Deo communicationem habeat, atque ideo præ ariditate cordis, ſine magno labore tria verba ædificationis eloqui vix poſſit? Quis zelus illi eſſe poterit, quæ fames aut ſitis ſalutis animarum, ſi non mentis intentione ingreſſus fuerit in cavernam materiæ, latus, inquam, Crucifixi, ubi cùm viderit quàm eæ carò illi ſteterint, ut aquila

illa volans, quæ in Iob deſcribitur, tota in Chriſto liquefacta, & inde con-
Greg. 31. Mor. templetur eſcam, *Et ubicumque fuerit cadaver, ſtatim adſit?* Hæc verò mentis exercitatio tantum abeſt, ut proximorum auxilium noſtraque miniſteria erga infirmos fratres præpediat aut retardet, ut potiùs promoveat: hoc ſiquidem, ut idem Bernardus ait, vera & caſta contemplatio habet (ſi vera & caſta eſt, id eſt, ſi neque ſe ipſam, neque propriam quærat conſolationem) ut tanto animam repleat zelo acquirendi Deo, qui eum ſimiliter diligant, ut omnia derelinquat, & ſeipſam oblita, ad prædam feſtinet discurrere. Contrà verò qui meditationis exercitio non juvatur, affert ille quidem fortaſſe aliquid fructus ex bonâ voluntate & opinione illâ, quâ ſibi jam perſuaſit, ſacrificium eſſe Domino auxilium animarum; ſed non
2. Cor. 5. 14. & 15. ignoramus tamen, quid Apoſtolica verba illa ſignificent: *Caritas Chriſti urget nos, æſtimantes hoc, quoniam ſi unus,* &c. *Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant; ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* Denique qui novit labores, incommoda, perſecutiones, contumelias, deſolationes, quæ neceſſariò ferenda ſunt iis, qui volunt animarum piſcatores fieri; non obſcurè proſpiciet, quàm neceſſarium ſit ſemper, ut ſint ſuccincti lumbos, calceati pedes, ac fortitudine armati
1. Cor. 4. 12. & 13. ita ſint, ut liceat cum Apoſtolo dicere: *Maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus: tamquam purgamenta hujus mundi facti ſumus, omnium peripſima usque adhuc.*
2. Cor. 4. 8. & alibi: *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: aporiamur, ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: humiliamur, ſed non confundimur: dejicimur, ſed non perimus: ſemper mortificationem IESV CHRISTI in corpore noſtro circumferentes, ut & vita IESV manifeſtetur in corporibus noſtris: ſemper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter IESVM ut & vita IESV manifeſtetur in carne noſtrâ mortali: & in iis omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.*

5 Et ne longum faciam, non obſcurum eſt hac de re etiam B. P. IGNATII judicium, qui cavere omnino jubebat, ne ſpiritualium rerum frigeſcente fervore, *Humani atque inferiores affectus incaleſcerent*; volebat, ut intelligerent noſtri, ea media majorem habere efficaciam ad ſalutem animarum, quæ magis inſtrumentum cum ſuo primo motore conjungunt: præcipiebat, ut ſpiritualia exercitia noſtris familiaria eſſent, ut poſſent etiam in illis alios erudire, & dexteritatem ad uſum in hoc ſpiritualium armorum

genere

genere tractando conſequerentur. Præter illa autem, quæ in Conſtitutionibus habentur, novimus quanti ſemper ea ipſe fecerit, quantumque illorum uſum atque exercitationem commendàrit. Neque nos latet, quid ſuo ipſe exemplo docuerit: volebat Rectores in ſpiritualibus exercitatos eſſe, & qui orationibus & ſanctis deſideriis totum Collegium velut humeris ſuſtinerent. Cùm de Profeſſis agit & Coadjutoribus formatis, ideò nullum eis certum orationis & meditationis tempus præfinit, quòd tamquàm certum ducat, eos ſic profeciſſe, ut planè ſint homines ſpirituales, qui quantum corporis valetudo & externæ occupationes caritatis atque obedientiæ permittant, in viâ Chriſti inoffenſo pede currere poſſint. In Generali Præpoſito ſcimus omnium primam hanc dotem expetere, ut cum Deo Domino noſtro, quam maxime conjunctus & familiaris ſit, tam in oratione, quàm in omnibus actionibus ſuis. Ex quibus omnibus manifeſtum efficitur, quanta ſit meditationis in Societate neceſſitas: nec omnino poſſe à vocali oratione eadem præſtari, quod certæ rationes & experientia ipſa nimium aperte oſtendunt. Fateor autem hoc meditationis negotium difficultate non carere, neque in omnibus æqualem habere ſucceſſum; ſed idcirco habemus Superiores, habemus & Præfectos ſpiritualium rerum: iis omni diligentiâ curandum eſt, ut non ſolùm præſcriptum tempus meditationi impendatur, ſed utiliter impendatur, ut ſciat unusquisque *Meditari cum corde ſuo, & exercitare & ſcopare ſpiritum ſuum: & cum cogitaverit vias ſuas, convertat pedes ſuos in teſtimonia Domini.* In ſumma omnes ſingulari ſtudio non modo Novitiatus aut probationis, ſed etiam reliquo vitæ tempore in eo vigilemus. Neque enim video, quâ ratione poſſint Societatis homines, cum operarii fuerint, neceſſarios hujusmodi ſumptus ſpirituales habere, ſi non ab initio eum ſibi habitum quæſiverint, & deinceps ſine intermisſione exercendo retinuerint. Quod ſi qua Religio eſt, cui meditationis familiare ſtudium perneceſſarium ſit, & promta quædam facultas in Deum ſubinde evolandi, ea certe noſtra eſt, ut non modo ex iis, quæ dicta ſunt facile cernitur, ſed etiam ex aliis, quæ noſtram Inſtituti formulam comitantur. Cum enim certis de cauſſis noſtra ratio Chorum rejecerit, ac perinde ut occaſio tulerit, per partes, & loco ſæpe incommodo, divinum nobis officium recitandum ſit; atque inſuper vita noſtra inter ſæculares, in mediis diſtractionibus & occupationibus exerceatur; in mari, in terrâ, in carceribus, in hoſpitalibus, & quod iis difficilius eſt, in alis Princi-

pum,

pum, cùm necesſitas aut caritas id poſtulat; quid nobis erit, ſi non omnia hæc, quaſi ſpiritualia detrimenta, unius orationis compendio reſarcire conabimur? & illud præ ceteris omnibus D. Baſilii præceptum amplectamur, quòd cùm ceteræ omnes actiones certum aliquod tempus ac præfinitum habeant, orationis tempus totam vitam occupare debet. Equidem credo ex hujus rei defectu non parva nec pauca in Religioſis hominibus incommoda accidere. Vtinam det nobis Dominus, ut ſanctum hoc ſtudium in Societate floreat, *Benedicens coronæ anni benignitatis ſuæ, ut campi ejus repleantur ubertate; pinguefcent quippe ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingentur.* Nihil enim vereor, dum noſtri in hoc ſtudium incubuerint, quin aſperitatem vitæ, corporisque afflictationes, quas ex obligatione non habemus, ita compenſent, ut nullam propterea vel fructus noſter, vel bonum Societatis imminutionem patiatur.

6 Tertium verò, in quo Superiorum noſtrorum magnam curam ac diligentiam deſidero, eſt diligens Regularum obſervatio, quæ quo loco habendæ ſint, vehementer cupio noſtrorum cordibus imprimi. In iis enim quaſi in ſpeculo quodam elucet, *Voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta*; & quid à nobis ille exigat, ut in omni converſatione ſancti ſimus, ſigillatim exprimitur; & quemadmodum quidquid vel ad ſingulorum per ſe, vel ad univerſorum ſimul, totiusque corporis Societatis noſtræ conſervationem, vel ad fructum noſtrorum miniſteriorum pertinet, nihil dubii eſt, quin à divinâ directione pendeat, & ab efficaci illius motione, cujus dextera virtutem facit, quam quidem non niſi ex influxu quodam peculiaris gratiæ vocationis noſtræ à Domino haurire poſſumus. Sic contrà qui à Regularum obſervatione & præfixo Inſtituti limite ſeſe ſubtrahit, hoc ipſo ab illâ Dei motione influxuque ſe ſubtrahit. Ex quo fit, ut homo ſibi ipſi relictus, nihil aliud poſſit quàm id, quod poteſt homo ſibi relictus ac deſtitutus, nempe ut labatur in multis, & impingat in viis ſuis. Nec verò quisquam ſibi blandiatur, ſi quasdam negligat Regulas, quòd haud ita magni momenti videantur, ut in his obſervandis negligentiorem ſe eſſe poſſe exiſtimet: quandoquidem neque parvum aliquid reputandum eſt, quod ſuavem illam cum Deo conjunctionem relaxet, atque animæ ſerenitatem obnubilet; & manifeſtum eſt, non eſſe ea opera parvi æſtimanda, quæ à non parvâ caritate & obedientiâ proficiſcuntur. Accedit quòd Religioſus, qui ita in animo ſuo aſſueſcit, ut majorum ſuorum ſtatuta, quæ revereri debet

etiam

etiam in minimis, negligat; habitum quemdam libertatis induit, non ſani ſpiritus, ſed ſæculi, ut pedetentim majora quoque parvipendat. Novimus autem qui dixerit, *Muſcæ morientes exterminant ſuavitatem unguenti:* &, *qui ſpernit modica, paullatim decidit.* Quare non modo D. Leo ait; *Qui non proficit, deficit: & qui nihil acquirit, non nihil perdit:* ſed Abbas etiam Theodorus apud Caſſianum; *Quapropter*, inquit, *illud erit evidens noſtri indicium detrimenti, ſi intellexerimus nihil amplius acquiſiviſſe: nec dubitemus retrorſum nos omnimodis revocatos, quâ die non ſenſerimus ad ſuperiora progreſſos.* Felix anima & multipliciter felix, quæ ſic inveſtigat, *quæ ſit voluntas Dei*, ut nihil prætermittat, in quo ſe dilecto poſſe gratificari arbitretur: ſed ad ſingula verba cum quippiam injungitur, gaudio gaudet, & in exultatione cordis una cum ſponsâ illa ſibi ipſi loquitur: *Vox dilecti mei.* Quidni dilecti vocem agnoſcat, qui dilectum ipſum in homine veneratur? Nec aliarum contra regularum aſperitas excuſare poteſt, ne quis fortè ad excuſandas excuſationes oleo peccatoris ſuum ore proprio caput impinguet. Nam quiſquis diligenter noſtra Inſtituta conſiderat, nihil aſperum vel arduum inveniet, niſi forte nolentibus: latet enim eos hoc volentes, ea quæ in voluntate ſita ſunt, ſtatim ut voluerit hominem etiam poſſe; quia mox ut vult, utique poteſt. *Col. 6. c. 14.*

7 Atque in univerſum etiam ego quidem ſpirituales difficultates non aliunde oriri exiſtimo, quam ex eo, quod ſapienter in ſuis Confeſſionibus D. Auguſtinus admonuit: *Quoniam*, inquit, *caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, ut non faciant omnes, quod volunt, cadunt in id, quod valent, eoque contenti ſunt: quia illud, quod valent, non tantum volunt, quantum ſat eſt, ut valeant.* Itaque ubi primum à contradictione ſenſus, quam in civitate animæ noſtræ volentes nolentes patimur, vel modica difficultas exoritur, terga vertimus; noſque tamquam victos abjicimus turpiter, cauſſantes nos id præſtare non poſſe. Tota autem ratio eſt, quia neque fortiter, neque integre volumus. Verumtamen quamvis difficilia & amara eſſent quæ injunguntur, ea ſi Prophetæ farinula condiremus, verterentur potius in dulcedinem. Inde erant voces illæ adeo ab iis diſſimiles, quas à tepidis quotidie audimus: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo:* &, *Inventi ſunt ſermones tui & comedi eos, & factum eſt mihi verbum tuum in gaudium & lætitiam cordis mei.* Et certe quidnam cauſſæ eſſe putemus, quod ea ut gravia & difficilia inter- *Lib. 10. c. 23.* *Pſalm. 118.* *Hier. 15.*

dum horremus, quæ levia nobis ante atque ſuavia videbantur, niſi quia *comederunt alieni robur noſtrum, & ignoramus?* & quemadmodum iis contingit, qui de viâ feſſi ſunt, ſic nos marceſcentibus interioribus viribus, gemere incipimus ſub onere, quod antea ne ſentiebamus quidem. Quod perſpicue in Collatione de mortificatione Abbas Abraham docuit, explicans unde fiat, ut cum Dominus dixerit, *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*, tantas tamen in viâ ſpiritus difficultates ſentiamus: eamque ad rem affert locum illum Eccleſiaſtici: *Labor ſtultorum affligit eos, qui non noverunt ire in civitatem.* Vere enim ſine intellectu ſumus, ſi in patriam Hieruſalem cæleſtem properantes, aſperas, & quaſi ſpinarum ſepes, itinere non trito, vias quærimus, relictâ interim viâ vinearum planâ & rectâ, paſcuisque uberrimis plenâ, quam Dominus ipſe oſtendit, paravit, atque munivit.

Col. 24. c. 24. *Matth. 11.*

8 Et reverà experientia docet eos, qui per obſervationem ſuarum Regularum ambulant, inoffenſo pede currentes, feliciter experiri, quid ſit, quod dictum eſt: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum*, & quod Dominus pollicetur: *Ego ero eis quaſi exaltans jugum ſuper maxillas eorum.* Nolo hoc loco longior eſſe eos admonens, quibus grave hoc onus redditur, ut infirmæ parti medicamentum adhibeant, curantes videlicet ſeriò ſenſus, atque judicii proprii mortificationem, cùm ex Epiſtolâ B. P. N. Ignatii perfectè intelligi poſſit, quidquid ad obedientiæ virtutem pertinet. Ego illud tantùm addam, quod in libro de Præcepto & diſpenſatione aptè à D. Bernardo dictum legimus: Porrò imperfecti cordis & infirmæ prorſus voluntatis indicium eſt, ſtatuta ſeniorum ſtudioſiùs diſcutere, & horrere ad ſingula, quæ injunguntur: exigere de quibusque rationem, & malè ſuſpicari de omni præcepto, cujus cauſſa latuerit: neque unquam libenter obedire, niſi cùm audire contigerit, quod forte libuerit, aut quod non aliter licere, ſeu expedire monſtraverit vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Delicata ſatis, imò nimis moleſta eſt hujusmodi obedientia: non plane illa eſt, quæ ex Regula traditur, obedientia ſine morâ: diſputare profectò hoc eſt in aſtu cordis, non in auditu auris obedire. Denique addit, omnino fieri non poſſe, ut hujusmodi anima carnalis non opprimatur pondere, & non grave ſentiat jugum Chriſti. Nos autem, ſi illius Spiritus participes ſumus, qui totum hoc Societatis corpus vegetat atque vivificat, qui non ſpiritus hujus mundi eſt, ſed Spiritus, qui ex Deo; ac ſi, ut glorioſus ait Martyr Ignatius, Spiritu ſancto ut lineâ & perpendi-

Pſalm. 118. *Bernard.*

pendiculo utamur ad noſtras actiones moderandas ac dirigendas; videbimus, cum ejus gratiâ, rectè ac ſuo ordine diſpoſitis lapidibus vivis admirabilem ſtructuram ad Iesv Christi gloriam conſurgere. Habent noſtræ Conſtitutiones architecturam ſane ſingularem in hac fabricâ Societatis, cujus exemplar quoddam perfectum & abſolutum Spiritus ſanctus B. P. Noſtro oſtendit in monte, nempe quod in Conſtitutionibus expreſſum ac deſignatum cernimus. Nondum ædificatio iſta ad perfectum redacta eſt: noſtrum eſt, quos poſuit Deus quaſi Architectos aut fabros, eam continuare, non quidem alia principia aut exemplaria ſequentes, ſed illud unum primum exemplar nobis traditum. Aliorum verò eſt, qui lapides ſunt, ſed lapides vivi, ſeipſos in hoc ædificium offerre, mortificatione expolitos, religiosâ obſervatione quadratos, & cœcâ obedientiâ indifferentes, ut ſuo quisque loco ad artificis nutum diſponatur. Quod ſane fieri non poteſt, niſi ſinguli defixos habeant oculos ad normam, quæ noſtris Regulis & Conſtitutionibus continetur; id ſibi perſuadentes non modò neceſſe eſſe, ut ſpirituales homines fiant, ſed etiam ut tali formâ, ac talibus inſtrumentis, nempe ut in materialibus ædificiis, & aliis mechanicis contingere ſolet, ut ad exemplaris rationem & lapides conformentur, & inſtrumenta, quibus conformandi ſunt, illi proportione reſpondeant. Nam & in domo hac noſtri Salomonis, *Omnia*, ut Scriptura loquitur, *lapidibus pretioſis exſtruenda ſunt*, qui ad unam certam normam & communem menſuram ſerrati ſint. Quare ſapienter D. Baſilius de religiosâ vitâ diſſerens, ita ſtatuit: Neceſſarium eſſe, ut quisque ſuam propriam voluntatem, ſuosque proprios modos relinquat, atque abneget; & in unam omnes formam ſibi propoſitam inſpiciant, quam imitentur, & ad quam ſeipſos componant. Ita enim fiet, ut quemadmodum pictores aliqui, qui ex eodem prototypo varias effingunt imagines, omnes inter ſe quàm ſimillimas efficiant; ſic religioſi homines eamdem vitæ formam intuentes, ſimillimam ac pænè, ſi fieri poſſit, eamdem inter ſe morum atque ſpiritus imaginem exprimant. Quod non modò per ſe, ac ſuo fructu optandum eſt, ſed etiam ad perpetuæ conſenſionis mutuæque caritatis vinculum gignendum, vel maximam vim habet.

9 Nec dubium eſt, quin propoſitâ nobis illa B. P. Ignatii ſpecie pulcerrimâ, quam ſuis ipſe coloribus in Conſtitutionibus depinxit, dum quisque noſtrûm ſtudet illi ſimilem formare; augeatur in nobis non ſolùm cujusque perfectio, ſed unio etiam & conſervatio totius Societatis. Verùm ut perfectè ſpiritualem hanc imaginem, & quaſi ad vivum repræſentare *De Eccl. Hierar. h. c. 24.*

 poſſi-

poſſimus, neceſſe eſt, ut D. Areopagita annotavit, ita attente ac ſine intermiſſione in eam defixos teneamus oculos, ut nihil in aliud diſtrahamur. Sic enim aſſequemur, ut res, quam imitamur, quæcumque ea ſit, non ſolum perfecte exprimatur, ſed ſi dici poteſt, una geminetur. Nec me latet, id ſine labore non fieri. Novi contradictiones, quas vetus homo ſuſcitavit. Sed hoc id tantum efficit, non eſſe cujusvis hominis ad perfectionem aſpirare, non puſillanimi, aut pigri, *cujus agrum ſpinæ ac urticæ repleant neceſſe eſt*; ſed ejus, qui non ſurdâ aure perceperit, quid ſibi velit, *Regnum cælorum vim patitur*; vel illud, *Certa bonum certamen*; vel, *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet*; &, *Melior eſt, qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium.* Hinc idem Areopagita ſpirituali intelligentiâ veterem illum baptiſmi ritum explicans, quem ſuſcepturi, priùs Occidentem verſus exſufflare jubebantur, quaſi vitiis omnibus renuntiantes; deinde ad Orientem converſi, in illum lumina aliquamdiu defigere; ipſe eo myſterio conſtantem quemdam, & immutabilem divini habitus ſtatum deſignari oſtendit. Neque enim ſatis eſſe, ab omni vitio ſeſe removere, niſi mens maſculo quodam vigore (ſic enim loquitur) ad omnem illius perniciosſam ſurreptionem inflexa atque interrita perduret, & nunquàm ſacro veritatis amore ſatietur, numquàm illum conſeneſcere ullâ ratione permittat; ſed ad perfectiora divinitatis haurienda perpetuâ ſemper intentione feratur. Sed quoniam in his, quæ ad ſubditos pertinent, diutius immorati ſumus, redeo ad ea, quæ Superiorum propria ſunt, paucis expedienda. Eſt itaque maximè neceſſarium, ut in religiosâ diſciplinâ & obſervatione regularum Societatis peculiari ratione retinenda Superiores, qui alios dirigunt, magno ſint animo: facultatem eas obſervandi non puſillanimitate ſpiritus metientes, quam humana prudentia, quæ non intelligit, quid poſſit Dei gratia, objicere interdum ſolet; ſed eo planè ſpiritu, quo illæ conditæ, quo editæ ſunt. Nemo enim dubitare poteſt, quin ſpiritus Domini, qui eas Patri noſtro inſpiravit, idem ſit, qui vires ad executionem polliceatur. *Etenim benedictionem dabit legiſlator*, tantùm ſit, qui manum mittat ad fortia, neque illæ fruſtrà conſcriptæ ſunt, ſed ut ſervarentur; quemadmodùm tot jam ſervi Dei exemplis ſuis in Societate docuerunt: quos ſi puſillanimes intuerentur, & ii, qui inertiæ ſuæ excuſationes quærunt, profectò cernerent, *ut inſtauret contra nos Dominus teſtes ſuos; reſipiſcerent homines & dicerent, Peccavi*, ut ait Iob. Quod tum contingit, cùm aliorum perfectionem

Matth. 11.
2. Corinth. 3.
1. Corinth. 12.
Proverb. 16.

nem conſiderantes, & agnoſcimus, & ſine palpatione infirmitatem noſtram confitemur.

10 Proinde debent Superiores hujus gratiæ fiduciâ plurimùm niti, cùm experientia doceat, quantum ea momenti habeat, ut quæ difficilia hominibus eſſent factu, vel omnino fieri non poſſent, ex gratiâ tamen vocationis (quam digitus Dei in cordibus noſtris inſcribit) non poſſibilia modò, ſed facilia etiam atque ſuavia fiant. Quod ita verum ac certum eſt, ut hoc uno quaſi cardine tota iſta Societas ejuſque gubernandæ & adminiſtrandæ ratio conſiſtat. Et mihi quidem videtur fortiſſimus ille Deus vocationis ſuæ vim in his præcipuè, quos ad Societatem vocat, non dubiis oſtendere documentis; qui in Novitiorum animis promptitudinem, & agilitatem quandam gignit ad ea omnia, quæ Inſtituti noſtri ſunt: ut quemadmodùm fidei habitus nos inclinat, ut iis omnibus aſſentiamur, quæ ejus objecto continentur, quamvis alia atque alia ſubinde credenda proponantur; ſic etiam ſuo quodam modo, videmus eos, qui per portam ingrediuntur, ita animo affectos eſſe, ut omnia, quæ noſtræ profeſſionis ſunt, magnâ quadam alacritate & facilitate amplectantur, atque accipiant; ut videatur Dominus quaſi diſpoſitam nobis atque paratam exhibere materiam, in qua facili negotio forma illa introducatur, cujus exemplar divina illius Majeſtas in Societate demonſtravit. Quamobrem ſoleo ego, Patres cariſſimi, huic noſtræ ſententiæ illam Hieremiæ parabolam applicare, de figulo faciente opus ſuper rotam, qui lutum format manibus ſuis, ſicut placet in oculis ſuis ut faciat; cujus cum triplex ſit munus, primum materiam præparare, tum rotam agitare, & vas illud ad ſpeciem, quam in mente apprehenſam habet, effingere; ſic mihi propono, rotam ipſam eſſe diſpoſitionem & tractationem per varias functiones eorum, qui gubernantur; quod fit per obedientiam: Pedum autem inſtar eſſe Superiores, qui eam commovent; qui ſane pedes, ut recte vas fiat, non niſi ad imperium intelligentis, qui ipſe figulus eſt, moveri & viciſſim movere debent. Quod autem ordine primùm erat, nempe materiam præparare, id vere noſtras non attingit vires. Vnius enim Dei eſt argillam operi paratam aptamque exhibere: nos vero, quos formandos ſuſcepimus, nec formare ac nec movere quidem poſſemus, niſi ipſi eſſent à divina directione moti. Et vere ſi creta hæc noſtra, pro ea libertate, qua prædita eſt, currentis rotæ curſum non impediret; & quod inde ſequitur, artificis propoſitum atque ideam non diſturbaret, quam pulcra paſſim, quamque nobilia in Societate vaſa videremus! Sed

Hierem. 18.

nos ipſi, qui regimur opera Dei, ad inſipientiam utique nobis, non impedimus modo, ſed deſtruimus ac disſipamus identidem, dicentes figulo, quod Dominus per Iſaiam conqueritur. *Quid facis? & opus tuum abſque manibus eſt.* Quibus non immerito illud Prophetæ exprobrare poſſet: *Quoniam quæ tu feciſti, deſtruxerunt.* Proinde ſicut Superioribus inde animus creſcere debet, ut omnes ad perfectionem dirigant, quod Dominus adeo paratum & ſubactum præbet lutum; ita cùm ſatis appareat frequenter homines ex infirmitate deficere, propriaque eorum culpa perdi vaſa pulcerrima, quo minus ad perfectum adducantur; maxima ſollicitudine providendum eſt, ut ſubditi juxta divinæ voluntatis præſcriptum, noſtræque vocationis gratiam, & ad ſummum & abſolutum virtutis gradum perveniant. Quocirca curandum in primis eſt, ut omnes de medio tollantur occaſiones, quæ noſtrum curſum impedire & retardare poſſent, cujusmodi ſunt ſæcularia præcipue negotia, quæ hominem vere quaſi in alienam ſpeciem ac perſonam transformant. Cum enim (ut in noſtra formula dicitur, & quod ſemper ante oculos habere debemus,) Deo militemus, utique cadit in nos illud Apoſtoli dictum: *Militamus Deo, &, nemo militans Deo, ſe negotiis ſæcularibus implicat; ut ei placeat, cui ſe probavit.* Inde & Conſtitutionibus & operibus expresſit ſemper beatæ memoriæ Pater Noſter, quantum hujuſmodi occupationes à noſtro Inſtituto alienas duxerit. Sed accidit interdum, ut auctoritas quædam Principum ac magnorum hominum (quæ certè ut nos opprimat pati non debemus: ſed acriter ei cum omni modeſtiâ, & humilitate, atque religioſâ ſuavitate reſiſtendum eſt) efficiat, ut in hujuſmodi ſcopulos impingamus frequenter.

11 Vereor quoque, ne nos fallat, vel ſpecies quædam falſæ utilitatis, vel etiam noſtrorum ipſorum importunitas, pietatis zeli prætextu velata: & tamen cum videamus, extra ſepta nos verſari, ac proinde in magno ac certo eſſe periculo, audendum eſt aliquid in Chriſto pro Societate, & magis Inſtituti noſtri gratiæ, divinoque auxilio fidendum, quòd nos & ſervabit incolumes, *& prava in directa, & aſpera ponet in vias planas*, ſi à primo illo germanoque Societatis ſpiritu nos divelli non patiamur. Sed in hac Regularum atque diſciplinæ obſervatione duo Superioribus extrema vitanda ſunt, alterum ne dum ſubditis diſplicere, eosque contriſtare timent, paullatim diſciplinam labefactari ſinant; & in his conniveant, quæ correctione & remedio indigebant, non modò culpam aliquam inpunitam relinquentes

quentes (ea enim indulgentia in multis nec magnum vitium eſt, & fieri poteſt, ut interdum expediat) ſed etiam hujusmodi errata ne fraternâ correctione caſtigantes; & quod pernicioſius eſt, cum culpæ ſubinde iterentur, non applicantes in futurum efficax ac ſalutare remedium: quod ſanè credi non poteſt, quantum detrimenti Societati affert. Paullatim quippe defectibus atque relaxationibus ſuccreſcentibus, Superiores ii, qui in gubernatione ſufficiuntur, omnia inveniunt emendatu difficillima; & ut novi ſunt, nec ſeveriori diſciplinâ à ſe ſubditorum animos abalienare incipiant, atque in ipſo gubernationis aditu, ea ſtatim movere, quæ moleſta ſunt & odioſa, quaſi redimentes tempus, tempus expectant, quò ſuaviùs & mollius omnia fiant: dumque dies ex die protrahitur, incommoda creſcunt: & quod vix credi poteſt, ſed tamen certiſſimum eſt, fit ex conſuetudine ſenſim adeò familiare hujusmodi laxitatis & licentiæ velut idioma, ut etiam zelo præditis, minùs jam ac minus incipiant incommoda ac indecora videri, quæ anteà turpiſſima videbantur. Itaque dum ***terra paullatim alluvione conſumitur; & lingua, quam naſcens Societas non noverat, auditur***, quaſi altera repentè rerum facies, & alienorum civium regio exiſtit. Quod ſi ipſos ſpectemus ſubditos, tantum abeſt, ut hac remiſſione ſuaviter cum illis agatur, ut maxime etiam dure & aſpere tractentur. Nam ut ***nemo repentè fit turpiſſimus***, ut inquit S. Bernardus; augentur paullatim transgreſſiones, & infirmitates; quibus cum antè leve aliquod medicamentum ſatis fuiſſet, adaucta & inveterata mala, quæ ſuo tempore curata non ſunt, etiam ferrum ignesque exigunt; ut ſerò tandem miſer ille, quam anteà lenitatem, mox crudelitatem ac ſævitiam potius hoſtilem exhibitam ſibi fuiſſe cenſeat.

12 De quo ipſo præclare diſſerens D. Auguſtinus inquit: *Ne putes tunc amare filium tuum, quando ei non das diſciplinam. Non eſt iſta caritas, ſed languor.* Atque idem paullò poſt, *Fel*, inquit, *columba non habet, tamen roſtro & pennis pro nido pugnat: ſine amaritudine ſævit: & amor ſævito caritas ſævit: ſævire videtur pater, more columbino ſævit, cum ſævit ſine felle ſævit.* Divus etiam Gregorius docet, *Superioribus ſervandam eſſe, & in cordibus humilitatem & in opere diſciplinam. Atque inter hæc, inquit, ſolerter intuendum eſt, ne dum immoderatius cuſtoditur virtus humilitatis, ſolvantur jura regiminis.* Atque idem quoque alibi præcipit, curandum eſſe, *ut Rectorem ſubditis, & matrem pietas & patrem exhibeat diſciplina. Atque inter hæc ſollicita circumſpectione providendum, ne aut diſtrictio rigida,* *Tractat. 7. in epiſt. Ioan.*

aut

aut pietas ſit remiſſa: ſed debet in Superioribus eſſe, *Et juſte conſolans miſericordia & pie ſæviens diſciplina.* Cujus typo aſſerit Evangelicum illum infirmum, qui fuerat plagis impoſitis relictus ſemivivus, à piiſſimo Samaritano & oleo & vino curatum: *ut per vinum mordeantur vulnera, & per oleum foveantur.* Atque hoc erit illud, quod nos quoque in Conſtitutionibus docemur, ſeveritatem ſuo tempore ſuavitati miſcendam: tunc enim ſuavitas diſſoluta exiſtimanda eſt, cùm Superior errata non corrigit, ne eos conturbet, qui latam diligunt viam; tunc diſciplina rigida, cum in corrigendo modum non ſervat. Proinde ſicut expedit, primum illud diligenter cavere, ne laxi ac debiles; ita hoc poſterius, ne duri ac ſeveri videantur. Totum autem ferme poſitum eſt in modo. Nam ſicut fortes & firmos eſſe oportet in eo exequendo, quod convenit; ſic in ratione conſequendi inſuavitas & aſperitas omnis fugienda eſt. Porro aſper & gravis eſt Superior, cum nimium credulus primis quibusque delationibus tenaciter adhæret, nec ab iis abduci ſe patitur. Aſper eſt, cum quaſi omnes transgreſſiones æquales ſint, easdem minoribus, quas majoribus, pœnas decernit. Aſper eſt, cum iis, quæ ſolâ monitione corrigi poſſunt, acriora adhibet medicamenta. Aſper eſt etiam, cum loci & temporis momenta & opportunitatem expectare neſcit; cum errata, quæ ſecretâ correctione emendanda fuerant, ita palam facit, ut ſubditum confundat; cum in corrigendo iracundiâ magis agi, quam zelo, & caritate duci ſe oſtendit, verbis ac geſtibus incompoſiti ac perturbati animi ſigna exhibens, quæ non modò nihil conferunt ad conſequendum, quod ſibi propoſuit, ſed etiam maximè nocent. Nam cum duo ſint, quæ in ſubditorum animis, cum caſtigantur, plurimum valere ſolent, alterum reverentia, quâ erga Superiorem afficiuntur ex opinione de illius virtute ac probitate conceptâ, hæc ſanè opinio debilitetur neceſſe eſt, cum illum vident hominem eſſe ſimilem aliis, non minus quàm alios ad paſſionum impetus expoſitum: alterum perſuaſio, quâ ſe diligi credit; hanc certè minui neceſſe eſt, cum quis viderit Superiorem neque paternè, neque amanter ſecum agere. Aſper denique eſt, cum omnino is, qui præeſt, non oſtendit ſe ex caritate moveri, & deſiderio perfectionis filiorum: cum reprehenſionis auſteritatem non temperat dulcedine ſpei, quam de illorum emendatione atque profectu præ ſe ferat: cujus quidem ſpei non mediocre pignus Superior exhibet, cum ſubditis aliquas vias rationesque proponit, quibus eos juvari poſſe ſperat, præſcribens etiam, ut ad ſe redeant,

ſibique

ſibique communi fiduciâ aperiant, quid utilitatis retulerint, quo ſe modo habeant, quid in ſe animi ſentiant. Demum in correctionibus quod ad ordinem & modum attinet, habenda ſunt præ oculis, quæ in tertiâ Conſtitutionum parte B. P. N. IGNATIVS docet, quæque Superioribus in ſuis regulis præſcribuntur. Quæ in ſummâ ad illud Baſilii præceptum revocari poſſe videntur, ut Superior in animarum curandis morbis probos medicos imitetur, *Vt videlicet ægris non iraſcatur, ſed contra morbum ipſum pugnet.*

13 Et ut paucis omnia fere, quæ dicta ſunt, complectar, duo eſſe posſunt gubernationum genera. Alterum, quod naturali lumine nititur, & humanæ ſapientiæ principiis, quæ vere ſtultitia eſt, nec percipere poteſt ea, quæ Spiritus Dei ſunt: hanc qui tenent rationem, ita ſubditos regunt, ut ſatis habeant, ſi in externis eorum actionibus nihil inordinatum aut indecens conſpiciatur; idque unum ab eis exigunt, ut officio quisque ſibi injuncto utcumque ſatisfaciant; neque ſibi aut aliis negotium faceſſant; quod curant, ut illis tum rationibus, tum argumentis, tum etiam indulgentiâ quadam perſuadeant: nullâ interim in re eorum virtutem exercentes, nihil imperantes, quod illorum imbecillitati & infirmitati gravius & acerbius accidere poſſit. Hoc genus, ne pluribus deſcribamus, politicum appellare licet. Sed alterum eſt, quod altioribus principiis, & ſuperiori lumine, divino ſcilicet, ducitur, & gratiæ vocationis innititur; probe intelligens virtutes & omnes animi noſtri habitus bonos, & ut acquirantur, & ut deinceps conſerventur, exercitatione indigere. Quare in mortificationibus, quæ honorem ac proprium judicium convellunt, pugnantque contra ſenſum & naturalem propenſionem noſtram, ſubditorum abnegationem ſtrenue exercet, & efficit, ut quisque tum quid ſibi deſit, experientia diſcat, tum etiam contendat modis omnibus vel id acquirere, quod nondum habet, vel quod jam acquiſivit, ſtudioſiùs conſervare. Ac prior quidem illa ratio, quam quidam ut faciliorem amplectuntur, tantum abeſt, ut expeditior ſit, ut etiam Superiorem ipſum in inextricabiles difficultates adducat: quandoquidem ejusmodi res ſunt, quas ſemper in Societate tractamus, & in quibus verſamur aſſidue, nempe quæ perpetuam ſui ipſius abrenuntiationem neceſſario requirunt, quo ſane veteris Adami oculus non pertingit; ut fieri nullo modo poſſit, ut tantus hominum numerus, talibus judiciis & ingeniis præditus, humanis rationibus ac perſuaſionibus duci at-

que inflecti queat, non magis quam ſi quis in magna tempeſtate inter frementium ventorum impetus undarumque jactationem, ex muſicis præceptis navem moderari conetur. Neque vero ea gubernandi ratio iis ipſis, qui gubernantur, aut utilitatem, aut conſolationem afferre poteſt: quod uſu ipſo ſemper apparuit in iis, qui hujusmodi viam ambulant. Denique ut nihil poteſt eſſe magis contrarium vel inimicum principiis Religionis; ſic ſtatuendum eſt, ſi ea ratio gubernandi ſemel in Societatem induceretur, ita certiſſime futurum, ut non modo illa nullum facere fructum, ſed ne conſiſtere ac conſervari quidem poſſet. Sic enim brevi fieret, ut exiſteret in Societate magna hominum copia, qui litteris quidem egregie inſtructi, prudentia præterea, & rerum gerendarum dexteritate pollerent; ſed noſtro fini minus certe utiles eſſent; quod parum in exercitatione virtutum, ſolidique ſpiritus fundamentis profeciſſent. At vero poſterior illa methodus, quæ prudentiam quidem ſecundum Deum non reſpuit, ſed toto ſpiritu nititur mortificationis exercitatione, abnegationis uſu, honoris proprii, totiusque veteris hominis abdicatione, ea eſt, quam tantopere expetimus, quæque omni ope ac ſtudio in Societate retinenda & colenda eſt: ſic enim fore ſpero, ut & omnis perfectio in Societate vigeat ac floreat; atque etiam omnium animi perpetua quadam cæleſtis conſolationis dulcedine, quæ certe in talibus ſtudiis deguſtatur, quam maxime perfruantur. Hanc autem viam in ſubditis moderandis non modo exemplis docuit B. P. IGNATIVS, qui miris mortificationibus, quas pæne omnes norunt, ſuos exercebat, eoque magis quo probiores & inſigniores, & ſibi etiam majore familiaritatis uſu conjuncti eſſent; ſed eamdem etiam in Conſtitutionibus expreſſam tradidit. Hoc eſt enim, quod in formula noſtra adeo diſerte denuntiatum nobis, ad hoc Inſtitutum neminem aptum eſſe, niſi vere humilem & prudentem in Chriſto, & in Chriſtianæ vitæ puritate ac litteris conſpicuum. Hinc etiam in Examine præcipitur, ut majus ac impenſius ſtudium noſtrum in eo ponamus, ut majorem noſtri abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quo ad fieri poterit, mortificationem quæramus. Quod genus præceptorum ita eſt in totis Conſtitutionibus uſitatum ac frequens, ut nihil aliud pæne continere videantur. Neque mihi dubium eſt, ſi Superiores exemplo etiam ſuo præeuntes, cum quâ dictum eſt caritate, ſuavitatem etiam prudentiâ commiſcentes, hoc gubernandi præſcriptum ſequantur, quin noſtris omnibus ita probetur, ut ipſi ſe hoc potiſſimum

modo

modo regi velint, idque maxime cupiant & amplectantur omnes, cum ſingulari Societatis incremento, maximaque proximorum utilitate. Quod eò etiam facilius, ſuaviusque reddetur, ſi modò omnes, qui in Societate præſunt, in hunc gubernandi typum conſpirabunt; ne quorumdam remisſio aliorum odioſam reddat diſciplinam; omnesque ſubditi intelligant, ita ſe exerceri ad eorum virtutem confirmandam & augendam. Quòd ſi quorumdam puſillanimitas vel tepor ad eam perfectionem non aſpiret, *Ipſi viderint* (ut cum D. Bernardo loquamur) *quid excuſationis poſſint afferre: quoniam Apoſtolicam omnes nos vitam ſecuti ſumus; Apoſtolicæ profeſſioni nomina dedimus univerſi*, dicentes Chriſto duci: *Ecce nos relinquimus omnia & ſecuti ſumus te.* *Bern. ſermon. tra ſitium ingrat.*

14 Quarto loco atque extremo illud mihi monendum occurrit, ut quanto ſtudio Societatis conſervatio curanda eſt, eo Superiores curent, ut Noſtri & inter ſe, & cum proximis recte ſint diſpoſiti. Quævis enim ordinis perturbatio, quæ vel in militibus inter ſe, vel in modo exercitus ducendi exoriatur, maxime vero inter præliandum, maximam totius exercitus confuſionem parit & exitium. Quare B. P. N. Ignatius initio octavæ partis Conſtitutionum tam ſerio affirmat, neque conſervari, neque regi, atque adeo nec finem, ad quem tendit, conſequi Societatem poſſe, ſi inter ſe & cum ſuo capite membra ejus unita non fuerint; eodemque loco, præter id, quod media explicat, quibus hæc unio ſervari poſſit, quibus profecto omnibus baſis ac fundamentum virtus eſt & ſpiritus; tanti hanc unitatem facit, ut contra eos, qui diſſenſionis auctores extiterint, graviſſimis illis verbis utatur, diligentiſſime videlicet ſeparandos tamquam peſtem à Societate, quæ eam poteſt ſummopere inficere, ſi præſens remedium non adhibeatur. Proinde nulla ratione Superioribus diſſenſiones inter domeſticos ferendæ ſunt; nec tolerandum, ut ea, quæ ad nationes pertinent, & caritatem maxime diſcindunt, vel leviter attingantur, dicente Apoſtolo, non apud Religioſos modo, ſed etiam Chriſtianos quosvis, *Nec ſervum, nec liberum, nec barbarum aut Scytham, ſed omnia*, inquit, *& in omnibus Chriſtus.* *Coloſſ. 3.* Hæc eſt gloria Societatis noſtræ, jam tunc ab initio. Et certe *Melius eſt nobis magis mori, quam ut gloriam hujusmodi quis evacuet.* Non *1. Corinth. 9.* igitur ferendum eſt, ut quæ ſingulorum ſint vitia, integris tribuantur nationibus: cum nihil laude vel vituperatione dignum ſit, quod voluntarium non eſt: & diligentiſſime regula illa ſervanda, quæ prohibet, ne aliæ na-

tiones de aliis ſiniſtre ſentiant, aut loquantur: ſed peculiari affectu faciendum eſt cuique, ut diverſas nationes in Domino proſequatur. *Omnes ſiquidem ſumus cives Sanctorum*, & patriam unam paradiſum computantes, eam à longe aſpicimus & ſalutamus. Cuperem equidem in hoc loco tam neceſſario, tamque Chriſto grato, diutius immorari, (adeo mihi cordi hæret) niſi me magna ſatis commendationis exaggeratione uſum putarem, cum ita dixi credere me, ac pro certo habere, ex eo uno maxime Societatis bonum & conſervationem pendere. Murmurationes igitur zizaniorum ſemina, & quidquid caritatem violare, vel quidquid impedire poteſt, ex agro hoc Domini penitus exterminetur. Sed conſideremus invicem, *non ut invicem judicemus, aut mordeamus, ne forte ab invicem conſumamur*; ſed, ut Apoſtolus ait, *in procuratione caritatis, & bonorum operum alter alterius virtutes conſiderantes*, ut creſcamus in ſpiritu, Deumque Dominum laudemus, ut cum ala viciſſim alam percutit, volemus cum præclaro illo cantico ad cælum: *Benedicta gloria Domini de loco ſancto ſuo.* Dum enim quisque alterum reſpicit, atque in eo donum aliquod intuetur, quo ipſe caret, fieri non poteſt, quin ſeipſum humiliet atque in amore & communicatione cum ceteris creſcat. Sic quippe diſſerit S. Gregorius, diviſiones gratiarum à Deo fieri nulla alia de cauſſa, quam ad maximarum harum virtutum, humilitatis concordiæque cuſtodiam. In aliis quippe regionibus vinum abundat, oleum in aliis, quædam tritici feraces ſunt, quædam animalium; ut dum una alterius ope indiget, ſervetur communicatio, mutuumque inter omnes commercium foveatur. *Sicut ergo regiones terrarum*, inquit, *ita ſunt mentes Sanctorum, quæ cum viciſſim ſibi conferunt, quod acceperunt; quaſi fructus ſuos regiones regionibus impendunt, ut in una omnes caritate jungantur.*

Epheſ. 2. *Hebr. 2. 11.* *Gal. 5.* *Hebr. 10.* *Ezech. 3.*

15 Memores nos eſſe oportet teſtamenti, quod diſpoſuit dulciſſimus Pater noſter IESVS, & quidem, quod ipſo ſanguine ſancivit, & morte confirmavit. *In hoc cognoſcent omnes, quod mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Quod præceptum Evangeliſta, qui audierat, ita etiam hauſit, & ad extremum usque ſpiritum retinuit, ut, quemadmodum refert D. Hieronymus, nihil pæne aliud diſcipulis inculcaret, quod etiam, ut ille affirmabat, & præceptum Domini eſſet, & ſi ſolum ſervaretur, ſufficeret. Id igitur nos opere & veritate aſſidue efficere neceſſe eſt, ut cortinæ, quæ Sanctum Dei tabernaculum ornant, & à ſuperiore parte, & ad latus inter

Ioan. 13.

inter ſeſe hyacinthinis vittis colligentur, id eſt, *Fidelium animæ*, ut S. Gregorius interpretatur, *per caritatem conjunctæ ſint, non per diſcordiam diviſa.* Sunt autem ſæpe vel minuta quædam, quæ hujusmodi unionem impediunt & diſtrahunt; & quemadmodum eſt apud D. Bernardum, ut inter dentium commiſſuras, nihil tam parum intercedere poteſt, quod non magnam afferat moleſtiam: ita fraterna unitas, quo arctior eſt, eo facilius exiguis quibusque cauſſis perturbatur & relaxatur. Et quidem negandum non eſt, *debere firmiores aliorum portare infirmitates*, & peculiari ratione pro iis effundere cor ſuum, à quibus ſe in aliquo læſos aut vexatos dolent. Superioribus tamen curandum eſt, ut qui infirmiores ſunt, etiam ipſi & ſuſtinere & abſtinere diſcant. Contingit enim interdum, quod Caſſianus inquit, *ut infirmitates eorum, qui tepidius perfectionis expetunt ſanitatem, quantalibet fortium tolerantia ſuſtententur, ab ipſis tamen, qui infirmi ſunt, non ferantur, & ut ita dicam, ipſum tolerari non tolerant.* Quibus ſunt & omnibus efficacia admodum remedia, arbitror, quæ ſexto capite ejus collationis de Amicitia Abbas Ioſeph ſapienter expoſuit. Nec verò prætereundum videtur, quantum valeat ad animorum ſervandam unitatem, ut fugiat unusquisque privatas quasdam amicitias, quas in Congregationibus velut *indecentem quamdam pugnam* appellabat D. Baſilius, & quisquis peculiari affectu ducitur erga quempiam, vel quod ei ſit ſanguine junctus, vel quod illius conſuetudine delectetur, ſeipſum, inquit, accuſat ac prodit, quod non habeat integram caritatem.

Hom. 19 in Ezechielem.

Rom. 15.

16 Atque ut de hac re, licet valde per ſe ſuavi, ſcribendi tandem finem faciam, reſtat ut ſermonem Apoſtolica illa exhortatione concludam: quam etſi ille ad Philippenſes, omnes tamen velim uti ad ſe factam, ſibique dictam accipiant: *Si qua ergo conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium caritatis, ſi qua ſocietas Spiritus, ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium meum, ut idem ſapiatis: eamdem caritatem habentes, unanimes, idipſum ſentientes: nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum. Hoc enim ſentite in vobis, quod & in* CHRISTO IESV, *qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Erga proximos vero noſtros ordinari intelligo in noſtris miniſteriis ad eorum ſalutem exercendis, inter quæ non immerito primum ſibi lo-

cum vendicat id, quod tantopere generali præcepto à B. P. N. nominatim commendatur, docendæ ſcilicet Chriſtianæ doctrinæ: tum propter multas magnasque rei utilitates atque neceſſitates; tum quia, ut eſt in Conſtitutionibus, periculum eſt, ne ut quiſque erit doctior, ita provinciam hanc tamquam primo aſpectu minus pretioſam detrectare conetur. Cupio etiam, ut in Confeſſionibus, in quibus fructum & conſolationem proximorum ſpectare debemus, in id potiſſimùm incumbamus, ut iis ſuccurramus, qui majore neceſſitate ſpirituali premuntur. Ne teratur tempus exiguo admodum fructu, quando alibi ſuppetit, in quo cum majori Dei gloria, majorique laborantium animarum utilitate induſtriam noſtram poſſimus impendere.

17 Moneo toto cordis affectu, ut in concionando antiquus ille, germanusque Societatis modus & ſervetur diligenter, & ſicubi degeneraverit, ſedulo inſtauretur: ne peregrini quidam modi, atque à noſtro fine inſtitutoque alieni introducantur; dum incipiunt juniores imperitæ plebis aures mulcere: ne nobis id contingat, quod multo ante Chryſoſtomus conqueſtus eſt, ut populi ſcilicet, quos doceri & dirigi oportebat ab Evangelii prædicatoribus, ipſos contra prædicatores inſtruant. Qua de re non ſubjiciam plura, quandoquidem non ignorant Reverentiæ Veſtræ quid in hoc genere vel Provincialis regulæ ſtatuant, vel ad diverſas Provincias B. Pater Noſter piæ memoriæ perſcripſerit. Illud tantum non prætermittam; hoc à me negotium maximi momenti exiſtimari, quippe cum miniſterium ipſum tanti in Eccleſia Dei faciendum ſit, quanti ipſa reformatio morum, & peccatorum atque vitiorum in populo Chriſtiano extirpatio. Itaque ſemper maximum Dei beneficium duxi, cum eos divini verbi ſeminatores mittit, qui loquuntur ad cor. Et contra maximum omnino flagellum, cum eos venire permittit, quorum in Eccleſia ſtrepitum D. Hieronymus amare deflet, qui fiunt populo *Quaſi tuba, & cythara ſuave ſonans*: qui profecto adulterant potius verbum Dei, neque ea annuntiant, quæ aut ad pœnitentiam provocare, aut Chriſtum in cordibus audientium formare queunt.

Præfatione in Epiſt. ad Gal.

18 Et quoniam non poſſum vere de ea re ſine magno animi dolore cogitare; nec ignoro quid à me Eccleſia Chriſti ſuo jure exigat; ſi quæ ſunt in Societate vires ad eam juvandam, cupio vehementer, RR. Veſtræ id ut intelligant, & opere exequantur: qui in concionandi munere ad Societatis inſtitutum, ut videlicet in ſpiritu & fructuoſe faciant, ſeſe componere aut negli-

negligant aut neſciant, eos ſcilicet ad id munus talentum nactos non eſſe, quamvis in vulgus fortaſſe laudentur ac ſuſpiciantur: quamvis etiam eos ingens auditorum numerus ſectetur. Quare eos in aliquo Societatis miniſterio vel legendi, vel alio quovis occupandos eſſe. Neque enim omnibus omnia talenta credita ſunt, & *diviſiones gratiarum ſunt*, *& diviſiones miniſtrationum.* Quod ad Miſſiones attinet, etiam atque etiam hortor, ut Superiores curent eos mittere, qui exemplo & doctrina populos ædificare valeant, ad ea potiſſimum loca, cum iis Sociis, iiſque inſtructionibus, quæ ad majorem Dei gloriam futura credantur: ſerventurque ſedulo, quæ ſeptima parte Conſtitutionum accurate præſcribuntur: quandoquidem contingere interdum poteſt, ut Superiores mediati ſuorum Collegiorum utilitati vel quieti conſulentes, eos mitti curent, ut à ſe amoveant, quos minime oportebat. Quod omnes intelligunt, quam magnas in Societatem noſtram calamitates inveheret: quippe cum hoc miniſterium, ſi quod aliud in Societate, præclaros & maxime ſelectos homines ſine dubitatione exigat. Et ne longior ſim, ſi alias Societatis functiones atque opera percurram, ad ea me refero, quæ in formula noſtri inſtituti in litteris Apoſtolicis comprehenſa continentur: quæ toto cordis affectu exopto à Noſtris omnibus, & profunda meditatione ruminari, & cum ardenti deſiderio noſtræ vocationi reſpondendi: cum nos oporteat ſemper ad ſcopum noſtræ profesſionis, atque altitudinem noſtræ vocationis oculos defigere, *reſpicientes ad petram, unde exciſi ſumus;* & ſequentes ſaltem à longe, quibus licet pasſibus, glorioſos hoſce Apoſtolorum Principes, quorum ſolemnem commemorationem die craſtinâ celebramus; quorum protectioni, non modo ob recuperatam ſuam valetudinem, ſed peculiari etiam ſancti Spiritus inſtinctu voluit B. P. IGNATIUS minimam hanc Societatem devotam ſemper inniti.

1. Cor. 12. *Iſai. 51.*

19 Et quando de dotibus, quæ Superioribus neceſſariæ ſunt, deque iis, quibus eos ornatos eſſe cupio, tam multa dixi, ex quibus non obſcure cernitur, quantum lucis neceſſarium ſit, quantumque virium ad gubernationem recte obeundam; obſecro vos PP. dilectiſſimi, viſcera mea, ex intimis viſceribus cordis mei, ut cum gubernatio tam univerſalis, tantique momenti imbecillis meis humeris impoſita ſit, vos veſtris precibus aſſiduis & feruidis, ea quæ mihi deſunt (quæ maxima & plurima eſſe ſentio) ad totius noſtræ Societatis utilitatem à Dei bonitate impetretis. Quod enim ad me attinet,

net, equidem non parum præſtitero, ſi vel per omnia membra diſſectus, atque diſcerptus, aliqua ſaltem ex parte me gratum præbuero ob ſingulare beneficium, quod hac ipsâ die à Chriſto Domino accepi, quod ita oculos meos illuminare dignatus eſt, ut à tenebris Ægypti & ſervitute, & ab inutilibus operibus lateris ac luti, quæ me plus ſatis tum volentem tum nolentem premebant, emergere ſtatuerim; meque quò à divinâ gratiâ vocabar, transferre in admirabilem hanc lucem Societatis noſtræ: in qua quando id jam de me ejus providentia decrevit, quod ego non modo non ſuſpicari, ſed ne timere quidem unquam auſus eſſem, quo mea major eſt imbecillitas, eo magis Divinam ejus Majeſtatem precor, ut pluviam voluntariam divinorum chariſmatum, cæleſtiumque omnium gratiarum in eam emittat, ut reſplendeant opera ejus, *& confiteantur illi miſericordiæ ipſius, & mirabilia ejus filiis hominum.* *Pſalm. 106.* *Dumque debetur nobis confuſio faciei, ſit illi ab omni creatura viſibili pariter & inviſibili laus, & gloria, & benedictio, claritas & ſapientia, gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo in ſæcula. Amen.* *Pſalm. 43.* *Apoc. 7.* Romæ XXVIII. Iunij, M. D. LXXXI.

RR. VV. Inutilis in Chriſto Seruus

CLAVDIVS AQVAVIVA.

EPISTOLA II.
EIVSDEM
R. P. N. GENERALIS
CLAVDII AQVAVIVÆ
Ad Patres & Fratres Societatis.
De Renovatione Spiritus.

I.

SPiritus ac fervoris renovatio ſpiritualibus ac religioſis hominibus adeo neceſſaria eſt (Patres, Fratresque cariſſimi) ut ſtudium hoc cum ſemper flagrans eſſe in nobis omnibus velim, tùm præcipue hoc tempore, Nunc

enim

enim IESVS Dominus noſter non in Septemtrionibus modo, & Oriente alios ex aliis agros nobis colendos asſignans ait, *Videte regiones, quia albæ jam ſunt ad meſſem*, verum etiam in Indiis, vel Orientis, vel Occidentis, præſertim vero in Iapone, inſula vaſtisſima, campum latisſimum aperit, ubi ad Chriſtiani nominis, divinæque gloriæ amplificationem longe lateque noſtra excurrere posſit induſtria. Itaque ſi quando noſtri Ordinis homines, & ſuæ perfectionis ſtudio, & ſumma cum Deo conjunctione, aptos ſe & idoneos Dei miniſtros præbere debuerunt, nunc quidem profecto quam maxime debent. Neque enim multitudo ſolum Eccleſiæ calamitatum, acerbitasque verberum, quæ nobis divina ſeveritas infligit, ſicut graviora etiam (*adhuc enim manus ejus extenta*) in dies minitetur, nos admonent, ut imperfectum noſtrum lugeamus, & murum nos opponamus pro Domo Dei; ſed etiam Inſtituti noſtri debitum cogit, ut tam multis panem, quo æternam ad vitam alantur, petentibus aliquando frangamus. Atque ut de aliis taceam, ex Iapone proximis Noſtrorum litteris affertur, Reges aliquot ac Dynaſtas potentes in primis, quamquam nondum Chriſtianos, templis multis Deorum everſis, nonnullis etiam Chriſto excitatis, poteſtatem Noſtris hominibus Evangelii prædicandi, populis ſuis ſuſcipiendi feciſſe, ut Chriſtianæ religionis propagandæ ſpes oſtendatur vel maxima. Ergo illi admirantes *in captura piſcium, annuunt ſociis, ut veniant, & adjuvent eos:* quoniam quidem magnam Deus ſpem & facultatem affert ſuis retibus concludendi tam copioſam gentem, & idoneam; ut jam adeſſe tempus videatur, cum per hoſce qualescumque operarios, etiam in maxima illa atque horrida Ethnicorum ſilva efficiat Dominus, quod in Filii ſui adventu facturum ſe prolixe Iſaiæ ore pollicetur. Cum enim illa dixiſſet, *Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram inviam in rivos aquarum*; adjungit: *Dabo in ſolitudinem cedrum, & ſpinam* (quæ arbor ſpecie & immortalitate ceteris antecellit) *& myrtum, & lignum olivæ. Ponam in deſerto abietem, ulmum, & buxum ſimul: ut videant, & ſciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia magnus Dominus fecit hoc. Vt in ariditate gentium* (quemadmodum D. Hieronymus interpretatur) *invenirentur fluenta virtutum; & in terra quondam deſerta plenaque ſalſuginis cedrus, & cypariſſus, & aliæ arbores naſcerentur.* Ergo ut omnes ad hanc mentis ac ſpiritus renovationem accenderemur, adductus ſum, ut per litteras, quia coram non

Exc. 15.

Thren. 4.

Eſai. 41.

licet, de iis vobiſcum agerem, quæ ad hoc negotium pertinere maxime arbitror. Vt autem tota res ad certum ordinem redigatur, eam ad duo capita revocare conabor, ſi prius, quibus in rebus, hæc, quam dico, renovatio ſita ſit, oſtendero. Primum enim quanti ea ſit momenti, oſtendemus: tum remedia aliquot exponemus, quæ nos ad eam conſequendam non mediocriter juvare poſſint.

Propoſitio.

2 Atque ut planius intelligatur, qua in re hæc inſtauratio conſiſtat, quid inveteratum ſit animadvertamus neceſſe eſt. Quod ſi attenderimus, reperiemus, mentem illam ardoremque animi nobis initio datum à Deo conſeneſcere, hoc eſt, uti res veteres, neque nitorem, neque celeritatem, neque uſus ceteros habere, quibus præditæ ſunt recentes ac novæ. Vetuſtatis illa argumenta eſſe poſſunt, orare, ac meditari divina ſine ſenſu animi atque fructu: ægre ſeſe colligere, & ad cor redire; cogitata, dicta, factaque ſua ſine pudore, ac propoſito emendationis curſim examinare: in res externas libenter effundi: jamque non proximi juvandi gratia, ſed tædii vitandi, ſolatiola à rebus creatis cupidius mendicare: liberius obloqui, & aliena dicta ac facta carpere: religionis diſciplinam, levem olim ac ſuavem, iniquo animo ferre: ad otium aſpirare: in animarum zelo languere, laboresque earum cauſſa ſuſcipiendos, qui dulces olim erant, acerbos ducere: ægre, tarde, repugnanter, obtemperare: honorifice ab omnibus, indulgenterque tractari velle: immunitates & commoda ſingularia poſtulare: in animum inducere, ſe laborare plus æquo, nihilque eſſe, quod non ſibi debeatur; aliaque generis ejusdem. Quæ quidem argumenta omnia facile declarant, naturam, quæ ſui juris retinens admodum atque appetens eſt, antea ferventis gratiæ beneficio compreſſam ac domitam, tamquam intentum arcum nervo remiſſo, ad ingenium rediiſſe. Id autem committere nihil aliud eſt, niſi divinæ gratiæ opus ac vim labefactare; & integritatem, colorem, ſymmetriam tollere: quibus rebus animæ Deo deſponſæ & copulatæ forma continetur. Hæc igitur omnia renovanda ſunt, id eſt, in priſtinum revocanda ſtatum, atque adeo nova facta acceſſione cumulanda. *Iuſtorum enim ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit usque ad perfectam diem.*

13. Vetuſtatis ſigna.

Prov. 4.

3 Sed quoniam non hæc una in nobis ſenectus eſt ex virium languore, verum etiam interior (veterem hominem Apoſtolus vocat) quæ niſi omni ſtudio, vigilantiaque arceatur, perennis eſt fons prioris, propterea omni-

no

no veterem hominem exuere, novum induere oportet. Motus enim omnes atque impetus animi, quibus impellimur, ut nos ac noſtra ſpectemus; ut ad rem quampiam mortalem & caducam adhæreſcamus; ut divini obſequii puritas ac libertas retardetur; ut minus prompti & vigiles ſimus ad Dei voluntatem; hæc, inquam, omnia veteris hominis vitia ſunt. Quocirca renovatio poſita erit in primis illis propoſitis ac fervoribus revocandis; tum vero in vetere homine, vitioſaque natura exuenda; ſic prorſus, ut voluntas noſtra (quoad hæc exulum vita patitur) perpetuo intueatur divinam; ſeque totam ad ejus arbitrium ac nutum fingat & accommodet; quidquid Deo placet, vehementer expetat; quidquid diſplicet, conſtantiſſime reſpuat: omni denique conatu penitus homo à ſe ipſo deſciſcat: ubi factus ſibi terra ſterilis, & regio egeſtatis veteraſcit, atque corrumpitur ſecundum deſideria erroris. Accedat autem ad eum, qui, ut nobis appropinquaret, ad noſtram deſcendit humilitatem: ut ibi ſcilicet tamquam in vitali regione, in juſtitia & ſanctitate veritatis, quaſi aquilæ renovetur juventus noſtra. Itaque alacriter progrediamur quotidie, ut nunc primum iter ingredi videamur. Quod quidem nobis præcipit, dum de ſe profitetur Apoſtolus, *quæ retro ſunt, obliviſcens; ad ea, quæ ſunt priora, extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor bravium ſupernæ vocationis.* Nam (ut ad eum locum notat D. Chryſoſtomus) qui tantum ſibi proceſſiſſe videtur in ſtadio, ut jam ad calcem ſe perveniſſe arbitretur, de curſu utique conſiſtit: at qui etiamnum à meta abeſſe ſe cogitat, decurrere neutiquam deſiſtit. Idem igitur faciendum eſt nobis, etſi maximos in virtute progreſſus habeamus. Etenim ſi Paulus ipſe (inquit ille) ſexcentis mortibus periculiſque perfunctus, ita de ſeipſo ſentiebat; profecto multo magis convenit nos ſentire de nobis. Et nimirum hac demum ratione ſanctarum virtutum ſpecies conſervatur ac nitor. *Quippe animus noſter* (inquit Gregorius) *dum igne amoris excoquitur, ſemper in ſe ſervat caritatem pulcritudinis quotidiana innovatione fervoris. Neſcit enim mens per torporem veteraſcere, quæ ſtudet per deſiderium ſemper inchoare. Hinc namque per Paulum dicitur: Renovamini ſpiritu mentis veſtræ. Hinc Pſalmiſta, qui ad perfectionis jam culmen pervenerat, quaſi inchoans dicebat, Dixi, nunc cœpi: quia ſi laſſeſcere ab inchoatis bonis nolumus, valde neceſſe eſt, ut inchoare nos quotidie credamus.* Hæc Gregorius. Id vero quanti interſit, magnus Antonius declaravit, qui (ut in ejus vita B. Athanaſius refert) fratrum cœtu aliquod ab eo vitæ præceptum efflagitante,

Renovatio ſpiritus in quo conſiſtat.

Philip. 3.

Hom. 12.

Lib. 22. Moral. c. 2.

Ad Eph. 4.

Pſalm 76.

 ita

ita ſermonem exorſus eſt: *Hoc ſit primum cunctis in commune mandatum, Nullum in arrepti propoſiti vigore laſſeſcere, ſed quaſi incipientem augere ſemper debere, quod cœperit.* Idque cum ſæpe alias ſuis inculcavit, tum vero extremo in ſpiritu, quaſi teſtamento legavit his verbis: *Ego quidem, filioli, ſecundum eloquia ſcripturarum, Patrum gradior viam: jam enim Dominus me invitat, jam cupio videre cæleſtia. Sed vos, ô viſcera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repente perdatis. Hodie vos religioſum ſtudium arripuiſſe arbitramini, & cœptæ voluntatis fortitudo ſuccreſcat.*

Sed quoniam nihil attinet hac in re diutius immorari, ad hujusce renovationis neceſſitatem veniemus. Hæc autem quanti momenti ſit, tribus ex capitibus ex parte intelligi poterit.

Quanti momenti ſit ſpiritus renovatio.

4 Primum (quod ad ſalutem perfectionemque noſtram attinet) ſi attendas perfectæ vitæ conſectandæ obligationem, inteſtinos rebellantium affectionum tumultus; externas occupationes ac prælia, quæ ſolidarum germanarumque virtutum, quaſi armorum aſſiduam tractationem exercitationemque deſiderant. Deinde (quod ſpectat ad ſalutem adjumentumque aliorum) ſi nomina expendas, quibus nominibus ex noſtro Inſtituto hominibus opitulari debemus; quantum opis ac virium ad eos à pravitate vitæ ad innocentiam pietatemque convertendos requiratur; quo zelo, qua caritate, qua patientia, qua cæleſti luce opus ſit, ad idonea remedia adhibenda; qua humilitate, ne qua ex parte impediatur id, quod per nos Deus efficere molitur: qua prudentia, ne in adjumento aliis afferendo ipſi detrimentum accipiamus. Denique (ſi res ipſa ſpectetur) quia facile admodum (auctore D. Gregorio) fervor hic mentis ac ſtudium virtutis refrigeſcit. *A fervore enim mentis, vel inter ſpirituales inimicos, vel inter carnales quosque proximos, ipſo aliquo modo vivendi uſu veteraſcimus, & aſſumtæ novitatis ſpeciem fuſcamus.* Quo fit, ut nihil religioſo viro tam ſuſpectum eſſe debeat (nihil enim æque periculoſum) quam ſi in ſe ſtudium procedendi in virtute & perfectæ vitæ perſequendæ frigeſcere ſentiat. Etenim ea res non modo facit, ut lente gradiamur, aut potius conſiſtamus, & ad ſpeciem dumtaxat, uſurpationemque conſuetudinis noſtra munera obeamus; verum etiam aſſidue, tamquam tinea quædam, vires roburque noſtrum ſenſim ſine ſenſu corrodit. Itaque idem nobis quod tigno carioſo uſuvenit: quod etſi integrum videtur extrinſecus, tamen pondere impoſito fran-

Lib. 19. Moral. c. 16.

to frangitur, & caſu ipſo oſtendit, quid antea vitii lateret interius. Ejus autem, qui ita affectus eſt, & mœror mœrore cumulatur; & vita ac ſalus periculis magnis exponitur. Ita fortes olim ac robuſti debilitantur paullatim atque franguntur: *Lapides enim* (ut ait Scriptura) *excavant aquæ, & alluvione paullatim terra conſumitur.* Nam revera perpetuo enitendum, & tamquam adverſo flumine progrediendum eſt ei, qui retro rapi nolit, ac regredi. Fortaſſe enim D. Petrus idcirco Dominum negavit, quod *ſequebatur eum à longè.* *Iob. 14.*

5 Neque vero exiſtimandum eſt (ut ait D. Bernardus) cum ruinæ alicujus cernuntur, tum incipere damnum; *ſed quia comederunt alieni robur ejus, & ignoravit.* Ob eam cauſſam ita nos Spiritus ſanctus admonet: *In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus.* Nam ut diſturbare domum nemo conetur, tamen ſi imber paullatim tegulas pervadens tigna putrefecerit; profecto unius pigritiæ vitio tectum corruet, & inutiles reddentur ad habitandum, quamvis amplæ ædes atque magnificæ. Hinc odioſus ille tepor, qui Deo (ut ipſe in Apocalypſi denuntiat) nauſeam movet ac vomitum. Quem quidem locum Daniel Abbas apud Caſſianum in ſua collatione hiſce verbis explanat, quæ mirifice rem ante oculos conſtituunt: *Nec immerito eos Dominus, quos jam in viſceribus receperat caritatis, noxie tepefactos, cum quadam convulſione pectoris ſui evomendos eſſe pronuntiat: qui cum ſalutarem quodam modo ei potuiſſent præbere ſubſtantiam, avelli ab ejus viſceribus maluerunt; tanto deteriores effecti illis, qui numquam ori Dominico illati ſunt, cibis, quanto id, quod nauſea compellente projicimus, odibilius deteſtamur.* *Serm. contra vit. ingratit.* *Eccleſ. 10.* *Apoc. 3.* *Coll. 4. c. 19.*

6 Et quidem nos hujus teporis cauſſas, & multas habemus, & inteſtinas. Cupiditates enim (quas membrorum legem vocat Apoſtolus) ceteræque pravæ affectiones ſacrum in nobis ignem reſtinguere conantur: atque uti Spiritus ſanctus ſuo nos amore incendens erigit & extollit, ita hæ peſtes contra opprimunt atque proſternunt. Quod ſi ambitio, honoriſque cupiditas, ſi commodorum deſiderium, ſi impetus iracundiæ, ſi livor invidiæ animos noſtros deprimunt ac deorſum trahunt; & tum hoc vitium, tum illud, tum univerſa nos degravant; quem tandem ad perfectionis culmen noſtræ induſtriæ curſum fore putamus? Vtinam quemadmodum hoc impedimentum plane intelligimus, atque adeo in ſe quiſque plus minuſve experimur, ita ad id removendum oculos aliquando aperiamus. *Teporis cauſſæ.* *Rom. 7. 23.*

Diaboli qualitates.

7 Nam quid ego de externis bellis pugniſque dicam? Mitto hoſtem, qui præterquam, quod hoc eſt in prælio ſuperior, quod eſt inviſibilis, & calliditate uſuque valet plurimum, quippe qui cum tot, tantisque viris depugnatis, interdum victor è pugna diſceſſerit; ita præterea pollet viribus, ut exiſtimet (quod ait Iob) *quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs.* Nihil dico de perpetua ejus vigilantia, qua nos dies & noctes impugnat. Nihil de pertinacia, qua nos obſidet, atque oppugnat, non unum alterumve menſem, aut annum, ſed vitam plane univerſam. Taceo inſaturabile odium, quo ad eos potiſſimum devorandos rapitur, qui arctiſſimis ſe cum Deo vinculis devinxerunt: ut vere dicatur *cibus ejus electus.* Venio ad ea, quæ tum domeſticis tum externis hoſtibus tela acuunt & ſuppeditant.

Iob. 41. 18.

Habac. 1. 16.

8 Primum igitur, niſi nimios animi motus domitos habeas, teque aſſidue in his frangendis ac vincendis exerceas, quoties te offenſurum eſſe cenſes? Quod ſi hæc cura religioſis viris omnibus neceſſaria eſt, quanto tandem magis iis, qui opitulando aliis in hominum cœtu, quaſi in acie verſantur? Nam (ut prudenter diſſerit D. Chryſoſtomus) in hiſce hominibus eæ belluæ (ſic enim vitioſas animi affectiones appellat) pabuli multo plus habent. Superbia enim laudibus & honoribus alitur, qui ſuapte ſponte conſequuntur concionandi munus, litterarumque, & aliarum rerum tractationem, quæ hominum oculis patent. Invidia alienâ exiſtimatione & fama inflammatur. Ira, ſi quis nobis ſeſe opponat. Quamobrem ejuſmodi Chriſti milites neceſſe eſt gloriæ contemptores eſſe; gloriam compreſſam, ceterosque impotentes animi motus ſubactos in ſua ditione ac poteſtate habere. Hi enim motus haud dubie facilius ſeſe producunt in mixto vitæ genere eorum, qui in ſuam aliorumque ſalutem incumbunt, quam in ſimplici illa vitæ ratione eorum, qui ſua perfectione contenti ſibi vacant, & Deo. Quare idem Chryſoſtomus eodem loco. *Vt ignis*, inquit, *metalla probat; ita Cleri exacta probatio mortalium animos ſecernit atque internoſcit. Ac ſi quis eſt vel iracundus, vel puſillanimis, vel gloriæ appetens, vel arrogans, vel alio quovis morbo obſeſſus, id omne detegit, ac latentes ſtatim morbos nudat.*

Lib. 3. de Sacerd.

Lib. 1. de Conſid.

9 Iam ſi occupationes aſſiduæ (ut Bernardus tradit) ſibi hominem quodammodo furantur, facile apparet quam ſit mentis renovatio ad nosmetipſos tuendos, conſervandosque neceſſaria. Nam quod ad juvandos alios attinet, pauca illa capita, quæ ſupra expoſuimus, attigiſſe ſatis eſt:

illlud

illud tamen non prætermittam, quod in mentibus ac viſceribus noſtris hærere ſummopere exopto. Qui in hominum animis ad bonam frugem revocandis verſantur, horum ut virtutis ardor atque impetus majus omnium opinione momentum habet; ita languorem contra, ac vitia longe maximo eſſe detrimento. Idque non idcirco ſolum, quia factis improbant, quod verbis docent, & altera manu (ut ait Nazianzenus) animas advocare videntur, altera repellere; verum etiam quoniam, ut nihil obſit exemplum, minus quidem certe idoneos ſe Dei adminiſtros præbent, minusque efficaces. Quare debet quisque noſtrum imperfectum ſuum æſtimare ac lugere, non ex ſuo tantum unius damno, ſed aliorum etiam multorum, quorum ſalutem impedit. Nam ut parum fermenti magnam farinæ maſſam in ſeſe convertit, panemque omnem bonum efficit; ita non quantitate numeri (ait Chryſoſtomus) *ſed gratia ſpiritus vim ſuam juſti homines tenent.* Sic enim Apoſtoli duodecim numero, parvi inſtar fermenti, maximam orbis terræ maſſam fermentarunt. Sic omnibus ætatibus in Eccleſia Dei homines, non magno numero, ſed magna vi ac virtute, quid efficere poſſent, cum illuſtri orbis terrarum emolumento declararunt. Sic denique (domeſtica enim exempla non deſunt) primos illos Societatis noſtræ Patres, admodum paucos, induſtriæ ſuæ fructus tuliſſe ſcimus tantos, quantos Dei beneficio ipſi videmus, ac fruimur. Hinc profecto colligitur, commodum æquè & incommodum, quod ex parvo fermento bono malove naſcitur, univerſum in panem redundare: uſuque venire poſſe, ut alicujus è Societate vitium, & culpa, quæ per ſe alioqui levis exiſtimaretur, converſionem tamen impediat, ſalutemque multorum.

In ſent. n. 4.

De Virt. & Vit.

10 Sed ut alterum hoc caput epiſtolæ concludam, unum addam ex D. Baſilio, qui illa Deuteronomii verba, ex LXX. Interpretum verſione, luculenter explicans, *Attende tibi ipſi*, hanc ait ſententiam omnibus neceſſariam, omnibus temporibus, omnibus ordinibus eorum, qui Dei Eccleſia continentur. *Habet enim*, inquit, *Domus Dei viventis, quæ Eccleſia eſt, venatores, viatores, architectos, ædificatores, agricolas, paſtores, athletas, milites. Omnibus his convenit breve hoc verbum, ſingulis ingerens & exactam operis obeundi cognitionem, & ad perficiendum, ſtudium propenſæ voluntatis.* Ac mihi quidem hæc omnia officia ac munera videntur, præterquam paſtoris (quamquam hoc quoque proportione quadam accommodari poteſt) in noſtræ Societatis homines convenire.

Cap. 15.

Homil. in illud, quæ eſt 3. inter hom. Baſi. argum.

nire. Itaque Baſilii oratione, quam propter egregiam in hoc genere doctrinam fuſius exponendam cenſeo, & vos ego hortari poſſum, & ſe quiſque veſtrum, ea quæ dicuntur attendens, incitare. *Venator es miſſus à Deo, ita monente, Ecce ego mitto multos venatores, & venabuntur eos ſuper omnem montem. Attende igitur magna cum diligentia, ne forte fugiat te præda, ut efferatos per improbitatem, verbo veritatis convictos Salvatori offeras. Viator es ei ſimilis, qui orabat, Greſſus meos dirige. Attende tibi ipſi, ne quà exorbites, neu ad dextram deflexeris, aut ſiniſtram: progreditor via regia. Architectus ſolido tutove in loco jaciat & collocet fidei fundamentum, quod eſt IESVS CHRISTVS. Ædificator, quo pacto ædificet, videat, ut non ligna, non fœnum, neque calamum; ſed aurum, argentum, lapides pretioſos. Paſtor es? Attende, ne quid te prætereat eorum, quæ ad obeundum munus iſtud paſtorale attinent. Hæc porro quæ tandem ſunt? Palabundum pecus & erraticum convertito: quod conquaſſatum eſt & contritum, colligato: quod ægrotum, ſanato. Agricolationiſne profeſſor? Ficum, infructuoſa ſi eſt, circumfodito, illique ingerito quæ conductura noveris ad edendos fructus. Miles? collabora Evangelio: milita bonam militiam contra ſpiritus nequitiæ, adverſum vitioſas carnis affectiones: induitor omnem armaturam Dei, ut probes te ei, ſisque gratioſius duci tuo, qui huic te militiæ adlegit. Provide, ut nullis implicere vitæ iſtius negotiis & perplexis curis. Athletaes? Attende tibi ipſi, ne quam ex legibus athletico agoni præſcriptis inveniare transgreſſus: nam nemo coronatur, niſi qui legitime certaverit. Imitare Paulum & curſu contendentem, & in palæſtra colluctantem, & in agone pugillari decertantem. Vt ſtrenuus pugil ipſe habeto animæ oculum nuſquam evariantem, ſed attentum ac pervigilem. Præmuni ac tuere partes, quarum plaga lethalis ſit. In adverſarium immotum oculum intendito fixius. In ſtadiario curſu, qui tibi præcurrunt, in eos te extendens fac aſſequaris; ſic currito, ut prævertas. In luctamine, repugna inviſibilibus adverſariis. Per vitæ iſtius periculum, talis ut perſeveres hæc facit ſententia, nimirum animo ut ſis non ſupino, aut concidente, ſed arrecto; non dormiturienti, ſed pervigili ac ſobrio; quique multa cum vigilantia præſens ſit, & norit ſibi præeſſe. Cupientem me ſingula percenſere hic deficiet dies.* Hæc ille. Atque hæc, quæ dicta ſunt de vitæ mixtæ difficultate, de virtutis abſolutione, quam illa deſiderat, deque aliis rebus ejusmodi, quas aut ſanctorum virorum auctoritas, aut uſus ipſe nos docet; hæc, inquam, omnia ad excitandos animos noſtros,

Ierem. 16. 16.

Pſal. 118. 133.

noſtros, & ad eam, quæ in nobis requiritur, vigilantiam valent vel plurimum. Sed videndum eſt, ne forte contra quam oportet, aut languorem cuipiam afferant, quo minus ad perfectæ vitæ culmen aſpiret; aut ſic aliquem afficiant, uti tam præclaram vitæ rationem minus dulcem, minuſque expetendam putet. Sane tantam rei præſtantiam qui intuetur, non poteſt non magnopere eam ſuſpicere: quiſquis autem bene de noſtro Inſtituto ſentit, hujuſmodi cogitatione vehementer impellitur. Et ſcilicet qui præſcriptis à Societate remediis utitur accurate, magnitudinem animi incredibilem Dei beneficio ac munere experitur ad quamcumque rem ſuſcipiendam: planeque videt, perdifficile non eſſe, quod antea fieri nullo modo poſſe judicabat.

11 Reſtat, ut ad ea, quæ valent ad renovationem (quod erat ex iis, quæ propoſuimus, extremum) aliquando veniamus. Primum igitur ejus, quam expoſui, neceſſitatis cogitatio ad eam rem valde conducet: eoque etiam magis, quod etſi vita noſtra terris ſuperior, altiorque eſſe debeat (*In carne enim ambulantes non ſecundum carnem militamus:* ſed *noſtra converſatio in cælis eſt*) debemus tamen neceſſario prædæ capiendæ cauſſa inter communis vitæ homines verſari, eorumque vitia non levia ſolum, ſed etiam gravia interdum cognoſcere. In quo periculum eſt (ut D. Baſilius monet) ne quis ſe cum aliis longe deterioribus comparans, quodammodo ſibi de virtute blandiatur, progreſſum videlicet ſuum metiendo non tam ſpatio ejus, quod reſtat, itineris, quam intervallo, quo alios poſt ſe reliquit. Et vero ſic natura comparatum eſt, ut oculos libenter convertamus ad ea, quæ nos delectant; avertamus ab iis, quæ offendere aliquo modo poſſunt: atque uti factæ progreſſiones, bonorumque partorum cogitatio voluptatem; ita diſtantiæ contra, inopiæque noſtræ conſideratio moleſtiam pariat. Idque hoc etiam magis, quod ille nos reſpectus ad quietem invitat, hic incitat ad laborem. Nimirum ut viatores, ubi tædere eos itineris cœpit, reſpectare ſolent, quantum viæ confecerint; ita nos ſimul ac virtutis ardor reſtingui, & induſtria frangi cœpta eſt, decurſum ſpatium reſpicientes, facile nos ipſos conferimus cum iis, quos aut in voluptatis cœnum prolapſos, aut in avaritiæ dumetis hæſitantes, aut ambitioni & honori miſere ſervientes in ſæculo reliquimus. Quamobrem metam perpetuo ante oculos propoſitam habere convenit, & quam longe ab illa etiamnum abſimus ſedulo videre: ut ſcilicet coram Deo, in clariſſima ejus luce, recte facta, bo-

4. Ad renovationem ſpiritus remedia.

2. Cor. 10. 3.

Philipp. 3. 20.

In Reg. fuſ. diſp. c. 6.

naque noſtra omnia divinæ veritatis ſtatera examinemus: quid ſortis demum, ac rei familiaris domi noſtræ ſit intelligamus: atque hac ratione ſciamus, *quid nobis deſit.* Ac mihi credite, permagni intereſt, quotidiano ac peculiari vitæ examine uti diligenter, ut tecum te ipſe conferas; & tamquam prudens, & induſtrius paterfamilias, cuſtoſque domus tuæ, non modo ad fures arcendos advigiles, ſed & luſtres omnia; quid ad domeſticas rerum neceſſariarum proviſiones deſit, proſpicias. Hoc nimirum illud eſt, quod Salomon de ſapiente illa ac provida muliere, Eccleſiam, atque in ea cujusque noſtrum animam deſcribens, ajebat in Proverbiis: *Conſide-*
Prov. 31. 27. *ravit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa non comedit:* & paullo ante; *Quæſivit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum: facta eſt qua-*
Ib. v. 13. 14. 15. *ſi navis inſtitoris, de longe portans panem ſuum: de nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis.*

12. Deinde ad eam, quam dixi, vitæ renovationem magno erit adjumento divinorum beneficiorum meditatio, nominumque innumerabilium, quibus Deo inſervire debemus; ſimulque illa cogitatio, quam in
De Virt. & Vit. quodam ſermone D. Chryſoſtomus exponit: Nihil boni facere, nihil aliud eſſe, quam facere aliquid mali, quippe cum noſtro officio deſimus, & prætermittamus id, quod noſtri inſtituti profeſſio poſtulat. Exempli cauſſa, inquit ille, ſi ſervum habeas non rapacem, non ebrioſum, non contumacem, ſed ſobrium, moderatum, vitii omnis expertem; idem tamen totos dies ſi domi ſedeat otioſus, omittatque ea, quæ ad ſuum munus attineant, nonne graviter vapulabit? Atqui nihil maleficii commiſit: ſed ſatis maleficii eſt, munus officiumque ſuum neglexiſſe. Quid? agricola, qui ceteris quidem in rebus vacet culpa, ſed domi deſideat, non ſerat, non aret, non vites colat, nonne is quoque vapulabit? At nihil injuriæ intulit, nihil damni: verum ceſſationem ipſam injuriam damnumque ducimus. Atque etiam in ipſo noſtro corpore, ſi manus ita affecta ſit, ut non linguam quidem illa præſcindat, non oculos eruat, nihil denique detrimenti afferat, ſed deſidioſa ceſſet, reliquo corpori nullo modo inſerviat; quis non iſtiusmodi manum inutilem, & præſcindendam potius, quam retinendam putet? Eodem pacto, ait ille, non modo aliquid feciſſe mali; verum etiam aliquid omiſiſſe boni, magna comprobatur injuria. Porro divinis in rebus id ipſum multo magis apparet. Atque haud ſcio, an ob eam cauſſam
Pſalm. 34. 12. Deus per Prophetæ perſonam queratur, *Retribuebant mihi mala pro bo-*
nis,

nis, ſterilitatem animæ meæ: quod ſcilicet terra tam ſedulo exculta, tot divinorum beneficiorum imbribus irrigata, tot Solis juſtitiæ radiis tepefacta, ſi uberes fructus non ferat, mala retribuat pro bonis ei, qui tot illam benedictionibus dulcedinis prævenit.

13 Equidem, Patres, Fratresque cariſſimi, neſcio, quî fiat, ut tantorum beneficiorum conſideratione, tantoque divini erga nos amoris æſtu, non animorum noſtrorum glacies (ut ita dicam) penitus liquefiat. Quî fieri poſſit, ut quatuor illa nomina, quæ nos Deo debitores conſtituunt, à D. Bernardo quodam ſermone breviter expenſa, conſiderantes, ſatisfactionem videlicet peccatorum, quæ ſempiternis erant ſuppliciis vindicanda, creationem, atque conſervationem; quo nomine, quod ſumus, quod vivimus, Dei ſumus; divini ſanguinis pro nobis profuſionem; denique promiſſionem mercedis, ac beatitudinis æternæ; neſcio, inquam, quî eveniat, ut qui hæc ſecum reputant, non ſe & gratiores & liberaliores præbeant ei, cui ſe totos omnibus nominibus debent. Quis enim multa pertuliſſe, multumque laboraſſe ſibi videbitur, ſi ſempiternas inferorum pœnas obierit animo, quas millies meritus eſt? Quis queri poterit, ab ſe nimium poſtulari, cum cor poſtulatur, ſi meminerit ſeſe & naturæ & conſervationis jure totum ejus eſſe, cui ſe tradidit? Quis aliquid dare ſe exiſtimabit, cum vitam reddet Deo ſuo, qui eam antea ſua cauſſa profudit: Et certe nec ejus vitæ pretium, nec obligationis ratio, qua nobis teneretur, nec illorum conditio, pro quibus illam profundit, ullam in hac re comparationem admittit. Etenim ſi vitam Dei cauſſa ponimus, ſuum illi reddimus; facimus id pro eo, qui tot modis meritus eſt, ut faceremus; vitam denique ponimus pro eo, qui poſuit ante pro nobis. Ille contra Deus ac Dominus ſanguinem ac vitam dedit, non modo pro vermiculis, quibus nihil omnino deberet; ſed pro ſervis, pro ſceleratis, pro inimicis; quod nimirum Apoſtolus (ut ſcitis) tantopere exaggerat. Quis porro carius ducet pretium momentaneum & leve, quo ſibi comparat *ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus*; *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit?* Quæ cum ita ſint, nihil eſt, quod non pro tot immortalibus promeritis tali tantoque Domino anima debeat. Itaque mentem omnem noſtram, cor, oſſa, viſcera ipſa clamare oportet: *Domine quis ſimilis tibi?* ejusque laudem ac prædicationem in noſtro ſemper ore verſari. Nempe hoc frenum eſt illud, quod ſe hominum generi Deus injecturum Iſaiæ ore confirmat;

Sermon. de quadr. debit.

Rom. 5.

2. Cor. 4. 17.

1. Cor. 2. 9.

Iſai. 48. 9. *Laude mea infrenabo te, ne intereas.* Dulce vero frenum ac ſuave, quo, niſi forte retrectantes ſumus & effrenati, nullo negotio flecti reflectique poſſumus ad nutum & arbitrium regentis Dei.

14 Ac ſane ſi animus noſter ſui adhuc juris manet, nec totum ſe Domino dedit ac tradidit; merito ſterilis dici poteſt, qui mala retribuat pro tot ac tantis bonis. Quo mihi ſpectare videtur Deus, cum apud Iſaiam exclamat: *Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus ſum, ac percuſſi eum. Abſcondi faciem meam, & indignatus ſum: & abiit vagus in via cordis ſui.* Neque enim qualiscumque avaritia eſt, ſed incredibilis quædam avaritiæ iniquitas, ſi neges te ei, cui debes omnia. Atque iſtiusmodi hominibus jure accidit interdum, ut Deus abſcondat faciem ſuam ab eis, & abeant vagi in via cordis ſui. Quæ quidem eſt pœna longe graviſſima. Id adeo multo magis in nos convenit, qui nos totos nova quadam voluntate conſecravimus Deo, & per vota quaſi holocauſtum immolavimus: In quo ille holocauſto graviſſime fert ſurripi ſibi aliquid ex eo, quod fuerat conſecratum. Huc enim etiam divinam illam vocem derivare poſſumus: *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocauſto.* Nos vero ſteriles & ingrati erimus, ſi noſtra in Deum officia exiliter ad calculos revocabimus, quaſi verentes, ne major datorum ſit ratio, quam acceptorum; ſi divini obſequii annos, ſi ſuſceptos labores, ſi præſentem diſciplinam, ſi emolumenta à nobis in proximos profecta numerabimus ac pendemus. Hæc enim omnia nova beneficia ſunt, quibus etiam arctius devincimur. Quare B. Bernardus negat, animam noſtram amori cæleſtis ſponſi mutuò reſpondere ullo modo poſſe. *Nam & cum ſe totam*, inquit, *effuderit in amorem, quantum eſt hoc ad illius fontis perenne profluvium?* Quocirca permagni mihi ponderis videtur quædam D. Chryſoſtomi ſententia, qui illam Iſaiæ viſionem tractans, *Vidi Dominum*, & quæ ſequuntur, ait, Seraphinos alis non ora ſolum tegere, quod intelligentiæ obtutum figere in ſumma illa luce nequeant; ſed pedes contegere, quod reverentiæ amorisque ſui exiguitatem erubeſcant; qui non pro ejus dignitate procreatorem ſuum diligant, neque tanta ejus caritate flagrent, quantum præcellentiſſima illa natura poſtularet. Quod ſi Seraphini ipſi beatorum ſpirituum Principes, qui à divini amoris ardore nomen invenerunt, minus ab ſe, quam par eſſet, amari Deum erubeſcunt; cujus tandem oris & impudentiæ erit homuncio, ſi in animum inducat ſuum, ſe Dei cauſſa plus æquo laborare?

Iſai. 57. 17. *Iſai. 61. 8.* *Serm. 83. in Cant.* *Iſai. 6. 1.*

Vel

Vel hæc animi inductio efficere deberet, ut de nobis ipſis quam demiſſiſſime ſentiremus; quippe clariſſimum ſignum perexiguæ, vel divinorum meritorum erga nos cognitionis, vel noſtræ in Deum benevolentiæ. Animus enim divina caritate ardens non contrahit ſe, in anguſtumque reducit, ſed in dies augeſcens pro amoris acceſſione dilatat ſeſe, & immenſam interminatamque abyſſi magnitudinem in Deo nanciſcitur; ubi infinite ſe in omnes partes effundat. Et *ſi dederit omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.*

15 Iam vero illud quoque proderit in primis, brevem ſibi quemque hujus vitæ curſum circumſcribere; & ſimul meminiſſe, quod perfectionis & gratiæ divinæ non compararis in vita, id te comparaturum eſſe numquam. Vitam autem ipſam (ut D. Greg. Nazianzenus tradidit) eſſe quaſi mercatum, cujus dies cum abierit, tempus amplius non ſit emendi, quæ velis. *In ſent.* Hinc illa Sapientis admonitio: *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Itemque Apoſtolus nos monet, ut *caute* ambulemus, *non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus*; hoc eſt, occaſionem negotiandi; ſignificans videlicet, quemadmodum mercator pecuniæ non parcit, ut emat redimatve quod adamavit; ita nos nulli labori parcere oportere, ne merendi occaſio elabatur, *quoniam dies mali ſunt.* Ita fiet, ut neque laborum brevitas gravis videatur, neque ullum punctum temporis lucro vacuum præterire patiamur. Conſtat enim gratiæ in hac vita partæ gloriam in æterna illa vita, & felicitatem proportione reſponſuram, ut ne minimum quidem lucrum parvi faciendum ſit, cui tanta mercedis acceſſio ſit propoſita. Ita quo minus aberis à meta, eo magis properabis; & quo magis accedes ad præmium, eo plus animi accedet ac virium. Illud etiam ſumma ope vitabitur, ne idem curſui noſtro accidat, quod violentis motibus ſolet; qui ab externa vi atque impulſu profecti, proceſſu paullatim remittuntur ac languent: ſed contra nos ab inſita vi ac virtute acti, hoc eſt, ab inhabitante Spiritu ſancto, (*Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei*) tanto concitatiori curſu rapiamur, quanto viderimus appropinquantem finem.

Eccl. 9. 10. *Epheſ. 5. 15.* *Rom. 8. 14.*

16 Hinc ultimum, idemque præſentiſſimum remedium peti licet, ut manum operi admoveamus, & in rebus, quibus caremus, comparandis omnem operam collocemus. Id enim demum eſt (ut D. Gregorio placet) *Lib. 18. Moral. c. 5.*

non modo cor, ſed etiam manus (quod Hieremias monuit) ad Deum tollere. Nam qui ad ſolidas virtutes parandas ſatis eſſe unam voluntatem arbitratur, is profecto vehementer errat. Quamobrem D. Baſilius docens, in ſolitaria vita & plus periculi eſſe, & minus ad neceſſarias virtutes parandas facultatis, ait: *Neque eum ſuæ humilitatis documentum dare poſſe, qui neminem habeat, cui ſubjiciat ſe ac ſubmittat; nec manſuetudinis, qui cum mortalium nullo verſetur; nec patientiæ, qui nullum omnino habeat ſuis voluntatibus adverſantem.* Ad extremum illud adjungit: *Siquis autem ad componendum moderandumve animum ſacrarum litterarum præcepta, doctrinam, meditationemve ſatis eſſe ducit; is ſimiliter facit ut ſiquis diſceret ædificare, neque unquam tamen ædificaret; diſceret æs cudere, & tamen quæ didiciſſet, numquam in actum educeret.* Atque uſu docti ſcimus, non niſi faciendo artes addiſci. Quæ tamen ipſæ in externa tantum materia cum verſentur, nihil admodum habent repugnantiæ. Neque enim Architecti, neque ceterorum artificum conatibus operis materia reluctatur. At noſtra hæc Philoſophia, quæ in interioribus animi motibus perdomandis occupata eſt; difficultates habet, & impedimenta nec minima, & plurima. Vt enim in quadrando lapide difficultatis aliquid ac negotii fuerit; quadratus certe ad rudem illam aſperitatem nequaquam redit: at efferatos animi motus, quamvis edomitos, ad ingenium tamen redire ſæpius experimur. Et vero ſi in virtute ac pietate quotidie augendâ ſedula à nobis opera poneretur, ad majora quotidie lucra aditus patefieret; præſertim cum in hoc quoque genere ſua ſponte lucrum vel minimum (ut Chryſoſtomus monet) animos faciat, & ad lucrum majus alliciat. Id quod cerni licet, inquit, in pecunia, & mercibus. Lucrum enim, exempli gratia, unius & alterius aurei nummi, animum addit lucrandi decem, aut etiam viginti. Videmus etiam locupletes, quibus plus & auri ſit & animi, facilius ad maximas pecunias pervenire, quam pauperes locupletari. Quare in eam curam incumbendum eſt, ut oblatas lucri occaſiones ne dimittamus; quandoquidem qualecumque incrementum animos nobis ac vires addit ad majora. Nec vero illas modo virtutes, quæ deſunt, parari, verum etiam, quæ ſunt, perfici oportet, tum gradu, tum etiam firmitate. Qua de re D. Gregorius ad illa verba Iob præclare diſſerit: *Per ſingulos gradus meos pronuntiabo illum.* Librum autem dicit illum, quem humeris ferre, & coronæ inſtar capiti imponere geſtiebat; ſignificans, ſacras litteras factis expreſſas coronam para-

Reg. fuſ. diſp. c. 7.

De virt. & vit.

Lib. 12. Mor. c. 14. Iob. 31. 37.

parere nobis victoriæ. Ita Chriſtus Dominus noſter (ut notat D. Gregorius) terram dixit animæ noſtræ, ubi Divini verbi ſemen jactum ſit, *fructificare primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica.* Hoc utique ſtudium in eo, qui ad perfectam vitam, cumulatamque contendit, vigere opus eſt; & ad hoc quoque ipſum quotidianum examen referendum eſt. Ceterum hæc remedia libet eadem ſententia claudere, quam Divus idem Gregorius eo loco poſuit, quem ſupra indicavi, cum docerem, mentis noſtræ fervorem paullatim veteraſcere. Ibi igitur hæc ille ſubjicit: *A qua tamen vetuſtate, ſi ſtudio perfectionis invigilemus, orando, legendo, bene vivendo, renovamur: quia vita noſtra dum lacrymis lavatur, bonis operibus exercetur, ſanctis meditationibus tenditur, ad novitatem ſuam ſine ceſſatione reparatur.* *Lib. 19. Moral. c. 16.*

17 Ac ne longior ſim, illa nos potiſſimum cogitatio adjuvabit, Actiones noſtras fere initio fervidiores eſſe, ſed tempore procedente refrigeſcere. Idcirco enim (ut docet Chryſoſtomus) Spiritus ſanctus Davidis ore nos admonet, *In fine ne corrumpas*: quoniam tum vigilantia deſideratur, ut cum maxime. Quippe in actionis ingreſſu cum vires animæ integræ ſunt, nemo quantumvis piger non multum adhibet ſtudii ac diligentiæ. At in progreſſione; & ſcilicet in extremo, hæc admonitio neceſſaria eſt: *In fine ne corrumpas.* Idque hoc etiam magis, quod eo præcipue tempore diabolus omni ope atque opera nos bonis omnibus conatur evertere. Vt prædones, inquit ille, non ſolventem è portu navim inanem, & merces aliunde petentem invadunt; ſed onuſtam in reditu obſervant, atque diripiunt; ita diabolus ubi complures virtutes magno ſtudio collegeris, tum verò in te, quaſi in onuſtam mercibus navim, impetum facit. In quo quidem illius præda non ſolum magna eſt, quod de noſtris bonis prædatur; ſed etiam quod offenſio noſtra ad direptionem valet aliorum, qui noſtro exemplo in fraudem ac perniciem inducuntur. Quare omnino humilitatis præſidio tecti ſemper ſimus neceſſe eſt. Nihil enim (quæ naturæ noſtræ eſt infirmitas) ſuperbiam elationemque animi (niſi vigilantiâ comprimatur) æque gignit, atque innocentiæ ac recte factorum conſcientia, & induſtriæ fructus ex multorum converſione perceptus: ut recte Dominus ita præcipiat: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus.* Hoc adminiculo carens Ozias corruit. Nempe cui ſacræ litteræ teſtimonium dederant ſanctitatis, *quod fecerat rectum quod erat in conſpectu Domini.*

Hom. 3. in Ver. Iſai. vidi Dominum. *Pſalm. 74.* *Pſalm 74. in titulo.* *Luc. 17. 10.* *2. Paral. 26. 4.* *Ibid. v. 19.*

Verum.

Verum is per ſuperbiam ſacerdotale ſibi munus adſciſcere conatus, teterrimam in lepram incurrit. At Moſes (id quod obſervavit Theodoretus) *Quæſt. 10. in Exod.* non prius tantæ hominum multitudinis dux eſt creatus à Deo, quam dextram illam, quæ mare diviſura, & quæ res admirandas editura eſſet, inſertam in ſinum ſuum, leproſam animadverterit. Nimirum ut homines in meditationis tamquam ſinu intelligant, qui ipſi per ſe ſint, quid munere ac beneficio Dei: atque illud liquido profiteantur: *Dextera Domini fecit virtutem.* Ita demum vera germanaque humilitate nixi, in vita noſtra renovanda perpetuo verſabimur: & habentes in nobis ipſis, & non in altero gloriam noſtram, id eſt, teſtimonium bonæ conſcientiæ, quæ nihil ſpectat aliud præter divinam gloriam, dicemus cum S. Iob: *Gloria mea ſemper* *Ioh. 29. 20.* *innovabitur, & arcus meus in manu mea inſtaurabitur.* Vt videlicet partim hoc conſcientiæ teſtimonium noſtræ perfectionis ſtudio, partim zelum ſalutis animarum ſtudioſè curantes, arcum ſagittasque noſtræ mi- *Pſalm 126. 4.* litiæ inſtauremus, tamquam veri germanique *filii excuſſorum*, ut animas Divini amoris telis ſauciatas mundo mortuas Chriſto Domino mancipemus.

18 Neque vero vitiis, quæ in nobis cernimus (dummodo de hac arcus, & gloriæ renovatione, quam dixi, laboremus) deterreri à ſuſcepto conſilio, ſed potius vocationis noſtræ gratia freti, animos viresque re- *Zachar. 12. 6.* novare debemus; & nos ipſi jucundiſſima illa, quæ apud Zachariam eſt, Domini voce conſolari: *In illa die ponam Duces Iuda ſicut caminum ignis in lignis, & ſicut facem ignis in fœno: & devorabunt ad dexteram & ad ſiniſtram omnes populos in circuitu.* Et quoniam hæc ſunt ejuſmodi, ut noſtras vires longe, multumque ſuperent, accipite, unde animi nobis ac *Ibid. 6. 8.* vires addantur: *In die illa proteget Dominus habitatores Hieruſalem.* Magnus vero patronus ac potens. Sed quid tandem ab eo opis afferetur? *&* *Pſalm 117. 16.* *erit, qui offenderit ex eis in die illa, quaſi David. Dextera Domini* faciet *virtutem.* Vt ſcilicet claudus, qui paſſim offendebat, robore alter David exiſtat, usque eo fortis, ut funda & lapide carneam illam turrim (ſic enim Philiſtæum appellat Chryſoſtomus) nullo negotio dejiciat, ſuo illum gladio obtruncet, victoriam ac lætitiam populo pariat univerſo.

19 Atque ut paratioribus animis ſtudiisque ardentioribus in mentis inſtaurationem incumbamus, Gregorius XIII. Pont. Max. pro ſua paterna in filios omnes caritate, & egregia hæreticorum, ethnicorumque in Eccleſiæ

ovile

ovile cogendorum voluntate; partim cupiditate impulſus videndi in Societate noſtra novum in dies ſplendoris incrementum, novosque fructus noſtrorum operâ colligendi, atque in primis tantam hominum multitudinem, quæ extra Eccleſiæ arcam obruitur, conſervandi; partim etiam noſtris precibus adductus, occaſione januæ, quam initio dixi, in Iapone patefactæ; his, inquam, de cauſſis Pontifex Indulgentiam plenariam, Iubilæumque ampliſſimum omnibus Societatis hominibus largitur, quicumque ſacra confeſſione, & communione facta, nominatim pro illorum populorum ad Eccleſiam traductione, Deum erunt deprecati. Quo quidem tam præſtanti munere, ut cum certa ſtabilique animorum noſtrorum utilitate, & illuſtri atque inſigni illius nationis emolumento perfruamur, cohortor omnes in Domino, ut (quod commodo cujusque ex præſcripto Superiorum fieri poterit) in Exercitiis ſpiritualibus dies aliquot ponant, ſeque ad ſynceram animoſamque confeſſionem comparent; generalem, ſcilicet, aut ſuperiorum dumtaxat menſium, initio ab ultima facto (uti ſtatis temporibus fieri ex Conſtitutionibus noſtris ſolet) aut etiam vitæ totius in Societate actæ, ut cuique commodum erit. Ex quo novam omnes vitam novo animi ardore inſtituant; ſic prorſus, ut reipſa cujusque appareat inſtauratio, tum in perfectione ſua, tum in zelo animarum. Et quoniam etiam perfecti viri aliquid ſemper habent, quod renovent, & in quo creſcant; neque ſatis eſt hac, aut alia quapiam occaſione interdum huc cogitationem conatumque conferre; vos vehementer etiam atque etiam hortor, ut animum ad ejusmodi exercitationes ſpirituales identidem referatis; præcipue vero poſt operam aliquamdiu in miſſionibus, aliisque Societatis muneribus collocatam, Vt nimirum cogitemus vias noſtras: &, quo majore *Pſalm. 118 59.* deinde animo ac viribus ad opus redeamus, interquieſcamus interdum ac reſpiremus. Ita demum quisque noſtrum illam vere Prophetæ vocem uſurpabit: *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* Illud enim & uſus ipſe do- *Ibid. 6. 131.* cet, & Societatis noſtræ parens IGNATIVS cenſuit, atque adeo in epiſtola quadam teſtatum reliquit, ejusmodi meditationes (quas ille arma ſpiritualia in Conſtitutionibus appellat) non modo ad cujusque noſtrum, ſed etiam *Par. 4. c. 8. § 5.* ad aliorum incolumitatem, ac ſalutem maximo eſſe præſidio. Hinc porro magna Dei cum gloria fiet, ut omnes, qui viderint noſtros, cognoſcant illos, *quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Quam ille benedictio- *Iſai 61. 10.* nem pro ſua immenſa benignitate confirmet, perpetuoque adaugeat in

 nobis,

nobis, ut quos & ipſo vitæ genere, & purgandi illuminandique alios munere, Angelorum (quorum feſtum ſolemnemque diem hac luce celebramus) in hoc exilio ſocios eſſe voluit, his beneficium ſuum ſtabiliat & cumulet in patria: ubi una cum beatis illis ſpiritibus miſericordias Domini in æternum cantetis; & ſimul cum aliis compluribus eodem per vos indu-
Apoc. 5. 9. & 10. ctis, ante thronum Dei, & Agni concinatis: *Redemiſti nos* Domine Deus *in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes; & regnabimus* in æternum. *Amen.* Romæ III. Kal. Octob. anno poſt Chriſtum natum M. D. LXXXIII.

Omnium in Chriſto Servus

CLAVDIVS AQVAVIVA.

EPISTOLA III.
EIVSDEM
R. P. N. GENERALIS
CLAVDII AQVAVIVÆ
Ad Patres & Fratres Societatis.
DE STVDIO PERFECTIONIS, ET CARITATE FRATERNA.

SI munifici dona largitoris, cujus beneficio vitam, & eam, quæ natura nobis ineſt, & longe diviniorem alteram adepti ſumus, primigeniam apud nos dignitatem ſuam perpetuo retinerent; & ſi nos, arborum inſtar, ad vitalis fluvii, qui cæleſtem lætificat Hieruſalem, patriam noſtram, decurſum conſiti, & ab æſtu quam longiſſime geluque ſemoti, perennem illam irrigationem, & ſempiternam velut patrii ſoli cælique ſerenitatem hauriremus; nihil attineret tam gravem nos & quotidianam in rebus noſtris, quæ pæne in horas dilapſæ fluunt, aut ſilveſcunt, dijudicandis, & prout opus fuerit, repurgandis, novandis, & alio atque alio apparatu tuendis, operam collocare. Iam vero cum perpetua atque infeſta mortalis corporis pugna gravemur & ſarcina; cumque, quaſi ſtirpes quædam in ſiticuloſos

loſos ſaltus tranſpoſitæ, peregrina adverſaque gleba conflictemur, mirum nemini videatur, ſi neceſſe ſit jugem adhibere ſolertiam, ac velut artem, quæ nos excolat, erigat, obtegat, adminiculetur: & adjumenta conquirere, quæ ad omnem nobis incolumitatem, atque incrementa præſidio ſint: non ſecus atque teneriores quædam, atque opere topiario eleganter intextæ, aureorum malorum arbuſculæ, ſi frigidiore cæli plaga, ac perpetuis vexentur nivibus, ſingularem cultoris vigilantiam, laborumque contentionem deſiderant, ut nativam vim ſuam & pulcritudinem tueantur. Cum præſertim etiam poſtquam religioni nomen dedimus, non raro reliquum fiat in nobis veterum ſemen aliquod errorum, ac velut anteactæ vitæ lolium: præterquam quod in ea, quæ auſpicatò cœpta ſunt, tranſverſa ſoleat incurrere parum conſtans naturæ noſtræ conditio, quæ quantis ponderibus ad pejora fere nos deprimit, tanto majoribus vigiliis, & quaſi lacertis eſt obnitendum. Ea de re cum verba faceret D. Gregorius Nazianzenus, exponeretque cæleſte donum, quod initio divinitus accepimus, quam ægre conſervetur, Saulis Regis pertractat exemplum: negatque ulli dubitandum eſſe, quin per inhabitantem Spiritum ſanctum fuerit ille in ſpiritualem virum commutatus. *Verum*, inquit, *quia non ſe totum Spiritui præbuit, nec pure alium in virum mutatus eſt, quemadmodum oraculo de ipſo proditum fuerat; ſed improbitatis ſcintilla priſtinæ, malique ſeminis aliquid in eo reſtabat, eratque in eo pugna ſpiritus & corporis, notiſſimis illis tandem jactatus eſt tragœdiis.* Et ſubjicit paullo poſt: *Illud tamen hinc animadvertitur, quod tametſi gratia divina non contingat indignis, nec omnino in malum & ineptum inſtrumentum cadat, (nam recte dictum eſt, etiam me aſſentiente, In malevolam animam non introibit ſapientia) nihilominus propter mutabilitatem habitus, ac naturæ humanæ, nequaquam minoris negotii ſit, mea quidem ſententia, dignitatem ſuam, & concinnitatem ſervare, quam ab initio vere aptum concinnumque reddi, ac dignum effici: præſertim cum ipſa gratia ſæpenumero (ut quod omnium malorum noſtrorum miſerrimum eſt, & abſurdum maximè proferam) faſtu quodam animos efferens à Deo dejiciat eos, qui non recte ad ipſum propius acceſſerant, eoque modo fiat, ut dum extollimur, deturbemur, quo peccatum fiat ſupra modum peccans, per rem bonam mihi mortem afferens.* Duas nobis res hoc facto, & tam gravibus verbis religioſiſſimus Pater commendat, ambas quidem perneceſſarias iis, qui à deſpicatis ac ſtolidis domus ſuæ jumentis conquirendis, hoc eſt,

Neceſſarium eſſe ſtudium ad perfectionem.

In Apolog. Ad Patrem.

Sap. 1. 4.

eſt, à vecordibus ac brutis hujus vitæ voluptatibus & curis abſtracti, ſeſe in altioris vitæ genus recepêre. Vna res eſt, ut Deo ſe quisque tota mente devoveat, nec ullam in ſeipſo vanæ cupiditatis ſementem reliquam patiatur. Nam propterea ſanctiſſimus Doctor affirmat, fuiſſe adhuc in Saule ſpiritus & corporis pugnam (neque enim ſentiebat, ab ea poſſe nos penitus immunes eſſe, dum fragili fluxoque corpore diſtinemur) ſed illud modo nos monitos voluit, Si ad Deum, ut inquit Apoſtolus, *in plenitudine cordis accedamus*, hoc eſt, Si & nosmetipſos exuere, & induere Deum, ex animo ſtudeamus, ita poſſe nos, & ſolere divinis auxiliis confirmari, ut licet nonnulla reſideat rationem inter ſenſumque dimicatio, non ea tamen ſit, quæ vel internæ civitatis tranquillitatem perturbet, vel in dubium revocet, uter in hac dominetur, atque imperet: ſed potius invicta mens jus ſuum tueatur, & impetus concupiſcentis animæ, ne longius evagentur, coërceat. Contra vero quicumque ita ſe Deo Religionique addixere, ut interea loci neque omnem de ſe curam abjiciant, neque mundo placere velle deſinant, minime mirum eſt, ſi magnis periculorum fluctibus agitentur. Nam hoc quidquid mali ſeminis in ipſis reſiduum eſt, ſenſim pullulat atque adoleſcit in culmum: & (quod aliquando ſibi D. Auguſtinus fatetur timuiſſe) quæ tenuiſſima licia videbantur, in funes pæne nauticos excreſcunt, arctiſſimeque, quos implicuere, devinciunt. Itaque teſtatur ille, ſe tunc à Deo, ut nequaquam deſiſteret, exſtimulatum, ne, *ſi non*, inquit, *abrumperetur idipſum exiguum & tenue, quod remanſerat, revaleſceret iterum, & me robuſtius alligaret.* Altera res eſt, quòd eſto, rebus iis, quas admirantur homines, initio nuntium remiſerimus ex animo; tam lubricum tamen, & ad deteriora declive naturæ pondus eſt, ut quam facillimam converſionem & inclinationem tranquilli ſtatus cavere nihilominus laborioſum atque arduum ſit, quam ad præclaram aliquam animorum dignitatem, & quaſi concentum perveniſſe: cum præſertim (quod in malis noſtris luctuoſiſſimum miſeriæ genus eſt) ipſamet erga nos Dei liberalitas nonnullos interdum plus nimio jam elatos, ſibique præfidentes ex cæleſtium copia donorum (niſi tamquam in gyrum rationis ac modeſtiæ ducantur) ab eodem Deo, ad quem non ut par erat acceſſere, deducat atque abſtrahat. Eos igitur præcipites agit, dum attollit incautos, ut ſatis inde perſpicuum fiat illud Apo-
Rom 7. 13. ſtoli, *Peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem, ut fiat ſupra modum peccans peccatum;* hoc eſt (ut Chryſoſtomus interpre-

terpretatur) peccatum turpitudinis ac nequitiæ ſuæ virus ſatis manifeſtò prodit, cum ſanctiſſimam plane rem per ſummum ſcelus, ac ſocordiam noſtram in ſtrumam vertat ac peſtem. Quocirca, nec mihi, nec vobis moleſtum eſſe decet, quas poſſumus, ſequi atque urgere opportunitates ad mentem noſtram identidem excitandam, ſcientes, Fratres à Deo dilecti, electionem veſtram, cum quanto majoribus donis aucti videmur, tanto ſeverior eorum ratio reddenda ſit; & quanto copioſiorem miſerationis ſuæ vim erga nos Deus ultro profudit, conſequens etiam ſit, ut tanto gravius noſtræ tarditati inertiæque ſuccenſeat, ut, ſi hoc ſpectetur, hominum ceterorum, qui ſe pæne totos tenebris merſere, delictis vix commoveri videatur. *Quis cæcus* (inquit per Prophetam quemdam) *niſi ſervus meus? aut* *Iſa. 24.* *quis ſurdus, niſi ad quem nuntios meos miſi?* ac ſi aperte profiteretur, ceteros neque cæcos eſſe cenſendos, ſi offuſis cælo tenebris videant nihil; neque ſurdos, ſi, quibus nihil loquere, non audiant: verum ſi qui ſint, qui in clariſſima luce caligent, & ad nuntiorum clamores obſurdeſcant, id demum cæcitatis eſſe, id ſurditatis argumentum. Id quod ut planius explicem, (tametſi de vobis dilectiſſimi meliora, quin etiam altiora confidam) nego, ullam nobis excuſationem in Dei conſpectu profuturam, niſi eum teneamus vitæ curſum, eamque lucem ſequamur, quæ nobis, id agente Deo, per famulum ſuum IGNATIVM ex Conſtitutionibus, ex noſtræ Societatis inſtituto, ex ejuſdem denique optimi parentis, dum in humanis ageret, graviſſimis monitis, & ſalutaribus affulget exemplis. Cum præſertim Dei prætereà benevolentiſſima ſedulitas quotidie mentibus noſtris varie præluceat, & ſtimulos ad meliora ſubjiciat. Neque nobiſcum velut cum ſervis agat, exponens dumtaxat, quid à nobis herili more depoſcat, ſed ut cariſſimos ſibi liberos inſtituat, conſiliorum etiam ſuorum communicatione dignatos. Atque, ut miſſa alia faciamus, una vox illa Redemptoris noſtri, *Si diligitis me, mandata mea ſervate*, cujuſnam pectus non emolliat? ſanè *Ioan. 14. 15.* ac ſi dixiſſet, non pœnas denuntio, pollicitationes meas non inculco, non meorum erga vos meritorum rationes exigo, non pono ob oculos præmiorum amplitudinem; ſed illud unum: Si diligitis me, perficite quæ jubeo. Quis tam ferus ac ferreus ſit, qui ſi ſecum ipſe reputet, quis loquatur, & quibus id verbis commendet, inuſitata mentis dulcedine non liqueſcat ac fluat; certoque ſtatuat alacri atque erecto animo aggredi, quidquid perſpexerit illius aut voluntati gratum, aut honorificum majeſtati?

Pſalm. 15. *Hæc eſt pars mea, & hereditas mea*, canebat S. David. Sequantur alii quæ maxime velint: ſuas licet, quam longe lateque norint, proferant cupiditates; mea vero pars fuerit, Domine, cuſtodire legem tuam. Verum majora adhuc atque illuſtriora jura ſunt, ut Divus annotat Baſilius, quæ nobis quaſi Prætorianis militibus, aut Regiis cubiculariis ſanciuntur, quàm quæ promiſcuè feruntur in vulgus. Eam ob rem noſtræ quæ ſint partes attendamus. Sunt autem illæ, in quibus figenda noſtra omnis mens & locanda eſt, nimirum ut in omnem vitam divinæ voluntati obſequamur & gloriæ: neque Dei ſervus alia in re ulla ſuam poſitam eſſe exiſtimet vitam, delicias, beatamque tranquillitatem, quam ſi totum ſe fingat & accommodet ad arbitrium nutumque Dei; cujus voluntas totius eſt juris ac recti certa lex; cujus ſtudium, ut ei nos, noſtræ ſolum felicitatis cauſſa, morem geramus, cujus obſequium jucundiſſima quies: ab eo vero recedere, extremum malorum omnium. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam*, ajebat Pſaltes. Cum enim os aperuiſſet neceſſariæ refrigerationis gratia, teſtatur duxiſſe ſe vitalem auram de cælo, hoc eſt, perficiendi, quæ Deo placent, deſiderium, quod ſolum reſpirationis loco velit habere, dum vivat. Deus meus (ut ita loquentem David faciamus) in quo vivo, moveor, & ſum, meo quidem in ea, quæ jubeas, obſequio, tibique obtemperandi ſtudio perinde ſuſtentor, atque animantes reſpiratu. Itaque ſicut corpus quovis temporis puncto frigidiorem auram hauriat oportet, ne nativus calor interclusus extinguatur; ita multo etiam magis pæne in horas, aut in momenta potius explendæ tuæ voluntatis amore ac pietate meus animus recreatur. Hoc itaque deſiderio, quaſi quodam oris hiatu, ſuaviſſimam requiro aſpirationem, & quidem quanto poſſum creberrimam, prout hujus fœneæ domus, quam inhabito, patiuntur anguſtiæ. Neque immerito ait: *Os meum aperui.* Nam, ut Sapientes tradidere, aſpiratio meatu oris excipi trajicique non ſolet, niſi cum permagnum & præſentiſſimum influentis aëris ſubſidium, vita ne opprimamur, expoſcit. Iis igitur verbis ſanctiſſimus vates declaravit, non ſine maximo melioris vitæ periculo, ullis unquam momentis piam hanc aſpirationem, qua ſub divinæ jus voluntatis noſtram ſubjungere cupimus, intermitti: aut fortaſſis ita vehementibus incenſisque ſtudiis ad Dei voluntatem capeſſendam ſeſe inflammatum animadvertebat, ut propterea ſe reſpirandi viciſſitudine, tamquam gravis æſtus allevamento, reficiendum putaverit. Hoc denique illud

Pſalm. 118.

illud eſt ſtudium, quod noſtræ vocationis ratio nobis imponit: hoc conſilio Societati Iesv nomen dedimus, ut Patris ac Dominatoris noſtri voluntate nihil habeamus antiquius, & reipſa præſtemus id, quod ex graviſſima Conſtitutionum aſſeveratione, & ex primis adeo tirocinii noſtri rudimentis, tamquam cum lacte nutricis exugere viſi ſumus, nempe, ut Dei voluntatem, cujus interpretes Præpoſiti noſtri ſunt, noſtram eſſe arbitremur. Qua in re frequens ac perennis exercitatio eximiam quamdam vim habet efficiendi, ut & in dies majorem ex illa capiamus voluptatem, & neſcio quo ſapore, admirabilique luce, quæ naturæ facultatem atque aciem exuperat, perſpicue dignoſcamus, hoc diſciplinæ genus hauſtum decerptumque fuiſſe de cælo. Id tamquam pro teſtimonio dixit Salvator noſter iis verbis: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoſcet de doctrina meâ, utrum ex Deo ſit.* Hoc eſt, eam doctrinam ſi vita ac factis exprimere ſtudeamus, arcanos quoſdam ſenſus, & inuſitatos afflatus ſupra conſuetudinem, ſupra mortalitatem nanciſcemur, ut propterea ſapientiam iſtam divino ſatu fuiſſe ortam, facile in animum inducamus. *Ioan. 7.*

Verum hujus ſuavitas argumenti meam longius, quam oportuit, provexit orationem: voluiſſem enim, non ut alias feceram, pluribus agere, ſed breviter id dumtaxat, quod hoc tempus poſtulabat, exponere. Scripſeram namque aliàs impulſus ea, quæ tunc nuntiabatur, Iaponicæ Eccleſiæ bona fruge, & cohortatus unumquemque, ut renovaretur ſpiritu mentis ſuæ; miſi etiam, quod nobis ad eam rem promovendam piæ memoriæ Gregorius XIII. conceſſerat, Iubilæum. Nunc cum non ita pridem ex Sinarum regnis recens orta eſſet occaſio, ut ex ejus rei lætioribus initiis, quod Dei munus eſt, cognoſcere poteſtis; alterum putavi mittendum, quod à Sanctiſſimo Domino noſtro Sixto V. impetravimus. In quo illud adhuc amplius eſt, quod ad bonum Societatis noſtræ ſtatum, ejuſque feliciores progreſſus à Deo impetrandos conceſſum eſt. Inde planum fit, & quanta ſit hujuſce rei magnitudo, & quanto officii noſtri major obligatio, quanta denique in unoquoque noſtrum ſit poſita vis ac facultas, ut eorum, quæ agimus, ſecundos exitus conſequamur. *Rei magnitudo*, inquam: neque enim ſolum ad Dei obſequium per ſe valet quam plurimum proſperitas, ac perfecta pietas Societatis noſtræ; ſed etiam, ſi cogitationem intendas in omnia ſtudia, quæ noſtrates in Iaponiorum, Sinenſium, aliarumve gentium ſalutem conferunt; certe nec ad animarum lucra, nec ad Dei gloriam, ut

am, ut oportet amplificandam, conatus noſtri momentum ullum habituri ſunt, niſi ſua ipſa Societas vi, ac firma valetudine cohæreat. Nam imbecillum ſi fuerit, nec probe affectum corpus, ejusque membra in ſuis obeundis muniis langueſcant, nullum cum laude curſum ſeu pugilatum adorietur. Dixeram adhuc. *Officii noſtri major obligatio:* nam ſi (ut ſuperioribus litteris de ſpiritu renovando fuſius diſputavi) religioſiſſimam vitæ rationem à nobis Deus exigit, ut proximis adjuvandis Societatis induſtria ſit ſalutaris; quanto ſeverius repoſcet, ut ipſa Societas non modo nihil per nos de ſtatu declinet, ſed ut vigilantia potius & contentione noſtra ad ampliora ſe tendat atque erigat? Quam ſane ad rem nec leve nobis calcar acceſſerit, ſi cogitemus, ex nobis univerſis corpus unum coagmentari; eamque eſſe membrorum inter ſe conſenſionem, ut unicuique pertimeſcendum ſit, ſuo ne vitio in reliquum omne corpus aliquid redundet periculi. Mirum atque horribile plane eſt, dignumque ob quod ambæ audientium aures (ut ſcripturæ loquuntur) merito tinniant, meminiſſe apud Iſraëlem, duce Ioſue illuſtrem, Deo autem Principe ac moderatore gloriantem, & tunc ejus juſſu eductum in aciem, propter unius Achan furtum de anathemate Hiericho, quantum totis pæne caſtris turbatum ſit, fuſis ab hoſte tribus millibus fortiſſimorum Iſraël: & Deo ſevere denuntiante: *Non poterit Iſraël ſtare ante hoſtes ſuos, eosque fugiet, quia pollutus eſt anathemate:* &, quod longe magis horrificum eſt, *Non ero*, inquit, *ultra vobiſcum, donec conteratis eum, qui hujus ſceleris reus eſt.* Et quamvis unius eſſet ſacrilegium, univerſos tamen (ut annotat Auguſtinus) afflixit ac perculit: *Vt non* inquit, *ſe ſolum quisque curet in populo, ſed invicem ſibi adhibeant diligentiam, & tamquam unius corporis, & unius hominis alia pro aliis ſint membra ſollicita.* Quo ſane facto ſempiternus Iudex indicavit, quanta ſit ſingulorum in aliquo cœtu ac ſodalitate communitas, cum eorum nullus ſeorſim ſolus cenſeatur, ſed ſinguli ſint quarumdam partium inſtar in toto. Vides, inquit Chryſoſtomus, quomodo unius peccatum toti populo vindictam accerſit? Quomodo Deum adverſus multitudinem hoſtem reddidit? Sed bona ſunt tua judicia, Domine, & ad noſtram utilitatem diſpenſata. Lues quædam eſt peccatum: per ultionem evulgatur ac traducitur apud omnes, ne corrumpat omnes; ut ubi cognoverint, quantas minas una peperit transgreſſio, fugiant ultionem, de multis alioqui ſumendam æternam vindictam. Eam ob rem viri ſanctisſimi, qui & veræ humilitatis ſpiritu præditi, ſe numquam

1. Reg. 3.

Ioſue 7.

Quæſt. ſuper lib. 5. quæſt. 7.

De verbis Iſaiæ: vidi Dominum. *hom. 1.*

quam humanis exutos vitiis agnovere, & caritate incenſi proximorum zelo fervebant, ſua peccata (quod de Cathalina Senenſi, aliiſque proditum eſt) malorum omnium, quibus Eccleſia vexabatur, cauſſam dediſſe putabant. *Epiſt. 7. & alii.* Iam vero nobis, quos non modo communis illa unius Eccleſiæ neceſſitudo connectit; ſed adhuc proprius quidam ejusdem inſtituti ac vocationis nexus aſtringit; quanto magis metuendum eſt, ne quod privatim à ſingulis delinquitur, gravi totius corporis malo luatur ac vulnere? Neque luatur modò, ſed periculoſa etiam imitatione exempli ſerpat longius: ea namque res proclivius ad perniciem, cum ſemel cœpit, labitur. Hac porro de cauſſa paullo ante dixeram, in unoquoque noſtrum magnam poſitam eſſe vim ac facultatem, ut eo ſit loco Societas, qui noſtrum omnium reſpondeat optatis; cum non modo poſſimus à Deo caſtiſſimis precibus id impetrare, quemadmodum & veram exteris gentibus religionem, & Eccleſiæ ſplendorem priſtinum; ſed etiam nobis, qui vinculo conſociamur arctiori, divinam demerebimur benignitatem, quo plenis miſericordiæ oculis aliquando reſpiciat ac ſublevet Societatem univerſam. Hinc & illud exiſtet, ſi unumquodque hujus corporis membrum meliore cultu ſeipſum perpoliat atque exornet, conſequens eſſe, ut ex ſingularum partium ornamentis totius etiam nitor ac pulcritudo ſplendeſcat. Ex iis planum fit, & quæ ſit obligatio ſingulorum, & quæ hujus operis magnitudo, utque totius corporis robur ac valetudo cum ſtatu cujusque partis implicita ſit & cohæreat. In eum igitur uſum curatum eſt, ut Sanctiſſimus Dominus noſter Sixtus V. ex Eccleſiæ theſauro Iubilæum iſtud noſtræ promeret Societati. Quod ſi nequiſſimus Satan, cum indigniſſime ferat, divina manu, & Societatis opera tam multis orbis terrarum regionibus fraudari ſe tam multiplici ſpe prædæ & rapinarum, facturus eſt, quod in ipſo erit, finem nullum hujus vineæ ſepta diruendi, obterendi vites, quatiendi turrim; ſatis patet, quanta nobis vigilantia, quam forti animo, ac virtutibus exaggerato, perditis ejus conatibus obviam ſit eundum. Itaque providendum eſt, ſi qua irruptio facta ſit uſpiam, ut ad repugnandum accurramus univerſi, iisque malis non in præſens modo, ſed etiam, quoad ejus fieri poteſt, proſpiciamus in poſterum. Quin etiam ut ſeduli vinitores non cavent ſolum, ne exterminet vineam aper de ſilva, & ſingularis ferus depaſcatur eam; ſed *Pſalm 79.* in novos etiam ſatus, traduces, repaſtinationes, propagines, quibus vitium feracitas ac decor augeatur, incumbunt; ita nobis quoque omni ope at-

que opera elaborandum eſt, ut non modo nihil detrimenti Societas capiat, ſed ut in dies uberior ex ea proventus ac vectigal redundet.

Porro, quoniam ſingulari Dei beneficio (id quod & mihi & toti Societati accidit jucundiſſimum) renovatio ſpiritus, & piæ meditationes, quibus ſuperiore Iubilæo vacatum eſt, mirificos noſtris fructus peperere; dubitandum non eſt, fore, ut minimam hanc familiam easdem, quas antea, exercitationes iterantem, nova Deus liberalitate ac miſericordia proſequatur. Quocirca conſimili nunc ritu modoque pervelim (qua de re Præpoſitis Provincialibus mandata perſcribentur) ad hoc alterum Iubilæum nos comparemus, eoque avidius, quod nunc agimus de conſervando, amplificandoque Societatis ſtatu: ſed & quidquid hac de re tunc à nobis delibatum eſt, ad idem denuo guſtandum magis ac magis noſtram acuet aviditatem. Deum itaque etiam atque etiam ſupplex obteſtor, ne mea cauſſa, culpave, pii conatus ac cogitationes veſtræ concidant aut retardentur: vosque pro ea, qua omnes ex animo complector, benevolentia, oro vehementer atque obſecro, ut gravem acremque curam ſuſcipiatis de veſtris ad abſolutam pietatem progreſſionibus. Et quamquam ſuperioribus de ſpiritu renovando litteris meis denuo attenteque perlegendis, multo vero magis Examine, Confeſſionibus, Spiritualibus Exercitiis, & paulo prolixioribus cum Deo congresſibus ineundis, ex ejus incredibili beneficentia conſecuturos vos confido, ut & plane intelligatis, quæ ſit ſpes vocationis veſtræ, & quid ſit ambulare digne Deo; non committam tamen, ne hanc nactus opportunitatem, duas ſpeciatim ad res vos etiam atque etiam adhorter: quæ ad id quod nunc agimus, opitulante Deo, ponderis plurimum videntur habituræ.

Quarum prior eſt, ut ita nobis mutua inter nos caritas curæ ſit, expurgatis penitus abjectisque ex animo velut peſtibus, parum benevolis Nationum inter ſe ſtudiis, aliisque id genus; perinde atque hac una re contineretur (nam vere continetur) Societatis incolumitas omnis ac proſperæ res: ſtudeamusque optimam parentem noſtram reſtituere in antiquum (ſi qua ex parte is veteraſceret) nitorem ac jucundisſimam benevolentiam, quæ naſcentis Societatis membra vinciebat. Nam ſi Sociorum multitudine aucti ſumus, caritatis tamen amplitudo nec hominum numero, nec locorum diſtinguitur intervallis. Quin etiam legere me memini apud D. Macarium; Sancti Spiritus caritate in eam interdum hilaritatem, atque amoris

Hom. 18.

ris

ris vim excitari inflammarique pectus humanum, ut omnes homines nullo proborum improborumve diſcrimine, intimis, ſi fieri poſſet, præcordiis ſuis condere vellet & collocare. Quanto magis hoc tamquam penſum iis reddendum eſt, quibuſcum fraterna nobis neceſſitudo multis nominibus intercedit? quæ non qualemqualem à nobis amòrem, ſed eximium quemdam re- *Reg. bre. in interr. 102.* poſcit ac vegetum, ut S. Baſilius tradit: qui cum quæreret, quanam inter nos benevolentia copulari nos oporteat? Eâ, reſpondet, quam Chriſtus *Ioan. 15.* Dominus declaravit iis verbis: *Diligite invicem, ſicut dilexi vos: majorem dilectionem nemo habet, quam ut ponat animam ſuam quis pro amicis ſuis. Quod ſi ponenda anima eſt, quomodo non multo magis in iis, quæ minoris pretii ſunt, neceſſario adhibenda eſt animi promptitudo, non ea re, ut humanis officiis faciamus ſatis, ſed eo conſilio, ut Deo placeamus, & utilitati cujusque conſulamus?* Id quod haud moleſtum ac difficile nobis erit, ſi reipſa præſtemus, quod amantiſſimus Pater Noſter IGNATIVS tertia par- *Par. 3. c. 1. §. 26.* te Conſtitutionum, (id quod etiam in decimamſeptimam Summarii regulam tranſcriptum fuit) commendat: Crebro, inquit, admoneantur, ut in omnibus quærant Deum, exuentes ſe, quantum fieri poteſt, amore omnium creaturarum, ut affectum univerſum in ipſarum Creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo, juxta ſanctiſſimam ac divinam ipſius voluntatem. Quæ cum ita ſint, non obſcure intelligitur, quantum à recta via aberrent, qui privata quadam communione, vel generis, & conſanguinitatis, vel conſimilis naturæ ac morum, vel gentis, aut patriæ, abduci ſe ſinunt ab eo nexu, atque animorum conjunctione, quæ inter nos eſſe debet.

Et quamquam primis meis ad Superiores litteris (quibus expoſui, qua- *Hortatur ad unionem.* nam ratione Noſtris inter ſe, & cum externis agendum ſit) attigi nonnihil eâ de re, ac breviter indicavi, quanta & P. IGNATII fuerit, & mea nunc ſit ſollicitudo, ne quid adverſus hanc ſpiritus unitatem peccetur, utpote multo magis quam credi poſſit neceſſariam; pro rei tamen magnitudine, & ne zizaniorum auctor, dum aliud agere videtur, ſimulatâ neſcio qua ſpecie recti, ſupponat aliquid ſuorum ſeminum; hic etiam paucis vos ea de re commonefaciendos putavi. Valde namque formidandum eſt, ne ſicut olim paucorum culpa, ut loquitur D. Hieronymus, quamquam in re diſſimili, *Ingemiſcens orbis terrarum Arianum ſe eſſe miratus eſt;* ita vitio eorum, qui in ſedandis animi motibus non multum operæ poſuerunt, *8. Conſt. c. 1. §. 2.* quique, ut ait P. IGNATIVS, nec ordinem, nec unionem ferre poſſunt,

cum lacrymis aliquando miretur Societas, non eam ſe eſſe quæ fuerat, ſed tamquam effœto jam corpore defloruiſſe. Cum enim ab ortus ſui primordio, nulla habita diſſimilium nationum ratione, ex mutua animorum conjunctione & coagmentata ſit & adoleverit; ſi alio paullulum deflecteret, Ægyptum non egreſſa ſane, ſed ingreſſa, *linguam, quam non noverat, audiret.* Huic tam pernicioſo, tamque peſtilenti morbo opportune medetur, ſi caſte integreque ſervetur memorata Conſtitutio; ut quanti ſit ea momenti, facile appareat, cum poſſit, ſi ejus uſus exoleſcat, tam gravis nobis labes & calamitas impendere. Itaque monemur, in omnibus amandum eſſe Deum, & omnes in Deo. Id quod ſi vigeat, & nationum & perſonarum ruet omne diſcrimen ac delectus. Nam ſi Deus in iis, quos diligimus, diligendus eſt; is ubicumque fuerit, eo ſe noſter amor tendat ac porrigat oportet; & quidem vehementior in eos, apud quos luculentius diligendi ratio, qui Deus eſt, elucet atque eminet. Itaque pie diligentis animus, ſive Dei donis, quibus eniteſcunt alii, delectetur; ſive alios iis, quibus carent, ornamentis cupiat honeſtari; in utrisque ſane Dei, eorumque, quæ Dei ſunt, & amans & appetens eſt. Eam ob rem neque ex alienis virtutibus, ceterisque rerum bene gerendarum facultatibus (in iis enim Deum purior animus intuetur) invidendi, obtrectandive, ſed agendi gratias potius, Deique munificentiam collaudandi, cauſſam nactum ſe eſſe putat: neque illi ea, quæ peccantur ab aliis, indignationem ac ſtomachum movent, ſed benevolentiſſimam potius commiſerationem, & vehemens ſtudium, ut ad virtutum decora, quæ in eo deſiderantur, paranda proximus convaleſcat. Atque in hoc poſita eſt omnis laus adamantis, & quærentis Deum in fratribus, ut eum agnoſcat, & complectatur, ubicumque ſit: percupiat viciſſim, ut uberiore manu ſuas ille opes impertiat, & tamquam præſentem ſe præſtet, ſicubi minus adeſſe videatur. Hanc amandi viam ſi inſiſtamus, erit in improbis etiam, quod amemus, nempe naturam, & conditoris imaginem, optantes, ut Dei ſimilitudo rurſus in eis eluceſcat. Eorum autem, qui Dei amicitia gratiaque dignantur, hoc ſingulare ac cæleſte ornamentum feremus in oculis: avebimus etiam, ut iidem tam pretioſarum mercium pleniore copia cumulentur. Sicut autem divinæ gratiæ communio tam late patet, ut in ea nihil inter barbaros, Scythas, ceterasque gentes interſit; ita ſi quis cogitationem defigat in Deo, in nullo hominum prorſus deſiderabit ac requiret, quod diligat, cum ex Deo, qui præſto eſt omnibus,

dimanet

dimanet ad univerſos ſatis magna cauſſa, & quaſi communis fons amoris; non ſecus atque ad conſpiciendos colores quosvis communis aliqua ratio ſuppetit, ſive lux ea ſit, ſive color. Ad hæc ſentiendi appetendique vim (ut à Philoſophis proditum eſt) ea re, in quam percipiendam intenditur, oportet eſſe vacuam, ut multas ad res adverti adhiberique poſſit: alioquin ad aliud nihil pateret, quam ad id, quod in ea fixum eſſet atque inditum. Sicut oculorum ſenſus ſi colorum uno aliquo eſſet infectus, ad reliquos caligaret, nam ſi viridi imbueretur, vireſcere putaret omnia; rubeſcere, ſi coccineo; atque in eumdem plane modum de aliis, quorum ſi quempiam natura ſibi inſitum nactus eſſet, non poſſet ceteris oblectari. Non aliter ſane niſi voluntas noſtra privatos amores ac propenſiones deponat atque exuat, benevolentiæ ſuæ vim in res univerſas propter Deum, ex quo omnia, per quem omnia, & in eo omnia ſunt, derivare non poteſt. Sed ſi ad patriam gentemque ſuam animus adhæreſcat, eorum modo colet amicitias, quibuscum patriæ & gentis communione copulatur. Idem eveniet, ſi neceſſariorum ſuorum conſanguinitate delinitus, carni tantum & ſanguini deſerviat. Par de reliquis judicium. Quòd ſi infeliciter agi putaremus cum oculis, quorum videndi vis ſuper colorem unum videret nihil, quid de voluntate, ſi in amando ſimiliter affecta ſit, ſentiendum? Certe neque corporis oculi, quos cum muſcis, & culicibus communes habemus, ad quærendum, videndumve Deum uſui poſſunt eſſe; neque ulla oculorum, ſicut voluntatis, virtute boni nominamur & ſumus. Itaque ſumma ope nitendum eſt, ut denudetur voluntas, & ab omnibus vindicetur affectibus, quo liberius eam curam & cogitationem induat, quæ Deo ſoli quærendo amandoque dicata eſt. Hac enim amor & defœcatur liquidum, & omnes ampliatur in partes. Huc pertinet celſitudo illa animi, & ampliſſima caritas Apoſtoli Pauli, cujus D. Chryſoſtomus non modo egregium laudatorem ac præconem, ſed & præſentem quodammodo ſe præbuit ſpectatorem. Digna plane res, quæ nobis afferat admirationem, & pudorem incutiat. Ea vero mirifice licet in tot vigiliis, ærumnis, periculisque aditis animarum cauſſa, quas Chriſto parere ſtudebat, eluxerit; privatim tamen, ac præter modum (ut idem ſanctus Doctor obſervavit) vim ſuam exprompſit in amorem, ſedulamque curam, qua complexus eſt Oneſimum. Servus is erat, & quidem profugus ab herili domo, quam & furto vexaverat: eum tamen Apoſtolus, quamvis omnium Eccleſiarum preſſus ſollicitudine,

Hom. de profectu Evang. in illud. Apoſt. ſive occaſione ſive veritate Chriſtus annuncietur.

Epiſt. ad Phile. unice dilexit. Nam illi & veniam deprecatur à Philemone, & tam inuſitatum habet honorem, ut eum & filium ſuum in vinculis, & viſcera ſua, & alterum ſe nominare non dubitet. Hæc ei præſtabat Apoſtolus, quia, ut ait Chryſoſtomus, non hoc conſiderabat, quòd unus eſſet, qui peccaverat, & præſidio egeret, ſed quod homo eſſet; homo digniſſimum Dei animal, & propter quem nec unigenito ſuo Pater pepercit. Non enim mihi hoc dicas, quód ſit fugitivus quiſpiam, vel latro, vel fur, vel facinoroſus, vel quod ſit pauper, abjectus, vilis, & nullius frugis: ſed cogites, quod pro ipſo mortuus eſt Chriſtus, ſufficiatque tibi, utpote idonea ſollicitudinis cauſſa. *Cogita quantum illum eſſe neceſſarium ſit, quem tantus Chriſtus ita appretiatus eſt, ut nec ſanguini ſuo pepercerit.* Neque enim, opinor, ſi Rex pro aliquo occidi vellet, quæreremus argumentum aliud, num magnus quiſpiam ille ſit, quem Rex tanti facit. Iam vero perpendamus, quanto dignandi ſint amore, qui non ſervi, ſed fratres noſtri, non fugitivi, aut fures, ſed ſæculi ſunt contemptores abdicatis ob Chriſtum omnibus, in eamdem nobiscum conſcripti militiam, iisdem caſtris, ſignisque centuriati, ad quotidianos labores atque excubias, in Dei tandem adoptionem, & hereditarium regni jus adſciti. Nihil igitur mihi antiquius, nihil in optatis magis eſt, quam, ut quanto maximo poſſumus ſtudio, conglutinemur inter nos mutuæ neceſſitudine caritatis, quæ ab Apoſtolo merito dicitur *vinculum perfectionis.* Nam & tum demum præſtitiſſe nobis videbitur Deus, quod deſponderat per Sophoniam; *Reddam*, inquit, *populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & ſerviant ei humero uno*, Labium vere electum, neque enim in linguis omnibus ulla pretioſior, neque ad loquendum, audiendumve jucundior, neque ad res bene gerendas valentior, quam id linguæ genus, quod animorum, conſiliorum, operumque conjunctione fraternus amor format atque inſtruit. Hinc enim exiſtit Deo famulantium tanta conſenſio, ut uno quaſi humero, quidquid eſt onerum portare videantur. Sed & illud memoriâ repetendum, cum Deus ſacrilegos turris Babel architectos ac molitores ab opere, quod ſtulte & adverſo numine machinabantur, arcere, & tamquam deturbare ſtatuiſſet; id demum non aliter perfeciſſe, quam diſſimilium confuſione linguarum. Tantum valet ad res interturbandas diſſidium quodvis, etiam linguarum tametſi magna foret inter illos conſiliorum voluntatumque conſpiratio. Nos contrà ſi vivas ac ſpirituales domos, juxta S. Petri ſententiam, in noſtris, proxi-

Coloſſ. 3. *Sophon. 3.* *Petr. 2.*

proximorumque mentibus extruere contendimus; & ad muros felicioris Hieruſalem, pro quibus ut benigne faceret Dominus in bona voluntate ſua, David caſtiſſime precabatur, exædificandos aliquid afferre momenti, idem *Pſalm. 50.* jugum trahamus oportet, & ad unius linguæ conſortium redeamus: alioquin labores quidem magni, laborum fructus pæne nullus.

His expoſitis, perſpicuum eſt (quod & initiò dixeram) quàm exitialis ſit iſta velut linguarum varietas, & quam ſevere in eos animadvertendum, qui tantam luem importarent in familiam noſtram; cum hoc malo graſſante, & ſtructuræ tam illuſtris, & divinæ gloriæ feliciter provehendæ labor omnis, atque apparatus noſter frangatur & concidat. Multa quidem in hanc ſententiam poſſent adduci, non modo ex Evangeliis, Patrumque libris, atque exemplis, quæ ad nihil ferme aliud nos inſtituunt; nec ſolum ex noſtris Conſtitutionibus, quæ nullam in rem gravius aut crebrius amplificandam excurrunt, perinde atque hoc Societatis eſſet columen ac firmamentum; ſed etiam ex omni rerum natura. Siquidem *Orat. 1. de pace.* cælum, terra, ut egregie diſputat Gregorius Nazianzenus, elementorum *Concordia rerum naturalium.* mixtiones ac temperaturæ, membrorum proportiones & conjunctiones, animalium nutrimenta, ortus, habitationes diſtinctæ, quorum quædam imperant, quædam ſubjecta ſunt, quædam ſub jugum à nobis mittuntur, quædam libera ſunt. Hæc igitur omnia cum ita ſe habeant, ac ſecundum primas cauſſas harmoniæ, ſive conjunctionis, & mutuæ concordiæ regantur ac moveantur, quid aliud putare debemus, quam prædicare amorem & concordiam, ſuoque exemplo conjunctionem animorum inter homines ſancire? Contra vero ſublata conſenſione, quam vocat ille pulcerrimum & utiliſſimum Chriſtianæ ſapientiæ decus, rerum vaſtitas continuo deſævit, & ordinis perturbatio. *Quæ*, ut illius verbis utar, *in aëre quidem fulmina, in terra ſucuſſiones, in mari exundationes, in urbibus ac familiis bella, in corporibus morbos, in animis peccata, quaſi novas res moliendo, introduxit.* Veniat illud in mentem, Patres ac Fratres deſidera- *Saluſtius.* tiſſimi; *Concordia res parvæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur.* Cujus enim navis tam conſtans eſt ac firma compactio, ut evulſis clavis, quibus tabulæ & trabes agglutinantur, non ſtatim fatiſcat, ac recidat in ſtruem lignorum, cujus ſit uſus in re nautica nullus? Cujus vero aut turris aut arcis tam ſepta atque munita firmitas ac robur eſt, quod ſoluta compage ſaxorum

non

non continuo ruat, atque ex propugnaculo degeneret in acervum, temere congeſtis in unum lapidibus? Non enim ex ſaxis & cœmentis, ſed ex apta & quaſi demenſa ſaxorum cœmentorumque ſtructura turris aut murus aſ-
Luc. 11. ſurgit. Quin etiam de Regnis Salvator clare demonſtrat: *Omne regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.* Profecto ſicut concordem Societatis ſtatum, quæcumque irrumpant extrinſecus, labefactare non poſſunt, ita viciſſim ſi concordiæ inter ſuos jacturam faciat,
Serm. 29. Cant. nullis poterit extrariis cohærere præſidiis. Et quoniam D. Bernardus, cum illud Canticorum exponeret, *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*, præclare, ut aſſolet, de hoc toto argumento diſputat; licet ab omnibus ſermonem illum perlegi velim, quo magis tamen ad manum unicuique ſit, hic illius partem aliquam diſputationis adſcribam. Cum igitur de graviſſimis diſſidiorum incommodis ageret, *Longe, quæſo*, inquit, *à vobis facite ſemper hoc tam abominabile, & deteſtabile malum vos, qui experti eſtis, & quotidie experimini, quam bonum ſit, & quam jucundum habitare fratres in unum; ſi tamen in unum, & non in ſcandalum; alioquin nec jucundum plane, nec bonum, ſed peſſimum ac moleſtiſſimum. Væ autem homini illi, per quem unitatis vinculum jucundum turbatur: judicium profecto portabit, quicumque eſt ille. Ante mihi contingat mori, quam audire in vobis quempiam juſte clamitantem: Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Nonne præſentis congregationis tamquam unius matris filii omnes vos eſtis, ſinguli alterutrum fratres? Quid ergo a foris vos conturbare aut contriſtare poſſit, ſi intus bene eſtis, & fraterna pace gaudetis? Denique quis vobis nocere poterit*, inquit, *ſi boni æmulatores fueritis? Quamobrem æmulamini charismata meliora, ut bonos vos probetis æmulatores. Charisma peroptimum caritas eſt, plane incomparabile, quod novæ ſponſæ cæleſtis ſponſus toties incul-*
Ioan. 19. & 17. *care curabat, nunc quidem dicens: In hoc cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis adinvicem. Nunc vero: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem: &, Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem. Itemque orans unum eos fore, ſicut ipſe & Pater unum ſunt.*
1. Cor. 13. & 14. *Et vide, ſi non ipſe Paulus, qui te ad charismata meliora invitat, inter cetera caritatem in ſummo ponit; ſive cum fide & ſpe dicit eam eſſe majorem, & ſupereminentem ſcientiam; ſive cum enumeratis pluribus ac mirabilibus ſupernæ gratiæ donis, tandem ad ſuperexcellentiorem viam nos mittit, haud aliam profecto illam quam caritatem definiens. Denique quidnam huic compa-*

paran-

parandum putemus, quæ ipſi præfertur martyrio, ac fidei transferenti montes? Hoc igitur eſt, quod dico, Pax vobis à vobis ſit, & omne quod extrinſecus minari videtur, non terret, quia non nocet. Namè contrario quidquid foris blandiri apparet, nulla eſt profecto conſolatio, ſi intus (quod abſit) ſeminarium diſcordiæ germinaverit. Proinde, dilectiſſimi, pacem habete ad vos, & nolite lædere invicem, non facto, non verbo, non ſigno qualicumque. Tandem ut hac de re, de qua, cum noſtra vehementer interſit, pluribus egi, quam cogitaram, ſcribendi finem faciam; magnopere cupio ſecum quisque reputet, quod Pater Noſter decima parte Conſtitutionum tradit, & refertur trigeſima regula inter communes: *Caveant*, inquit, *ſibi omnes ab illo affectu, quo aliæ de aliis nationibus ſiniſtre ſentire, aut loqui ſolent: quin potius, & bene ſentiant, & peculiari affectu diverſas à ſua nationes proſequantur in Domino: ac proinde nemo bella contentionesve inter Chriſtianos Principes in colloquium inducat.* Vsque adeo plane abhorrebat ab hoc malo, ut ne eos quidem ſermones ſuis licere vellet, quibus aut de Principum agatur ſimultatibus, aut aliis aliæ nationes obloquantur. Ne quid igitur reſideat inter nos inimicum concordiæ, ſive id ex ſtudio nationum, ſive ex aliis redundet fontibus ſane amariſſimis, cum ad lætiores progreſſus omne nobis iter atque aditum intercludant, unusquisque velim in ſe ipſe acriter inquirat, & attente diſpiciat, quam ſedulo fraternam colat conſenſionem: neque leviter eam rem decurrat, ſed cujuſmodi ſit ſua caritas, exploret ad Lydium lapidem, & exigat ad eam normam, quam Apoſtolus præſcribit his verbis: *Caritas patiens eſt, benigna eſt: caritas non æmulatur, non agit perperam: non inflatur, non eſt ambitioſa: non quærit quæ ſua ſunt: non irritatur, non cogitat malum: non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Hoc igitur modo ſi quaſi ad Lydium, ut dicitur, lapidem exploretur caritas noſtra, ſi qua harum laudum effectorumve careat, nondum omnes virtutis numeros complexa cenſeatur: ſed quot ornamentis ab Apoſtolo commemoratis deſtituta ſit, tot eam gradibus, & quaſi notis ab eo, quod ſummum optimumque eſt, abeſſe arbitremur. Enitendum igitur eſt, ut eam ad id, quod perfectum, ſuisque omnibus partibus expletum ſit, perducamus: & ſi laude patientiæ careat, vel benignitatis, vel alicujus ex reliquis, eam, quæ deſideratur, comparemus. Nec facile mihi venit in mentem, quamnam ad aliam libellam iſta res exigi poſſit,

1. Cor. 13. Caritatis ſigna.

ſit, ex qua magis appareat manifeſto, vel quid unicuique deſit in hoc genere, vel quæ ſibi ratio ineunda ſit, ut recte amandi legem integram inviolatamque conſervet, quam Apoſtoli memorata præſcriptio. Illud denique habeamus, fructum, quem Dominus à nobis repoſcit iis verbis, *Ego vos elegi, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat*, aliud nihil eſſe quam caritatem, ut D. Auguſtinus exponit. *Maneat*, inquit, *dilectio: ipſa eſt enim fructus noſter.* Quocirca etiamſi ſanguinem profundamus, aut Angelorum etiam linguis loquamur, aut montes ſolo verbo transferamus; niſi reddamus hunc fructum, nihilominus ut infructuoſi palmites præcidemur. Cujuſmodi crimen ſi jure plectendum eſt in omnibus, (nam ex ſterili ficu teſtari voluit Dominus, quæ ſupplicia in deſides homines ac plane ſteriles conſtituta ſint) quibus tandem ſecuribus, quibus flammis ſævietur in eas arbores, ex quibus nec ſoli, quod occupant, uberrima feracitas, nec ſiderum, quibus afflantur, benigniſſima vis, quidquam bonæ frugis expreſſere.

Ioan. 15.
Tract. 86. in Ioan.

Neque prætereundum puto, quod ad hanc rem maxime de Evangelica ficu ſcribit Ambroſius. *Quod de Iudæis*, inquit, *dictum, omnibus cavendum arbitror, & nobis maxime, ne fœcundum Eccleſiæ locum vacui meritis occupemus, qui quaſi malagranata benedicti, fructus ferre debemus internos, fructus pudoris, fructus conjunctionis, fructus mutuæ caritatis & amoris, ſub uno utero matris Eccleſiæ incluſi, ne aura noceat, ne grando decutiat, ne æſtus cupiditatis exurat, ne humoris imber elidat.*

Lib. 7. in Luc. 13.

Animum jam referamus ad opimum iſtum ac pulcerrimum Eccleſiæ agrum & in ejus amplitudine meminerimus partem eſſe nullam, aut feraciorem, aut frigoris & caloris modo temperatiorem, aut majore agricolarum opera ſubactam atque excultam, quam Religionis ſtatum; & facile intelligemus, quanto gravioris culpæ rei efficeremur, ſi hanc ipſam partem vacui meritis occuparemus. Perſpiciamus deinde, quid mali Punici typo ſanctiſſimus Doctor indicet de commoditatibus ac præſidiis, quæ nobis ſuppetunt ex religioſæ diſciplinæ tamquam velamento aut cortice, qua contecti verendum non eſt, ne ventis impetamur, ne decutiamur grandine, ne ſtultarum æſtu cupiditatum torreamur, ne dejiciamur imbribus aut procellis. O quam optatam & expeditam ſecuritatem religio nobis præſtat! o quot utilitates & commoda in hac tamquam penuaria cella repoſita ſunt, ſi ea cognoſcamus! Verum hæc pluribus perſequi neque loci, neque

tempo-

temporis hujus eſt. Sed quam tuto agamus, audivimus, audiamus jam, quæ nos viciſſim ei, cujus in tutela ac præſidio ſumus, debeamus. Debemus vero fructum malo Punico quam ſimillimum, fructum ſane non adumbratum ad ſpeciem, & variis patentem injuriis, ſed conſtantem, & in intimis expreſſum ſenſibus: fructum ingenui pudoris, mutuæ fructum conjunctionis atque amoris, Punicorum inſtar granorum, quorum & conceptaculum intra corticem: & rubicundus decor, & diſpoſitio concinnior; usque adeo vero alia ex aliis annexa tactu mutuo cohæreſcunt inter ſe, ut eorum ſeries in uno aliquo potius, ſolidoque corpore deſcripta videatur, quam ex diverſis vermiculata corpuſculis. Ac ne longior ſim hac in re, utque ad alteram ex duabus, quas propoſueram, gradum faciam, omnes ad extremum iisdem, quibus inceperam, verbis oro atque obteſtor, nempe ut conſenſionem mutuam, eo ſtudio, quo Societatem ſalvam cupimus, tueamur. Altera res, qua ſi minima Societas noſtra nitatur, fore confido, ut (quæ Dei beneficentia eſt) etiam atque etiam in dies effloreſcat; eſt præcipua quædam religio ac pietas erga Sanctiſſimam Virginem MARIAM. Ea namque cum parens fuerit ejus, qui omne cælum, omnemque naturam molitus eſt, vere ac proprie, ut ait Damaſcenus, in res univerſas heræ ac Reginæ nomen & jus adepta eſt. Itaque velim in omnibus rebus, ac temporibus, ſive publicis Societatis ſive propriis ſingulorum, præſtanti quadam veneratione ac ſingulari fiducia, quæ nullam vereatur repulſam, ad hoc laborum omnium ac ſollicitudinum perfugium ſupplices accurramus. Equidem mecum dum reputo, quanto devotionis affectu hanc cæli Reginam complexi ſint, quantumque ex ejus pio & aſſiduo cultu ad omnem profecerint ſanctimoniam multi ſancti viri, ac privatim P. IGNATIUS quantam rerum noſtrarum ſpem ac tutelam in hac velut arce collocarit, magno teneor ſtudio, ut & nos eam propenſiſſimis animis atque obſequiis proſequamur, depoſcentes, ut ipſamet deprecante hæc pietas velut ſuavisſima nardus noſtris mentibus innaſcatur. Certe ſive ſpectemus Deiparæ Virginis dignitatem auctore Deo in tam illuſtri excelſoque loco ſitam, ut per ſeipſam & religionem & admirationem moveat; ſive Beneficiorum illius in nos magnitudinem, quibus gratiam, quam poſſumus, referre fas eſt; ſive inopiam ac mendicitatem noſtram, quam oportet tam ſalutari patrocinio ſuſtentemus, potiora ſemper ſperantes in poſterum; hæc, inquam, omnia ſi ſpectemus, ea ſane quam maximas à

Devotio erga B. Virginem.

Lib. 4. de fide c. 15.

nobis & honoris & amoris ſignificationes erga cæleſtem hanc præſidem & cuſtodem noſtræ ſalutis expoſcunt. Quapropter merito D. Bernardus: *Totis*, inquit, *medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus* MARIAM *hanc veneremur, quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per* MARIAM. Denique cum tot naturæ & egeſtates & ærumnæ levari nequeant, niſi ab ea quæ polleat & caritate, qua velit, & poteſtate, qua laborantibus queat opitulari, quantum in utroque MARIA valeat, ex eo, quod præpotentis Dei mater eſt, manifeſto perſpicitur. Id D. Bernardus tradit his verbis: *Nihil enim ſic poteſt vel pietatis ejus vel poteſtatis commendare magnitudinem, niſi forte aut non creditur Dei filius honorare matrem, aut dubitare quis poſſit in affectum caritatis tranſiſſe* MARIÆ *viſcera, in quibus novem menſibus ipſa, quæ ex Deo eſt, caritas corporaliter requievit.* Verum quia longiori aut cohortatione aut laudatione Auguſtiſſimam Virginem celebrare mei conſilii non eſt, ut ad calcem aliquando decurrat oratio, illud addidiſſe ſatis ſit, quod Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha in homilia quadam, breviſſime quidem ſed graviſſime, de pie ac benevole colenda Deipara Virgine pronuntiavit, eam compellans: *Quo modo*, inquit, *corpus noſtrum vitalis ſignum operationis habet reſpirationem; ita etiam ſanctiſſimum tuum nomen, quod in ore ſervorum tuorum verſatur aſſidue, in omni tempore, loco, & modo non ſolum lætitiæ & auxilii eſt ſignum, ſed ea etiam procurat & conciliat.* Ego ſane, immenſa Dei largitate fretus, facile in animum induco, ex hac poſteriore renovatione, cui non minus ſedulo, plus etiam quam priori vacandum eſſe confido, omnibus Societatis membris præſtantem quemdam ſplendorem, atque incrementa pietatis acceſſura, præſertim ſi ſerio, atque enixe ſtudeamus duobus iis ornamentis, quæ jamdudum commendo, magis ac magis abundare, nimirum, fraterna inter nos conſenſione, & perquam honorifico in Beatiſſimam Virginem ſtudio ac pietate. Quam ſi deditiſſima mente complectamur, ſuam illa in fidem & clientelam nos adſciſcet, augebitque velut ſedula deprecatrix, iis virtutibus, quæ ipſam quaſi deliciis affluentem, cælitibus ipſis ſpecioſam atque admirabilem præſtitere; & quibus nos oportet collucere, ut ejus filio placeamus, qui earum veſtigiis ac velut lineamentis terrarum orbem primus impreſſit, veramque docuit humilitatem, puritatem, patientiam, animarum zelum, & rerum, quæ in terris ſunt, deſpicientiam; ut ſua nos aliquando ſimilitudine, conſpectuque digna-

dignatos in ſempiternæ lucis & gloriæ domicilio collocaret. Romæ XIX. Maji, M. D. LXXXVI.

Omnium in Chriſto Servus

CLAVDIUS AQVAVIVA.

EPISTOLA IV.

EIVSDEM R. P. N. GENERALIS CLAVDII AQVAVIVÆ Ad Provinciales Societatis.

DE QVIBVSDAM MEDIIS AD EIVS CONSERVATIONEM FACIENTIBVS.

QVanti momenti ſit Societatis noſtræ conſervatio, felixque in omni virtutum genere progreſſio; quanta etiam nobis incumbat obligatio, vel ſanguinem ipſum, ſi opus fuerit, ad hæc conſequenda profundendi; non eſt quod hoc tempore apud RR. Veſtras ſcribendo commemorem. Illud tantum ad memoriam revocabo, hæc ipſa magna ex parte, ab ea una re pendere, ut Superiores ſolliciti ſint ac vigiles ad omne genus incommodorum, priusquam augeantur, removendum; & ad ea damna mature prævenienda, quæ futuris temporibus ſuccreſcere poſſunt. Perſuadere enim nobis debemus, nullam eſſe apud homines rem vel per ſe tam ſanctam, vel tantis præſidiis firmatam ac munitam, quæ tempore non labaſcat. Quod & ipſa multorum operum experientia ſplendore non exiguo magnaque ſanctitate inceptorum plus ſatis demonſtrat. Vnde non mediocriter quidem cupio, ut ad illud reſtaurandum ac perficiendum omni ſtudio enitamur: quod D. Gregorius Nazianzenus oratione 1. in Iulianum admonet. *Quemadmodum*, inquit, *in corporibus cum unum aut alterum membrum condoluit, reliqua membra haud difficulter emergunt, partique majori ſanitatis bonum conſervatur; interdum etiam accidit, ut partes ægræ convaleſcant, atque ad ceteras redeant; at cum plura membra inter ſe diſſident,*

acerbeque laborant, fieri non poteſt, quin totum corpus ægrotet atque in perſpicuo periculo ſit; ad hunc modum in ſubditis quoque ſingulares morbos commodiore totius Reipubl. valetudine occultare contingit, pluribus autem exulceratis, & morbo afflictis atque oppresſis, tota jam Reſpubl. in periculo verſatur. Quæ eò à me allata ſunt, ut ſignificem, dum pauci erunt in Societate noſtra, qui ab illa perfectione ſpirituali degenerent, quæ requiritur, & tamquam membra quædam infirma impedient valetudinem integram & unionem totius corporis, fieri poteſt per Dei gratiam, ut reliqua membra non ſolum inde non inficiantur aut corrumpantur, ſed ut hi etiam ipſi perfectæ aliquando ſanitati reſtituantur. Verum ſi acciderit, quod avertat Deus, ut iſtiusmodi hominum invaleſceret valde numerus, manifeſtum esſet univerſi corporis periculum. Proinde nullo modo contemni debet aut negligi defectus ſpiritus ac diſciplinæ in quocumque homine particulari, ſed medicina potius ei adhibenda eſt, qua reducatur ad reliqui corporis conditionem ac ſtatum. *Turpis eſt enim omnis pars*, inquit Auguſtinus, *ſuo toti non congruens.* Alioqui ſine dubio futurum eſt, ut quemadmodum numerus ex unitatibus coaleſcit, ita negligentiâ noſtrâ Societatis multitudo ex ſingulis iſtis infirmis infirmetur, & prius damnum ſentiamus, quam oculis prævideamus.

Et mihi ſane videtur perinde contingere in iis Religionibus, quæ longe lateque diffuſæ ſunt, multasque regiones ac homines complectuntur, ut in ſpatioſo quodam terræ tractu aut agro, ad ripam alicujus magni fluminis conſito, ad cujus tamen repellendam vim non paucos aggeres ac munitiones habet. Si enim ad aquarum iſtarum impetus, ac conatus continuos, quibus modo in hanc, modo in illam partem ſe inſinuant, continua etiam non adhibeatur diligentia ad ea reparanda, quæ fluminis alluvione atteruntur ac debilitantur; certiſſimum eſt, venturam aliquando repentinam aliquam inundationem, idque cum minime expectatur, quæ univerſa disſipet atque demergat. Atque in hunc ipſum plane modum, affirmat Gregorius Nazianzenus, diabolum ſe ut aquam immittere, exili quoque foramine primum, quo tamen paullatim diducto atque laxato, toto impetu influit atque illabitur. Quam etiam ob cauſſam mihi plane neceſſarium viſum eſt, vehementer ac ſedulo RR. Veſtris commendare pro eo amore, quem in Societatem habent, ac zelo, quem ad ſalutem ejus tuendam ſentiunt, nonnulla capita earum rerum, quæ in praxi conſiſtunt, & in

perfecta

perfectâ obſervatione illorum mediorum, quæ ad conſervationem totius corporis pertinent. Iam enim ſatis conſtat, ordinationum, præceptorum, Regularumque multiplicationem nec malis ipſis mederi ſemper, nec in Societate noſtrâ neceſſariam eſſe, cum habeamus Conſtitutiones tanto ſpiritu, ac cæleſti lumine conditas, regulaſque tam plenas, claras, atque perfectas, ut manifeſtum ſit, nullum eſſe defectum, qui ex aliqua iſtarum prætermiſſione non naſcatur; & qui è contra ex diligenti harum obſervatione efficaciſſimum non accipiat remedium.

2 Atque ut ab hoc ipſo capite noſtrarum Conſtitutionum ordiar, illud nobis certum, ac perſuaſum eſſe debet, Societatis inſtitutum, modum gubernandi, occupationes, ac miniſteria conſtituta ac fundata eſſe in perfectione quadam ſpirituali minime vulgari aut ſuperficiali; ſed exigere potius abnegationem veram, expoliationemque affectus proprii, ſtudium etiam ardens ſolidarum perfectarumque virtutum, ut §. 2. par. 10. B. P. N. Ignatius S. Mem. declarat. Hinc eſt, quod ſi in Societatis hominibus fundamentum hoc bene poſitum non fuerit, in pluribus rebus impedimenta magna occurrent, quibus idoneum ſatis non erit remedium, ſi difficultas tantum, quæ præſens eſt, tollatur aut ſuperetur; hoc enim nec firmum, nec diuturnum eſt, nec univerſam mali naturam attinget: ſed ad ipſam radicem adhibenda eſt medicina. Itaque ſi in diverſis hominum gradibus, quos Societas complectitur, ſuboriuntur aliquando tentationes aliquæ, aut amaritudines; ſi in diſtributione officiorum miniſteriorumque, ut ſunt concionandi, prælegendi, excipiendi confeſſiones, docendi litteras inferiores, aliiſque rebus ejuſmodi; in correptionibus item, pœnitentiiſque ferendis, in viliſſimis quibuſque humilitatis ac paupertatis amore libenter accipiendis nonnullæ reperiantur ſubinde difficultates; eæ omnes ſine dubio ab unius hujus fundamenti defectu proficiſcuntur. Ac proinde, cum offendit quis è Noſtris, aut difficilem ſe exhibet in iſtiuſmodi rerum aliqua, & Superior remedii cauſſa id tantum agit, ut Frater in præſentia ſe vincat, nec ſtudium adhibet, ut interius emendetur aut juvetur, numquam aſſequetur quod deſiderat: is enim ipſe, qui modo ſe accommodavit tempori, deficiet poſtea in multis aliis, imo & in hac ipſa per aliam occaſionem, & fortaſſe etiam, ſi prematur, non difficulter rumpetur, quemadmodum in formanda cera aut vitro contingit. Vt enim illa ad arbitrium noſtrum flectamus & efformemus, neceſſarium eſt, ut materia mollis ac tractabilis ſit. Nam qui poſtquam

quam ea jam obduruerit, efformare ac flectere velit, quidquid ille artis ac induſtriæ adhibeat, non modo non id conſequetur, ſed potius dirumpet. Ita ad obſervationem Conſtitutionum regularumque noſtrarum præcipuum in eo ponendum eſt momentum, ut homines Societatis tales ſint, quales ipſæ Conſtitutiones ac regulæ requirunt.

3 Quibus conſideratis, primum maximumque Superiorum ſtudium, ac præcipua eorum diligentia, tum etiam vigilantia in eo eſſe debet, ut qui iis ſubſunt, in veris ſolidisque virtutibus progreſſum certum ſtabilemque faciant, quem ad finem ſummopere conducet, ut toto animo Superiores ad gubernationis curam ſe applicent, reliquis omnibus omiſſis, quæ eos impediant ac diſtrahant; nec ſeſe vel amicis inviſendis, vel juvandis proximis, imo nec ipſa concionandi frequentia occupari ſinant; multo minus rerum temporalium ſollicitudine: qua tamen certe ita Rectores noſtros gravatos cernimus atque oppreſſos, ut vix reſpirent. Facile quidem video Collegiorum neceſſitates, egeſtatemque non exiguam cum numeroſa perſonarum multitudine conjunctam (qua levari tamen non poſſumus) hujus incommodi magna ex parte extitiſſe cauſſam; ſed video etiam graviſſima damna, quæ inde conſequuntur. Et propterea cupimus omnino, ut boni rerum temporalium Procuratores iſtiusmodi Collegiis aſſignentur; quorum induſtria Rectores ea parte ſollicitudinis exonerati, quæ ad temporalia pertinet, attentiores eſſe poſſint ad illa, quæ longe majoris ſint momenti. Qua in re cum Noſtri ea præſtiterint, quæ officii noſtri ſunt quoad res ſpirituales, ac juvandos proximorum animos, confidere debemus ſanctiſſimam Dei providentiam neceſſitatibus etiam temporalibus minus eſſe defuturam: quod & S. Auguſtinus admonet, cujus verba ad hoc ipſum pertinentia ex epiſtola quadam ad Epiſcopum ſuum Valerium ſubjicere placet, quibus oſtendit, ſi arbores vivæ, quæ homines ſunt, diligentius colerentur, facilius multo ac felicius ipſos Dei pauperes paſcerent, quam agri reditusque Eccleſiaſtici, ſic enim Dominum ad ſe loquentem introducit: *Serve nequam, ſi villa aliqua Eccleſiæ calumnioſum aliquem pateretur, cujus fructibus colligendis magna opera impenditur, neglecto agro, quem rigavi ſanguine meo; ſi quid agere pro ea poſſes apud judicem terræ, nonne omnibus conſentientibus, nonnullis etiam jubentibus atque cogentibus pergeres; & ſi contrà judicaretur, etiam trans mare proficiſcereris, atque hoc modo, vel annum vel amplius, abſentiam tuam nulla querela revocaret, ne alius poſſideret terram*

ram non animæ, ſed corpori pauperum neceſſariam, quorum tamen famem vivæ arbores meæ multo facilius mihique gratius, ſi diligenter colerentur, explerent? Quod ſi tantopere expedit, ut Rectores aliique noſtri earum etiam rerum, quæ ad noſtrorum hominum victum ac ſuſtentationem neceſſariæ ſunt, quantum poſſunt, ſollicitudinem fugiant; facile cernitur quanto minus, qui Superiores ſunt, externorum cauſſis negotiisque ſæcularibus implicari debeant, quæ non tantum profeſſioni ſuæ in univerſum, ſed particulatim etiam officio recte gubernandi adverſantur.

4 Et quia bona malave capitis affectio ac diſpoſitio in totum corpus facile redundat, & quales fuerint Superiores, tales, ut plurimum, reperiri ſolent ſubditi, ut 10. parte §. 8. dicitur, hinc fit ut bona Societatis gubernatio à bona Superiorum electione non parum dependeat. Quæ quidem electio etſi ad nos pertinet, nec quidquam magis deſideramus quam hujusmodi Superiores ubique conſtituere, quales 4. parte c. 10. & par. 9. c. 6. deſcribuntur (qua etiam in re, juvante Domino, omnem induſtriam diligentiamque noſtram adhibebimus) duæ tamen res ad Præpoſitos Provinciales in hoc ipſo pertinent. Prima ut poſt orationem ad Deum habitam, ſollicitamque inveſtigationem, ac conſultationem cum iis, quibuscum oportet, diligenter nos informent de hominibus idoneis ad gubernandum, juxta eam inſtructionem, quam hac ipſa de re in Provincias miſimus. Cujus executionem, id eſt, informationem factam ad illam normam, quæ ibi præſcribitur, cupimus omnino ut Procuratores, qui Romam jam proxime ſunt venturi, perfectam completamque ad nos deferant. Altera res eſt, ut Provinciales ſibi ſubordinatos Superiores diligenter inſtruant, dirigant, ac manu quaſi ducant, formentque ad omnem gubernandi virtutem, quo melius poſſint utiliusque præeſſe iis, qui ſub eorum regimine ſerviunt Deo in hac ſacra militia.

8 Ad quam etiam rem non mediocriter intereſt, ut Provinciales in viſitationibus ſuis ſupra cetera omnia id in primis reſpiciant, ut Superiores bene fungantur officiis ſuis, præſertim (ut eſt dictum,) in rerum ſpiritualium promovendo ſtudio, cui & ipſi dediti & non mediocriter etiam in eo verſati eſſe debent. Quod ſi ſubditorum erunt in eos querelæ vel amaritudines, examinari oportebit, ut ipſis etiam adhibeatur correctio & emendatio, in quibus erit opus. Nec habeantur omnes ſubditorum querelæ pro

tentationibus, ſed audiantur cum caritate, ac deinde, ut opus eſt, in Domino dirigantur.

Majori etiam quam hactenus diligentiâ conſtituantur in Collegiis Præfecti rerum ſpiritualium, præcipue autem in iis, quæ noſtrorum hominum Seminaria ſunt, eligantur quam aptiſſimi, etiamſi aliis miniſteriis eam ob cauſſam incommodare oporteret, in quibus eos forte occupatos eſſe contingat. Permittatur etiam eis tempus, quo cum Noſtris commode tractare poſſint, auctoritasque conſervetur, ut majori fructu idipſum præſtent, quandoquidem revera univerſum ædificium noſtrum, quod molimur, ſicut jam dictum eſt, hoc maxime fundamento ſpirituali nititur.

Haberi debet non mediocris cura in admiſſione Novitiorum, ut non niſi digni & idonei admittantur: quique hujusmodi vocationem habent, quæ ad Inſtituti noſtri conſtantiam eſt neceſſaria. Perfecte etiam obſervare oportebit in iis inſtituendis, quæ de probatione ipſorum in regulis Magiſtri Novitiorum traduntur, nec erit diſpenſandum in ſecundo tertiove probationis anno, niſi gravi aliqua urgente neceſſitate, juxta id, quod alias à nobis, hac ipſa de re, ad Provinciales ſcriptum eſt. Providendum etiam diligenter, ut ſatis tempore, ac mature dimittantur ii, qui (ſecundum Conſtitutiones) utiles futuri Societati noſtræ non judicabuntur.

6 In Scholaribus Societatis omni modo nitendum erit, ut conſervetur ſpiritus ac devotionis fervor: curandum etiam, ut tempus habeant vacandi ſtudiis, & ut liberentur ab omnibus aliis occupationibus, quæ hoc ipſum impediant. Videndum tamen in primis erit, ne ii ullo modo permittantur in litterarum ſtudiis progredi, qui ſuperbi, inquieti, aut male mortificati animadvertentur, de quibus probabiliter exiſtimari poterit, ſi ſcientiis & doctrina ornentur, non aliud eſſe, quam eos armare in Societatis damnum, ſive nobiscum manſerint, ſive potius diſceſſerint, quod aliquando neceſſario futurum eſt, niſi ſe emendaverint. Quocirca invigilandum eſt primo quoque tempore ad verum in eis ſpiritum excitandum ac renovandum. Quod tentari poterit removendo illos ab occupationibus ſtudiorum, reducendo ad ſolitas Novitiatus probationes, exercendo in rebus humilibus ac contemptibilioribus, aliisque ejusmodi exercitiis ac modis: è quibus tamen, ſi viſi fuerint minus proficere, aut emendationem ſeriam ac ſufficientem non conſecuturi, præſtat mature ut è Societate dimittantur: vix enim credi poterunt damna atque incommoda, quæ ab ejusmodi

modi hominibus Societas patitur, non tantum ob moleſtias illas, quas in dies afferunt (quanquam & hæ permagnæ ſunt) ſed & multo magis quod progreſſu tandem temporis, niſi ad Sacerdotium promoveantur, murmurant facile ac tumultuantur. Si vero promoveantur, majores longe difficultates exhibent, nec poteſt Societas de eis eſſe ſecura: dilabuntur poſtea ad prætenſiones graduum, obloquuntur palam, alienant animos ſimpliciorum ab Inſtituto, ſcandalizant alios, & denique graviſſime periculoſiſſimeque nocent; quod tunc maxime etiam faciunt, cum operarii jam aut Concionatores conſtituti, alliciunt ſibi animos Prælatorum populorumque, quo fit ut ſæpe eos aliquamdiu tolerare cum incommodis jam enumeratis cogamur, & tandem dimittere majori cum ipſorum amaritudine, minorique proximorum benevolentia ac ædificatione.

Sed quoniam tamen ad hos ipſos lucrandos omnia prius ex caritate remedia tentanda nobis ſunt, quam ad extremum illud deveniatur; nec in promptu eſt, aut facile, quæ menſura patientiæ præſtanda cuique ſit, dijudicare; Provinciales aliqui noſtrum etiam hac in re judicium, tamquam univerſalem quamdam inſtructionem ac directionem petierunt: quibus quod reſponſum fuit, non erit fortaſſe alienum hoc loco ſubjicere: Nimirum perdifficile eſſe reperire modum, quo difficultates iſtiusmodi penitus tollantur, certamve regulam in univerſum conſtituere. Hoc enim præter unctionem Spiritus ſancti, quam ſimilibus in rebus procurare debebunt diligenter Provinciales, (cum ad Deum recurrendo per orationes ac ſacrificia, tum etiam conferendo cum immediatis Superioribus, ipſorumque Conſultoribus) dependet plurimum ex particularibus circumſtantiis perſonarum, affectionumque, quæ in eis cernuntur; nonnihil etiam ex qualitate remediorum jam adhibitorum, aut vero quæ adhiberi poterunt. Quæ omnia cum ab iis facilius dijudicari poſſint, qui rebus ipſis præſentes interſunt; hoc tantum in univerſum dicendum videtur, experientiam ipſam ipſasque has difficultates docere, probationem illam, quam diximus, dimiſſionisque dilationem ex emendationis futuræ ſpe tam diuturnam eſſe non debere, ut numquam aliquid certi conſtituamus: ſed videndum eſt ſuo tempore ac mature, quamnam ſatisfactionem præſtent de ſe Societatis ſubditi. Quod ſi aliqui ſatis cogniti ac perſpecti non fuerint, tentandi ſunt probandique, idque in iis maxime rebus, ex quibus non tantum Societas intelligat quantarum virium ac virtutum ſunt, ſed etiam ipſi ſe ipſos cogno-

ſcant. Et quando ſine fructu cernuntur alicui adhibita remedia, exoneranda eſt Societas ab inutili arbore. Qua in re ut celerem nimis aut præcipitem eſſe non convenit Superiorem, ad determinandum judicium, quod aliquis Inſtituto noſtro ſit ineptus, niſi prius ad exemplum miſericordiæ Chriſti, multum ac diligenter circumfoderit, fimumque appoſuerit, aliaque adjumenta opportuna applicaverit; ita ex altera parte non eſt opus vel tam cupidum eſſe illius commodi aut auxilii, quod ab iis poſſet Societas accipere; vel nimis timidum aut ſcrupuloſum, ne videlicet dimittatur is, qui fortaſſe aliquo tempore emendare ſe poſſit: niſi enim hæc emendationis ſpes moraliter intelligenda ac limitanda ſit, per univerſam vitam expectari debebit, cum nullum ſit tempus, in quo mutare ſe homo in melius non valeat.

7 Quoad Concionatores, adhibeatur diligentia, ut obſerventur Ordinationes ac regulæ, alias à nobis datæ ad conſervationem ſpiritus, & ad fructus in auditoribus uberiores faciendos: ſerio ſe applicent ad ſtudium ac meditationem divinarum Scripturarum, Sanctorumque Patrum, prætermiſſis conceptibus ac inventionibus quibusdam propriis minoris momenti, ut majori cum dignitate ac utilitate, non ſolum Societatis ac proximorum, verum etiam ipſorummet, recte tractent verbum Dei. Amputetur efficaciter ambitio locorum ac pulpitorum honorabilium, humiliumque contemptus: & aſſuefiant omnes ad eam modeſtiæ & humilitatis normam, quæ Societatis noſtræ eſſe ſolet & convenit.

8 Animentur Confeſſarii, ut vero animi affectu accingant ſe ad tam ſanctum ac neceſſarium in Eccleſia Dei miniſterium. Magni etiam intereſt ad Dei gloriam ac ſervitium, ut per aliquot menſes in varia loca fructificatum mittantur. In quo etiam efficacia poni debet, ut difficultates, quæ ejusmodi in rebus oriri ſolent, ſuperentur: quod ita commodiſſime fieri poſſe videtur, ſi bini tantum vel etiam ſinguli per vices mittantur pro numero operariorum, qui domi erunt, aliique loco abſentium ſubſtituantur. Quod ſi erunt forte nonnullæ querelæ devotarum feminarum, aliorumque pœnitentium, qui iſtis ordinarie confiteri ſolent; iis non difficulter occurri poterit per ipſos Confeſſarios, ſi ii, ut veri Societatis ac Obedientiæ filii, rem ſerio in ſe ſuſcipient, reddentque pœnitentibus hanc veram rationem, ita omnino in Domino expedire, ut ipſi tempus etiam aliquod in Miſſionibus ponant, quò pluribus proſint; ac nonnulla Domini ac Salvatoris ſui cauſſa foris patiantur, redituros autem brevi; nec alios interea

ſuo

ſuo loco defuturos: non expedire vero ut vel pœnitentes ſic ipſis adhæreſcant, vel ipſi uni ſedi locove ita ſint affixi, ut majorum commodorum cauſſa, non fiant aliquando mutationes. Hæc & ejusmodi ſi Noſtri efficaciter ac ſyncere dixerint, probabile eſt pœnitentibus ſatisfactum iri. Quod ſi aliter evenerit, aut ſi Noſtri hoc ipſum præſtare noluerint, indeque cerneretur, nimio eos affectu huic loco officiove inhærere, tum major eſſet neceſſitas eos ſeparandi. Et profecto, ut vere dicamus, res eſt commiſeratione digna, nec ſine ſcrupulo, quod Operarii, ad res maximas pro animarum ſalute idonei, ſedeant totos annos uni alicui ſedi affixi, paucarum feminarum confeſſionibus occupati, quæ illuc ex ſua tantum particulari devotione ter quaterve in hebdomada ventitant, cum interea per oppida, vicos, ac caſtella tam multæ animæ reperiantur & auxilio indigentes, & ad auxilium accipiendum bene diſpoſitæ.

9 Intereſt multum ad pacem cum Societatis, tum hominum etiam particularium, ut explicetur bene, ſerioque Novitiis inculcetur, quantum pertinet ad reſignationem indifferentiamque ad omnia miniſteria Societatis: præcipue vero quod Conſtitutiones noſtræ habent de graduum inter Noſtros diverſitate, ut dum mollis adhuc cera eſt, eam judicii formam apprehendant, ac imprimant de rebus noſtris, ut exiſtimare poſtea nequeant recte ſe non intellexiſſe, aut fuiſſe deceptos. Provinciales autem nos admoneant tempeſtive, ac informationes mittant de promovendis ad gradus juxta inſtructionem à nobis jam miſſam: & particulatim meminerint, ut quibus gradum Coadjutorum ſpiritualium dari oportebit, id mature fiat; ac ordinarie, ſi bona alioquin ſatisfactio habita fuerit, ultra ſeptennium prorogandi non erunt.

10. Quando aliquis animadvertitur non jam defectibus tantum communibus ac ordinariis obnoxius eſſe, unaque aut altera in re minus ſatisfacere, ſed in ipſo vere procedendi modo male eſſe diſpoſitus, ut ſi, verbi cauſſa, conſtaret nimis vivam habere paſſionem honoris, judicii tenacitatem, aut aliud hujusmodi impedimentum grave; ad hunc juvandum, ſive ſcholaris ſit, ſive operarius, expediens fore videtur, ſi ab occupationibus liberetur, tempusque habeat cogitandi de ſe ſuisque rebus: qua durante deliberatione, paterne omnino admoneri debebit de rei gravitate; ac invitari ut ipſe media cogitet ac proponat quæ efficaciſſima exiſtimat ad ſe juvandum. Induci etiam oportebit, ut verum ſuæ emendationis deſiderium concipiat,

ita ut nullo modo Superiorem ſe tamquam adverſarium habere exiſtimet; ſed potius ipſe ex una parte,& Superior ex altera idem ſe onus portare exiſtiment, ac ambo in unam eamdemque rem voluntate ferantur.

11 Provinciales juxta regulam ſuam 14. procurent omnino, ut ordinationes, quæ hinc mittuntur, Superioribus aliis, qui in univerſa Provincia ſunt, ac etiam Conſultoribus manifeſtæ fiant. Nam præter inſtructionem ac lumen, quod inde concipient ad exequenda illa, quæ ordinantur, proderit etiam multum, ut nos à pluribus certiores reddamur de rei ſucceſſu in unoquoque Collegio.

12 Maximi momenti res eſt cognitio Inſtituti tum in Superioribus qui gubernant, tum etiam in Conſultoribus qui aſſiſtunt: ideoque Provinciales præcipuam quamdam de eo curam habeant, ut frequenter ab eis legantur, recteque intelligantur Conſtitutiones ac regulæ: de quibus etiam expedit, ut in viſitationibus ſuis, ſe præſentibus, fiant collationes ad rectam intelligentiam, veramque praxis rationem percipiendam: credantque majorem inde futuram utilitatem, quam exiſtimatur: quemadmodum è contrario non mediocre damnum affert Societati earum ignoratio, aut ſicubi illarum exercitium in uſu non fuerit. Perſuadere enim nobis debemus Societatem noſtram perinde ſe habere ac ædificium magnum exquiſitiſſima quadam architectura deſignatum; quod ita compingat colligetque adinvicem diverſa membra ejusdem molis ac ſtructuræ, ut ſi una pars deficiat, cetera cohærere ac componi non poſſint, ut ad artificis ideam ac intentionem perveniatur. Exemplum ſit, ſi aliquis in ædificando hoc ſibi propoſuerit, ut tectum ad tantam altitudinem perducatur, neceſſario curare debet, ut murus proportionatam habeat latitudinem ac craſſitiem, alioquin qui tenuiorem fecerit, non poterit ædificium ad deſignatam altitudinem elevare: idipſum contingit in ceteris partibus. Quod etiam ſine dubio & in ædificio ſpirituali Societatis noſtræ animadvertitur, ubi ex defectu obſervationis unius regulæ impedimur ſæpenumero, ne obſervari poſſint aliæ. Vt ex defectu praxis eorum, quæ in prima parte Conſtitutionum habentur de admittendis, & in ſecunda de dimittendis, & in tertia de recte inſtruendis quoad ſpiritum, & in quarta quoad litteras, eveniet ne fieri poſſit illud, quod parte quinta præſcribitur de cooptandis in ipſum corpus Societatis: & tunc conſequenter ſi qui incorporantur ejuſmodi non erunt, quales ibi deſcribuntur, obſervari non poterit, quod parte ſexta de perfe-

perfecta Obedientia dicitur: nec ſucceſſum habere, quod parte ſeptima de inſtituendis Misſionibus declaratur. Multo minus quod differitur parte octava de unione animarum ac vinculo caritatis inter Noſtros conſervando: nec denique quod decima de corporis Societatis tuendo bono ſtatu. Ita ut defectus alicujus partis in hoc noſtro ædificio æſtimari tantum non debeat ex particulari damno aut incommodo, quod infert, quantum ex conjunctione ac proportione, quam habet ad cetera ſtructuræ membra, & ex commodis majoribus, quæ impedire poteſt. Ac proinde valde commendatam eſſe cupimus intelligentiam praximque Conſtitutionum ac Regularum, tamquam rem proprie plurimumque ad officium Provincialis pertinentem in ſua Provincia, quemadmodum & ad Generalem in universa Societate.

Nominatim vero cupimus, ut hæ ſequentes Regulæ particulari ſtudio perfecte obſerventur: ex Regulis Provincialis, 41. & 100. Præpoſiti, 3. 16. 26. 48. & 72. Quæ ſunt in officio Rectoris, 2. 15. 25. 69. & 70. Sacerdotum, 16. 17. & 19. Magiſtri Novitiorum, E6.

13 Ponatur in eo diligentia, (cujus contrarium vehementer ſolet Religionibus nocere) ut qui antiquiores ſunt in Societate, exemplum præbeant aliis veræ humilitatis & affectus optimi erga paupertatem, obedientiam, ſuique contemptum: juniores enim ac recentiores, quibus ante oculos verſari deberent ſemper virtutes ac labores antiquorum ad imitationem, his prætermiſſis libenter (pro naturæ noſtræ inquinatæ corruptela) conſiderare ſolent ac imitari defectus. Ex altera autem parte non permittatur juvenibus ac novis oblivisci illius modeſtiæ ac reverentiæ, quam hujusmodi antiquis Patribus exhibere debent, conſideratis eorum laboribus pro Chriſto toleratis, officiisque plurimis recte ac utiliter in Societate præſtitis. Ad quam rem non parum conducet, ut ipſi Rectores exemplo ſuo præeant, procurantes ut ejusmodi bene meriti Patres ſic in omnibus tractentur, ut eorum conditio ac virtus poſtulat: quod ſi fecerint ultra debitum caritatis ac officii, id etiam conſequentur, ut tanto eos majori efficacia fructuque admonere poſſint, ad hoc ipſum exemplum præbendum, quod diximus, quanto majorem de eis curam habere ſe monſtraverint.

14 Invigilandum ſerio Provincialibus eſt, ut Superiores pro paterno affectu ſubditos gubernent, nulla inordinatæ benevolenriæ in hunc magis quam in illum ſignificatione data. Et quemadmodum deſiderandum eſt,

imo

imo etiam efficaciter procurandum, ut aſſueſcant inferiores ad ferendas nonnullas Superiorum ſuorum imperfectiones, & conditiones quaſdam naturales (certe enim non eſt ferendum, eſſe ita quoſdam delicatos ac moroſos, ut re quavis minima in Superiore offendantur) ita etiam juſtum eſt, ut ipſi Superiores intelligant, præcipuam officii ſui partem in eo eſſe poſitam, ut Patres ſe exhibeant; id quod ſubditi experiri debent, atque plane animadvertere, non tantum in ſuarum neceſſitatum commoditatumque cura ac ſollicitudine, aliiſque amoris ſignis; verum in ipſis etiam reprehenſionibus, mortificationibus, ac pœnitentiis, quæ ſibi imponuntur. Qua de re etſi copioſe ſatis ſcripſimus in Epiſtola noſtra prima ad Superiores (quam ab omnibus haberi, atque etiam aliquando relegi cupimus) hoc unum tamen hoc loco adjungendum videtur, nullo modo committendum eſſe, ut ſubditi quavis in cauſſa exulcerentur aut vero exacerbentur: hoc enim non ſolum ad emendationem non prodeſt, ſed effectum plane contrarium producit; averſionem nimirum talem, quæ omnem viam aditumque obſtruit, quo juvari poſſint pet ejuſmodi Superiores. In quam ſententiam ſcribit D. Gregorius Nazianzenus, filiorum ſuorum nomine, ad Vitalianum quemdam, expedire Patribus, quo filios conſervent, & majori erga ſe obedientia retineant, multa diſſimulare. *Quo fit*, inquit, *ut multa quæ vident, videre ſe diſſimulent, multa ſe minime audiviſſe fingant, quæ auribus infixa habent. Verendum enim ſibi eſſe intelligunt, ne ſi ob quævis errata filios coarguant, frontem tandem ipſi perfricent abſterſoque omni pudore (qui non leve parentibus adjumentum affert) temere in ſcelus omne prorumpant. Contumacia enim impudentiam atque audaciam parit: clementia contra hoc efficit, ut ii, quibus noxa condonata eſt, parcius in poſterum peccent. Quod cum in omnibus hominibus locum habet, tum præſertim in filiis, qui cum propinquum paternæ gloriæ exemplum habeant, non tam violenta manu coërcendi ſunt, quam benevolentiæ vinculis conſtringendi & retinendi.* Nec tamen ea cauſſa hoc dico, quod velim Superiores omnia in filiis errata diſſimulare, permittereque ut in dies in pejora ruant (hoc enim damna graviſſima inferret non tantum Religioni, ſed ipſis etiam qui ſic tolerarentur) ſed ut conſiderent non eſſe perpetuo urgendos delinquentes: ſemper enim premere, nervumque ſtringere, ſemper offenſionem præ ſe ferre, parem etiam in imparibus inæqualibuſque peccatis diffidentiam quoque oſtendere, ſuſpiciones alere, temporis præteriti commiſſa exprobrare, ac denique deſperationem emendationis inſinuare, nihil aliud eſt quam er-

rantes

rantes præcipitare, omne frenum timoris diſrumpere, & ipſas habenas, quibus regebantur, ſibi ipſis de manu excutere.

15 De unionis ac fraternæ caritatis necesſitate ad Societatis noſtræ conſervationem, utilitatemque animarum, quæ inde ſperari poteſt, non pauca diximus poſtremis noſtris litteris. Hic illud addam, ponendum eſſe omne ſtudium, ut radicitus evellatur, quidquid eam offenderit. Illud autem in primis manifeſtum eſt, propriam cujusque exiſtimationem, honorumque affectationem, invidiam ubique ac æmulationem gignere. Disparitas etiam judiciorum non poteſt, quin animorum etiam disjunctionem parturiat. Murmurandi conſuetudo, & nimia loquendi licentia, qua nonnulli ſine ſcrupulo in Fratrum ſuorum negotiis utuntur, venenum quoddam concordiæ habendum eſt. Quapropter ſi occurrat forte aliquid (ut homines ſumus) quo integritas iſtius unionis violetur, curabunt Superiores, ut curetur penitus: nec ſatis eſſe ducent, tamquam faſcia quadam plagam ad præſens obducere, ita ut operiatur potius quam ſanetur. Periculum enim eſt, ne ea paullatim recrudeſcente animus odio exulceretur: & proinde in ſimilibus rebus initia parva non ſunt parvi facienda. Id quod S. Auguſtinus ad Profuturum ſcribens egregie quidem explicat, affirmans contra plane faciendum eſſe in iſtiuſmodi animi affectibus, atque in peregrinis hoſpitio excipiendis. Illic enim præſtat aliquando vel malum aliquem hoſpitem in domum admittere, quam per nimiam examinandi diligentiam bonum aliquem excludere: hic vero contrarium plane agendum. Deinde vero de modo, quo generatur in nobis odium, ſic infert: *Subrepit autem odium, dum nulli iraſcenti ira ſua videtur injuſta: ita enim inveteraſcens ira fit odium, dum quaſi juſti doloris admixta dulcedo diutius eam in vaſe detinet, donec totum aceſcat, vasque corrumpat.* Hæc S. Auguſtinus: qui poſt hujuſmodi comparationem hæc ipſa pulcerrima verba ſubjungit: *Nam incomparabiliter ſalubrius eſt etiam iræ juſtæ pulſanti non aperire penetrale cordis, quam admittere non facile receſſuram & perventuram de ſurculo ad trabem. Audet quippe impudenter etiam creſcere citius quam putatur: non enim erubeſcit in tenebris, cum ſuper eam ſol occiderit.*

16 Quandoquidem autem vita noſtra ea eſt, quæ mixta dicitur, noſtrique Inſtituti finis non tantum ſalutem perfectionemque propriam, ſed proximorum etiam, quoad fieri per nos poterit, complectitur; neceſſe eſt

ut omnem diligentiam induſtriamque adhibeamus, quò errantes animæ ad ſuum Creatorem reducantur, per illa media ac caritatis opera, quæ in noſtri Inſtituti formula Conſtitutionibusque deſcribuntur. Et qui recipere ſe vellet ab hac conſuetudine ac communicatione cum proximis, ut ſibi tantum vacaret, & ut fugeret diſtractiones ac moleſtias, quæ genus hoc vitæ concomitari ſolent, clarum eſſet tentationem eſſe, quam ſpiritus alienus à noſtra vocatione ſuggerit. Illud tamen diligenter advertendum eſt, ut modus is in juvandis proximis teneatur, qui noſtræ vocationis proprius eſt. Nam cum duo ſint ab Inſtituto noſtro præſcripta, auxilium nimirum proximorum, modusque juvandi; ſæpenumero fit, ut nonnulli rem ipſam ab Inſtituto accipientes, contemnant ejus agendi modum: id quod decurſu temporis perniciosum valde Societati noſtræ eſſe poſſet. Divus enim Bonaventura affirmat, inter præcipuas cauſſas Religiones evertendi, extitiſſe nimiam externarum occupationum frequentiam, quæ, ut inquit ille, corda diſtrahit, & omnem affectum devotionis extinguit. Quo circa ſi ipſi nos conſervare volumus, neceſſarium erit, ut & in modo agendi, & in ipſo etiam tempore moderationem adhibeamus. In agendi modo, quia in ipſis etiam mediis occupationibus meminiſſe debemus cum divinæ præſentiæ, finisque, qui nos ad occupationes illas induxit, tum Religioſæ etiam profeſſionis noſtræ; & quid perſonam noſtram deceat; & denique earum omnium circumſtantiarum, quæ ad illud opus recte præſtandum regulis noſtris præſcribuntur. Verbi gratia, in accipiendis infirmorum Confeſſionibus, ut ſocius eo loco ſit unde videre nos poſſit: Dum ad populum concionamur, non oblivisci vitæ etiam exemplo auditores inſtruere, ut Regula 18. Sacerdotum ac Concionatorum 3. admonet. Atque ita quoque ceteris in rebus: adeo ut ſi rectam in omnibus intentionem habentes, præſidiisque idoneis auxiliisque utentes, quæ noſtra nobis Religio ſubminiſtrat, nobis ipſi non defuerimus, ſperandum ſit per divinam gratiam, & per influxum illum cæleſtem, ac reſtaurationem ſpiritualem, quam Salvatoris noſtri bonitas ita laborantibus impertire ſolet, majoribus nos viribus, conſolatione, ac ſecuritate, progredi poſſe per ſemitas iſtas alioqui difficiles: in quibus quidem duarum rerum nos admonet Ieremias Propheta illis verbis: *Prohibe pedem tuum à nuditate, ac guttur tuum à ſiti*, quarum utraque ſine dubio ſummopere nobis neceſſaria eſt. Nam niſi in hoc itinere pedes noſtros bene munitos præſidiis his, quæ jam diximus, cuſtodiamus, periculum eſt non tantum, ne mundi hujus luto

Quæſt. circa reg. 9. 19.

Hierem. 2.

inqui-

inquinentur aut vulnerentur ſpinis, ſed (ut notat S. Hieronymus in illum ipſum locum) ne à venenatis etiam ſerpentibus mordeantur. Ex altera etiam parte niſi rore aliquo ac refrigerio cæleſti in his aliquando laboribus reficiamur, ac conſolationibus ſuſtentemur; certum eſt, debilitatem noſtram futuram tantam, ut multum itineris conficere nequeamus. Sed tamen cum ad vires colligendas recipimus nos ad interiores animi motiones, Deique contemplationes, & ex iis egredimur ad proximorum neceſſitates: non eſt difficile retinere in eadem actione cum tranquillitatem, tum vigorem etiam animi noſtri. Vnde D. Auguſtinus ad Nebridium ſcribens cum dixiſſet, ex ſeparatione à tumultu ſtrepituque rerum iſtarum gigni in animo ſolidum quoddam gaudium, cui nullum humanum gaudium ulla ex parte comparari poteſt; ſubjungit etiam hæc verba: *Quod ſi in naturam humanam talis vita non cadit, cur aliquando evenit iſta ſecuritas? cur tantò evenit crebrius, quantò quis in mentis penetralibus adorat Deum? cur in actu etiam humano plerumque iſta tranquillitas manet, ſi ex illo adyto ad agendum quiſque procedat?* Ecce ab experientia propria demonſtrat nobis hic ſanctus Pater, tum ſecuritatem veramque lætitiam reperiri, quando in penetralibus cordis cum Deo tractamus; tum pacem etiam ac tranquillitatem in actionibus retineri, quando ex interiori hoc colloquio, tamquam armati ac ſplendentes ex conſortio Dei, eximus ad quærendas animas ipſius gloriæ divinæ cauſſa. Ex quo facile cernitur, quanta ſit orationis neceſſitas, & quantum noſtra interſit diligenter ac fructuoſè facere, quod ex regula quotidie facimus.

17 Prætereà in ipſo tempore moderationem adhibendam eſſe: quia præter hanc diligentiam jam explicatam, quam ob infirmitatem noſtram certum eſt nec omnibus facilem eſſe, nec à plurimis tam perfecte præſtari poſſe quam expediret, neceſſarium eſt quandoque tempus nobis vacuum à negotiis concedi, licet ſanctis ac utilibus, quo reſpiremus aliquantum ac vires ſpirituales reſtauremus: ſimulque nos & nobis ipſis & proximis noſtris utiliores reddamus. Neque hoc eſt ullo modo aut ſpiritus peregrinus, aut contra Inſtituti noſtri rationem, ſed valde potius conſentaneum, ac regulis Conſtitutionibusque noſtris, & B. P. N. IGNATII menti ac deſiderio quam maxime conſonum. Nam ſculptores ac lapicidæ, qui marmora aliaque petrarum genera incidunt formantq;, cum non ignorent ex continuis ictibus ac colliſione rerum duriſſimarum retundi aciem ſuorum inſtrumentorum, paratum habent ſemper apud ſe cotem, qua acuan-

tur; & aliquando etiam ignem, quo novum eis temperamentum reſtituatur. Nec ipſi aut quiſquam alius recti judicii exiſtimare poteſt, id tempus eſſe perditum, cum alioquin non ſolum lapides illi formari non poſſent, ſed & ipſa etiam inſtrumenta licet ferrea remanerent obtuſa ac penitus inutilia. Id quod D. Gregorius divine plane ad noſtrum explicat propoſitum commentariis ſuis in Iob ſuper illa verba, *Numquid mittes fulgura, & ibunt, & reverentia dicent tibi, Adſumus? Mittuntur*, inquit, *& vadunt cum de abſcondito ſpeculationis intimæ in activæ vitæ latitudinem diffunduntur. Sed revertentes dicunt Deo, Adſumus, quia poſt opera exteriora, quæ peragunt, ſemper ad ſinum contemplationis recurrunt, ut illic ardoris ſui flammam reficiant, & quaſi ex tactu ſupernæ claritatis igneſcant. Citius enim inter ipſa licet bona, exteriora frigeſcerent, niſi intentione ſollicita ad contemplationis ignem inceſſanter redirent.* Et paullo inferius: *Niſi enim ad contemplandum Deum ſollicita ſemper mente recurrerent, nimirum interna cæcitas etiam exteriora prædicationis eorum verba ſiccaret.* Verum quoniam hac de re jam alias ſcripſimus, oſtendimusque quanti momenti ſit, ac etiam neceſſarium, nonnulla tempora receptui ac ſolitudini in Societate etiam dare ad meliorem ſpiritus reſtaurationem per exercitia quædam ſpiritualia; nihil ultra hoc tempore adjiciam, niſi ut ipſum iterum vobis commendem, idque eo vehementius, quo jam per Dei gratiam experientia didicimus, univerſales illas renovationes, quæ jam non ſemel factæ ſunt, non minus utiles fuiſſe per totam Societatem, quam divinæ bonitati ac majeſtati gratas.

Lib. 30. Moral. c. 2.
Iob. 38.

18 Poſtremo loco præter illa, quæ par. 10. §. 7. 8. & 9. dicuntur, non parvi æſtimanda ſunt, quæ undecimo habentur de retinendis externis Societatis amicis, ac reconciliandis iis, qui ullo modo à nobis alieni fuerint. Manifeſtum enim eſt, Societatem non paucos adverſarios habere, quos ut timere non debemus, cum ea præſtamus, quæ officii noſtri ſunt (*imo beati ſumus cum maledixerint nobis homines*, quod ad humiliationem, exercitium, ac meritum noſtrum non parum prodeſſe poteſt) nihilominus *ut per hujusmodi hominum externorum benevolentiam*, quemadmodum Conſtitutio illa loquitur, *magis in omnibus rebus Dei obſequium ac gloria creſcat;* curandum nobis eſt diligenter, per ea media, quæ prudentia religioſa ſubminiſtrabit, ut qui averſi ſunt, recuperentur. Maxime autem

ſtuden-

ſtudendum eſt, ne ullam ex parte noſtra cauſſam præbeamus, dum vel cupiditatis & avaritiæ notam non effugimus; vel aliquam occaſionem præſtamus, ut nos ſuperbos aut arrogantes, vel negotiorum ſæcularium cupidos eſſe putent, quique in Principum aulas, & in omnia loca & omnia negotia nos ultro ingeramus. Quo in genere, etſi dubium non eſt, quin multa falſa injuſte nobis imponantur; debemus tamen hinc majoris cautionis anſam ſumere, nec quidquam facere, quod iniquam illam opinionem confirmet: ſed omni potius cum humilitate ac circumſpectione ambulare, ſecundum gratiam vocationis ac Inſtituti noſtri.

19 Ecce, Patres cariſſimi, ſenſum affectumque animi mei quam potui planiſſime his verbis expreſſum: judicium etiam de iis rebus, quæ Societati noſtræ nocere poſſunt, & quid etiam faciendum ad ejus conſervationem. Hoc illud eſt, quod in præſentia mihi occurrebat poſt aliquot menſium meditationem, quibus & divinæ bonitati per orationes & ſacrificia rem commendavi, & cum Patribus his meis Aſſiſtentibus contuli. Executio ad RR. Veſtras pertinebit, ad quam cupio ut RR. Veſtræ quam primum manus admoveant, virili animo, ac ſuavi efficacia; quemadmodum facturas ſcio, nec dubito quidquam ex ipſarum parte defuturum. Negotium non mediocris momenti eſt. Agitur enim de conſervatione illius rei, quam qui impugnat, pupillam tangit Altiſſimi.

20 Reliquum ergo eſt, ut omnes auſcultemus Matrem noſtram, quæ nos iis vocibus appellat, quæ cujusvis pectus commovere queant, quibus iisdem olim illa Sanctorum Machabæorum mater filium ſuum fortiſſimum *2. Mach. 7.* animabat: *Fili mi, miſerere mei, quæ te in utero novem menſibus portavi, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem iſtam perduxi.* Miſericordia autem, quam ipſa ſibi à filio precabatur, illa erat, ut ille viriliter in certamine ſe gereret. Vnde infert: *Sed dignus fratribus tuis effectus ſuſcipe mortem, ut in illa miſeratione cum fratribus te recipiam.*

Iam vero eò majoribus ac ardentioribus vocibus hortatur nos Societas, Mater noſtra, quæ tantis laboribus ac vigiliis, tantaque caritate nos genuit, lactavit, educavit in Chriſto, quod illa à nobis poſtulat, ut non ſolum ipſi viriliter, ac fortiter in hoc prælio dimicemus; ſed alios etiam fratres noſtros, filios ſuos, ad idem certamen animemus ac dirigamus: quo aliquando una cum iis ac aliis fratribus noſtris majoribus natu, primis videlicet Societatis noſtræ Patribus, qui fortiſſime, ſummaque cum ædifica-

tione ac fructu certamen hoc ſuſtinuerunt, glorioſos tandem in cælo nos recipiat. Orationibus, ſanctiſque RR. Veſtrarum ſacrificiis plurimum me apud Dominum commendo. Romæ XXVIII. Martii, M.D.LXXXVII.

RR. VV. Omnium in Chriſto Servus

CLAVDIVS AQVAVIVA.

EPISTOLA V.
EIVSDEM
R. P. N. GENERALIS
CLAVDII AQVAVIVÆ
Ad
Patres & Fratres Societatis IESV.
QVIS SIT ORATIONIS ET POENITENTIARVM VSVS.
In Societate, juxta noſtrum Inſtitutum.

NOnnullorum animis aliquando de Conſtitutionum & Regularum intelligentia ſimul & praxi, qua de pœnitentiis & orationibus præcipiunt, inſediſſe dubitationem accepimus. Itaque optimum factu judicavimus, pro ea quæ nobis incumbit ex officio cura, aliquot ſuper ea re capita, quam fieri poterit breviter, enodare.

1 Finis noſtræ Societatis eſt, ſaluti ſuæ & perfectioni conſulere primum; deinde proximorum etiam ſalutem & perfectionem accurate promovere: cum illo tamen inter finem utrumque diſcrimine, ut qui nos ſpectat, eo, qui proximi rem attendit, potior habeatur, tam propter uniuscujusque vinculi obligationem, quam propter bene conſtitutæ caritatis ordinem, & maximè, quod hic poſtremus priori illi velut fundamento innixus ita fulciatur, ut hoc labefactato, iſte corruat & collabatur neceſſe ſit. Eapropter primi illius aſſequendi rationes, incredibili plane ſapientia, B. P. N. IGNATIVS quam plurimas nos edocuit, ſed nullam oratione & mortificatione, de quibus aliquid jam dicturi ſumus, efficaciorem commendavit; ut quas

quas ſuperiori Patrum noſtrorum memoria, diuturna viri ſanctiſſimi experientia edocti, validiſſimas eſſe teſtatum reliquerunt.

2 Et ut ab Oratione ducatur exordium, quod ad deſtinatum illi tempus attinet, primum dico: Tametſi liberum non ſit Scholaſticis, multum in illa temporis collocare, modo ſtudioſe caveatur, *ne intepeſcat ſolidarum virtutum, & religioſæ vitæ amor*; ut nec etiam ita variis pœnitentiarum afflictionibus corpus atterere; propterea quod litterarum ſtudiis, quæ totum pæne deſiderant hominem, addicantur: quæ ſi ad majorem Dei gloriam, & proximorum utilitatem ſyncera mentis acie colliment, ipſi non modo gratam æque tùm temporis, verum etiam, quod ipſæ perhibent Conſtitutiones, divinæ majeſtati rem faciunt gratiorem; nihilominus tamen Profeſſis, & formatis Coadjutoribus, de quibus tamquam certum ducitur, quòd in viros ſpirituales evaſerint, & qui ſic in via Chriſti Domini Noſtri profecerint, ut per eam currere poſſint, nullam regulam præſcribendam judicavit, niſi quantum corporis valetudo, & externæ occupationes caritatis atque obedientiæ permittunt; dum tamen ſemper Confeſſarius conſulatur, & ubi dubium acciderit, quid conveniat, res ad Superiorem deferatur, ut expreſſe habet ſexta pars Conſtitutionum. Etſi vero poſtmodum Congregatio Generalis ſingulis horam meditationi impendendam definivit; ea tamen eſt illius mens, ut ad longiorem nemo quidem per hoc teneatur, nemo pariter ab illo tempore eximatur: non tamen ullatenus Conſtitutionem abroget, aut ei quadantenus deroget, quin, ſub ea qua ſuperius expoſui ratione, utriusque ampliandi libera facultas omnibus permittatur. Quamobrem dum quis probabiliter audeat ſibi polliceri, fore ut nec immoderato labore valetudinem lædat, nec in officiis proximo præſtandis deſit, aut deficiat, nec in obedientiæ mandatis ea, qua par eſt alacritate, exequendis tardiorem ſe præbeat, integrum ei relinquitur quidquid temporis ad profectum ſuum magis facturum videbitur, id omne tempus piæ, vel commentationi, vel lectioni, non minori laude, quam merito aſſignare. Quantum vero ſpectat ad ſtudium in officio ſuo perfungendo, ad diſciplinam & communem domus ordinem, ut eſt recreatio, &c. vel denique ad neceſſariam poſt toleratos miniſterii ſui labores ceſſationem, conſtat hæc omnia ſuperiori exceptionis formula, obedientiæ nimirum & valetudinis, ceterorumque prius commemoratorum capitum ambitu comprehendi.

4. Par. c. 1. Par. 2.

6. Par. 8. §. 1.

3 Quod ſi vel modus attendatur vel materia, qui ſe jam ſæpius piis

illis

illis commentationibus exercuerunt, longoque uſu facilitatem in orando ſunt aſſecuti, illis nec certum argumentum, nec ratio ſingularis videtur eſſe præſcribenda. Spiritus enim Domini, qui laxiſſimis habenis ferri ſolet, per innumerabiles animorum illuſtrandorum, & ſibi arctiſſime devinciendorum vias, quaſi freno, ſic finibus denotatis non eſt coërcendus: & nos, ut non minus pie quam prudenter bonæ memoriæ P. Natalis in hunc ſenſum aliquando pronuntiavit, divino Doctori par eſt quidem obſecundare, ſed non licet antevertere. Quare ut abſurdum foret, & prudentiæ legibus alienum, Societatis noſtræ hominibus penetranda naturæ divinæ myſteria, infinita per omnem modum Dei ſupremi attributa perveſtiganda, hypoſtaſi triplicem unitatem, & natura ſimplicem Trinitatem rimandam & perſcrutandam peculiari penſo dictare; ita foret abſurdiſſimum illis commentandis, quaſi noſtro repugnantibus Inſtituto, cuiquam interdicere. Non tamen itnus inficias in hoc meditandi genere nonnulla interdum, ex eorum, qui minus illo prudenter utuntur vitio, mala ſuboriri, dum illi ſcilicet effectum ex eo plane contrarium aſſequuntur: ut cum, exempli cauſſa, inde reportant bonam de ſe, quod ſublimia ſpeculentur, opinionem; de eo vero, qui res ſimplices, nec ita reconditas rimetur, æſtimationem viliorem; aut pervicax in decernendo judicium; vel obfirmatum ad ſpirituales, quibus illic mens perfunditur, voluptates fruendas, animum. Hæc namque omnia parem & obedientiæ injuriam, & animorum zelo inferunt detrimentum. Itaque hujus notæ homines, non ut contemplativi, ſed ut certiſſimis adverſarii laqueis irretiti contemplantes expediendi ſunt: imo etiam interdum ab illa inani & falſa contemplatione ſegregandi, & in viam reducendi. Neque tamen ea re veritati reluctandum eſt, aut teſtatiſſimæ Sanctorum Patrum experientiæ refragandum, & habenda deſpicatui contemplatio, vel ab ea Noſtri prohibendi: cum illud plurimorum Patrum ſententia ſuffragioque perſpectum ſit & exploratum, veram perfectamque contemplationem potentius & efficacius altera qualibet piarum meditationum methodo, ſuperbientes hominum animos frangere atque contundere, pigritantes ad obeunda Superiorum mandata vehementius incitare, & languentes ad ſalutem animorum procurandam ardentius inflammare.

4 Iam vero quod à plerisque ſolet uſurpari, cum aſſerunt omnem orationis noſtræ vim & efficientiam ad aliud referendam eſſe; neque committen-

mittendum, ut ex ſe nuda ſit & ſolitaria contemplatio; ſi recte intelligatur, extra omnem reprehenſionis aleam eſt conſtitutum: imo & eorum aliquo, qui deinceps ſignificabuntur, modo à Prædeceſſoribus noſtris reſponſum aliquando fuit & ſcriptum. Primus eſt, non illic Noſtris conſiſtendum eſſe, ut interno illi orationis guſtui adhæreſcant, & permodica dulcedine deliniti, nihil uberioris fructus illinc ad ſe derivare, ad vitam moresque recte formandos, aut virtutes ſibi comparandas elaborent: ita ut, verbi gratia, poſt penſitatam ſolerti contemplatione Servatoris hominum, quæ in acerbiſſimis dolorum perpeſſorum cruciatibus eluxit, patientiam, poſt abjectionem illam accurate diſcuſſam, poſt fervorem & eum, quo violentiſſime incendebatur, zelum animarum, iisdem, quibus antea, impatientiæ ſuperbiæque ſtimulis agitentur. Verum hic orationis fructum ad aliud referendi modus, Religioſis hominibus communis eſt, & omnibus, qui ſe contemplationi dedunt, uſurpandus. Alter eſt, ut in contemplatione mens noſtra divinæ caritatis ignibus exardeſcat, & in Deum, quem ſumme bonum, ſumme diligendum intelligit, amore feratur inflammato: ex quo deinceps acris illa deſiderii flamma ſubſultet, ab amore ſui tamquam à vinculis & cuſtodia evolandi, & Deo Opt. Max. fideliter in omnibus famulandi, ſimul etiam omni conatu annitendi, ut tantum & tale bonum, tam expetendum cognoſcatur ab omnibus diligenter, & ametur ſingulariter. Ea tamen lege, ut cum ita præpotenti Deo placere, ita ſui inſtituti normam exigere, ita expedire, vel denique ita juberi intelliget, ſe libenter ab illa ſuavitate, & grato contemplationis ſenſu ſejungat, & ad operandum animoſe reliquis adjungat: iidemque concepti in illa fornace pietatis ardores, & eum ad agendum inflamment, & eos, quibuscum agit, laudabili religioſæ vitæ exemplo incendant. At vero qui ſe vitæ Monaſticæ mancipavit, & ſolitariæ Religioni addixit, cum id Deo cordi eſſe noverit, ut juxta illud, quod profitetur vitæ genus, placidiſſima illa quiete perfruatur, *ut vacet & videat, quoniam ſuavis eſt Dominus*, ſatis habere debet, cellæ ſuæ concluſus anguſtiis, proximum ferventi precum ſuarum auxilio impetire. Tertius denique modus eſt, ut ſacrarum paginarum ſenſa, fideique noſtræ vera principia, ea mente meditemur, ut intelligentia comprehenſa, deinceps ea rudium populorum animis dicendo docendoque inſtillemus. Quod ſi tamen quiſquam ſentiat Meditationis noſtræ fructum, hoc poſtremo ſenſu ad aliud ſpectare, ut ex vi naturæ ſuæ, non etiam feratur ad amandum Deum, aut cognoſcendum meditatio, imo ſic aſſerat Societatis homini nunquam li-

cere, Deum unicum diligendum vel intelligendum in oratione ſibi proponere, ſed ita perpetuo ei meditationem inſtituendam, ut reipſa ſemper ad aliud intendat, neque ſit ei liberum aliquid eorum, quæ non referantur ad aliud, meditari; is dubio procul errat, & in alium ſenſum hanc propoſitionem detorquet, quam vel Doctorum auctoritas, vel contemplationis natura patiatur. Nec enim quiſpiam recte pronuntiaverit, ideo à me Deum amari, ut aliquid ei gratum exequar, contra potius illud eapropter exequi cenſebor, quod illum amem, & amoris illius ſtimulis ad opus illud aggrediendum & perficiendum impellar.

5 Et quoniam ſuperius commemorata magni ponderis habenda ſunt & momenti, contraham in pauca, quæ jam explanata ſunt, de eo, quod inter meri contemplativi (puta Carthuſiani, aut alterius cujuslibet) & unius è Noſtris orandi rationem diſcrimine intercedit. Primum enim, tempus in utroque diverſum eſt. Etenim ille id omne, quod poteſt temporis, quoniam aliis negotiis non diſtinetur, in orando conſumit: hic ſuccedentibus ſibi indeſinenti ſerie negotiis, pietatis exercitia, & animi cultum ſæpius interrumpere cogitur. Ille tametſi corporis vires labore illo precationis longioris multum enervet atque debilitet, modo tamen valetudinis apertum periculum non incurrat, nihil à profeſſione ſua alienum admittit, cum ſe minus idoneum ad obeunda cetera ſuæ religionis munia non efficiat: hic vero, quia multa, neque mediocria bona, vocationi ſuæ conformia, acri illa corporis divexatione, & virium defatigatione impediat, dum immoderatis illis laboribus plus juſto ſe conficit, fines ſibi à Deo & Religione conſtitutos prætergreditur. Ille vix unquam ex obedientiæ mandato à meditatione, in qua ſuæ vocationis præcipuum caput eſt collocatum, diſtrahitur: hic identidem aliò, quò ſcilicet eum vocatio ſua deducit, abducitur. Poſtremò ille tamquam in portu ſuo, ſic in hoc exercitio jucundiſſime acquieſcit, & tentationi ducere debet, quotieſcumque aliud quidquam in his commentationibus ſuis ſpectare provocatur: hic contra, ſi propter eam, quam in hoc ſanctæ quietis otio voluptatem experitur, ad opus in Domini vineam egredi cunctetur, in potiſſima ſuæ vocationis parte inſigniter deficit. Ille ſolitudinem ſectatur & ſilentium, ut ea, quibus in oratione plurimum juvatur, ſubſidia; & quia nihil aliud profitetur, utrumque ſanctum & inviolatum religioſiſſime cuſtodit: hic vero quatenus Inſtituti ſui mediis, nec fini ſunt obſtaculo, ſeceſſum eumdem ab humana conſuetudine, ſilentiumque

tiumque conſectatur. Et eam ob rem, ut ſe ab hominum familiaritate ſponte ſegregat, & ſilentium, dum licet decetque, obſervat, ita pariter utrumque, cum vel obedientia vel caritas exigit, non ſine merito ſæpius interrumpit. Non enim debet permittere, ut eum captandæ quietis illius amor ab accurandis proximi commodis retardet: debet tamen hoc tenere, quod Superioribus B. Gregorius faciendum ſuggerit: *Internorum curam, exteriorum occupatione non minuens; exteriorum providentiam, in internorum ſollicitudine non relinquens.*

6 Quia vero crebris negotiorum tumultibus ſanctæ contemplationis tranquillitas in Societate frequentiſſime interturbatur, illud in Noſtris deſiderabat Beatus Pater Ignatius (non quò forent minus ſtudioſi ad tempus aliis occupationibus ſuffurandum, & in ſe colligendis conferendum, ſed ne proximi curam ideo intermittere, & opere imperfecto ſe recipere cogerentur) ut in omni loco conſtituti, & quibuslibet implicati negotiorum vinculis, per aſpirationes tamen frequentatas mente ad Deum evolarent; eumque locorum ubicumque præſentem invenirent; & hoc peroptimum orandi genus exiſtimarent, cum ſua omnia ad Dei cultum & gloriam ampliorem revocarent. Hic tamen aliquid adhiberi diſtinctionis neceſſe eſt. Nam ſi pure ſolitaria opera, & externa miniſteria attendamus, eo ſenſu orationis nomen ferre poſſunt & ſuſtinere, quo viri ſancti ſolent aſſerere, quod is ab oratione non deſiſtit, qui à recta operatione non diſcedit. At ſi illam mentis ad Deum ſurſum intentionem, & oblationem, quâ ſe Domino ſuo mens in oratione conſecrat, intelligamus; hæc una vere orationis appellationem promeretur, quam, ut hortatur S. Baſilius, omni temporis puncto debemus uſurpare, tum immortales Deo gratias agendo, tum in ſupremam illius majeſtatem mentis oculum defigendo. Tum demum enim vere & perfecte, *Sine intermiſſione orabimus, ubi omnis prorſus vitæ noſtræ ratio atque inſtitutum divinæ nos conformaverit voluntati; ſic ut vita ipſa dici & eſſe promereatur continens quædam & indivulſa oratio.* Animadvertendum tamen occurrit, hanc proprie non eſſe profundam illam altamque de rerum noſtrarum ſtatu, de natura Divina, vel æternæ beatitatis gloria, quæ ad ſui notitiam abſolutamque rerum cæleſtium cognitionem deſideratur, conſiderationem: deinde vero vix, ac ne vix quidem id genus aſpirationum ab eo exerceri poſſe, qui non ante diuturno & diligenti uſu conſuetudinem orationis contraxerit: animumque peregregie compara-

tum habuerit. Vt enim veriſſime dicam, animi illa in ſublime iterata familiariter ejaculatio, vere fructus, qui ab oratione reportatur, reputanda eſt. Vnde præclariſſime D. Gregorius in illa verba, *Sine intermiſſione orate*, docet, hoc eum, qui perfectus non ſit & numeris ſuis abſolutiſſimus, præſtare non poſſe: itemque illum, qui propter tenuitatis imbecillitatem humi ſerpit abjectus & terrenis affixus, tanto minus non interrupte hoc effecturum, quanto magis in ipſo orationis tempore per continuam mentis ad alia evagationem, à divina præſentia quaſi fugere deprehenditur.

7 Sit igitur indubitatum, hanc Dei præſentis intuendi exercitationem eſſe pietatis pleniſſimam; & Societatis operis, quæ tam piè proximi bonis inſudant, admodum neceſſariam: non ſic tamen, ut illa una contenti eſſe debeant, nec ſeceſſum etiam & otium ſuum ſtudioſe captent, aut ſe donum illud aſſecuturos confidant ſine peculiari recollectionis ſtudio, quam in eum finem curare debent, non internam modo ab omni ſtrepitu, & tumultu rerum mundanarum, & ſuarum cupiditatum; verum & externam loco & tempore debito retinendam, modo ut ullatenus, quod ſæpe fuit inculcatum, aut obedientia non lædatur, aut animorum auxilium non retardetur.

8 Iam vero tum internæ, tum externæ mortificationes, non ſolum à B. P. N. in aliis Religioſis ordinibus liberaliter laudantur; ſed etiam ipſi noſtræ Societati enixe commendantur. Et quamquam ad majorem Dei gloriam magis pertinere credidit, ut nullas haberemus pœnitentias ex officio perſolvendas, ſed ut eas ſibi quisque poſſet aſſumere, quæ viderentur cum approbatione Superioris ad majorem ſui ſpiritus profectum conveni- *Exam. c. 1. §. 6.* re, & quas propter eumdem finem Superiores eis poſſent imponere. *Habetur reg. 4. Summar.* Quamquam item in quarta Conſtitutionum parte, ubi de Scholaſticis agit, propter eam, quæ valetudinis ipſorum haberi debet, curam, & occupationis in ſtudio rationem, quemadmodum de oratione dixit, ita & de mortificationibus monet, ne multum illis eo tempore loci tribuamus. Nihilominus tamen perſpicuum eſt ex capite tertio partis ſextæ, provectis eum & ſpiritualibus, quales ponit eſſe Profeſſos & Coadjutores formatos, nec mortificationis, nec orationis certum modum definire, ſed diſcretæ cujusque caritati ex Confeſſarii conſilio, & Superiorum in dubiis reſponſo, definiendum permittere.

9 Verum, ut arbitror, nulli ſuper ea re dubium unquam inhæſit.

Hoc

Hoc tantum nonnullos angit, quod Societatis noſtræ labores, & varia officiorum impedimenta, maximam hac in parte moderationem petere videantur. Quibus ut ſatisfaciam, & animos omni ſcrupulo levem, ſtatuendum eſt primo, qui hic in excedendis modi terminis errores admittuntur, non ſolum à B. P. N. parte tertia, quod & regula 48. Summarii Conſtitutionum continetur; ſed etiam à D. Auguſtino in ſua regula, S. Baſilio, Casſiano, D. Bernardo, omnibus denique Ducibus in via Domini improbatos, quod nocumentum afferre, & majora bona ſoleant impedire, ut B. P. N. admonet: & ipſemet de ſe B. Hieronymus teſtatur in hæc verba: *Experientia didici, aſinum cum laſſus fuerit, diverticula quærere.* Sanctus item Bernardus, ut oculatus teſtis aſſerit, æqualium ſuorum pleroſque attrita per immoderatos ardoris efferveſcentis impetus valetudine, amatores cultoreſque ſui in tantum poſtea factos fuiſſe, ut nemo non quereretur, nemo non eorum delicata vivendi ratione offenderetur. Nam, ut prudenter notat Humbertus in regulam S. Auguſtini, verum quidem eſt, ei qui prædicationibus, & laborioſis aliis operibus vacat, jumenti ſui curam, ut multorum dierum iter emetiri poſſit, gerendam eſſe: item illi, cui ſervilem operam alius præſtat, cavendum eſſe, ne dum hunc nimio pondere premit, opprimat; & ille fractus & exhauſtus in morbum incidat, ut ei poſtmodum dominus cogatur miniſtrare. Tamen etiam, ut idem ille monet, à carne noſtra cavendum eſt ſolerter, quæ ut aſtuta vulpecula gallinæ rapiendæ gratia ſe mortuam ſæpe mentitur, ſimillime licet multa poſſit, ſe tamen infirmam & invalidam fraudulenter ſimulare non veretur. Quin & ipſe B. P. N. IGNATIVS, qua parte de victu moderando in Exercitiorum libello diſſerit, aperte ſignificat, in pœnitentiis intermittendis perſæpe nos ſubdolæ carnis affectu ſeduci; perſæpe falſa perſuaſione deludi, qua ad credendum impellimur, tam graves à nobis ſine valetudinis evidenti detrimento afflictationum aſperitates non poſſe tolerari. Neque vero ſufficit erga illas macerandi ſui rationes animo bene affici, niſi pariter reipſa, eas animoſe in ſeipſos uſurpent & convertant. Earum enim uſus juvat plurimum, meriti palmam amplificat, & omnes, quæ pullulare poſſent in hoc colendo exercitio, difficultatum aut moleſtiarum ſpinas aculeoſve vel retundit, vel ſtirpitus eradicat.

Cap. 2. §. 7.

10 Nec vero etiam id exiſtimandum eſt, pœnitentias in impudicos laſcivientis carnis impetus tantum debere adhiberi, cum non ad id ſolum effi-

caces, ſed ad ſexcenta alia in virtutum ſtudio non mediocriter conferre perhibeantur. Divus idcirco Hieronymus ad Celantiam matronam (aut, ut verius loquar, S. Paulinus, cujus ea epiſtola probabilius eſſe judicatur) locum illum Pauli diſcutiens, *Caſtigo corpus meum*, innuit planiſſime, non id ſolum propter corporis caſtitatem in integrum conſervandam ab Apoſtolo factitatum, ut quidam imperiti putant: *Non enim huic tantummodo, ſed omnibus omnino virtutibus abſtinentia opitulatur; neque magna aut tota Apoſtoli gloria eſt non fornicari: ſed hoc agit, ut caſtigatione corporis erudiatur animus, quantoque nil ex voluptatibus concupiſcit, tanto magis poſſit de virtutibus cogitare.* Sed neminem, ut opinor, latent de mortificatione externa fructus uberrimi promanantes, non item permulta, quæ Religioſos, maxime vero operarios, ad illam magni faciendam poſſunt incitare, argumenta. Quorum aliqua, præter ea, quæ traduntur à B. P. N. in
Cap. 49. Exercitiorum libro, belle Humbertus loco ſuperius annotato, recenſet. Illud vero errori graviſſimo affine eſt, affirmare, internam illam nobis ſatis eſſe mortificationem, reſignationem, obedientiam, aliaſque generis ejuſdem virtutes; nec eſſe quod viam illam aſperam à Sanctis Patribus tritam & calcatam inſiſtamus. Licet enim B. P. N. ſingulari cum prudentia, propter maximam naturarum, nationum, negotiorum, muniorum, aliarumque circumſtantiarum in Societate varietatem, nihil ex vi regulæ æqualiter ab omnibus tenendum injunxerit; non ideo tamen eadem ipſa regula, eademque Conſtitutio, mentem ſuam & voluntatem ſatis evidentibus indiciis convincendam non patefacit: ſed omnis dubii cardo verſatur, ut quæ mediocritas cuſtodienda ſit, habeatur.

11 Si quis tamen propius animum advertat, omnis ille modus à tribus capitibus, qualis eſſe debeat, nullo negotio deprehendetur. Primum eſt Societatis finis: alterum, quibus uti ſolet, media: tertium ipſius Conſtitutionis verba. Et quoniam à nobis ſalus & perfectio propria, tum deinde proximi, ut ſcopus attenditur, quæcumq; mortificationes fini illi non erunt impedimento, ſed magis adjumento, neque nimiæ, nec immoderatæ, habita ratione finis, judicandæ ſunt. Media vero quamplurima cenſentur: ad uſum quidem noſtrum, Regulæ: ad bonum proximi, munia omnia, ſive prædicationum, ſive confeſſionum excipiendarum, ſive lectionum. Quamobrem quæcumq; mortificationum genera impedient, aut ita debilitabunt, ut commode vacare non liceat iis, quæ vel propria profectus ſingulorum neceſſitas exiget, vel imperabit obedientia, vel externa illa miniſteria flagitabunt,

indiſcre-

indiſcretæ Noſtris & immodicæ, licet fortaſſis in ſolitario moderatæ viderentur, exiſtimandæ ſunt. Reſtat extremum caput, quod verba Conſtitutionis obſervanda ſuggerebat, quæ tam plana ſunt, tam liquida, loco ſignato, parte ſextâ, ut vix ullum dubitationi locum reliquum eſſe patiantur. Etenim præter illam Regulam, quam in univerſum ponit ſub finem paragraphi primi ipſo initio, duo tangit capita, quorum alterum corporis valetudinem, alterum occupationes à caritate, vel obedientia profectas intuetur.

12 Hæc cum ita ſint, ut breviter omnia replicemus; Pœnitentiæ, quæ ad illam normam comparatæ, modum non ſuperabunt, nequaquam ut Inſtituto alienæ haberi debent aut appellari, quas etſi ille frequentet, hic omittat, ſingularitas tamen non eſt cenſenda, dum aliquis ut ſuæ pietati ſingulariter ſatisfaciat, officium tamen ceteris commune non prætermittit. Cujus rei diſertiſſimis verbis conceptum Generalis Congregationis decretum habemus, ut omittam conſtantem omnium Theologorum hac in re ſententiam, *Quod non pertinet ad ſingularitatem ſi quis jejunet, aliis non jejunantibus*, &c. Secure igitur juxta menſuram diſcretionis in ſanctæ caritatis affectu, eas ſibi, quas convenire duxerit, quisque aſſumat; nec alius alium vel judicet ideo vel contemnat. Ita S. Auguſtinus *De moribus Eccleſiæ* disputans, quarumdam Congregationum meminit, quas ipſe Mediolani & Romæ vitæ ſanctimonia florentes viderat, in quibus licet ſingularis abſtinentiæ viri Deo militarent, neminem tamen ad auſterum illud vivendi genus hortabantur: neminem, quod amplecti non poſſet, aſpernabantur: ut nec etiam è contra de ullo, qui ſe huic addiceret, male ſentiebant. Nam ut præclare vir ille ſanctiſſimus enuntiat, *Caritas præcipue cuſtoditur, caritati victus, caritati ſermo, caritati habitus, caritati vultus aptatur.* Iam cui quisque ſit oneri ferendo par, cui minor, Confeſſarii & Superioris erit judicare, ſimul & ſtudioſe cavere, ne in alterutram partem quoquo modo peccetur. Illud vero quod à nonnullis minus forte cogitantibus fertur, profectum ſpiritualem non in pœnitentiis & mortificationibus, ſed in momenti majoris virtutibus, obedientia nimirum, & aliis generis ejusdem conſtitutum eſſe, non eſt univerſim accipiendum. Nam ſi velint profectum non eſſe in his poſitum, hoc eſt, hæc non eſſe ipſam & germanam perfectionem; id quidem certiſſimum eſt; ſed non jam controverſum, cum idem ipſum de ſexcentis aliis, quæ Regulæ noſtræ à nobis ſerio petunt,

poſſit

poſſit veriſſime pronuntiari. Hæc tamen media ſunt & adjumenta non vulgaris utique facultatis, quibus ad virtutes adipiſcendas, & perfectionis viam fideliter ex Regularum præſcripto emetiendam, uti debemus. Itaque ſemper à Dei ſervis in omni Religioſorum familia, etiam eorum, qui ſe ex animi ſui ſententia juvando proximo totos conſecraſſent, fuit obſervatum. Nec eſt, quod illis nos quaſi majora exequentes anteponamus: quidquid enim de hac ætate ſentiendum ſit, exploratiſſimum eſt eos omnes in ipſis incunabulis, & naſcentis Religionis ardoribus, graviſſimis occupationibus, cum inſigni ſanctæ Matris Eccleſiæ fructu & gloria fuiſſe intentos.

13 Cum vero etiam exiſtant forte nonnulli, qui non modo non probant, ſed etiam culpant, quod Superiores ad orationes & pœnitentias plures quam Regula jubeat adhortentur, hoc amplius addendum fuit. Nempe quod ſi Superioribus liceat ſubditorum ſuorum promovendorum gratia, etiam iis pœnitentias injungere, ſi forte profuturæ judicentur ad eos Deo conciliandos, & ab amore proprio dimovendos; cum ad perfectionem, & ea, quæ illi conducunt, libere poſſint Superiores hortando conſulendoque movere; nihil apparet cauſſæ, cur nec poſſint, nec debeant, ad hanc quoque perfectionis viam capeſſendam invitare: modo cautionem adhibeant, ne quid indiſcrete, ſupra modum, aut intempeſtive ab iis fiat; abſtineantque à præſcribendo, & certi quidquam ſingulis privatim definiendo, vel ad hoc, aut illud mortificationis genus impellendo, niſi cum aut rei neceſſitas deſideraret, aut ſubditus ipſe conſilium à Superiore poſtularet.

14 Ad extremum offenduntur nonnulli, quod cum ad has pœnitentias vehementius amplectendas invitantur, audiant interdum à Regula noſtra nobis præſtitutas vix ſufficere. Et tamen dubio procul ſi quis enucleate rem penſitet, maximam hic ambiguitatem latere clariſſime comperiet. Nam qui ſentiret, ſatis non eſſe, quod ex vi Regulæ præcepit ſuper hac re B. P. N næ is injuriam faceret Beato Patri, qui quod ſufficere judicabat, Societati, in qua communis omnibus & eadem menſura valere non poterat, prudentiſſime impoſuit. At vero ſi ſic interpretemur, ut contendamus non eſſe illic conſiſtendum, ubi nullas metas fixit B. P. N. ſed ulterius modico illo, quod præſcribitur, expleto, ad ampliora properandum; tum demum Sanctorum Patrum doctrinæ conformia ſentiemus, (licet enim Religioſo, præter Regulæ ſuæ demenſum, aliquid Domino liberaliter ſupererogare) & Religionum antiquarum veſtigia prememus. Sic namque

apud

apud Palladium Angelus Pachomio reſpondet, facilem ſuis legem poſitam eſſe, quod provectiores ea non contenti ulterius progreſſuri forent. Sanctus item Hieronymus ad Euſtochium, de cuſtodia virginitatis, Religioſorum priſci illius ſæculi morem refert: inter quos qui ſpiritu ferventiores erant, ſi quempiam communi orationis penſo contentum, ad reliqua pietatis officia tardiorem animadverterent, illum eapropter non increpabant, ſed diſſimulato quod noverant, eum ſæpius viſitabant, & prius incipientes provocabant magis orare, quam cogebant. Quin & hoc ipſum conſentaneum eſt ei, quod B. P. N. declaravit. In eadem enim Regula docet liquido ad majorem ſpiritus profectum, cum approbatione Superioris, eas quemque ſibi aſſumere poſſe, quas ſibi magis ad eum finem expedire cognoverit. Vnde liquet, quod qui ſic locutus eſt, *Nolim equidem ut ex obligatione pœnitentias ullas ſuſcipiendas habeant; tamen hæ poterunt aſſumi*, &c. apertisſime teſtatus eſt à Regula præſcriptas, quæ præter unam diei Veneris abſtinentiam nullæ ſunt, non ſufficere. Alias quid vetat quempiam ita colligere & argutari: Satis ſuperque ſunt, quas Regula mihi ex obligatione demandat; eadem vero Regula diſerte fatetur, nullas eſſe ex obligatione injunctas. Quantumvis ergo mihi nullas adhibeam, ſatis abunde fecero. Quod quam ſit abſurdum, quis non videt?

15 Quid quod in alia Regula, quæ ex 3. parte depromitur, monet, quòd *Corporis caſtigatio immoderata eſſe non debet, nec indiſcreta.* At hæc indiſcretio nullatenus in id, quod à Regula jubetur, cadere poteſt. Hinc ergo colligere eſt, aliud omnino præterea ſuſcipiendum eſſe. Quare conſtat, eos, qui in via perfectionis progredi cupiunt, uti debere mediis illis, quæ B. P. N. in Regulis & Conſtitutionibus commemoravit, quorum è numero præcipua iſta ſunt. Maxime tamen iis piæ & frequenti meditationi incumbendum eſt, quæ hominem magis arctè Deo devincit, & præter divinæ opis, quod impetrat, ſubſidium, D. Thomâ referente, ardentiores amoris divini flammas elicit, & vehementiores actus educit. Iuvat etiam mirum quantum pœnitentiæ & mortificationis exercitium, quod dum intra modum, & obedientiæ normam peragatur, ingentes gratiæ theſauros à Dei manibus impetrat; intimius Deo nos conjungit, & quod magni pendendum eſt, ad exactam Regularum aliarum, ut per ſingulas decurrentibus poteſt ap-

parere, obſervationem confert. Niſi enim divinus amor, & noſtri contemptus altas in animo noſtro radices egerit, ægre Inſtituti noſtri leges, quæ ſpiritus fundamento ſtabilitæ mutuis ſe juvant operis, illibatæ ſervabuntur.

16 Ob id cauſſæ acriter intueri par eſt, in qua reparandarum ſpiritus virium neceſſitate verſemur, & languorem, ac inertiam noſtram cauſſari potius neceſſe eſt, quam fervorem nimium criminari. Non eſt enim hoc tempore alteri orationi locus. Quod ſi inter primos illos fervores B. P. N. ævo in Societate, antequam ulla Regularum mentio facta fuiſſet, ſolemnes ageremus; contrahendæ fortaſſis habenæ videri poſſent, & impotentiores ardoris impetus, ut in Epiſtola de Obedientiæ virtute, & alibi non ſemel loquitur, moderationis freno coërcendi. Sed quæ duæ eum ad ita ſentiendum loquendumque cauſſæ tum impellebant, nunc ambæ ſublatæ ſunt: altera quod in illis mediocritatem omnem tranſilire clare arguerentur; altera quod inconſulto Superiore eas uſurpare convincerentur. Nunc autem nihil valde de alterutra videtur eſſe metuendum. Et ut in aliquo deprehendatur immoderatus ille fervor, monendus tantum eſt, & in contentiori ſtudio moderandus, non vero etiam in indiſcretionem, quæ notatur in tam paucis, ſic animoſe invehendum. Nam, ut ſemel dicam, quemadmodum dedecet, non adito auditoque Superiore hæc à ſubditis exerceri; ita non decet iſtis horum ſtudiorum appetentioribus ſine ratione facultatem & uſum liberum denegari, aut eos ab illis ullo pacto, nulla urgente cauſſa, revocari. Non enim in obedientiæ aut virtutum aliarum deſiderato ſtudio conſtans quiſquam permanebit, qui non firmiter Deo conjunctus uniatur. Quia nihil ſpectabam aliud, Epiſtolæ finem ſtatuo, meque orationibus veſtris plurimum commendo. Romæ octavo Maji, M. D. IC.

Omnium in Chriſto Servus

CLAVDIVS AQVAVIVA.

EPI-

EPISTOLA VI.
EIUSDEM
R. P. N. GENERALIS
CLAUDII AQUAVIVÆ
Ad
Patres & Fratres Societatis in Indiis Orientalibus conſtitutos.
DE FINE ILLIUS MISSIONIS.

INter multa, eaque mirabilia, quæ fidei noſtræ oculis Dominus noſter exhibere dignatus eſt, ſpectacula, non eſt in poſtremis, tot barbararum gentium converſio, Eccleſiæ per omnes longe lateque mundi plagas propagatio, in tam denſis tenebris errorum & ignorationis Dei & inſcientiæ, clariſſimum Evangelii lumen illatum; perduelium, & inimicorum in filios gratiæ & regni adoptio. Quod licet numquam attentâ mentis cogitatione comprehendatur, niſi cum multa divinæ ſuavitatis dulcedine, ſapientiæ admiratione, & potentiæ ſingularis laude atque veneratione; hiſce tamen diebus, quibus æterni Verbi in hanc carnis mortalitatem adventum ſolemni cultu celebravimus, commodior ſeſe nobis dedit opportunitas, ſacrarum paginarum oracula & Prophetarum de eo vaticinationes majori ſtudio evolvendi, & attentiori cura meditandi.

2 Ex quo factum eſt, ut, dum ingentes promiſſorum theſauros volutarem, quos oſtentat Eſaias & aperit modo ſub figura ſolitudinis ad culturam extricatæ, exultantis, lætabundæ, & florentis quaſi lilium; modò ſub perſona cœcæ illuminatæ, & in viam, quam neſciebat, & ſemitas, quas ignorabat, deductæ; nunc ſub umbra ſciſſarum in deſerto aquarum, & torrentium in terra arida & inaquoſa apertorum; nunc ſub infinitis aliis figurarum, quæ vos non latent, integumentis; ſed maxime dum disertè prædicit fore, ut gloria Domini prædicetur gentibus, illorum miniſterio, qui ad inſulas longè, ad eos, qui non audierunt de eo, nec viderunt gloriam ejus, ſummittentur; ut, inquam, hæc eo majori cum admirationis ſenſu,

Eſai. 35. 42. 35. 65 19.

animo mihi repræſentarim, quo non præteritorum illa modo, ſed præſentium & futurorum eſſe vaticinia videbantur, quoniam non uni fiebant Europæ hujusmodi pollicitationes, neque fines aut Eccleſiæ termini, vel eorum, qui ad tam ingens convivium erant convocandi, anguſtis cujuscumque provinciæ limitibus fuerant coërcendi, cum idem ipſe Propheta prædixiſſet: *Faciet Dominus exercituum in monte hoc convivium grande omnibus populis.* Quapropter mentis oculos attentius defixi, ut intuerer quaſi prælucentibus illis verbis, *Quia & hodie impletur hæc Scriptura in oculis noſtris, & adhuc implebitur*, etiam induſtria laboribusque veſtris (Patres Fratresque cariſſimi) quos ex omni membrorum Societatis noſtræ numero, ad tam altam vocationem ſingulari privilegio delegit, potentique manu conſervat idem ille, qui vos pridem ab hujus ſeculi fluctuantibus undis liberavit. Hinc meum animum inſignis enata ſubiit alacritas, cum animadverterem Fratres meos oraculo Prophetæ deſignatos, rei tam ſublimis cooperatores, & adminiſtros. Simul etiam confidenti juncta confuſioni, clarior mei ſtatus illuxit mihi cognitio, cum & vos illuc ab Europa delegandi, & duces præficiendi, & in opere ſuſcepto vos dirigendi curam, æterna ſapientia vili huic & inexperto miniſtro demandarit.

3 Quin etiam ulterius adhuc gradu facto ſimul cogitavi, Religionis ſtatum nobilem illum ſatis & ſublimem (qui vobis cum reliquis Societatis Fratribus præſertim in Inſtituto communis eſt) à Domino cæleſtem & divinum magis mirabiliter in vobis effectum fuiſſe. Veſtra ſiquidem caſtitas non tantum ad propriam perfectionem, vel opem proximo qualemcumque ſuppeditandam refertur; ſed eo etiam penetrat, ut vos idoneas reddat operas, quæ Apoſtolicè diſcurrant ad Gentes vinculis, quibus implicatæ ſunt, exolvendas. Paupertas vero dum vos ab omni terrena ſollicitudine ſegregat, & rerum humanarum affectibus exuit, pedes veſtros ad annuntiandum Evangelium pacis veloces reddit. At obedientia ſancta vos dirigit, & quoquoverſum ad oras illas fidei lumine illuſtrandas deducit, ut cæli motus terris lucem portare ſolet & advehere, Perinde ac ſi in vobis vota illa, Religionisque ſtatum divina providentia conſtituere voluerit, ut omnibus impedimentis expediti, eorum, quos Propheta recenſuit, albo aſcribi poſſetis, & cenſeri miniſtri (quo nobilius quidquam aut excellentius nec dici poteſt nec cogitari) gloriæ Plaſmatoris veſtri, odoris Chriſti Domini diſpenſatores, & ſalutis animarum egregii procuratores.

4 Quam-

4 Quamobrem ardentiſſimo cœpi flagrare deſiderio, partes quoque meas obeundi, & vos ad veſtras alacriter explendas animandi atque excitandi: quod ut facerem eò magis ſum adductus, quod acceperim pares aliquando monitiones injectas animis bonis & optimis, quales vobis Deus pietate ſua largitus eſt, non omnino ſine fructu incaſſum abiiſſe. Sed quoniam me temporis anguſtiæ, ſolatio deſideratiſſimo vobiſcum frui diutius non patiuntur; hac perbrevi contentus epiſtola, alterius eadem ſuper re, ad Noſtros in India Occidentali degentes, à me nuper datæ exemplum vobis ſummittam. Etenim quod in vobis requiro ad ſummam, id unum eſt, ut attente perpendant ſinguli, videantque, quo tandem conſilio tot operas Europæ ſubtrahimus, quorſum multa hic admittere Collegia recuſamus, & tamen tantis cum periculis & difficultatibus, ad tanta maris & Oceani ſpatia emetienda vos mittimus, in quo nihil ſpectamus aliud, quam ut accurate indigenarum & fidei lumine deſtitutorum converſioni vacetur, cujus gratia nec barbarorum idiomatum perdiſcendorum laboribus, nec itinerum aſperitatibus, nec quibuslibet contradicentium obſtaculis, nec cujuscumque diſcriminis timori, nec ullius acerbitatis ſenſui, vel parcendum eſt, vel ſuccumbendum.

5 Quod tanto ſtudioſius eſt curandum, quanto natura (ſi ſibi ſuæque indoli relinquatur) libentius fertur, & ſive propter majoris momenti negotia, ſive propter nobiliorem agendi rationem inclinat, ut ſe totam impendat Luſitanis: quod tamen non ſine gravi tot animorum inſtituendorum damno committeretur. Et ſane dum numerum cogito, & eorum præcipue, qui noſtræ curæ ſubſunt, ad Deum adducendi facilitatem perpendo, magnopere vereor, ne Dominus aliquando rationem à nobis ſeveriſſime repoſcat; *Quare non poſuerimus pecuniam ipſius ad menſam, ut ipſe veniens cum uſuris exigat.* Hic agitur de re maxima & graviſſima, ut illi nempe ſint absque Deo, cujus ignoratione, ut nihil Divinæ Majeſtati eſt injurioſius, ita nihil rationali creaturæ infelicius. Agitur, ut quantum ſpectat ad eos, quibuscum illi non communicantur Paſſionis Dominicæ labores, quos tamen eapropter mortalitatem ingreſſus Servator noſter toleravit, inutiles & irriti efficiantur. Et in hunc ſenſum ſub perſona Chriſti illa Ieremiæ verba D. Hieronymus declarat: *Non fœneravi nec fœneravit mihi quisquam*; ubi LXX. interpretati ſunt, *Non profui, neque profuit mihi quisquam*, quaſi Dominus conqueratur, *Nullus enim tantum voluit accipere,* *15. 10.*

quantum ego tribuere deſideravi. Idcirco vix mihi quidquam profuiſſe videor. Nec profuit mihi quiſquam: ſalus enim creaturæ lucrum eſt Creatoris. Itaque lucrum meum ſalutem illius æſtimans, non mihi proſunt, qui non illam pro viribus procurant. Idipſum de Chriſtianis improbis, qui Domini beneficiis, & expectationi non reſpondent, pronuntiari poteſt. Iam vobis conſiderandum permitto, quantò illud majori cum ratione de Gentibus vere dici poſſit, quæ non noverunt eum, neque laborum aut ſanguinis à Dei filio fuſi, vel copioſæ redemptionis participes factæ ſunt, neque tam deſideratos ſalutis ſuæ fructus ei reportant.

6 Non poſſum tamen facere, quin vobis ob oculos ponam peregregium & appoſitiſſimum ad mentem noſtram D. Ambroſii ſermonem, qui dum in Lucam agit de unctione, qua Salvatoris corpus ungi debet, hæc habet præclariſſima, ex quibus juxta propoſiti veſtri inſtitutum colligere licebit, quod vobis in manibus ſit miniſterium, & apparatum, quem ad illud per ſtatum Religioſum feciſtis; nec non obligationem, & illi ſatisfaciendi intelligere rationem: *Corpus ejus Eccleſia eſt. Corporis ejus odor ſumus, & ideo decet ut mortem corporis ejus ornemus: etſi noſtros illa non requirat ornatus, ſed requirunt pauperes. Ornabo corpus ejus, ſi fiam ſermonum ejus prædicator, & paſſim gentibus Crucis aperire myſterium. Ornavit ille qui dixit: Quia prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis vero vocatis Iudæis, atque Græcis, Chriſtum Deum virtutem, & Dei ſapientiam. Ornatur Crux cum id, quod per imperitiam ſtultum putatur, per Evangelium ſapientius æſtimatur, ut poſſimus docere, quemadmodum virtus adverſaria per Crucem Domini deſtruatur. Miſi in Domini corpus unguentum, ſpirare incipit, quod mortuum putabatur.* Ecce miniſterii, quod vobis commiſſum eſt, dignitatem, Quid vobis faciendum incumbat attendite. *Ideo unusquiſque adoriatur emere labore ſuo niſuque virtutum alabaſtrum unguenti, non vile aliquod atque commune, ſed pretioſum unguentum alabaſtri, & unguentum piſticum: ſi enim quis fidei congreget flores, & prædicet IESVM CHRISTVM crucifixum, in omnem Eccleſiam, quæ corpus ejus eſt mundo mortua, requieſcens Deo, fidei ſuæ transfundit unguentum.* Sequitur deinceps fructus: *Olere incipit tota domus paſſionem, olere incipit mortem, olere incipit reſurrectionem, ut poſſit unusquiſque ex hoc ſacræ plebis numero dicere: Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Iam ſtudioſe perpendite, quales demum eſſe debeant, qui ſpirant, ſed maxime, qui odorem illum ſpargunt.

Spirat

Spirat odor, redolet unguentum in corpore, ſi quis poſſit, (atque utinam ego poſſim!) confidenter loqui: Mihi autem mundus crucifixus eſt. Non amanti divitias, non amanti homines ſæculi, non amanti, quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti; non amanti, quæ videntur, ſed quæ non videntur, non cupido vitæ, ſed ei, qui feſtinat diſſolvi, & cum Chriſto eſſe, crucifixus eſt mundus. Hoc eſt enim crucem tollere, & ſequi Chriſtum, ut & nos commoriamur, & conſepeliamur cum eo, ut unguentum, quod iſta mulier in ſepulturam ejus miſit, olere poſſimus. Sed videte quam pretioſum & ſalutiferum odorem: *Non mediocre iſtud unguentum eſt, quo Chriſti longe lateque diffunditur nomen: unde etiam Prophetice dictum eſt: Vnguentum exinanitum eſt nomen tuum. Ideo exinanitum, ut majore fides odore fragraret.* Et ut finiam, ad alterius epiſtolæ exemplum vos remittens, hoc tantum dico; non ſine ratione, à ſanctis quibusdam Patribus in illa verba Canticorum, *Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris*, diſſeri; tum demum ſponſæ (quæ Sancta Eccleſia eſt) veſtimenta incenſum redolere, quando reipſa convertendis reducendisque animis ſe totam impendit, cum in hoc maxime Deo, & odori ſuo per incenſum deſignato, aſſimiletur.

7 Sed ut hoc percommode fiat, neceſſarium eſt triplicem illum habere bene contextum, bene tortum funiculum, quem D. Bernardus exprimit; qui dum agit de miraculo Eliſæi, in quo, ut puerum ad vitam revocaret, poſuit oculos ſuos ſuper oculos ejus, & os ſuum ſuper os ejus, & manus ſuas ſuper manus ejus, ait, ſimillime nobiscum diebus ſingulis Dominum agere. Vnde fit ut ſentiamus, *Cordi tribui intelligentiæ lumen, & ori ædificationis verbum, & manibus opus juſtitiæ. Dat ſentire fideliter; dat proferre utiliter; dat efficaciter adimplere: & eſt funiculus triplex, qui difficile rumpitur, ad extrahendas animas de carcere diaboli, & trahendas poſt ſe ad regna cæleſtia, ſi recte ſentias, ſi digne proloquaris, ſi vivendo confirmes.* Quod ſi quid horum deſit, non eſt ita accommodatus funis, nec aptus, præſertim ſi primum deſideretur, aut tertium. Sed quoniam totum hoc à continua cum hoc Eliſæo noſtro, qui vere Deus eſt, nos ſalvos faciens, conjunctione dependet, ideo B. P. N. IGNATIVS 10. part. §. 2. monet, media illa, quæ cum Deo inſtrumentum conjungunt, efficaciora eſſe animis ad ultimum & beatiſſimum finem ſuum perducendis. Quæ verba, ut in Conſtitutionibus ſcripta continentur, ſic ego maximopere percupio, ut in noſtrum omnium cordibus ſpiritus ſancti digito deſcripta & alte impreſſa perſeverent. Vobis à Domino cæleſtium theſaurorum abundantiam precor, & me, omnemque Societatem

Sermon. 16. in Cant.

ſanctis

ſanctis orationibus veſtris ex intimis viſceribus enixe commendo. Romæ XII. Ianuarii, M. D. XC.

Omnium in Domino Servus

CLAVDIVS AQVAVIVA.

EPISTOLA VII.
EIVSDEM
R. P. N. GENERALIS
CLAVDII AQVAVIVÆ
Ad
Provinciales Societatis IESV.
DE IVBILÆO ET MISSIONIBVS.

QVantum in generis humani flagitia Divinæ vindictæ furor exarſerit, ſatis aperte tot ubique locis nobis incuſſa flagella teſtantur: neque tamen, quod pejus eſt & magis dolendum, ad mores corrigendos quiſquam animum applicat, vel tot verberum cauſſam obſervare, aut ea ſublata cum lacrymarum imbre continuo pacem ac veniam expoſcere; & iram, quæ minatur acerbiora, quam infert, ſatagit ullo pacto placare. Contra potius videre eſt, ad litteram reipſa expreſſum, quod olim Dominus pæne (ut humano more dicam) fatigatus per Ieremiam pronuntiavit: *Defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum, fruſtra conflavit conflator: malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ.* Cum enim Divina Majeſtas hoc tribulationum igne ſcelerum noſtrorum ſordes perpurgare ſtatuiſſet, tam exilis tamen pietas elucet, tam modicus Religionis fervor exardeſcit, tantumque vis amoris proprii cepit incrementum, ut in extremis & ſalus propria, & divinus honor reponantur.

1 Hæc ea mente loquor, Patres cariſſimi, ut intelligamus, non jam nobis gradu ſolito incedendum; ſed ardentius multo incumbendum in orationes, pœnitentias, & quod caput eſt, in ſtudium perfectionis propriæ, rationibus omnibus, quæ ad hoc conducere judicantur, efficaciter adhibitis; ſic ut

ſic ut non modo tum temporis, cum in proximi rebus occupamur, verum etiam cum ab omni conſortio ſegregati, nobiſmet ipſis vacamus, ejus neceſſitati ſanctorum deſideriorum præſidio, ferventibusque noſtris precibus opitulari, & à Divina bonitate peccatorum modum aliquem, & verberum finem exorare valeamus. Enimvero, quid Eccleſia ſancta irati Domini oculis, quod eum à juſto furore mitigatum ad lenitatem traducat vel miſericordiam, poterit exhibere, ſi in tanta totius corporis infirmitate, nobiliores potioresque partes, Religioſi, inquam (ſic enim eos meritiſſimò D. Gregorius Theologus appellat) ii ſint, qui Dominum nec demulcere poſſint nec delectare? In ſacrarum paginarum acta relatum legimus, Populum Dei, cum Machabæorum ævo graviſſimis vexaretur calamitatibus, poſt longa multorum dierum jejunia, poſt decretas iteratasque ſupplicationes, in conſpectu Dei libros legis expandiſſe; ornamenta ſacerdotalia, & Nazaræos ei conſecratos admoviſſe, demumque voce magna in cælum exclamaſſe: *Quid faciemus iſtis, & quo eos ducemus?* Volebant quippe, dum ſic æterno Patri, quidquid ei vehementius eſſe cordi cenſebant, offerrent; indignationis ejus flammam ita violenter omnia depaſcentem mitigare. Quod ſi nos non ii ſimus, qui digne Divinæ Majeſtati ſuæ offerri valeamus, non video cur ab eo miſericordiam magis impetremus, quam irritatum gravius ad acerbiores pœnas à nobis repoſcendas provocemus. Subit animum illius temporis memoria, cum filii Iſraël, Domini manum vindicem reformidantes, quod Tribus aliquæ altare ſacrilegum ædificaſſent, prudenter veterem ſuperiorum ſæculorum Hiſtoriam repetentes, ex inflicta toti populo propter culpam unius pœna, eam collegerunt, quæ ob multorum delicta metui debebat & expectari. *Nonne Achan*, inquiebant, *filius Zare præteriit mandatum Domini, & ſuper omnem populum Iſraël ira ejus incubuit? & ille erat unus homo, atque utinam ſolus periiſſet in ſcelere ſuo.*

Mach. 1. 3.

Ioſue 21.

2 Iam vero in tanta eorum multitudine, qui furorem Altiſſimi provocant & accendunt, ſi nos Religioſi, qui apud eum ſequeſtres, & pacis cum hominibus faciendæ interpretes eſſe debemus; non in uno, aut altero noſtrûm, ſed in multis, oculos illius acerrimos, & Sole perſpicaciores offendamus; vobis conſiderandum permitto, quid ſperare jam liceat, præſertim cum ad illud officii vinculum, quo tenemur in ejus conſpectu mundi ſemper & alacres apparere, miſera temporis hujus conditio, & funeſta re-

rum præſentium facies accedat. Quamobrem duo nobis in mentem potisſimum ſuccurrerunt, quæ duo & in Eccleſiæ ſanctæ quadantenus emolumentum redundabunt, & tum à noſtræ Profesſionis Inſtituto, tum ab urgente noſtrorum temporum calamitate neceſſario exiguntur.

3 Primum erit, ut dictum eſt, orationi, pœnitentiis, fervori, & perfectioni propriæ vacare diligentius: quem in finem promulgatum eſt Iubilæum, à Sanctisſimo Domino Noſtro aliquot ante menſibus impetratum, ſed hactenus dilatum, quod in dies univerſale expectaretur, & maxime quod non ita pridem ejusdemmodi fuiſſet indictum. Hoc ego vehementer à vobis nunc requiro, ut omni alacritate & fervore, ſpiritualium commentationum exercitiis, aliisque circumſtantiis ſtudioſe curatis, juxta præſcriptam alias formulam, deſignato per Superiores tempore, quod ſine longa procraſtinatione videbitur opportunius, excipiatis.

4 Alterum eſt, ut ad extirpanda ex parte vitia, quæ in mundo late dominantur; & homines ad ampliorem Dei notitiam, & conditoris ſui amorem pelliciendos; ſingulis in Provinciis aliquæ Misſiones, ex Inſtituto, & Profesſionis noſtræ formula inſtituantur. Quarum numerus ineatur ex uniuscujusque Provinciæ viribus: & ubi Sacerdotes duodecim poterunt emitti, maximi res erit fructus atque compendii: ubi vero tot mittere non licebit, ſaltem omnino ſex, ſuperatis omnibus difficultatibus, ut delegentur, exopto. Hi Apoſtolico more bini & bini progredientur: ubi peculiaris non poſtulabit necesſitas, pedibus, & ut veros pauperes decet pergere, non multis onuſti libris, aut grandi ſupellectilis ſarcina gravati, pleni tamen inflammato zelo incedant, ad tolerandum comparati, adque fructum incitato deſiderio ſuccenſi, diſcurrent per vicos & caſtella, minori hominum frequentia habitata, & proinde opis illius magis indiga, tantum in locis ſingulis immorando, quantum prudentia & fructus operæ ſpes deſiderare videbitur aut ſuggerere. Inter prædicandum ſolito caveant accuratius, ut ne pompam, verborumque lenocinia, aut reconditiores doctrinæ ſenſus conſectentur, ſed hoc unum ſibi ante oculos conſtituant, ut auditores ſuos ad Pœnitentiam, odiumque peccati compellant, in S. Vincentii exemplum intuentes, cujus etiam conciones, & ejusdem ſtyli libros aliquot, poſt Prophetarum & ſacrarum paginarum oracula, ad manum potius habere debent, quam alia quæpiam ſenſa, ſubtilesve argumentationes. In Paſtorum benevolentiam inſinuare ſe penitus enitantur, omnem ab eorum

animis

animis ſuſpicionem depellentes, quod ad eos velut Cenſores aliqui, morumve Correctores, proficiſcantur. Cum Religioſis vero, ſicubi eodem in loco verſabuntur, omni prorſus cum ſubmiſſione, & animorum ſententiarumque conſenſione ſe gerent: ne forte nonnullis videantur, ad illud, quod ceteri non præſtant, vel præſtare nolunt, exequendum perrexiſſe. Verum illud in primis optimum erit factu, à Prælato, vel Diœceſis illius, in quam ad operandum profecturi ſunt, Vicario Generali teſtatam ſcripto ſibi fieri poteſtatem impetrare, & bona illorum cum venia gratiaque omnia adminiſtrare.

5 Qui vero ad hanc expeditionem, eatenus Apoſtolicam ſunt deligendi, expedit, ut probata ſpectatiſſimaque fide & maturitate ſint inſignes, quique ad hoc opus cælitus evocati aliqua propenſione ferantur. Ad quod ſuſcipiendum ſperamus in Domino propter Profeſſionis noſtræ obligationem vocationiſque gratiam, fore ut ad minimum Superioris nutum promptos & alacres ſe quam plurimi ſine ulla tergiverſatione exhibeant. Præſtabit etiam, ut peramplam habeant facultatem ad exercenda Societatis noſtræ miniſteria, & auxilia animorum adhibenda. Quod ſi quid aliud occurrat admonendum, id pro ſua prudentia Provinciales, habita locorum & perſonarum ratione, edocebunt. Tantum addo, maximi ponderis totum hoc eſſe negotium, urgentiſſimam Eccleſiæ neceſſitatem, tempora calamitoſiſſima, ignorationem Dei, & æternitatis oblivionem incredibilem: inde vero vim fidei inſuperabilem, verbi Dei efficaciam admirabilem; vulgi & imperitæ multitudinis deſiderium inexplebile, eam denique in tenui plebecula docilitatem, quæ vel in provectioribus poſſet deſiderari.

6 Illud autem, per amorem Dei, advertamus, quam ſeveram à nobis Dominus rationem repetet, ſi vota noſtra, litterarum ſtudia, tot labores in informandis operis, & neceſſario commeatu cogendo tolerati, poſtmodum anguſtis parietum noſtrorum finibus coërceantur, tribus aut quatuor mulierculis omnem operam impendendo, cum interea temporis ceteri univerſim miſerabili fame conficiantur; aut ſi pariter omnis noſtra ad medendum induſtria in quatuor ſexve jam refertiſſimo omnium medicamentorum narthecio curandis contrahatur, dum interim innumeræ gentes inſanabilibus confectæ vulneribus, omni remediorum ſubſidio deſtitutæ crucientur. Et quod tandem in tempus arbitramur labores noſtros Dominum reſervaſſe, aut qua mente in eum ordinem hunc exercitum diſ-

Oo oo 2 tribuiſſe,

tribuiſſe, vel ei tantum robur indidiſſe cogitamus niſi, ut in Eccleſiæ ſanctæ obſequium, & animarum utilitatem, quidquid in nobis boni, quidquid eſſet proficui, ſponte proferremus, & libenter impenderemus. Equidem ita ſentio, cum infernus ille tenebrarum princeps infeſtam aciem eduxerit, ad hanc Domini hereditatem, qua hæreſeos machinis, qua peccatorum tormentis, qua diſſoluta vivendi conſuetudine, qua altisſima rerum à ſenſibus remotarum oblivione oppugnandam; nobis, qui ſub ejus ſignis auctorati meremus ſtipendia, leves aliquas & umbratiles non debere ſatis eſſe velitationes, ſed inſtructa acie, ei egregie occurrendum. Etenim hoc de divina bonitate mihi polliceor, ipſam tanta cum gratiarum copia & ubertate nobiſcum eſſe concurſuram, ut felicisſimum res tota ſit exitum habitura. Itaque ex animo, & quanto poſſum majore ſtudio, Patribus Provincialibus negotium hoc omne exequendum commendo: ſimulque me per litteras de deſtinatis huic operi certiorem faciant: & quam bene in dies ſuccedat expeditio, admoneant, poſtulo. Quamvis enim officio meo defunctus eſſe mihi videar, & omnem de cetero curam habendam in illos deoneraſſe, cum ita præciſe, & ſtricto jure de tota re conſtitui; non poſſum tamen omnem ejus, quod mihi incumbit, ſollicitudinem & cogitationem deponere, quatenus hoc felicem eventum ſortiatur ad majorem Dei Creatoris gloriam; à quo RR. Veſtris gratiam uberem peto. Romæ XII. Maji, M. D. XC.

RR. VV. Servus in Chriſto

CLAVDIVS AQVAVIVA.

EPISTOLA VIII.

EIVSDEM

R. P. N. GENERALIS

CLAVDII AQVAVIVÆ

Ad Patres Societatis

DE

DE FERVORE, ET ZELO MISSIONVM.

DVm apud me tacita mentis cogitatione præſentem Eccleſiæ ſanctæ ſtatum, Societatis noſtræ corpus, officii mei curam perpendo; teneri mihi videor ad excitandum novis aculeorum ſtimulis, Miſſionum per univerſam Religionem noſtram ſtudium. Equidem jam in altera epiſtola vobis animos addidi, ſed quoniam poſtea Romam ad Congregationem convenire Provinciales oportuit, res in magis opportunum tempus dilata fuit, non ſine ſingulari, ut ſentio, Dei maximi nutu atque providentia. Cum enim ea res in Congregatione Generali tractata, & ſuper ea decretum factum ſit (in quo plane non mediocris ſolatii fuit materia, conſentientes & congruentes in unum ardentiſſimos Patrum omnium animos intueri) in ſpem venio fore, ut tanto majori cum ſtudio, & voluntatum contentione in id unum omnes alacriter incumbamus. In arenam ergo deſcendendum eſt, & ad gementium atque plangentium hujus mundi calamitates hominum inſtar, armandæ nobis frontes, & ſalutifero Tau, ſacroſanctæ nimirum Crucis ſigno, muniendæ ſunt: tum quòd ad hanc expeditionem nos mortificatos & ad graviſſima quæque perpetienda promptiſſimos comparare & exhibere debemus; tum quia hæc ad majorem Dei gloriam actio videtur eſſe referenda: ſed maxime quod omnis præclarè quidquam & laudabiliter agendi fiducia, virtute, facultate, favore, & Crucifixi auxilio fulcienda eſt atque ſuſtinenda. Ita ſignatos deſcriptosque, perinde ut veri milites, qui ſub hoc vexillo, & glorioſo IESV nomine ſtipendia facimus, decet manu corripere zeli gladium ancipitem, & ex utraque parte acutum. Hinc enim peccati nos odium ad illud ſtirpitus evellendum inflammat; inde quaſi calcaribus admotis illius amor, qui nos nobis, & ſeipſum dedit reddiditque, nos ad gloriam ejus omnibus animi nervis promovendam exſtimulat. Vnde mihi proprie zelus videtur eſſe fervor quidam, & motio efficax ab amore profecta, cujus impulſu ad ea, quæ dilecto adverſantur, utpote quæ noſtra multum interſint, removenda atque depellenda, movemur.

2 Sed cum tribus præſertim modis dilecto contrarium quippiam patrari poſſit; nempe quod aut illius, quem amore complectimur, honoris, nominisque dignitatem imminuat; vel ejus quæſtum & emolumentum retardet; vel denique quod minus placeat, ejusque deſiderio ſatisfaciat; abunde liquet quo tandem pacto veri Chriſti zelatores, ad radicitus exſtir-

panda vitia, animoſque juvandos, ferri debeant, & incitari. Quandoquidem nec ulla unquam in parte, à mortali homine Divina gloria majori habetur contemptui, quam dum ſe totum terrenis affectibus penitus immergit, Deoque ſuo terga nefarie vertit. Et ipſe Deus præpotens, ut refert D. Auguſtinus, licet nullius egeat, lucro delectatur, ſuumque deputat, quod noſtrum eſt; ea ratione, qua D. Hieronymus locum illum Hieremiæ explicans, *Non fœneravi, nec fœneravit mihi quiſquam*, ubi juxta Septuaginta legit, *Non profui*, dicit in perſona Chriſti; *Nullus enim tantum voluit accipere, quantum ego tribuere deſideravi: nec profuit mihi quiſquam, ſalus enim creaturæ lucrum eſt Creatoris.* Id etiam ex eo facile deprehenditur, quod in hoc lucro faciendo, ut notat S. Bernardus, majus diſpendium fecerit, quam in cælo terraque condenda, & hac univerſitate fabricanda. Nos vero cum animadvertamus, ut illius emolumenti percipiendi, paternique honoris amplificandi ergo, factus eſt ipſe opprobrium hominum & abjectio plebis; ut reputatus eſt quaſi leproſus, & percuſſus à Deo, & humiliatus; ut nec usquam niſi cruore vitaque liberaliter profuſa conquievit; læti & reſides rebus omnibus undecumque inſtructiſſimi quietè conſiſtemus? non vero omni ſtudio illius amore ſuccenſi, & genium defraudare, & voluntatem in omnibus generoſe domando mortificare annitemur? Quantum vero attinet, ut ſupremo iſti Principi noſtro, Patrique amabiliſſimo ſatisfiat, certiſſimum teneo, ei, qui vere & perfecte diligit, non tantum graviores culpas, ſed etiam leviſſimos quosque defectus, ut qui purgatiſſimos illius oculos offendant, maximi ponderis exiſtimari: perinde ut fidelem ſervum, vel bonæ indolis filium, non ſolum injuriæ & contumeliæ domino illatæ, vel parenti, verum & minima quæque, quibus ille vel tantillum ſuboffendatur, angunt incredibilem in modum & excruciant. Denique ut in unum omnia contraham, zelus eſt argumentum certiſſimum, & amoris indicium evidentiſſimum: tantumque, ut arbitror, hic quoquoverſum diſtenditur, quantum illius amplitudo longe lateque protenditur. Ille, ille eſt, qui vos indeſinenti ſtimulo pungit & excitat, qui omnes difficultatum moleſtias ſuperat, qui nec acerbitates ullas, nec pericula capitis reformidat, qui nec lente progreditur, nec remiſſe, ſed qui nullum non movet lapidem; ut quacumque tandem induſtria poterit, quod dilecto ſuo cordi eſſe intelligit, viriliter exequatur; contra vero quod aliquatenus ei diſplicere deprehendit, removeat accurate & depellat; aut ſi minus impedimenta prohibere liceat,

Hierem. 15.

Sermon. 2. in Cant.

ficeat, vehementiſſimis interius amoris penitiſſimi flammis exardeſcat, & ſaltem Domino cor liquefactum, atque ad gloriam ejus omnem, proximorumque ſalutem alacriter paratum offerat.

3 Neque vero alia mihi videtur eſſe illa ſartaginis oblatio, in qua cum zeli & amoris igne, & miſericordiæ erga proximum oleo, homo ſpiritualis (granum plane à Chriſto electum, & in pulverem deſiderii patiendi, continuæque in rebus omnibus mortificationis redactum) ſeipſum in odorem ſuaviſſimum Creatori ſuo, ut præclarè teſtatur D. Gregorius, religioſiſſime offert. Nec aliud quidquam ab electionis vaſe vocem illam expreſſit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Aut quid cauſſæ fuit cur Propheta, imo Chriſtus ipſe exclamaret: *Zelus domus tuæ comedit me?* Hic autem ut facilius exſuſcitetur & exardeſcat ignis, tria potiſſimum ad id inſigniter facientia mihi occurrunt. Primum eſt præſentis rerum ſtatus, in quo univerſus orbis verſatur, cogitatio: alterum profeſſionis noſtræ obligatio: tertium talenti à Deo liberali bonorum omnium diſpenſatore nobis donati recordatio.

Levit. 6.

Hom. 12. in Ezech.

4 Nam quod ad primum ſpectat, qui perpendet attentè, quam miſerabilem in modum rerum omnium divinarum ſenſus obſtupuerint, cum alta rerum terrenarum demerſum caligine mortale genus tam parum in cæleſtibus videat; quam univerſa gens humana, ad Dei vocem præcluſis auribus obſurduerit; quam nihil ſuavitatis ſentiat; quam non tantum obduruerit ad flagella, ſed etiam ad vulnera & ignis ardores violentiſſimos occalluerit; quam alacriter in exitium ruat voluntarium, & ſponte ſe plagis peccatorumque aculeis concidendam & confodiendam objiciat; quam libenter exitiabili cupiditatum incendio ita conflagret, ut etiam in cineres pæne diſſoluta ſine ullo tamen doloris ſui ſenſu, computreſcat; qui ponet ob oculos tartarei tenebrarum principis acerrima prælia, tot animarum jacturam, illam denique mundi imaginem ad exemplum illius, quam ſub finem ſexti de Sacerdotio libri tanta ſtrage & horrore terribilem depingit os aureum Chryſoſtomus, animo repræſentabit; qui luctum, & lugubres in morte corporis complorationes cogitabit, & inde ob interitum animæ fieri ſolitas lamentationes, quas primo de Compunctione libro idem ille commemorat, illis componet; non poterit pudore maximo non ſuffundi, dum, quam multa illius

ergo,

ergo, quam pauca hujus gratia uſurpentur, animadvertet: dum obſervabit quantis lacrymarum imbribus, quam implacabili luctu corporis interitum proſequamur, & mortem animæ, qua vita gratiæ infeliciſſime ſpoliatur, vix omnino doleamus. Atque niſi me conjectura fallit, ea fuit non inter poſtremas cauſſa, cur in Lazaro à mortuis ad vivos revocando myſterii pleniſſimas illas lacrymas Salvator effuderit, quod magnum illum doloris ſenſum viderit, quem ſuper extincto cadavere gens illa teſtabatur id temporis, quo vix erat ullus, qui tot animorum inter ipſos extinctorum
Thren. 4. perniciem lamentaretur. O quis Hieremiam imitabitur, qui tam multiplici leſſo lamentatur aurum obſcuratum, mutatum colorem optimum, diſperſos lapides ſanctuarii, filios Sion inclytos, jam purpura & auro primo amictos, reputatos in vaſa teſtea, & amplexatos ſtercora? Sed quam diſpar unius ab altero ratio, & ea re quanto magis ſub his figurarum involucris animæ ad eum ſtatum redactæ conditionem miſeram Propheta lugebat? Hæc & ejusmodi certa claraque quicumque ſecum attente conſiderat, nec tamen, ut inquiebat Pſaltes Regius, tabeſcere ſe, & quaſi defectione teneri perſentiſcit, non ſatis intelligo quam profundo ſomno devinctus ſopiatur. Alterutrum enim pronuntiandum eſt, eum, quisquis ille ſit, aut tantorum malorum præconcepta gravitate, quod ſtatu noſtro foret indigniſſimum, non affici; aut eum leviculo valdè, & prima ſuperficie tenus Deum & proximum amore complecti. Quod tamen noxium nimis & damnoſum eſſet iis hominibus, qui ex animi ſui ſententia, ſcientes prudentesque, ut hoc melius exequerentur, ſe mundanis affectibus & cupiditatibus exuerunt, ſeque totos in hac Religione Creatori ſuo in holocauſtum conſecrarunt.

5 Iam vero quod ad ſecundum; ſi ſemper inhæreret animo vocationis, & Profeſſionis Inſtituti noſtri memoria, omnes utique actiones noſtras ad eum ſcopum, quem hæc Religio ad majorem Dei gloriam ſpectat, poſſemus facile revocare. Etenim Beatus Pater Noſter in Inſtituti formula edicit, ut quicumque in hac Societate voluerit ſub Crucis vexillo Deo militare, proponat ſibi in animo, ſe partem & membrum eſſe Societatis ad hoc potiſſimum inſtitutæ, ut ad fidei defenſionem & propagationem, & profectum animarum in vita & Doctrina Chriſtiana, per publicas prædicationes, lectiones, ſpiritualia Exercitia, Chriſti fidelium in Confeſſionibus audiendis ac ceteris Sacramentis adminiſtrandis conſolationem præcipuè

cipuè intendat. Item in eadem formula præcipit, ut Præpoſitus Generalis cum omni diligentia curet tradendæ doctrinæ Chriſtianæ exercitium, quippe quod prima quidem fronte minus ſpecioſum & plauſibile, ſed tamen maximopere ſit neceſſarium in uſu frequentiſſimo eſſe. In Conſtitutionibus autem parte ſeptima, de Miſſionibus agens, primo ſtatim capite dicit, Noſtros quocumque gentium ad majorem Dei gloriam & animarum auxilium ſe conferre debere. Et ut Noſtri parati eſſe poſſint, ad diſcurrendum per quaslibet orbis plagas, ſexta parte, capite tertio, ſtatuit, propter graves & frequentes Inſtituti noſtri occupationes, quia ſemper eſſe debeant expediti ad quaſvis mundi partes, quo miſſi fuerint, obeundas, non debere rerum aliquot alioqui piarum & religioſarum curam ſuſcipere. Quarta vero parte, capite ſecundo, decernit, Profeſſam Domum, quoad ejus fieri poteſt, rebus omnibus expeditam ad Sedis Apoſtolicæ Miſſiones obeundas, aliaque opera ad Dei obſequium, & animarum auxilium eſſe debere. Denique Vocationis noſtræ gratia non deſiderat homines uni loco particulari, ut ſtabili & continuæ habitationi, inhærentes & illigatos. Sed eo fertur intentio voti illius, quo ſe obedientiæ ſummi Chriſti Vicarii ſine ulla excuſatione Societas obſtringit, ut diverſa loca peragremus, & vitam agamus in quavis mundi plaga, ubi major animarum neceſſitas videbitur poſtulare. Quæ profecto tanta eſt, ut vix ſine magno dolore cogitari posſit; quod in tanta operarum multitudine, ſive propter multa Collegiorum onera, ſive propter modicum fervorem noſtrum, & acerba tolerandi deſiderium elanguidum, fructum tamen illum de Miſſionibus, quem debemus, quem & Eccleſiæ ſanctæ neceſſitas, & vocatio noſtra poſtulat, non reportemus.

6 Erigamus animos, Patres dilectisſimi, & ſtudia noſtra novo cum fervore exſuſcitemus: videbimus profecto, & reipſa experiemur, ſi nos divinæ gloriæ cupidos, & animarum ſalutis avidos præſtiterimus, immenſam illam bonitatem vicisſim rependere: *Quicumque honorificaverint me glorificabo eos: qui autem contemnent me, erunt ignobiles.* Quin etiam imperſcrutabili ſua ſapientia variis illis perſecutionum, quas aliquot ante annos ſubivimus, flagellis, noſmetipſos perpurgabit, efficiendo ut in nobis verum ſit, quod olim Sapiens prædixerat: *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum.* Hoc ut ſtudioſius etiam fiat, petere videtur inſuper & exigere præteritæ vitæ damna reſarciendi necesſitas. Cum enim ipſo ſtatim principio, à quo primum per rationis uſum, eum cognoſcere poſſu-

mus & amare, referre debeamus ei fructus laudis, gloriæ, obedientiæ, amoris & perpetuæ ſervitutis; paſſiones peccatorum, ut ait Apoſtolus, operantur in membris noſtris ut fructificent morti, ita ut non ſolum præſentis ſtatus ratione, ſed etiam præteritorum reparandorum cauſſa, fructus uberes nobis referre conveniat. *Et ad hæc quis idoneus*? Hoc ego vehementer expeterem, ut omni cordis affectu, ſterilitatem, imo & acerbitatem & turpitudinem fructuum noſtrorum plangentes, alacriter aliqua ſaltem ex parte tot nomina diſſolvere conaremur. Et licet mihi ſe campus ingens aperiat, & incentivorum, quæ nos ad illud præſtandum hortari valeant & impellere, ſeges offerat; lubet potius, ut etiam magis expedit ſingulis, hæc in divino conſpectu diſcutienda & conſideranda permittere.

Rom. 7. 5.

7 De tertio verò, talento nimirum, extra omnem dubitationem & controverſiam ſitum eſt, omnem illam diligentiam culturamque, quam Societas in nobis inſtituendis in virtutum & litterarum ſtudio & informandis adhibet, ad aliud non ſpectare, quam ad finem aſſequendum, qui primo ſalus & perfectio propria, deinde proximi cenſetur, ut inſtrumenta iis, quibus nos Deus applicare dignabitur, idonea reperiamur. Vt enim de litteris ſeorſim dicam, conſtat etiamſi rerum cognitio varia diſponat, & ad uſus noſtros animum illuſtret, longe tamen amplius eam ad aliorum utilitatem promovendam intendere, ideoque ſtatim in ipſis ſtudiorum carceribus nobis illa regula proponitur, quæ jubet animi puritatem cuſtodire, & rectam in ſtudiis intentionem habere, nihil aliud in his quam divinam gloriam, & animarum fructum quærentes; ad hunc enim ſcopum ſtudia Societatis diriguntur. Miſerum quippe foret, poſt aliquod tantis laboribus, tot annorum ſtudiis, talentum comparatum, cujus adminiculo animas Deo lucrari valeremus, opportuno ejus depromendi & exercendi tempore imminente, illud involutum in linteo, aut in terram defoſſum occultare. Quod ſi quid ego talenti nomine velim, tacita apud vos quæſtione interrogetis; juxta D. Chryſoſtomi & conſtantem Doctorum aliorum ſententiam, talentum interpretor quidquid omne cum proximorum fructu & utilitate proferri poteſt & impendi. Vnde fit ut etiam naturæ dotes, ſcientiæ, & hujusce generis animi vel corporis ornamenta, nobis à Domino munifice erogata, talenta merito nuncupentur. Et ſane in Societate noſtra, quantumvis unus & idem non ſit omnium modus & ratio, tamen veriſſime profiteri poſſumus, nullum eſſe qui donum aliquod

& ta-

& talentum juvando proximo accommodatum, divina largitate conceſſum non poſſideat. Deinde vero cum in idem vocationis gratia, finis inſtituti, & quæ nos ad illud dirigit obedientia referantur; multum profecto pungere nos deberet & movere illa de ſervis parabola, quibus Dominus peregre proficiſcens bona ſua tradidit ea lege, ut quidquid lucri facturi eſſent, id totum reditibus ſuis & emolumentis accederet. Illic enim eorum, qui ſe ad quæſtum faciendum conſtanter impenderunt, mercedem & luculentam remunerationem, ſimul & irrogatam ei contumeliam & pœnam, qui vel abjecto & humili præpeditus animo, vel pigritia retardatus, nihil Domino ſuo fructus repræſentavit. Vbi primo venit obſervandum, hunc à Domino male mulctatum fuiſſe, non quod bona ſua diſſipaſſet, ſed quod nihil emolumenti retuliſſet. Deinde ſi tanta cum ſeveritate plectat eum, qui pauxillum illud otioſum remanere paſſus fuit, quanto ſæviet vehementius in eos, qui non talentum modo, ſed talenta à Dei benignitate receperint quamplurima. Tertio ſolerter animadvertendum eſt, ſpem omnem & fructus exſpectationem, non tam in induſtria noſtra, quam in accepto à Divina manu dono ſitam eſſe & collocatam. Vnde nobis hinc omnis animum dejiciendi cauſſa tollitur, inde multum arrogantis ſuperbiæ faſtus inſoleſcens retunditur. Eapropter D. Lucas ſervos illos utiles Domino ſuo dixiſſe refert: *Domine mna tua decem mnas acquiſivit*, &c. perinde ut ſi illud Apoſtoli vellet exprimere: *Plus omnibus laboravi, non autem ego, ſed gratia Dei mecum.* Ad hæc quarto notandum accedit, à Domino rationem non de fructu reipſa reportato, ſed de cura & diligentia in bonis ſuis fideliter adminiſtrandis abhibita, repoſci.

8 Quamobrem, ut advertit D. Chryſoſtomus, non dicit Apoſtolus: *Plus omnibus lucratus ſum*, ſed *plus omnibus laboravi.* Ideoque Dominus prænuntiat fore, ut ſub adventum ſuum fructus à nobis exigat. Quæ cum ita ſint, contendamus enixe pro virili parte noſtra: licet enim fructus laborem non conſequatur, ejus erit curare, & à ſingulis, quod perſolvere tenetur, repetere; ſimul etiam deſideria contentionesque noſtras juſta compenſatione munerari. Præterea ſollicite conſiderandum eſt, quod ſi Dominus ita ſe lucri ſtudioſum præbeat; & metat & colligat ubi non ſeminaverit; multo magis ex eo agro fructum percipere volet, in quo tot jam annis, tanta cum gratiæ cæleſtis benedictione, ſanctorum deſideriorum ſementem injecit, utque meſſem uberem referret, largiſſimum tot beneficiorum

imbrem è cælo immiſit. Enimvero ſi præpotens illa Majeſtas, non quod dura ſit vel auſtera, ut perperam ſervus ille piger objiciebat, ſed propter admirabilem ſummæ bonitatis & potentiæ abundantiam, metit interdum ubi non ſeminavit (cum ad gloriam ſuam, ſuorumque ſervorum utilitatem etiam ea mala, quæ ab ipſo non profecta ſunt, refert) quanto magis exiſtimandum eſt, eum in votis habere, ut quæ ab ejus manu dona gratiæ, in bonum & obſequium Eccleſiæ ſanctæ convertenda, dimanarunt, cum fructu impendantur & exerceantur?

9 Poſtremo non eſt illud curſim prætereundum, ſed accurate penſitandum, quod ab eo talentum aufertur, qui illud occultando pariter ſe gerit atque ſi nusquam illud attigiſſet. Ait enim Salvator: *Ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo;* cum tamen è contra ei, qui jam plura posſidebat, alia inſuper affirmet elargienda: *Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur & abundabit.* Deinde remuneratio, & honorifica illa prædicatio, ſimul & dignitas ſuper tot civitates, in gratiam lucelli tenuis, poteſtatem habendi, ex parte nobis illud adumbratum oſtentat, quod paratum ei Dominus aſſervat, qui humili & ardenti animo, exiguum illud quod ſibi conceſſum eſt, fructuoſe collocare elaborat. Ex quo omnis, quæ hinc colligitur utilitas, in uſum noſtrum maximam partem cedit. Verum, ut hoc non ita ſit, amor tamen præſtat, ut avide votis omnibus concupiſcamus, ut ab omnibus intelligatur pariter & diligatur infinita illa per omnem modum Dei bonitas & pulcritudo, cujus ergo vehementi amore animas proſequi debemus, & ad hunc bonorum omnium fontem omni ſtudio allicere, ut admonet D. Auguſtinus: *Rape ad eum tecum, quas potes, & dic eis, hunc amemus, & ipſe fecit nos, & non eſt longe.*

Lib. 4. Conf. c. 12.

10 Sed finem aliquando faciamus, modo prius attente cæleſtis ſponſi vocem exceperimus, qui vicem ſuam dolens, & ægerrime ferens ſe propter obſtinatam animi duritiem à ſuis non admitti, ſic loquitur: *Aperi mihi ſoror mea, columba mea, perfecta mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Quem locum diſcutiendo D. Auguſtinus, rorem illum & guttas aſſerit eſſe eos, qui jacentes amore divino deſtituti, in nocte iniquitatis refrigeſcentes, portantur quidem in crinibus Chriſti, quod adhuc in Sacramentis Eccleſiæ viſibilibus tolerentur, ſed tamen ſine gratia, mortalis peccati ſarcina prægravati, vitam infeliciter trahunt. Pulſat ergo Servator ad oſtium, & ad Eccleſiæ caulas eos advocat, quos ad illud

Tract. 17. in Ioan.

illud exequendum idoneos arbitratur, eosque perhumaniter compellat, ut interrupta quiete propria, curas & ſtudia ſua ad animarum ſalutem promovendam convertant. *Aperi mihi de ſanguine, ſoror mea; de ſpiritu meo, columba mea; de ſermone meo, quem plenius ex me didiciſti, perfecta mea; aperi mihi, prædica me, ad eos quippe qui clauſerunt contra me. Quomodò intrabo ſine aperiente?*

11 Quod ſi nihil nos hæc commoveant, fierine poteſt, ut fiduciam aliquam in languidis frigidisque deſideriis reponentes, familiaritatem cum Deo conjunctiſſimam, multamque tum profeſſionis noſtræ, tum Divinæ voluntatis cognitionem nobis polliceamur? Equidem non me fugit D. Bernardi ſententia; Vt nempe is, qui ex officio animarum ſaluti habet intendere, quoties hominem ſuum interiorem ſenſerit, ad has reviſendas, corrigendas, inſtruendas, & ſalvandas permoveri, toties pro certo ſponſum adeſſe intelligat, toties ſe ab illo ſentiat invitari. Porro invitatio ipſa quid eſt, *niſi intima quædam ſtimulatio caritatis, pie nos ſollicitantis æmulari fraternam ſalutem, decorem domus Dei, incrementa lucrorum ejus, incrementa frugum juſtitiæ ejus, laudem & gloriam nominis ejus?* *Sermon. 58. in Cant.*

12 Hæc habui (dilectisſimi Patres) quorum memoriam ut vobis per litteras (quia coram non licet) refricarem, variis rationibus adductus ſum. Vnum hoc tantum à vobis deſidero, ut ad partes noſtras perfectius intelligendas, ad recentes animos concipiendos, & vires ad hoc reſtaurandas, quicumque in Misſiones erunt dimittendi, per aliquot dies ſe piis ſpiritualium Exercitiorum commentationibus exerceant, iis præſertim, quæ de Regno Chriſti, deque Vexillis duobus agunt, aliisque generis ejusdem, quæ ad excitandos animos, & ad tam generoſam expeditionem inflammandos videri poſſunt opportunæ. Ad Provinciales utique perſcriptum eſt, & præſcriptum, ut juxta ordinem anno nonageſimo datum Misſiones renoventur, & ad eas omnium voluntates accendantur. In ſpem venio fore ut plerique ſe alacriter offerant, Profesſi potisſimè, quippe qui ad eas peculiari quadam ratione obligantur. Ego ſane Divinæ bonitati tantum confido, ut credam totum hoc, quemadmodum iis & merito vertetur & coronæ, ita in Eccleſiæ proximorumque fructum inſignem, in Divinæ Majeſtatis gloriam tot animarum converſione non mediocrem ceſſurum eſſe. Hoc ipſum ceteraque munia, ut ad feliciorem exitum perducatis, vobis abundantem gratiarum copiam ab immortali Deo præcor, ſimulque me

VV. RR. orationibus, ſanctisque ſacrificiis multum commendo. Romæ I. Auguſti, M.D.XCIV.

RR. VV. Servus in Chriſto

CLAVDIVS AQVAVIVA.

EPISTOLA IX.

EIVSDEM R. P. N. GENERALIS CLAVDII AQVAVIVÆ

Ad

Provinciales Societatis.

DE MODO INSTITVENDARVM MISSIONVM.

CVm Miſsionum miniſterium non ſolum ſit vocationi atque Inſtituto noſtro maxime conſentaneum (unde & in Congregationibus generalibus, atque in hac præſertim ultima, tantopere nobis earum cura demandatur) ſed ingenti paſsim, quæ Dei eſt benignitas, cum animarum fructu ad ſpiritualem, non privatorum hominum tantum, ſed integrarum etiam urbium, civitatumque conſolationem exerceatur; cumque ſpiritualis hæc proximorum neceſsitas major in dies appareat ob penuriam hominum, à quibus erudiantur & adjuventur; tametſi alias ſæpe tum litteris noſtris, tum indulgentiarum, quas hoc nomine obtinueramus, occaſione hortati Superiores ſumus, ut accenſum in Noſtris hoc ſtudium, ſpiritumque excitare ac fovere nitantur; Miſsionesque in ſuis Provinciis, pro cujusque facultate crebras inſtituant; ac tamen re ſæpius Domino commendata, & cum Patribus Aſsiſtentibus deliberata, novum quoque nunc ſtimulum addendum cenſuimus; novumque in omnium animis ardorem reſuſcitandum: prolatis ſimul in medium rationibus, modisque, quibus tam ſanctum, & tam fructuoſum opus ſtabiliri poſſe videatur.

2 Et quia nonnulli abierunt anni, cum integras hac de re litteras dedimus

mus ad ſingulas Provincias, omnes hortando, ut magno animi ſtudio miniſterium hoc complectantur; operæ pretium fuerit, ſi R. V. ne in iisdem nunc hæream, relegendas curet, quas menſe Auguſto anno 1594. ſcripſimus, quia cupio prorſus, ut quam efficacisſime poterit, ſpiritum hunc Misſionum in ſuis accendere, ac magis magisque inflammare ſtudeat. Vt igitur in praxim opusque res facilius deducatur, expedire videtur, ut ſinguli Sacerdotes noſtri (iis exceptis, qui vel propter infirmitatem, vel ob aliud juſtum impedimentum idonei ad hoc præſtandum R. V. non videbuntur) Misſionem aliquam deinceps quotannis per vices obeant, nullusque ex iis, qui præſtare id poſſunt, eximatur. Ac primi in hoc genere ſint Profesſi, ad quos profesſionis ipſius cauſſa proprie magis ſpectat hoc exercitium: quique aliis exemplo hac in re eſſe, & duces ſe illis præbere debent. Quod ſi qui fortaſſe vel propter ætatem, vel propter valetudinem, occupationesve alias, longiores obire Misſiones nequeant, non idcirco prætermitti debet, quin breves ſaltem aliquas ſuſcipiant paucorum dierum, & in locis propinquioribus juxta vires, & facultatem uniuscujusque.

3 Modus autem eundi in Misſionibus iſtis ad animas juvandas, uberioremque fructum colligendum, is erit, quo Apoſtoli utebantur, ut bini eant, & quoad fieri poterit pedibus iter faciant, ſicut alias copioſius ſcripſimus litteris XII, Maji, anno M.D.XC. datis, quas nunc etiam legere licebit, ne eadem repetamus.

Porro ut difficultas omnis tollatur, & ne unquam deſint, qui ad Misſiones has deſtinari posſint; atque ut ineatur ſtabiliaturque ratio, qua prompti paratique ſemper ſint ad hoc miniſterium, cupimus ut è ſingulis Societatis domiciliis aliqui, ac duo ſaltem circa Misſiones occupentur: qui ſi per vices cum iis operariis mutabuntur, qui domi reſident, facile ad manum ſemper erunt, qui Misſiones obeant: & quia vicisſim alii atque alii foris verſabuntur, non magno erunt oneri Collegiis.

4 Sed quia non ignoramus, quam difficile eſſe ſoleat, ut moveantur è Collegiis operarii, qui in iis habitant, unde retardari, & impediri ex parte Misſionum uſus ſolet, minus certe frequentes fiunt, quam & Inſtituti noſtri, & fructus ipſius cauſſa optandum eſſet; venit in mentem poſt diuturnas preces, maturasque conſultationes, rationem quamdam experiri, quæ præter alias varias utilitates, multum, ut in Domino ſperamus, ſanctum hoc opus promovebit; nimirum ut R. V. in ſua Provincia duo vel tria

loca

loca deſignet ex iis, quæ Collegia non habent, ubi cum bona civium & Prælati venia, Reſidentiam ad tempus collocet, quæ Miſſionibus tantummodo deſerviat, tum ejuſce loci, tum vicinorum, ita ut mutari ſubinde poſſint hujusmodi Reſidentiarum ſedes, atque ex uno loco in alium transferri, quo pluribus locis proſint, ne paucis aliquot oppidis urbibusque circumſcribantur.

In his Reſidentiis vivere Noſtros ex eleemoſynis oportebit perinde ac in Domibus Profeſſis. Quod ſi locus quispiam, qui aptus alioqui & opportunus cenſeatur, idoneus non erit ad eos eleemoſynis ſuſtentandos, qui ſedem in illo fixerint, quod quidem vix continget, præcipue ſi Noſtri, quod curare debent, eo victu, qui pauperes deceat, contenti erunt, nec ſuperfluas commoditates conſectentur; tum R. V. procurare poterit, à piis perſonis, Prælatis aliisve eleemoſynam quampiam, qua illorum neceſſitati ſubveniat.

In ſingulis ergo Reſidentiis octo minimum eſſe oportebit, ſex Sacerdotes cum binis Fratribus, quorum quatuor per varia circum loca, bini ac bini proficiſcantur. Deinde ſtatis temporibus juxta Superioris præſcriptum ad Reſidentiam redeant, in quo commorentur, aliis viciſſim foras pergentibus. Superior autem, qui Reſidentiæ præficietur, ſpiritu fervens eſſe debet ac rerum peritus, ut Miſſiones quò & quamdiu recte inſtituat. Sacerdotes item qui in Reſidentiis agent, mutandi poſt aliquod tempus erunt, aliique in eorum locum ſubſtituendi ex iis, qui in Collegiis verſantur: ſic enim ex æquo diſtribuentur labores, & ſingulis locus dabitur atque occaſio fructificandi.

5 Ceterum neceſſarium ducimus, ut R. Veſtra iis, qui ad Miſſiones ibunt, & in Reſidentiis hærebunt, diſerte inhibeat, ne de novis Collegiis erigendis ullo modo tractent, aliorumve ſermones audiant, quia è re Societatis in præſentia non videtur augeri numerum Collegiorum. Quod ſi forte in aliqua civitate Domus Profeſſæ erigendæ ſeſe occaſio præbeat; V. R. erit monere Nos, quibus in animo eſt, ſi commoda omnia fuerint, eam acceptare.

6 Denique ut fructum, quem ex Miſſionibus iſtis ſperamus, primo quoque tempore conſequamur, cupio ut R. V ſimul atque has litteras acceperit, cum ſuis Conſultoribus deliberet de modo ac ratione exequendi quæ diximus: ſeligat è ſua Provincia decem aut duodecim Sacerdotes, qui idonei

nei ſint Misſionibus obeundis, eorumque pro conſolatione noſtra, nomina ad nos mittat, ac locorum ſimul quæ ad Reſidentias deſignabit.

7 Addam ad extremum quod hujus argumenti occaſione viſum eſt ſuggerendum, ut meminerit R. V. diligenter curandum eſſe, ut Profeſſi in primis, tum ceteri etiam, qui ad Societatis gradus promoventur, doctrinæ Chriſtianæ quadraginta dies peragant. Quod ipſum ad Miſſiones operarios R. V. ſuppeditabit, præterquam quod Profeſſi ejus memores, quod in profeſſione ſua promiſerunt, curæ cordique habere debent Doctrinæ tradendæ miniſterium, tamquam ipſorum proprium & B. P. N. IGNATIO primisque Patribus tanto cum fructu atque ædificatione celebratum: quorum quidem exemplum amplecti, & omni ſtudio & diligentia imitari cum divina gratia debemus. Romæ XII. Maji, M. D. IC.

RR. VV. Servus in Chriſto

CLAVDIVS AQVAVIVA.

EPISTOLA X.
EIVSDEM
R. P. N. GENERALIS
CLAVDII AQVAVIVÆ
Ad Provinciales Societatis.
DE VSV EXERCITIORVM SPIRITVALIVM.

ETſi alias ſæpe variis occaſionibus Exercitiorum ſpiritualium uſum commendavimus, cum minime obſcurum ſit, quantopere Dominus Deus noſter ab ipſo exordio Societatis noſtræ animarum auxilium hac ratione promoverit; nunc tamen, quando nova ſe offert occaſio ex Directorio Exercitiorum (quod recognitum tandem, aptatumque juxta deputationem hac de re habitam in quinta Congregatione generali, mittimus in Provincias) nullo modo prætermittendum viſum eſt, quin R. V. iterum majorem in modum hortarer, ut omni ſtudio excitare atque accendere nitatur uſum hunc Exercitiorum, non ſolum in Noſtris, verum etiam in externis: quan-

doquidem reipſa conſtat, ſolere Deum per Exercitia, non Religioſis tantum pro cujusque vocatione, ſed ſæcularibus quoque abundantem ſpiritum, ipſorum ſtatui captuique congruentem communicare. Quamobrem magnopere optarem, ut Noſtri, primum in ſeipſis frequenti uſu illa excolentes, idoneos ſe Magiſtros redderent, qui eadem poſtea cum fructu tradere ſæcularibus poſſent. Velim etiam Confeſſariis noſtris à R. V. ſerio commendari, ut pœnitentibus ſuis, quos aptos judicarent, Exercitiorum uſum inſinuent: ad eumque capeſſendum illos ſuaviter invitent & excitent: quoniam qui horum fructum ſemel deguſtarint, iidem poſtmodum aptiſſimi erunt, qui ceteros ad idem deſiderium alliciant & inflamment: ſatisque conſtat in Vrbe, ubi Exercitia ſæcularibus tradi cœpta ſunt, rem Dei beneficio multa cum ædificatione, magno eorum emolumento conſolationique ceſſiſſe. His poſitis neceſſe erit, ut locorum Superiores promptos ſe liberalesque in eos admittendos exhibeant, qui per Exercitia ſpiritualia juvari cupiunt, ita ut poſtpoſitis incommodis, aut etiam ſumptibus, quos fieri nonnumquam oportebit, cor dilatent, & ſpiritualem fructum, qui cum divina gratia ſperatur, anteponant, alacrique animo promoveant. Nam ſi parcos in hac re Superiores, & parum propenſos ad admittendum ſe oſtendent, credibile eſt paucos ad Exercitia venturos: & Confeſſarios perſpecta Superiorum difficultate, parum animi habituros, ut ſuos excitent ad illa flagitanda. Plurimum etiam confert, ſi procuret, quoad ejus fieri poterit, R. V. ut in ſingulis Collegiis ac Domibus ſtata ſint aliquot cubicula, in hunc uſum Exercitiorum pro externis deſignata: atque ut in iis domiciliis, quæ in poſterum ædificabuntur, commodo loco fiant ejusmodi cubicula, ita ut Noſtris nullo ſint impedimento. Et quoniam minime ignoro R. Veſtræ ſatis exploratum eſſe, hujus rei pondus ac momentum, quantique ad Dei obſequium, & animarum profectum referat, ut uſus hic paſſim introducatur & ferveat, pluribus verbis id inculcare ſupervacaneum duco. Hoc tamen ſuggeram, opportunam R. V. occaſionem fore, tum in Conferentiis, quas cum Superioribus inſtituet, de modo & ratione gubernandi; tum in Congregatione Provinciali, quando Superiores omnes in unum coactos habitura eſt, quibus Profeſſos etiam adjiciet, alioſque quos ipſa cenſuerit; cupio ſummum illis deſiderium explicet, quod mihi Dominus injicere dignatus eſt, ut Noſtros videam reipſa ferventes, omnique ſtudio in animarum auxilium incumbentes, cujus cauſsâ nos Dominus ad Inſtitutum hoc

vocavit,

vocavit, & de quo exactam à nobis rationem poſtulaturus eſt. Eamque ob cauſſam R. Veſtra non ſolum ad id omnes cohortetur, ſed de modis etiam variiſque rationibus una tractet, quibus juvari plurimas animas liceat: hanc Exercitiorum praxim illis commendando, ac cetera etiam miniſteria Concionum, Confeſſionum, & alia, quæ ex Inſtituto noſtro exercemus, ut ea in ſeipſis, & in ſubditis, cum ſpiritu ac fervore obeunda curent, ita ut in omnibus Dominus glorificetur, laudeturque cum multarum animarum quæſtu atque lucro. Omnium precibus me valde commendo. Romæ XIV. Auguſti, M. D. IC.

RR. VV. Servus in Domino

CLAVDIVS AQVAVIVA.

EPISTOLA XI.

EIVSDEM R. P. N. GENERALIS CLAVDII AQVAVIVÆ *Ad* Provinciales Societatis.

DE FORMANDIS AC BENE INSTITVENDIS NOSTRIS CONCIONATORIBVS.

CVm in hunc præcipue finem ſingulari Dei providentia inſtituta Societas noſtra fuerit, ut ſecundum perfectionem propriam, in ſalutem & perfectionem proximorum omni ſtudio & diligentia incumbat; noſtrum eſt, quos Dominus huic vineæ ſuæ præpoſuit, ſedulo providere, ut ejus operarii memores officii ſui rationiſque, quam Patrifamilias, qui eos ad laborandum vocavit, aliquando reddituri ſunt, quam fructuoſiſſimi cum divina gratia evadant, omnia illis auxilia & media ſuppeditando, quibus in ſuo quiſque gradu promoveri ac perfici poſſint. Cumque inter Societatis operarios ad ſpirituale proximorum auxilium, plurimum in primis Concionatores poſſint, multas Chriſto animas divini ejus verbi

vi lucrifaciendo; his ego Reverentiæ Veſtræ, tamquam maximi momenti negotium peculiari ſtudio commendandum cenſui, ut ſummam in provincia ſua curam ponat in formandis idoneis ac fructuoſis Concionatoribus: ſerio illos adhortando, ut officii ſui gradusque, quem in Eccleſia tenent, magnitudinem conſiderantes, quo par eſt decore, dignitate, ſpiritu, atque fructu in eo verſari omni cura & animi contentione ſtudeant: ac proinde inanibus verbis tamquam maxime indecoris & alienis procul abſtinentes, ſcopumque ſuum rite dirigentes; in unum Dei obſequium, animarumque auxilium & lucrum penitus intendant.

2 Et quoniam bonos prædicatores habituri non ſumus, niſi ad eos formandos inſtruendosque operam conferamus, eas illis ſtudendi & præparandi commoditates præbendo, quæ neceſſariæ ſunt, ut ſolidam utilemque doctrinam acquirant; ideo ut occaſio omnis amputetur, ne aliorum conciones exſcribere aſſueſcant Concionatores noſtri, Reverentiæ Veſtræ impenſe commendo, ut in praxim revocet §. 7. Inſtitutionis pro Concionatoribus Societatis, atque ea pariter quæ §. 9. & 10. præſcribuntur: quæ quidem eo tendunt, ut neceſſaria directione inſtruantur, caveantque ne factis ipſis parum ædificent, quos verbis ædificare & lucrari conantur. Sed ante omnia commendatum Reverentiæ Veſtræ, quoad poſſum, cupio, ut inculcet Concionatoribus noſtris, omnique ſtudio amplectendum inſinuet §. 8 ejusdem inſtructionis. Ex eo ſiquidem quod ibi præcipitur, tamquam ex fonte derivatur & manat illud ipſum quod, tantopere expetimus, id eſt fructus & auxilium animarum: quoniam experientia ipſa docet parum utiles ut plurimum eorum conciones eſſe, qui cum devotionem illam, zelumque animarum, qui neceſſario requiritur, in ſeipſis non ſentiant, parum efficaciter verba faciunt; nec poſſunt cum ſpiritu in audientium animos eos affectus imprimere, quos ipſimet non induerunt.

3 Ad hunc porro finem magnopere conducet uſus Exercitiorum ſpiritualium, cujus ibidem fit mentio. Idcirco velim, ut Concionatores noſtri priusquam quadrageſimalium Concionum curriculum ingrediantur, morem hunc ſervarent, ut aliquot ante diebus prout eorum ferret commoditas, & unius ſaltem hebdomadæ exercitiis ſe transferrent. Conferret enim id quam maxime ad excitandum in illis ſpiritum, fervorem, iſtumque zelum, & optimæ præparationis inſtar eſſet ad Dei verbum cum fructu ſacro illo tempore annuntiandum. Ac ſperandum haud dubie cum Di-

vina

vina gratia nobis eſt, ſi ita ut par eſt, ſat præſtiterint Concionatores, majores animi vires in ſeipſis experturos, uberioresque laborum ſuorum fructus collecturos. Hoc tamen ipſum præſcribi à nobis vel injungi debere non duximus; ſatis fore rati, enixe commendaſſe, atque ob oculos noſtrum deſiderium eis poſuiſſe, mediumque adeo ad id efficax, quod ipſi tanto labore conſectantur, auxilium, inquam, ſpirituale, quæſtumque animarum. RR. VV. ſanctis ſacrificiis me commendo. Romæ XIV. Auguſti, M.D.IC.

RR. VV. Servus in Chriſto
CLAVDIVS AQVAVIVA.

EPISTOLA XII.
EIVSDEM R.P.N. GENERALIS
CLAVDII AQVAVIVÆ
Ad
Patres & Fratres Societatis IESV.
DE RECVRSV AD DEVM IN TRIBVLATIONIBVS ET PERSECVTIONIBVS.

PRimis annis gubernationis noſtræ, quæ divina fuit benignitas, magnam ubique ferme gentium, per quas Societas diffuſa eſt (quod ita tunc expedire videbat) proſperitatem, lætosque ac felices proceſſus conſecuta eſt: adeo ut PP. Aſſiſtentibus dicere ſolerem, dum tranquillitas erit, intendendum nobis eſſe curſum navigationis, quà dirigendo, quà ordinando, melioremque ad formam res & membra ſingula revocando: ſucceſſurum fortaſſe tempus, quo neceſſe foret cum procellis ſcopulisque luctari, & curam ac vires noſtras ad propellenda potius pericula, quam ad magnos progresſus faciendos convertere. Sed idem Dominus, qui ſumma cum ſapientia nos regit, qui (ut loquitur S. Auguſtinus) *tempora mutat, non conſilia*, quemadmodum erga ceteras olim Religiones ſibi cariſſimas ita ſemper ſe

geſſit, ut illas identidem exerceret, illuſtrioreſque plurimis tribulationibus efficeret; ſic & minimam hanc noſtram ab aliquot annis exercere, variiſque modis probare dignatus eſt. Nos ſane, qui ex hoc loco, tamquam ex ſpecula, totius Ordinis noſtri ſtatum uno aſpectu contemplari poſſumus; facile animadvertimus, licet nullo unquam tempore, nunc hac, nunc illa ex parte adverſa defuerint; tanto tamen & magis univerſales & magis continuas tribulationes ac perſecutiones variis in Provinciis nunc eſſe, quæ à multis diverſiſque hominum generibus inferantur, ut officii noſtri neceſſaria quadam inſtigatione permoti, excitare omnes cogamur, ac toto cordis affectu in Chriſti viſceribus orare, ut communi ſtudio atque ope communem hanc cauſſam complectantur; nec Societati modo noſtræ, ſed ipſi etiam Dei Eccleſiæ communem, cujus cum rationibus conjunctiſſimus haud dubie ſtatus eſt, ſeu melior, ſeu deterior, hujusce Religionis.

2 Primumque omnium maximas cenſeo habendas eſſe gratias paternæ optimi illius Domini providentiæ, qui tanto amore nos proſequitur: quandoquidem tribulationes, quas immittit, eo tendere ſperandum, ut meliores nos reddant, quia ſicut recte à Caſſiano ſcriptum eſt, *Facilius quis elidi poteſt proſperis, quàm adverſis: hæc enim interdum etiam invitos retinent atque humiliant; & compunctione ſaluberrima, vel minus peccare faciunt, vel emendant: illa vero mollibus mentem ac pernicioſis extollentia blandimentis, ſecuros felicitatis ſuæ proventu, ruina majore proſternunt.*

3 Tria deinde omnibus nobis curæ eſſe, & à ſingulis præſtari cupio. Vnum ut Deum ardentiſſimis precibus exoremus, illuminare ac docere nos velit, quid tandem à nobis exigat per hujusmodi tribulationes: ne forte puerorum ſimiles ſimus, qui cum à patribus corripiuntur & vapulant, lacrymis planctuque contenti, nec cauſſas requirunt, cur pœnas dent, nec de emendatione ſua ſolliciti ſunt. Nos enim in nos ipſos deſcendere debemus, & altius intima noſtra rimari atque excutere, animo id reputantes, membrorum vitia in totum corpus redundare, multoſque fortaſſe ſanctos, veroſque Dei ſervos in nobis eſſe, qui propter delicta noſtra eadem tempeſtate agitentur, licet exitu & fine longe diſſimili; quippe cum illos tamquam aurum purificet, nitoremque illis afferat & perfectionem; ignavis vero & negligentibus novarum imperfectionum materiam, tepiditatemque pernicioſiſſimam. Cupio itaque, ut præter uſitata examina ſerium quoddam atque

accura-

accuratum de moribus noſtris omnes, deque privatæ vitæ ac diſciplinæ norma rationem ineamus, ſedulo inveſtigantes, an aliquam revera his malis & detractionibus occaſionem præbeamus. Obloquuntur v. g. de nobis homines, quaſi nimium in ſæcularia negotia nos ingeramus; quod externis occupationibus congreſſibusque plurimum diſtrahamur & occupemur; quod circa doctrinam liberi ſimus, ſtudioſique novitatis; quod habendi cupidi & avari; quod honoris amantes ac propriæ exiſtimationis; quod denique de aliorum moribus factisque facile loquamur & judicamus. Qui quidem ac ſimiles defectus cum à malevolis jactantur & ſparguntur, atque ab unoquoque pronis, ut ſolet, auribus audiuntur creduntur que, dici non poteſt quam odioſam, & quam deſpicabilem reddant quamlibet Religionem. Quod ſi qua in nobis forte ſubſit occaſio & fundamentum, eo fit ut boni ipſi & benevoli, fautoresque noſtri aciem acrius intendentes, ea obſervare ac notare incipiant, quibus ipſorum animi incredibiliter refrigeſcant. Ideoque ante omnia neceſſe eſt, quod dixi, ut ſinguli diligenter explorent, an ulla detur occaſio: & quod in ſe culpæ agnoſcunt, hoc emendent; ad propriam perfectionem ſtudioſius & enixius incumbentes per internam ſui recollectionem, & circumſpectionem, per vera religioſæ humilitatis indicia. per modeſtiam & ædificationem in verbis, *Nulli malum pro malo reddentes, nec maledictum pro maledicto: ſed è contrario benedicentes:* totam denique vitam ita conformantes, ut Deus, quod B. Cyprianus ait, in filiis ſuis clarificetur, dum in illis tanti Patris imago reſplendet. *Si enim*, inquit, *hominibus lætum eſt & glorioſum, filios habere conſimiles; & tum magis generaſſe delectat, ſi ad patrem lineamentis paribus ſoboles ſubciſiva reſpondeat; quanto major in Deo Patre lætitia eſt, cum quis ſic ſpiritualiter naſcitur, ut actibus ejus & laudibus Divina generoſitas prædicetur.* 1. Pet. 2.

4 Secundo loco neceſſe eſt, ut ad orationem omni ſtudio recurratur; tamquam ad remedium efficaciſſimum, & à ſanctis viris perpetuo uſurpatum, dicente David: *In die tribulationis meæ Deum exquiſivi manibus meis nocte contra eum, & non ſum deceptus;* & alibi rurſus: *Cum mihi moleſti eſſent, induebam me cilicio; humiliabam in jejunio animam meam & oratio mea in ſinu meo convertetur.* Quibus verbis aſſiduum orationis uſum valde ſignificanter expreſſit; quaſi rei cujuspiam quæ in ſinu identidem agitetur & revolvatur. Satisque conſtat Religioſos ordines S. Dominici Pſalm 76. Pſalm 34.

& S.

& S. Franciſci ad hoc maxime præſidium convolaſſe, quo tempore graviſſimis & ipſi difficillimisque tempeſtatibus jactabantur. Propterea cupio pariter, ut quod alias ſæpe à nobis ſtatutum eſt, ſepoſitis per aliquot dies ceteris negotiis, ſpiritualibus Exercitiis dies illos impendamus, eaque non ſolum ad privatum profectum noſtrum, verum etiam ad commune Societatis auxi-
Pſalm 34. lium referamus, *ut Dominus apprehendat arma & ſcutum, & exurgat in adjutorium noſtrum*, gratiamque ac lumen nobis infundat, ne adeo præſens bene merendi, & ſpirituales theſauros accumulandi occaſio ſine fructu nobis elabatur de manibus, aut cum jactura etiam, quod gravius foret, per ignaviam vel impatientiam noſtram effluat: cum occulta Dei beneficia, cujuſmodi ſunt tribulationes, intentis oculis ſpectari debeant, & nos ambidextri in illis eſſe: quod tum nimirum accidit, ſi ut præcipit Caſſianus, *ea, quæ proſpera ſunt, dextraque cenſentur, & ea, quæ adverſa ſunt, & ſiniſtra dicuntur, bono rectoque uſu ad partem dexteram fecerimus pertinere: & quæcumque fuerint illata, fiant nobis, ſecundum Apoſtolum, arma juſtitiæ.*
2. Cor. 6. Neque ex eorum numero ſimus, de quibus ſecundum LXX. ſcriptum eſt in
Cap. 14. Proverbiis: *Omnia adverſa viro inſipienti: nec proſperis enim rebus proficit, nec emendatur adverſis.* Ad hunc ergo finem præterquam plurima ſacrificia & ſuffragia, quæ ex communi Societatis theſauro, partim eo jam deſtinavimus, partim etiam in dies deſtinaturi ſumus; expedit ut ſinguli pro devotionis ſuæ modo aliquam pœnitentiam, mortificationem, privatamque orationem offerant: adjiciantque ad communes Litanias, quæ à Superioribus indicentur, etiam *Ave maris ſtella*, aut *Salve Regina*, ad Matrem ſanctiſſimam, quæ tanto ſemper cum affectu, tantoque cum fructu eorum patrocinium ſuſcepit, qui in ejus ſe præſidium ac tutelam conjecerunt: adeo ut D. Bernardus (nullum unquam incaſſum ad ejus opem confugere ſignificans) his illam verbis alloqui non dubitaverit: *Sileat laudes tuas, Beata Virgo, qui te invocatam in neceſſitatibus ſuis meminerit defuiſſe.*

5 Et quoniam ita prorſus mihi perſuadeo, inter cetera, quæ dæmon, harum calumniarum ac perſecutionum auctor & incentor, ſibi proponit, non poſtremum id eſſe, ut nos animis cadere faciat, retardetque ab auxilio animarum, dum tot primariorum, inferiorum omnium ordinum obtrectationibus impugnari nos videbimus, quia cum vere à Salomone dictum ſit, *Calumnia conturbat ſapientem, & perdet robur cordis illius*, mirum haud
Eccl. 7. fuerit, ſi in quo ſolam Dei gloriam proximique ſalutem conſectamur, in
eo

eo ipſo præpediri nos ſentientes, inde ſenſim aut puſillanimitate victi, aut tædio fracti debilitatique gradum revocemus. Dei contrà, qui ad gloriæ ſuæ cumulum ipſius inimici manibus coronam nobis architectatur, conſilium voluntatemque eſſe credendum eſt, ut novo fervore incenſi, ardentiore quam unquam ſpiritu in proximi ſalutem per miniſteria noſtra elaboremus, quid D. Paulus dicat, attendentes: *Oſtium enim mihi apertum eſt magnum & evidens, & adverſarii multi.* Quem ad locum præclarè S. Chryſoſtomus duo hæc pariter conjungi & copulari ſolere obſervat, propterea quod humanæ ſalutis hoſtis, ubi oſtium ad fructificandum latius patefactum eſt, ibi acriores adverſarios atque impedimenta ſuſcitat & obtrudit. Omnino autem animos noſtros vehementer acuere, fervoremque accendere debent vel fructus ipſi, qui ex Miſſionibus undique uberrimi reportantur; populorum concurſus, affectus, & amor ingens, quem declarant; lætitia & plauſus, quo venientes excipiunt; lacrymæ & voces, quibus digredientes proſequuntur. In quibus omnibus manifeſte elucet gratia vocationis noſtræ, cui ne deſimus, omni nobis cura & attentione providendum eſt. Ita enim fiet, ut meſſis ampliſſima colligatur, & Dominus, qui ſalutem animarum tantopere ſitit, tanto nos impenſius protegendos ſuſcipiat, quanto gloriæ ſuæ, hujusque animarum cibi avidiores nos recognoſcet. *1. Cor. 16.*

6 Ad hæc, Superiores privatim hortor, ut diligenter emendare ſtudeant, ſi quid in eo deſideretur, quod Beatus Pater Noſter in 10. parte Conſtitut. §. 11. nos admonet de amore & caritate externorum, ac præcipue Magnatum, erga Societatem conſervanda. Sed meminerint hoc ipſum religioſa potius modeſtia, ſimplicitate, atque humilitate, ac ſolidæ virtutis exiſtimatione perfici, quam aulica urbanitate, gratisque humanæ benevolentiæ obſequiis: quæ licet interdum nonnullis principibus viris placere ſoleant, vel ad oblectationem, vel ad certum ipſorum finem, ac propoſitum; ſæpius tamen in illorum animis opinionem relinquunt aulicorum, & feſtivæ converſationis hominum, aut fortaſſe etiam ſuperborum, ambitioſorum, gloriæque cupidorum, quam bonorum ac ſimplicium Religioſorum.

7 Commendo ad extremum hac ipſa occaſione, mutuam inter nos unionem & fraternam caritatem: non ſolum quia per illam acceptiores Deo erimus, & in medio noſtri, ut ſalvet nos, habitare dignabitur; verum etiam quia quidquid extrinſecus impetum faciat, quamdiu colligati hoc vinculo

erimus, tutiores fortioresq; futuri ſumus. Quare per Chriſti Domini noſtri amorem obteſtor, ut diſpiciatur etiam atque etiam, ne quid deſit ab hac parte: quoniam reipſa, quæ unionem hanc lædere poſſint, multa ſunt: ſeriisq; atque efficacibus remediis occurratur; recogitentque Superiores exactiſſimam ſe Deo rationem reddituros, ſi adeo peſtilens ac perniciofum malum invaleſcere ſinant. Quin hic unus fortaſſe inter alios fructus eſt, quem ex tribulationibus iſtis elicere nos vult Deus, ut noſmetipſi tanto inter nos conjunctiores ſimus. Quod ſi qui in ſæculo ſecundum carnem fratres ſunt, inter quos aut rei familiaris controverſiæ, aut privatæ aliæ cauſſæ graves ſæpe diſcordias ſuſcitant, ſimul atque foris inimicitiæ exoriuntur, mox arctiſſime ſeſe conſociant, ſummaque unione defendunt; multo magis eos, qui non carne & ſanguine, ſed eodem ſpiritu, eademque vocatione conjuncti ſunt, colligari inter ſe, mutuisq; auxiliis adjuvari æquum eſt, dicente Spiritu ſancto: *Frater adjuvans fratrem quaſi turris munita*, ut non immerito concluſerit D. Bernardus: *Pax vobis à vobis ſit, & omne, quod exterius minari videtur, non terret, quia non nocet.* *Proverb. 18.*

8 Quibus in verbis ut finem faciam, ſolum hoc addo, majorem in modum optare ac deſiderare me, ut ad hæc omnia ſummopere invigilemus, ſecumque ſtatuant univerſi, multo graviorem reipſa neceſſitatem eſſe, quam aut his aut aliis litteris explicari queat. Quamvis Divina ſapientia more ſuo non intermittat & multos excitare, qui nos ex animo defendant, & *protectionis interim ſuæ manum inter nos, & ignem*, ut loquitur S. Macarius, *opponere, ut nos calefaciat, non adurat.* Ipſe ſuo nos omnes afflatu moveat, ut amori & caritati, quem communi parenti noſtræ debemus, unico ejus gloriæ adſpectu ſtudioqve reſpondeamus. Omnium precibus & ſanctis ſacrificiis me commendo. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis.

Romæ XXIX. Iulii, M. DC. II. *Omnium in Domino Servus*

CLAVDIVS AQVAVIVA.

EPISTOLA XIII.

EIVSDEM

R. P. N. GENERALIS

CLAVDII AQVAVIVÆ

Ad Patres & Fratres Societatis IESV.

DE

DE RENOVATIONE SPIRITVS, ET CORRESPONDENTIA CVM DEO.

QVam neceſſaria ſit quotidiana ſpiritus renovatio, jugisque & indefeſſa interioris hominis reformatio, ex iis, quæ in ſe quisque miſere experitur, intelligit, & confitetur, quisquis non ſegniter ſpiritualis eſſe deſiderat, niſi forte hoc eſſe negligat, quod profitetur. Hinc divina eloquia in Prophetis, Apoſtolis, & Sapientiæ libris, nil frequentius, nihilque efficacius commendant & urgent, quam ut ea, quæ retro ſunt, obliviſcentes, ad anteriora nos indefeſſis ſtudiis extendamus: ita ut Apoſtolus ipſe Paulus, cum ad id nos graviter hortatus eſſet, hæc verba ſubjungat: *Quotquot enim perfecti ſumus, hoc ſapiamus.* *Philip. 3.* Ne quis forte occaſionem errandi ſumeret, credendique illud ad incipientes tantum pertinere; vel certe eos, qui magno principio exorſi fuerant (ut revera fecimus, quicumque ad Religionis ſtatum Divina miſericordia vocati ſumus) perpetua renovatione minime indigere. Quo factum eſt ut D. Hieronymus ad Abigaum, hæc ſuo nomine filiæ cuidam ſpirituali indicanda denuntiet: *Vt in cœpto itinere non laxetur:* *D. Hier.* *ut ad terram ſanctam multo per eremum labore perveniat: ut non putet perfectam eſſe virtutem exiiſſe de Ægypto, ſed per innumerabiles inſidias ad montem Nabo, & ad Iordanem fluvium pervenire, ut accipiat ſecundam in Galgala circumciſionem: ut illi muri Hierico corruant, Sacerdotalium tubarum ſubverſi clangoribus: ut juguletur Adonizedec: ut Haï & Hazer, pulcerrimæ quondam corruant civitates.* Quibus, licet brevibus, frequenti, ut ſolet, ad ſacras hiſtorias alluſione, illud indicat glorioſus hic Doctor; non eſſe ſatis mundum ingreſſu Religionis reliquiſſe; ſed ut ad terram promiſſionis, id eſt, cæleſtem patriam, multa cum gloria pervenire valeamus; per innumeras nobis tentationes atque inſidias perrumpendum eſſe, perveniendumque ad ſublimem perfectionis montem & ad Iordanem fluvium, qui ſuo nomine (quod deſcenſionem ſonat) voluntariam mentis humilitatem ac vilitatis noſtræ opinionem indicat, ubi à pulvere & ſudoribus perpetuis (quibus ex laboribus & tentationum ſollicitudinibus, ac vitæ hujus diſtentionibus fœdari neceſſe eſt) lavari poſſimus & recreari. Neceſſariam præterea eſſe ſecundam in Galgala circumciſionem, quod non ſufficiat mundi hujus ſuperfluitates ſemel tantummodo reſecuiſſe, niſi etiam frequentius, imo perpetuo ſtudeamus abſcindere quidquid in nobis aſſidue germinat, quod à cœpto itinere quoquo modo præpediat: neceſſariam eſſe

 forti-

fortitudinem, nec minus aſſiduam orationum inſtantiam, quo difficultatum muri, qui obſtant, deſtruantur. Occidendum quidquid in nobis carnale & ſenſuale adhuç viget, & civitates munitas inimicarum regionum, hoc eſt, quantum ego aſſequor, quidquid mundus amat & amplectitur, pervigili ſollicitudine deſtruendas.

2 Nec difficile intelligemus, unde difficultates innumeræ & impedimenta moleſtiſſima oriantur, ſi ſpectemus & vanitatem & qualitatem hujus mundi, (in quo tamen quamdiu in mortali corpore peregrinamur, vivere cogimur) ſi inſidias & mille artes inimici, cui, ut loquitur S. Leo, *Sanitas noſtra, vulnera, lucra, ſunt damna*; qui & voluntate & arte nocendi omnes ſuperat inimicos: ſi perpendamus concupiſcentias, quæ in nobis militant, quæ pr oclivem in ſingulas horas lapſum ad vitia, arduum aſcenſum ad virtutes ſuo pondere faciunt: unde neceſſe eſt nobis contra nos ipſos, numquam intermiſſam exercere pugnam, & invicta perſeverantia indefeſſisque laboribus lucra conquirere; palmamque, ut cum S. Auguſtino dicam, quaſi de medio abreptam ſæculi hujus incendio, reportare. Quare etſi aliquando nec ſemel ſcripſi, hortatus vos, pro muneris mei obligatione, ut magnis itineribus ad eam perfectionem tenderetis, quam noſtrum Inſtitutum exigit; fateor tamen quoties attentis oculis ſtatum Societatis noſtræ contemplor, quid boni ad Dei gloriam in eâ fiat, quidque fieri melius poſſit; toties me vehementer accendi, ut ad majora tendamus: eoque magis quo quisque noſtrum, ſi ſe diligenter excutiat, non ſolum inveniet in rebus & actionibus particularibus quod emendet, (*in multis enim offendimus omnes*) ſed etiam deprehendet clara luce, ſe, niſi pervigil ſit & indefeſſus atq; ad anteriora & ſuperiora ſe rapiat, ſemper plurima etiam non advertentem perdidiſſe. Atque utinam circa hujuſmodi cogitationes ſemper intenti, atque perpetuo nos occupati eſſemus: appareret profecto longe pulcrior longeque ſplendidior totius hujus corporis facies; atque interiori auditu longe majori cum ſuavitate & delectatione perciperetur ſuavis illa harmonia, quæ ex tanta nationum, naturarum, ingeniorum, & gratiarum varietate in auribus non militantis tantum, verum etiam triumphantis Eccleſiæ perſonaret.

Iacob. 3.

3 Ergo præter cetera, quæ divina aſpirante gratia adhiberi poterunt, cenſui faciendum, ut hoc veluti practico inſtrumento uteremur, Exercitiorum videlicet ſpiritualium, & internæ cum Deo collocutionis ſtudio: quo ex ad-

ex adjumento non ſemel eadem operante fructus uberrimos in univerſa Societate percepimus. Quam ad rem etiam SS. D. N. Clemens VIII. ut pius Pater, & qui Religionis noſtræ felicem progreſſum deſiderat, Iubilæum etiam nunc, ut ſæpe antea, nobis efflagitantibus conceſſit. Qua occaſione ſenſi me etiam ſuburgeri, *ut veſtram excitem in commonitione ſynceram mentem.* Nec video quo aut commodius aut efficacius id præſtare poſſim, quam ſi Religionis noſtræ, cujus quilibet noſtrûm pars eſt & membrum, ſtatum atque dignitatem ob oculos ponere tentavero. Legimus in Ezechiele Deum Dominum, ut filios Iſraël, qui aberraverant, excitaret ac pudore ſuffunderet, dixiſſe Prophetæ: *Fili hominis oſtende domui Iſraël Templum, ut confundantur ab iniquitatibus ſuis, & metiantur fabricam, & erubeſcant ex omnibus, quæ fecerunt.* Et quidem D. Gregorius intelligit tunc Deum nobis ad confuſionem Templum oſtendere, atque exactam menſuram conſiderandam indicere, cùm oculis noſtris vitam perfectorum hominum ſubjicit, ut comparantes noſtris imperfectionibus illorum virtutes; paupertati & humilitati noſtræ, illorum ſublimitatem; humiliemur tandem, & ad perfectionis ſtudium accendamur. Ego tamen exiſtimo poſſe nos totam Templi oſtenſionem, & dimenſionum deſcriptionem in alium derivare tractatum. Nam ſi plurimam confuſionis & erubeſcendi materiam Dominus tunc præbebat, cum populo illi oſtenderet, quam ingens illa fuiſſet machina, & qualis quæ eo tempore fere conciderat, quomodo ſua ipſorum culpa eâ privati fuerant, quibus gemitibus, quaque inſtantia orationum contendere debuiſſent, ut iterum reſtitueretur, quam non multis ante annis ingenti decore & majeſtate florentem viderant; quid, quæſo, animi nobis eſſe poterit, quæ non confuſio faciem noſtram operire, ſi ſtructuram hanc Societatis, quam non fundavit ſolum, ſed etiam ſingulari providentia & ſervat & auget Divina bonitas, ſyncero ac vivido mentis intuitu contemplemur?

2. Petr. 3.

Ezech. c. 43.

23. Moral. C. 6.

4 Arbitror itaque præter ceteros, quos inveſtigare quisque poſſet, tres præcipue ob fines, qui nunc meo inſtituto deſerviunt, adeò exacte voluiſſe Dominum, Templum à Propheta deſcribi.

Vnus eſt, ut contemplantes amplitudinem, majeſtatem, ſtructuram admirabilem, ornatum, & divitias illius, atque ex eo intelligentes expenſas, opera, magnificentiam, quibus illud divina ſapientia in illorum bonum utilitatemque ſtatuerat; confunderentur & erubeſcerent, cum animadver-

terent quanta viciſſim ipſi ingratitudine reſpondiſſent; ſuisque peccatis & operibus id egiſſent, ut quaſi vanus & inutilis tam divinus apparatus redderetur; quamque inſipienter, dum id boni poſſiderent, eo frui neglexiſſent. Et nos igitur ſi diligentius inſpiciamus hanc Societatis noſtræ machinam, quam Dominus tam inſigni architectura & magnificentia erexit; ſi conſideremus ſtructuram, columnarum firmitatem, porticuum amplitudinem, ornatum capitellorum, divitias auri, magni illius vaſis (quod propterea Mare vocabatur) commoda, ſanctitatem altaris, ſacrificiorum varietatem, & ſexcenta hujusmodi, ſingulari conſideratione digniſſima (quæ omnia facile quivis poterit in ſpirituali ſenſu divino ædificio noſtræ Religionis applicare) ſtupore atque extaſi repleti, non poterimus ex intimo corde non exclamare cum Propheta: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* Et quoniam (ut S. Auguſtinus, in re quidem alia, loquitur) dum dicitur Dominus parare nobis locum, ſimul & nos loco parat; nec Divinæ providentiæ, cui omnia præſentia ſunt, novum aut inopinatum erat, quemque noſtrum vocare, ut in hoc loco habitaremus; certum eſt quo tempore B. P. Noſter, ut divina ſapientia repletus architectus, & exemplar hujus fabricæ, & ſtructuram ipſam moliebatur, eodem etiam divinam bonitatem, qui, quales, quot, & quomodo in ea habitaturi eſſent, jam deſignaſſe.

Pſalm. 83.

In Io. tr.

Iam igitur, qui ſerio huic meditationi cor dederit, quomodo poterit non confundi, & erubeſcere, cum perſpexerit quam amplum, quamque auguſtum Deus templum nobis conſtruxerit, ipſeque viciſſim quam parum huic beneficio reſpondere nitatur?

5 Secundus, ut intelligentes peculiarem in eo Templo Altiſſimi aſſiſtentiam, quod ſe facturum promiſerat Salomoni illis verbis, *Sanctificavi domum hanc, ut ponerem nomen meum ibi in ſempiternum; & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus;* intelligerent ſimul illud in eis reſpectu quidem tantæ Majeſtatis omnino debere progignere ſacrum quemdam profunda cum reverentia horrorem, admixtum ſollicito cuidam tremori, ne id profanarent: quemadmodum & viciſſim ob tam benevolas lætasque promiſſiones, quas Dominus exhibebat, ſingularem quamdam fiduciam: quandoquidem oculi & aures illius, qui ſumma ſapientia, ſummaque ſimul bonitas eſt, perpetuo aperti, atque intentæ ſuper domum illam erant: quibus perpetua illius protectio apertius inſinuatur. Et nos igitur proculdubio,

3. Reg. 4.

2. Paral. 6.

bio, ſi profunda meditatione attendamus Divinæ bonitatis aſſiſtentiam, atque ſollicitudinem, quam huic minimæ Societati exhibere dignatur: non modo cognitam à nobis, ſed, ut ita dixerim, manibus contrectatam, tam multis rerum varietatibus, tribulationibus, perſecutionibus, proſperitatibus, infamia, & bona fama, fructibus in proximos, gloria quæ factori tribuitur, aliisque plurimis, quæ ingenti cum admiratione & conſolatione cernuntur; poterimus certe, ſi veri & legitimi Societatis filii fuerimus, non pro nobis tantum, ſed etiam pro aliis ſingularem Dei quamdam protectionem nobis absque ulla hæſitatione polliceri. Quod ſi Divina Scriptura refert quaſi magnum aliquod privilegium, Nabuſardan (qui licet magni Regis, vermis tamen & mortalis hominis & ipſe homo dux erat) dixiſſe Ieremiæ, *Ponam ſuper te oculos meos*; in quantum fiduciæ ac ſpei non poterit *Hier. 42.* anima excreſcere, quando ſolus potens, qui omnia, quæcumque voluit in cælo, & in terra, & in mari, & in omnibus abyſſis fecit, aſſerit, ſe apertos & intentos habere oculos in eum locum, quò ſingulari ſua providentia vocavit illam? Revereatur itaque profunde tantæ majeſtatis præſentiam, humilietur in abyſſo ſui nihili, in conſpectu ejus repleatur Divina fiducia, & animi magnitudine, quisquis ad eum locum vocatus eſt. Ceterum dum hæc perpendit, ſi quid in eo ſenſus eſt, non poterit non confundi & compungi, quod tam male reſpondeat. Sed illud mihi exploratum eſt, hanc Divinam protectionem ejusque præſidia, vix, plus audeo, ne vix quidem eos ſibi polliceri poſſe, qui egreſſi limites & cancellos Inſtituti, nec ſibi pro continuis diſtractionibus, nec proximis per ſpiritualia adjumenta intendunt; ſed eorum communicatio cum externis extra gratiam vocationis eſt, & ſæcularis potius, magisque finibus & adinventionibus illorum accommodata, quibuscum agunt, quam Dei lucris, & fini Religionis noſtræ, qui ſola animarum ſalus & gloria Dei eſt: fitque inde ut plurimas non profuturas aliis, ſed ſibi nocituras horas utilioribus ſtudiis ſuffurentur. Proinde qui ſe ad hujusmodi occupationes & diſtractiones inclinari ſentit, obſecro per miſericordiam Dei, ut diligenter id examinet, certetque in lumine Spiritus ſancti attendere in ſe, ſeque invenire, neque ſinat ſe torrente humanæ gratiæ, aut plauſibus potentium abripi: ſed id ſibi potius perſuadeat, hujusmodi humanis ac ſæcularibus tractationibus ſe & ſeipſum, imo & Societatem, non ſine inſigni jactura proprii ſpiritus, & fructus proximorum, variis, iisque non levibus periculis exponere.

Qui

Iſai. 40. *Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem; aſſument pennas, ut aquilæ, volabunt, & non deficient:* ſicut reipſa in iis apparet, qui puro zelo animarum ſalutem conſectantes, per vaſtitates terræ, per immenſitates Oceani, in mediis periculis & mortibus, à Domino admirabili plane providentia & poteſtate, & anima & corpore proteguntur. Quemadmodum & Apoſtolus Paulus, ſingulare ſpeculum miniſtrorum Dei atque hominum Apoſtolicorum, manifeſte aſſerit de ſe ipſo.

6 Tertius, ut videntes eas, quibus eo tempore fruebantur occaſiones & opportunitates magnopere proficiendi, & orationibus ac ſacrificiis innumera bona conquirendi (quandoquidem extruxerat eis Dominus in Templo aulam veluti quamdam benignitatis, ubi ad familiare colloquium ſine intermiſſione illos admitteret, ibique regalem miſericordiæ thronum erexerat) dolerent ſe propria negligentia & oblivione illius, quem perpetuo corde geſtare debuerant, non modo vacuos & ſine fructu remanſiſſe; ſed eo jam omnino miſere caruiſſe. Et quisnam ſine rubore & ſiccis oculis recogitare poſſit ſubſidia, quibus in Religione abundamus, ut in omni virtute & ſanctitate creſcamus; & tamen quam exiguum ſit lucrum, quod inde conquirimus? Sic ſane, dilectiſſimi, neceſſe eſt quisque noſtrûm profunde oculos figat, & metiatur fabricam, & erubeſcat, quot opportunitates habeamus innumeros theſauros acquirendi, virtutum actus exercendi, quot calcaria, quæ ad perfectionem urgeant, quot ſtimulos in conſcientiæ examine, quot reprehenſiones in exhortationibus quas frequenter audimus, ſi tamen nos ipſos deinde ad interiora reducimus, ut Deum audiamus eas medullitus explicantem, lucidius & efficacius imprimentem; quantam in Superiorum vigilantia cuſtodiam; quales in multitudine regularum ſepes; quàm copioſam de cælo cæleſtium donorum pluviam in frequentia Sacramentorum, & præſertim in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, *quam cum dico* (ait S. Chryſoſtomus) *omnem benignitatis Dei Theſaurum aperio*; qualem contra omnes inimicos fiduciam à ſpiritualibus munimentis & vallo; quam firma & valida in orationibus arma; qualia in pœnitentiis & corporis afflictionibus munimenta; quantam in Angelorum cuſtodia ſecuritatem; ut vere ſecurus aſſeram, ſi hæc à nobis eo quo par eſt modo perpenderentur, magna nos proculdubio & confuſione & triſtitia, quod tam tenuiter his omnibus reſpondeamus, ſæpiſſime perfundendos. Quare illud cupio modis omnibus, ut ſerio & accurate in turpitudinem, & fœditatem tepiditatis

reluctantes licet oculos convertamus, recogitantes cuinam ſerviamus: qua promiſſione ex parte noſtra, quibus ex parte Religionis præſidiis: quanta ex parte Dei gratiarum copia, qui nos vocavit, prævenit, & traxit: qua ſpe & magnitudine promiſſorum à tam liberali, tamque potenti, vel pro minimis obſequiis, remuneratore: quandoquidem Rex talis, non maximus modo, ſed etiam ſupremus, ac naturalis, à quo & eſſe, & vivere, & moveri, & denique omnia ſine ceſſatione percepimus; qui ſemper ſuper nos oculos apertos vibrat, non ut diſcernat tantum opera, ſed ut nos adjuvet; cui ut ſerviat, natura noſtra condita eſt (adeo ut in hac una re felicitatem ſuam inveniat, ut Sanctus aſſeruit Auguſtinus, *Quandoquidem ſic facta eſt*, inquit, *ut ei bonum ſit ſubditum eſſe, perniciosſum autem ſuam, non ejus, à quo condita eſt, facere voluntatem*) qui ſic curat unumquemque noſtrum, tamquam ſolum curet, qui tum res noſtras diligentius & accuratius procurat, cum perfectius curas omnes noſtras, noſque in ipſum projicimus: Rex, inquam, talis, Dominus, & Pater, quomodo non integram atque omni ex parte perfectam ſervitutem mereatur?

7 Unde B. Auguſtinus pleraque ex iis capitibus attingens ſic Armentarium compellat: *Reddite igitur, quod voviſtis, quia vos ipſi eſtis, & ei vos redditis, à quo eſtis: reddite, obſecro: neque enim quod redditis reddendo minuitur, ſed potius ſervabitur & augebitur: benignus enim exactor eſt, non egenus, & qui non crevit ex redditis, ſed in ſe creſcere faciat redditores. Huic ergo quod non redditur, perditur; quod autem redditur, reddenti additur: imo vero in eo cui redditur, ipſe reddens ſervatur. Idipſum quippe erit redditum, & redditor, quia idipſum erat debitum, & debitor. Deo namque ſeipſum debet homo, eique reddendus eſt, ut beatus ſit, à quo accepit, ut ſit.* Ceterum de damnis hujus tepiditatis, id eſt, moleſtiis & amaritudinibus, quas tepida anima patitur, quomodo permultis iiſque gravioribus periculis expoſita ſit, ne à Domino (ut ipſe in Apocalypſi loquitur) evomatur; quam difficilis, & tarda ſit hujus morbi curatio, cum homo ſeipſum palpet, & quaſi hecticus cum ea maxime laboret, febrim non ſentiat, quo pacto quotidie aliquid perdat, quod natura ſemper ſeipſam quærat, & inſenſibili quodam modo, quaſi alluvione, conſumat, & ſi qui fiunt interdum actus, qui boni videantur, remiſſi atque ignobiles fiant; quomodo quotidie ad capiendas, quæ ex Divino fonte jugiter effluunt, aquas, vas cordis jugiter anguſtetur; quod plurimos gradus gloriæ, quos fervore lucrari potuiſſet, miſer hujus-

modi homo ſibi tepore furatur: deque innumeris aliis incommodis, quæ ex eo morbo proveniunt, digna prorſus, quæ ſerio neque curſim recogitentur à nobis & plorentur; memini me in libro Induſtriarum aliquid pertractaſſe. nunc ſatis ſit cum D. Gregorio concludere: *Si inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non ſublevat, ipſa operandi remiſſio contra hoc, quod operatum eſt, pugnat.* Hinc eſt enim, quod per Salomonem dicitur: *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis.*

3. Paſt. admonit. 35.

Proverb. 18.

8 Radices porro & cauſſas hujus tepiditatis, licet ad eas fere tandem reducantur, de quibus mox dicam, tamen neceſſe erit, ut quisque peculiari ſtudio ad cor rediens, excutiat diligenter, ut eas intelligat & eradicet, vel certe mortificet, ut quæ tam amaros atque exitiales fructus gignant. Quæ autem in mentem veniunt, hæ fere ſunt. Amor proprius, ſeipſum perpetuo quærens; paſſionum rebellio & conflictus; horror difficultatis in pugna & victoria; deſiderium rerum facilium & molliorum, cujusmodi eſſe ſolent, ad quas natura propendet; voluntaria per multa cordis evagatio; defectus Orationis; negligentia Examinis; & hujusmodi plurima, quæ opus non eſt hic ſingillatim recenſere. Illud tamen non omittam, quod puto, & aliqui experti ſunt, plurimum juvare poſſe; hoc autem eſt permultum temporis diesque plurimos ſerio atque accurate meditari, quanta obligatione obſtricti ſimus Deo per omnia reſpondendi, quamque ſegniter & quam male id præſtare nitamur. Id quod ſi in ſæcularibus deflendum eſt, longe magis in nobis, qui Religioſi ſumus, & ſentiendum & deflendum eſt; qui & ex obligatione ſtatus, & propter opportunitates, quibus abundamus, ut dictum eſt, & ob magnitudinem & multitudinem beneficiorum, id excellentius præſtare debemus. Quod ut clarius intelligamus, & non ſegniter nec quaſi prætereuntes meditemur; poterimus id perpetua memoria retentare, ſi inter innumeras, quas in ſimpliciſſima illa Dei natura perfectiones inveſtigare poſſumus, duodecim ſaltem conſideremus, quæ aliqua à nobis viciſſim exigunt.

9 Prima eſt, Majeſtas & celſitudo. Secunda, immenſitas ac præſentia ubique locorum. Tertia, naturale dominium in omnia, quæ creata ſunt. 4. Providentia, qua nos gubernat. 5. Beneficia, quibus nos prævenit. 6. Sapientia. 7. Pulcritudo. 8. Suavitas & dulcedo. 9. Liberalitas. 10. Amor. 11. Quod ſit Spiritus & vita animæ. 12. Quod centrum & finis illius.

10 Maje-

10 Majeſtas igitur ac celſitudo, abyſſalem, ut ita dixerim, reverentiam & timorem exigit. Nam ſi Ezechiel vidit ſubſiſtere Cherubim, alasque demittere, cum primum vocem audierunt ex firmamento, quod quaſi Sapphiri ſpecie ſuper capita eorum erat; *vocem omnipotentis Dei*, ut ibi ait S. Hieronymus, *ferre non valentes:* quanta nos vermiculos terræ contemptibiles reverentia, quantoque tremore aſtare decet? ut propterea dixerit Apoſtolus ad Hebræos: *Habemus gratiam, per quam placeamus ſervientes Deo, cum metu ac reverentia. Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt.* Vbi Græcum verbum, non nude reverentiam, ſed cum pudore & rubore admixtam ſignificat.

Ezech. 1.

Hebr. 12.

11 At Præſentia, cum ipſe ſit intellectus & oculus, nos actu ſemper conſiderans, nec exteriora tantum, ſed etiam intima noſtra, quibus ipſe intimior eſt, accuratiſſime diſcernens; pedumque noſtrorum radices conſiderans (quod pro verbo, *veſtigia*, LXX. in Iob reddiderunt) manifeſte & puritatem non vulgarem corporis & animi, & exquiſitam in operibus diligentiam exigit; neque enim fas eſt diſtorta maleque diſpoſita opera, præſente ipſo ac proſpiciente, moliri, cujus oculi, ut Sapientia loquitur, multo plus lucidiores ſunt ſuper Solem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes; deinde vero etiam audaciam & animi magnitudinem; quandoquidem ſolo intuitu nos erigit, confortat, ac virtutem miniſtrat operandi, tam pie tamque dulciter & cor dirigens, & manum movens, ut B. Dionyſius non dubitaverit, cum de divinis nominibus ac perfectionibus loqueretur, Deum ipſum eo nomine Græce appellare, quo ſignificatur, illum extenta ſemper manu nos manuducere.

Eccleſ. 23.

12 Dominium vero, quo Dominus dicitur Dominantium, Rex Regum, Deus Deorum, quippe non ſolum omnium Dominus, & vere ſolus Dominus, ſed etiam fons omnis Regni, omniſque dominii, proculdubio promptam à nobis obedientiam, integrumque ac maxime voluntarium ſervitium requirit: quandoquidem non ex aliqua cum illo conventione, pactione, aut ob noſtra propria commoda, ut aliis Principibus fieri ſolet; ſed naturali ſubjectione, utpote cujus omne creatum poſſeſſio ſit, ejus ſervitio ſumus obſtricti; eoque magis, quod natura noſtra, ut dictum eſt, talis eſt condita, ut perfectionem aut requiem alibi invenire non poſſit, niſi cum integre ſubdita eſt ei, à quo facta eſt. Quod ſi creaturæ omnes ei obediunt,

Pſalm. 118. unde Propheta ait, *Ordinatione tua perſeverat dies, quoniam omnia ſerviunt tibi:* *Baruch. 3.* *& cæli lumen, ac ſtellæ*, ut alius Propheta loquitur, *cum tremore ei obediunt, & in cuſtodiis ſuis lætatæ dicunt, Adſumus, & lucent cum jucunditate ei, qui fecit illas;* dignum profecto eſt, ut homo ſimilis factus Angelis, qui ſuo factori longe nobiliori modo, id eſt, per intellectum & voluntatem, ſerviunt, obediat illi in omnibus, majori qua poteſt perfectione ac promptitudine, illud interim dolens nec ſine pudore ingemiſcens, quod jam frequenter ab eo ſe deamari conſpicit. Si vero etiam promiſſionem per vota præſtitam addamus, & conſecrationem, qua nos totos ei dicavimus, ut ad perfectam Dei ſervitutem libere aſpirare poſſemus, Deus bone, quantum excreſcet cumulus debitorum!

13 Verum providentiæ, quæ nos aſſidue dirigit, nobis conſulens, nos vocans, excitans, gubernans, non obſcurum eſt quanta reſignatio debeatur: talis nempe qualem Princeps Apoſtolorum verbis illis explicat: *1. Petr. 5.* *Omnem*, inquit, *ſollicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis*, ita ut in omnibus vel proſperis, vel adverſis, quæ contingunt, ſive ab hominibus, ſive undecumque proveniant, parati ſemper ſimus, beatam illam vocem emittere, quam S. Leo Eccleſiæ filiis medullitus diſcendam eſſe pronuntiat; *Luc. 22.* *Non mea voluntas Pater, ſed tua fiat;* atque his præſertim, qui ſe ipſos abnegantes, propriæque voluntati renuntiantes, profitentur ſe ſe non ex parte, ſed integre obtuliſſe providentiſſimo Patri holocauſtum. Vnde fiet etiam nihil temere, & quod inde naſcetur ſolidum illud gaudium, nullis unquam lætitiis ulla ex parte conferendum, quo perfuſus qui ingeminaverat, *Pſalm. 107.* *Paratum cor meum Deus*, in illas erupit voces: *Cantabo & pſallam; Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara.* Tanta eſt in vera reſignatione hilaritas & Dei laus. Ceterum beneficia quiſque viderit quantam animi gratitudinem, beneficiorum agnitionem, gratiarum actionem, & operum mutuam redditionem poſtulent. Nam ſi in rebus humanis ingratitudo tolerari non poteſt; ſatis liquet qualis erga Deum erit, erga quem ſane tum ob frequentiam illorum, tum ob magnitudinem, tum ex neceſſitate noſtra, qua illis aſſidue indigemus, tum quod ab illius bonitate, nullo ejus lucro nullaque neceſſitate, promanant; demum quod à tam nobili atque divina manu proficiſcantur, creſcit cumulus in immenſum. Atque hujus gratitudinis defectu naſcuntur, ut S. Auguſtinus, & S. Bernardus aſſerunt, detrimenta omnia, atque mala ſpiritualia.

Eſt enim, ut hi Patres loquuntur, veluti ventus urens, bona omnia exſiccans, fontemque miſericordiæ ſuper ingratum hominem obſtruens.

14 Sapientia porro attentum omnino & excitum diſcipulum erigit, ut & audiat ſolerter, & apprehendat fideliter internum illius magiſterium. O quanta circa animi noſtri defectus, virtutum pulcritudinem, ſemitas quibus nobis inſiſtendum eſt, ſecreta; quæ mundi amatoribus non manifeſtantur; viam ſeſe ad perfectionem extendendi; modum cum eo agendi internus nos Magiſter hic edocet! Quare Iſaias: *Erigit manè*, inquit, *manè erigit mihi aurem, ut audiam quaſi magiſtrum.* Hæc nos intus docet ſemper nos ipſos habere ſuſpectos, ſecreta Dei pertimeſcere, noſtram vilitatem noſtrumqe nihil agnoſcere; in divino tantum auxilio ſpem ponere, ſcientes *quia vana ſalus hominis:* tandem, ut Spiritus ſanctus loquitur, *ſobrietatem, & prudentiam, & juſtitiam, & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus.* Nec difficile eſſet hoc Sapientiæ magiſterium, ſi illius voci ac ſuaviſſimo ſuſurro inventum tandem inter rudera & ruinas collapſi ædificii noſtri, indeque erectum cor applicaremus; & omni terrenarum ſtrepitu ſilente curatum in mentis penetralibus docentem audiremus: quandoquidem ipſamet circuit quærens nos ad magiſterium. Quare Spiritus ſanctus ubi de Divina Sapientia hac dixiſſet, eum, qui illam quærat, minime laboraturum, *aſſidentem enim foribus ſuis, inveniet illam*, ſubdit: *In viis oſtendet ſe illis hilariter, & in omni providentia occurret illis.* Vbi Græca vox, quam noſter Interpres *Providentiam* dixit, paullo plus indicat: ſignificat enim proprie excogitatum aliquod & inventum: ut ſit ſenſus, Deum non ſolum præ foribus noſtris nos expectantem, opperiri; ſed etiam in viis hilari ſuavique vultu nobis occurrere; denique nullum prætermittere inventum, nihil non excogitare ut ſe nobis oſtendat. Tanta eſt illius bonitas, tamque ingens deſiderium, quo noſtram perfectionem exoptat.

Iſai. 50. *Pſalm. 59.* *Sap. 8.* *Sap. 6.*

15 At pulcritudini, & pulcritudini tantæ ſacram quamdam & ardentem concupiſcentiam cum incredibili rerum omnium creatarum contemptu deberi, facile videt, qui vdet. Sed quis poterit Oceanum hunc intrare, ut de Divina pulcritudine diſſerat, ſi etiam de creata ſapientia, quod donum in nobis eſt, & vix minima quædam guttula perennis illius fontis, dixit Sapiens, ut quibusdam placet, *Specioſior eſt Sole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, luci comparata invenitur prior.* Legat qui voluerit non modo ſacras litteras, quibus innumeris in locis hæc pulcritudo reſplendet; ſed

Sap. 7.

etiam Sanctos Patres, cum de Divinis perfectionibus agunt, præſertim vero Dionyſium de Divinis nominibus, qui liquidisſime pulcritudinem hanc videtur eſſe contemplatus. A nobis certe quod exigitur præcipue illud eſt, ut purgandis oculis, quibus videri poteſt, id eſt munditiæ cordis, diligentiſſime attendamus. Nam neque in hac vita impurus oculus eam poteſt intueri, ut plurimis locis egregie docet S. Auguſtinus; nec in alia revelata facie poterunt eam contemplari, niſi qui in hac mortali illum diligenter expurgaverint; vel certe ita conſtituerint, ut poſſit in Purgatorio plene mundari. Atque ex hac proculdubio viſione ingens faſtidium maximusque contemptus orietur cujuscumque tandem rei, ſive viſibilis ſit, ſive inviſibilis, quæ illo inferior ſit. Quapropter de Angelis, quorum nos formam & ſimilitudinem, quantum quidem in hac vita aſſequi licet, omnino decet æmulari, S. Auguſtinus in libro de Civitate Dei loquitur: *Præ cujus non ſolum incorporali, ſed etiam incommutabili & ineffabili pulcritudine, omnia, quæ infra ſunt, & quod ille eſt non ſunt, ſeque ipſos inter omnia deſpiciunt, ut ex toto, quo boni ſunt, perfruantur.* De quo ſane aſpectu & pulcritudine dum ego loquor, illud præterire non poſſum, ex attenta hujus pulcritudinis conſideratione, quod in creatis pulcris contingere non poteſt, id provenire utilitatis ac commodi, ut & ipſi pulcri efficiamur, & ad illius ſimilitudinem conformemur: fit enim, ut ex Apoſtolo animadvertit S.

1. Corinth. 3. Bernardus, ut cum anima gloriam Dei ſpeculatur, *In eamdem imaginem transformetur à claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu:* quo quid dici utilius aut auguſtius poteſt? Ad quam ſimilitudinem ut nos B.

Pſalm. 70. Auguſtinus hortaretur, explicans verba illa Pſalmi, *Deus quis ſimilis tibi*; ſic ait: *Non ab illo recedat* (ſcilicet homo) *ei cohærendo ſignatam, tamquam ex annulo cera, illi affixus habeat imaginem ejus, faciens quod dictum eſt, Mihi autem adhærere Deo bonum. Vere cuſtodit ſimilitudinem & imaginem, ad quam factus eſt.* Suavitatem porro & dulcedinem ſanitas quædam palati & guſtativæ virtutis incipiat neceſſe eſt. Quare omnino ab omni terreno ſapore, qui eam inficere poſſit, repurganda eſt accurate. O quam miſerum in modum cura & delectatio terrena Dei ſaporem impedit! Nec dubium quin interdum peccata etiam, levia niſi frequenter expurgentur, fructum internæ ſuavitatis, teſte B. Gregorio, ſupra quam credi poteſt, impediant. Huic autem dulcedini guſtatio debetur, & ſi dicere licet ſaporatio, & quæ inde naſcetur inſatiabilis quædam fames: ſed ex defectu in-

terni

terni guſtus divinæ dulcedinis provenit interdum, ut idem Sanctus aſſerit, *Vt amemus foris miſeri famem noſtram.* Et contra, qui palatum aſſidue expurgant, aptumque cæleſtibus ſuavitatibus impenſius reddunt, accipiunt quamdam divinæ dulcedinis portionem, atque in amore caſtiſſimæ voluptatis exardeſcunt, ut ſpretis omnibus temporalibus ad edendum bibendumque toto accendantur affectu.

16 Liberalitas autem perſeverantem petitionum conſtantiam, imo vero importunam, ut ita dicam, & inſatiabilem indicit, nec non impetrandi ſubnixam magnanimitate fiduciam, ut propterea B. Bernardus dixerit, debere nos ſpiritu ſuſpenſos habere oculos erga Deum, expanſumque ſinum, *Ad largam ejus benedictionem, qui utique à copioſis illis cæleſtis menſæ deliciis vacua numquam revertitur manu.* Oportet igitur nos magna cum fiducia impetrandi importune precibus efflagitare; ſinumque cordis ad ſuſcipienda data optima, donaque perfecta ſemper habere dilatatum. Ad quod etiam majores nobis animos addit, dum conſideramus nihil nos humile, nihil expetere terrenum, cum harum rerum expoſtulatio, quæ minimæ, ac fere nihili ſunt, injuriam potius, ut ait Caſſianus, tam munifico Patri ac largitori irrogare videatur; qui paratus eſt majora ac præclariora absque comparatione ulla donare: ſed tantum ea petere, quæ nos gratiores efficere poſſint divinæ ipſius Majeſtati, illique arctius atque intimius unire. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus.* *Hebr. 4.*

17 Sed enim amor ad amorem trahit dulciter, compellit fortiter, nec alio quam amore compenſari poteſt. Nec video quidquam, quod nos tantopere & humiliare debeat & pudore ſuffundere, ſicut profunda cogitatio, quod cum à Deo (hoc eſt à Majeſtate illa, quæ nihil in nobis amore dignum invenit, ſed producit amando) tam mirum in modum fuerimus in amore præventi, tam parum tanto & tali reſpondeamus amori; cum præſertim in hoc ſolo affectu, ut S. Bernardus annotavit, aliqua ex parte Deo poſſimus rependere vicem. *Nam cum amat Deus*, inquit hic Pater, *non aliud vult quam amari. Quippe non ad aliud amat, niſi ut ametur, ſciens ipſo amore beatos, qui ſe amaverint.* Præmiſerat autem, quod licet Deus timendus ſit ut Dominus, honorandus ut pater, *horum tamen neutrum acceptabit, ſi melle amoris condita non fuerint.* Denique merito dixit: *Magna res amor, ſi tamen ad ſuum recurrat principium, ſi ſuæ origini redditus, ſi refuſus ſuo fonti, ſemper ex eo ſumat, unde jugiter fluat.* Verum *Sermon. 83. in Cant.*

ſine

ſine ſuſpiriis & lacrymis cogitare non licet, quam vilia & indigna ſint, quæ ab hoc amore nos retrahunt; quantumque amor proprius graviſſimus ejus hoſtis, amariſſimus ipſe atque ingratiſſimus, quaſi catenis quibusdam, ne Deo, cui nos totos debemus, integre omnino reddamus, nectat atque coërceat, *& tamen dignum eſſet*, ut S. Hilarius loquitur, *ut illi nos integri redderemus, cui debere nos recolimus & originem & profectum.* Quamobrem ut amorem nobis, quem ei debemus, ſua lege commendaret, poſtquam ſe dulciter Noſtrum vocaſſet, *Diliges*, inquit, *toto corde, tota anima, ex omni mente, & ex omnibus viribus tuis:* quamvis idipſum certe quod totum eſt, parum admodum ſit, ut ideo merito dixerit S. Bernardus: *Amat caritas,*
De dilig. Ver. *amat immenſitas, & vicem rependimus cum menſura?* Et in Cantica Sermone citato: *Merito cunctis renuntians affectionibus aliis, ſola & tota incumbit amori, quæ ipſi reſpondere amori habet in redhibendo amore: nam & cum ſe totam effuderit in amorem, quantum eſt hoc ad illius fontis perenne profluvium?* Et hoc illud eſt, quod nos perurgere omnino debet, ut omni ſtudio ac diligentia, nulla re prætermiſſa, quæ ad id conducere poſſit, ad amoris proprii mortificationem, divinique augmentum non ſegniter accendamur, donec cum ſponſa gloriari liceat: *Ordinavit in me caritatem*, hoc eſt, Vexillum & præſidium amoris (id enim ſonat militare illud vocabulum *ordinavit*) ſuper nos mira conſtituit dignatione, tum ad noſtri cuſtodiam, tum ad ipſius Domini conſervationem, in quo omne bonum noſtrum poſitum eſt.

18 Et quamdiu anima infidelis Domino ac rebellis non ejicit ſua culpa tam neceſſarium firmumque præſidium, nulla ſe vi à Domino ſeparari poſſe ſecura confidat. Vnde vas illud electionis gloriatur: *Quis nos ſe-*
Rom. 8. *parabit à caritate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an fames*, &c. quæ fidenter enumerat. Et revera quam tribulationem timeat, Domine IESV, qui te exhortatore & conſolatore intrinſecus roboratur? qua anguſtia coarctetur, qui in te ſumma latitudine, corde undique dilatatur? quam famem horreat, qui de pane vitæ & paſcitur & inebriatur? qua nuditate laboret, qui te indumento gloriæ tegitur & ornatur? cui periculo cedat, qui ſuper omne mutabile, pennis amoris tui ſublimiter elevatur? quæ illum perſecutio frangat, quem lævâ & dexterâ tuâ molliter quieſcentem amplecteris, & qui ſcapulis tuis jugiter obumbratur? quis gladius vulneret, quem turris fortitudinis undique cingit ac protegit? Non itaque immerito humili

fiducia

fiducia plenus, poſt verba illa ſubdit Apoſtolus: *Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos ſeparare à caritate Dei, quæ eſt in CHRISTO IESV Domino noſtro.* Quæ verba perpendens D. Auguſtinus, tam ignitas divinasque affert meditationes, & tam dulces ſenſus, ut ſi non omnes recenſere, ne longior ſim, aliquas tamen mihi præterire non liceat: *Nemo,* inquit, *nos inde ſeparat minando mortem: idipſum enim, quo diligimus Deum, mori non poteſt, niſi dum non diligit Deum, cum mors ipſa ſit non diligere Deum. Quod nihil eſt aliud, quam ei quidquam in diligendo atque ſequendo præponere. Nemo inde ſeparat pollicendo vitam; nemo enim ab ipſo fonte ſeparat pollicendo aquam. Non ſeparat Angelus; non enim eſt Angelus, cum inhæremus Deō, noſtra mente potentior. Non ſeparat virtus; nam ſi virtus hic illa nominata eſt, quæ aliquam poteſtatem in hoc mundo habet, toto mundo eſt omnino ſublimior mens inhærens Deo. Non ſeparant inſtantes moleſtiæ; hoc enim leviores eas ſentimus, quo ei, unde nos ſeparare moliuntur, arctius inhæremus. Non ſeparat promiſſio futurorum; nam & quidquid boni futurum eſt, certius promittit Deus; & nihil eſt Deo ipſo melius, qui jam profecto bene ſibi inhærentibus præſens eſt. Non ſeparat altitudo, neque profundum, ſi enim ſuperna & inferna hujus mundi ſignificantur, quis mihi cœlum polliceatur, ut à cæli fabricatore ſejungat? aut quis terreat infernus, ut Deum deſeram, quem ſi numquam deſeruiſſem, inferna neſcirem.* *De mor. Eccleſ. 11.*

19 Iam vero quod ſpiritus & vita animæ ſit, merito ad id nos conſtringit, ut omni ſtudio illi vivamus, quo vivimus, & ut vita noſtra, omnis ſenſus, motusque animæ à vitali hoc divino ſpiritu procedant. De hac animæ vita in libro de præcepto & diſpenſatione, B. Bernardus ita philoſophatur: *Circa finem.* *Si Deum amans anima ex ipſo vivit, uti corpus ex ipſa; quo pacto, quæſo, præſentior eſſe contenditur, ubi dat,* id eſt corpori, *quam unde accipit vitam,* id eſt Deo? *Fons ſiquidem vitæ caritas eſt; nec vivere animam dixerim, quæ de illo non hauſerit: haurire porro quomodo poteſt niſi fuerit præſens ipſi fonti, qui caritas eſt, quæ Deus eſt? Præſens igitur Deo eſt, qui Deum amat in quantum amat; in quo enim minus amat, abſens profecto eſt.* Ex iis licebit ex parte conjicere, quo ſtudio cavenda ſint nobis omnia, quæ vitæ hujus actiones impedire poſſunt, quæ ex eo ſpiritu jugiter promanarent. Quare non modo exacta omnino diligentia à mortalibus peccatis cavendum eſt; quæ cum cor feriant, (de quo nobilius à Sapiente dictum arbitror, *Omni* *Proverb. 4.*

cuſtodia ſerva cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit) extinguunt ſubito ſublimiorem animæ vitam, quæ inde ut cadaver putridum ac putidum ſimul immobilis, inſenſibilis, & plane inutilis redditur; ſed omni etiam cura à venialibus, & imperfectionibus, præſertim gravioribus, abſtinendum, quæ veluti morbi animæ atque humores noxii, qui quaſi defluentes in nervos ſpiritus impediunt, retardant, prohibentque motus, ſenſusque vitales ab hoc ſpiritu venientes, quo vivificantur, vegetantur, & ſenſificantur animæ noſtræ. Quod ſi hoc exemplo corporalium infirmitatum, quas ut abjiciamus, tentamus omnia, perpenderemus diligentius, quæ actitentur in nobis; evigilaremus certe, ne quid intentatum in hiſce ſpiritualibus depellendis relinqueremus: atque in omnibus attenta ſemper mente diſtenderemur, ut vitam hanc, quam de cælo haurimus, ſenſu motuque jugiter teſtaremur.

20 Tandem dum illum eſſe finem, ac centrum noſtræ beatitudinis, attentius ruminamur, liquidò certe perſpicimus non modo in ſtatu vitæ noſtræ, ſed etiam, ut noſtra regula docet, in particularibus actibus, in operibus, verbis, & cogitationibus ſemper in eum nobis, non ſegniter nec cum torpore, tendendum: quandoquidem rerum omnium perfectio, quam & motibus ſemper intendunt, in eo poſita eſt, ut ad centrum locumve ſuum perpetuo moveantur. Nam ſi infelicia prorſus putarentur corpora, quæ ſuis ponderibus, gravitate ſcilicet vel levitate, ſua loca non peterent; longe proculdubio major miſeria noſtra fuerit, niſi aſſidue tendamus ad Deum: quod tunc vere fit, cum actus omnes noſtri ab ipſius amore, & moventur in ipſum & diriguntur. Ex quo etiam id apparebit, quam non leviter venialia æſtimanda ſint & cavenda, quibus fit ut actiones, quæ hujusmodi fuerint, non poſſint tendere ad Deum. Quare B. Dionyſius malum aſſerit *eſſe præter finem, extra terminum, ſcopo carens.* Itaque ſi ex centum motibus, qui verbi cauſſa unius diei ſpatio fiunt, plures fortaſſe quam nonaginta in vanum recidunt, non in centrum; conſideremus, obſecro, quam nobis ingratum, quamque inviſum genus hoc vitæ debeat eſſe. Nec dicat quisquam, ut genus hoc peccatorum ob humanam fragilitatem ſine ſingulari Dei privilegio vitari non poteſt, ita frequens admodum eſſe, ut in multis hujusmodi prolabamur; præſertim cum caro concupiſcat adverſus ſpiritum, & concupiſcentia militet in membris noſtris; quandoquidem teſte Gregorio Nazianzeno, non ſolum compoſiti ſumus, ſed oppoſiti, quod eſt in nobis ipſis impedimenta pugnasque portantes: non, inquam, ad excuſandas

cuſandas excuſationes in peccatis hoc audeat afferre. Primo enim reſpondeo, ſi non poſſunt omnia vitari, poſſunt multa: & qui vigilat in iis præveniendis, & occaſionibus amputandis, & poſtquam eas admiſerit, flendo & dolendo diluendis, excitatus & pervigil in cuſtodia cogitationum verborumque, in præcavenda diffuſione cordis, ad quod frequenter redeat, in ſtipularum hujusmodi concrematione, in flammis caritatis Chriſti, multa proculdubio cavere poterit.

21 Vnde cavebit etiam conſequenter motus plurimos inordinatos & vanos, qui ad centrum minime tendunt. Deinde aſſero ut non deſint impedimenta, quæ ſunt veluti fines motum remorantes: nihilominus cum pondus, id eſt amor, quo in Deum tendimus, magnum eſt; hæc omnia veluti tenuiſſima fila ſua ingenita vi disrumpere; quemadmodum linum aliquod tenuiſſimum ſi grave ſaxum alligaret, non impediret certe, quín eo disrupto ipſum quam velociſſime raperetur ad centrum. Inde B. Auguſtinus more ſuo, id eſt ſubtiliter ac dulciter valde; *Nihil eſt tam durum*, inquit, *atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. Quo cum ſe anima rapit in Deum, ſuper omnem carnificinam libera atque admiranda volitabit pennis pulcerrimis & integerrimis, quibus ad Dei complexum amor caſtus innititur.* Et ſubdit exemplum invictiſſimæ feminæ matris Machabæorum, quæ magnitudine hujus ponderis ingentes validasque catenas materni amoris, imo & ſui ipſius, veluti fila quædam aranearum diffregerat. *Quid tamen mirum, ſi omnibus medullis conceptus Dei amor & tyranno, & carnifici, & dolori, & corpori, & ſexui, & affectui reſiſtebat?* Denique ſemper, ut deſtinatum ſcopum aſſequamur, altius nobis collimandum eſt, ſcientibus debilia eſſe inſtrumenta, infirmosque arcus, quibus jacimus; nec illud obliviſcamur, quod Caſſianus refert, debere Dei ſervum ad id perpetuo conniti, *ut quod in futurum dicitur, de beata converſatione Sanctorum, jam ſubarrhatum habeat in præſenti: id eſt, ut ſit ei Deus omnia in omnibus.* Quod, ut ſupra dixerat, præſtabit homo, *unum dumtaxat deſiderans, unum ſitiens, ad unum omnes non ſolum actus, verum etiam cogitatus ſemper intendens.*

De morib. Eccleſ. 22.

22 Ex iis igitur, quæ poſuimus, ſatis liquet, Dei ſervum, qui Domino ſuo non indigne reſpondere deſideret, ſemper debere in conſpectu illius multa cum reverentia & timore verſari; magna cum puritate, & accurata diligentia, prompta obedientia, ac perpetuo obſequio, integra reſigna-

tione, ut à nutu illius totus pendeat, numquam interrupta animi gratitudine, ſumma attentione docilis accuratique diſcipuli, ſummo deſiderio eo fruendi, magna palati puritate, & fame illum guſtandi; aſſidua oratione, & prece, ac latitudine cordis ad impetrandum, amore ſi non quanto debet, certe quanto cæleſti largitate irroratur; illi ſemper & de illo vivere, ad ſuum ultimum ac beatiſſimum finem ſine ulla ceſſatione contendere. Qui ergo vivæ fidei oculis non oſcitanter conſideraverit hæc omnia, & ut cum Scriptura de fabri diligentia ac labore dicam, *Cor ſuum dederit in ſimilitudinem picturæ* (quam videlicet exprimere debet) *atque in conſummationem operum*, ut in vigilia ſua ornet imperfectionem; qui fieri poterit, ut cum ſeipſum ab ea perfectione, quæ in hoc brevi exemplari depingitur, tam longe abeſſe conſpicit, non ſe in conſpectu Domini ſerio humiliet; & ſolita tepiditate abjecta, media non aſſumat, quibus quotidie magnis itineribus properet ad perfectionem? Sed neceſſe eſt, has meditationes non tantum lectas audire, aut ſtrictim curſimque percurrere, ſed attenta & profunda conſideratione penetrare, nunc ſimul omnes, nunc per ſe ſingulas: ſperandum enim eſt hominibus ſæculi vinculis abſolutis voluntatis optimæ, & qui donum cæleſte, atque adeo Deum ipſum non ſemel guſtaverunt (quales Divina miſericordia homines Societatis me credere & ſentire juſtum eſt) hoc proculdubio non vulgaria ſpiritus lucra atque augmenta allaturum.

23 Et ut ſcriptioni modum ponam, ſicut in principio dixi neceſſarium nobis eſſe noſtræ vocationi reſpondere, dolereque ac confundi, quod ad tam ſublimem vitæ ſtatum vocati tam tenuiter id præſtemus; ita in fine tacebo ipſe, ut glorioſum Doctorem Ambroſium audiamus, qui ſub typo & imagine athletarum, ut noſtræ profeſſioni ſatisfaciamus, pulcerrimis atque efficaciſſimis verbis nos compellat: *Athletæ ſumus; legitime certandum eſt: ante bravium contenditur ad coronam. Poſtea numquid Athleta otio vacat, cum ſemel dederit certamini nomen ſuum? Exercetur quotidie, ungitur quotidie; ipſe cibus ei agoniſticus datur, diſciplina exigitur, caſtimonia cuſtoditur. Et tu dediſti nomen tuum ad agonem Chriſti, ſubſcripſiſti ad competitionem coronæ. Meditare, exercere, ungere oleo lætitiæ, unguento exinanito.* Ergo per miſericordiam Dei, & ſuaviſſima viſcera CHRISTI IESV ſpei noſtræ, evigilemus omnes, ut hæc ſpiritualia Exercitia, tali propoſito, tantoque fervore ſuſcipiamus, atque ad perfectionem excitemur arden-

ardentius, ut non modo fructus is conſtet & appareat, qui aliquoties benedicente Domino, magna omnium conſolatione collectus eſt; ſed colluceat etiam uberior in corpore hoc univerſo: cui oremus omnes inſtanter à Domino voluntariam copioſamque pluviam gratiarum. Romæ XXIV. Iunii, M. DC. IV. ipſo die, qui glorioſo Præcurſori, lucernæ ardenti ac lucenti, ſacer eſt.

Omnium in Domino

CLAVDIVS AQVAVIVA.

EPISTOLA XIV.

EIVSDEM R. P. N. GENERALIS

CLAVDII AQVAVIVÆ

Ad

Superiores Societatis.

DE SOLLICITVDINE ET VIGILANTIA SVPERIORVM ERGA SVBDITOS.

QVod ſpiritualis præfecturæ curam à ſanctis, Deumque timentibus viris reformidatam ſemper, omnique ſtudio declinatam legimus; non ea ſane cauſſa eſt, quod plurimum illa meriti non habeat, aut humili obedientia, cum à Deo imponitur, ſuſcipi non debeat; ſed quod res & ſummæ ſollicitudinis plena ſit, & propter varias humanæ infirmitatis circumſtantias, aſſiduasque tentationes innumeris periculis expoſita. Quippe cum de ipſis etiam omiſſionibus, & de culpis alienis, quas male gubernando noſtras interdum facimus, exactiſſimam Deo rationem reddituri ſimus. Vnde quoties animum refero ad grave illorum Superiorum diſcrimen, qui à me tamquam à capite ſuo muneribus ſuis præpoſiti, ad curam oneris, quod ſuſtinent, excitandi mihi inſtituendique ſunt; ſatis intelligere poteſtis, Patres dilectiſſimi, me meum ipſius ſupra ceteros periculum intueri, ac meritò pertimeſcere. Itaque urget me idipſum & admonet, ne in præteritæ un-

 quam

quam diligentiæ recordatione conquieſcam; ſed nullum ut finem faciam, me una vobiſcum ad paſtorale hoc munus magis magiſque novis cohortationibus inflammandi. Et quamquam de inſtructione pro Superioribus ante aliquot annos miſſa, nuperque edita in lucem, reſciri nondum poſſit (eo quod ad paucos, ut audio, antea pervenerit) quosnam fructus in hanc partem allatura ſit, quamvis uberes illos caritas & vigilantia veſtra ſperare me jubeat; tamen cum oculis pateant incommoda, quæ quorumdam immediatorum Superiorum vitio in dies ſuboriuntur; impellit me officii neceſſitas, ut omnes iterum hac occaſione ad ſex illorum capitum lectionem uſumque ex animo amplectendum exſuſcitem.

2 Multis autem ſtudio prætermiſſis, quæ à me in eo libello, quam minime male divino conceſſu licuit, indicata & commendata ſunt, nunc ſolum hoc monebo, ſummopere in primis neceſſarium videri, ut tres fines conſiderentur, quorum gratia ſuſcipi aliorum curam debere S. Auguſtinus obſervat: *Obediendi*, inquit, *ſubveniendi*, & *Deo placendi caritate.* Quibus ſcilicet aperte docemur, quam ſollicitos & quam vigilantes eſſe nos conveniat. Quia ſi obediendi ſtudio ducimur, ut his nimirum, qui onus hoc imponere poterant, Deoque, qui eorum imperio nos regit, obſequamur; minime obſcurum eſt, quam parum hujus obedientiæ numeros expleturi ſimus, ſi parum accurate, leviterque officio functi fuerimus: aut ſi ut tot perſonis ſubveniamus, eisque in adeo gravi & cum ipſa illorum ſalute ac perfectione conjuncto miniſterio inſerviamus, nihil præter mediocrem quamdam & vulgarem diligentiam præſtiterimus. Nam ſi id agimus, ut Deo placere ſtudeamus, præterquam quod ipſe toto cordis affectu & coli vult, & meretur; verbum ipſum *placendi* quantum in eo nobis elaborandum ſit, liquido declarat.

3 Veniat ergo in mentem, nos eorum ſimiles eſſe, quos Præfectos & Exactores ſcriptura vocat, Hebræa vero lingua fortitudinem, ac perſeverantem longanimitatem ſignificanti voce deſignat. Quod ſi opus noſtrum eſt finis Societatis, id eſt ſalus & perfectio propria ſimul & proximorum, conſtat profecto enitendum nobis eſſe omnibus nervis, ut ſubditi noſtri hunc finem adipiſcantur: ita ut ſatis eſſe numquam arbitremur, ſi honeſtam utcumque & laudabilem vitam ducant, niſi ad ſui perfectionem, magnis quaſi paſſibus contendant; neque eo contenti, quod ſua ipſorum cauſſa faciant, in proximorum quoque ſalutem ſerio & viriliter incumbant:

quan-

quandoquidem hoc etiam ad Superiorum officium curamque pertinere manifeſtum eſt. Ac pudendum reverà, quod cum illuſtres ſint fructus, quos per Societatis miniſteria tum in Miſſionibus, tum plurimis aliis modis divina bonitas elicit, quando Superiores invigilant, ipſi tamen ſæpenumerò dormitare & torpere videantur.

4 Sic itaque ſtatuere, ſibique proculdubio perſuadere debent, ſe tam in defectibus, qui cernuntur, quam in bonis operibus, quæ prætermittuntur, non minimam nec poſtremam culpæ partem ſuſtinere: magnamque adeo diſciplinæ laxitatem & jacturam ex eo naſci, quod hac de re aliter ipſi fortaſſe ſentiant. Dum enim culpam omnem in ſubditos conjiciunt, & aliud præſtare ſe poſſe diffidunt; rem ſuopte nutu ferri ſinunt, dolore contenti, quem ex ejus ruina capiunt. Atqui magnam in Superioribus culpæ partem reſidere, ſatis demonſtrat aut morbi ipſius in nonnullis ſubditis vetuſtas, quod vel nulla illis, vel minus apta remedia admoverint, aut ipſa ejuſmodi defectuum in Collegio vel Domo quapiam frequentatio communis. Neque enim exiſtimandum eſt, tum communes tantummodo dici poſſe defectus, cum in eos prolapſi omnes fuerint; ſed tum etiam cum multos occuparint: ut contra error eſſet communem Collegio culpam appellare, qua unus tantum aut alter ex imperfectioribus teneretur.

5 Quamobrem incumbant, Dei amore, in munus ſuum omni cura & contentione, procul habitis omnibus aliis occupationibus, quæ animos avocare & diſtrahere poſſint. In quo ſane ſcrupulum haud levem duci & haberi par eſſet, adeo ut non ſemel animum ſubierit cogitatio, an expediret mulierum confeſſiones Superioribus interdicere, quod his audiendis multum temporis exiguo fructu conteri ſoleat; via ſterni ad viſitationes; turbari interdum etiam per æmulationes, aliaſque occaſiones pax domeſtica, non ſine magno debitæ erga Superiorem reverentiæ amoriſque detrimento. Dedant ſe orationis rerumque internarum ſtudio, quemadmodum regula præcipit, & D. Bonaventura, Sanctique omnes vociferantur, ac nos ipſi diverſis Epiſtolis, inſtructionibusque noſtris abunde commonuimus. Examen adhibeant, non modo defectuum perſonalium, ſed eorum etiam, qui ad Superiores, quatenus in eo munere verſantur, proprie ſpectant.

6 Inculco etiam atque etiam quanto poſſum animi ſenſu, quod multis ab hinc annis de hora conſiderationis præſcriptum eſt; quam & ab effectis ipſis, & ex variis relationibus ſentio, neque adeo univerſim, neque ita

ſerio

ſerio uſurpari ac Societatis neceſſitas poſtularet. Legant ſtudioſiſſime S. Bonaventuræ opuſculum De ſex alis, quod in hunc uſum brevioribus paginis efformandum curavimus: & ſicubi forte non ſuppetant exemplaria, dent operam Provinciales, ut iterum excudantur. Inſtructionem quoque noſtram, & Induſtrias, ac præ omnibus aliis regulas ſui officii. Memineríntque hoc à ſe primum exigi, ut præſentes Collegio quisque ſuo adſint, non tam corpore, quam mente & attentione: ſui muneris eſſe invigilare, arguere, corrigere, exhortari, obviam ire malis, eorumque occaſionibus, prælucere exemplo; objectasque difficultates forti & conſtanti animo pervincere: nec leviter peccare ſe credant, ſi incuria vel negligentia ſua permittant, ut peccata quamvis levia propagentur: quando his diſciplina enervatur, & religionis facies ac nitor odducitur, dum neſcio qua ignavia, perverſaque conſuetudine, quæ parvi fiunt magno ſane cum incommodo & noxa contemnuntur, qualia ſunt neglecta ſilentii obſervatio, crebræ confabulationes, ſermonesque rerum novarum, murmurationes & ſuſurrationes, litteras dandi atque accipiendi impunitas, prolixa cum feminis colloquia, inutiles viſitationes, & alia id genus; quæ quoniam quibusdam in locis uſitatiora ſunt, Superiorum oculos, licet magno alioqui zelo videantur, non perinde offendunt. Et tamen ab hiſce defectibus graviſſima interim damna conſequuntur: præfocatur ſpiritus, ac devotio: minuitur affectus & obſervantia adverſus Superiores: læditur ædificatio proximi, bonumque nomen, ac fama Societatis: unio denique & caritas fraterna labefactatur. Et tamen diſſimulat connivetque Superior: non ignorat amaritudines & averſiones domi verſari; & has tolerat; cum officii ratio eas quam primum excidi, fratrumque gratiam reconciliari jubeat: cumque omnes ejusmodi culpas ex gravi damno, quod inferunt, non metiantur, ut deberent; earum quoque occaſiones, quæ ex variis cupiditatibus, æmulationibusque humanis naſci ſolent, non antevertunt. Hoc igitur caput impendio quam maxime commendatum cupio: in memoriam revocans quod
Cap. 2. S. Benedictus in regula ſua monet, *ut ſciat Abbas, culpæ Paſtoris incumbere quidquid in ovibus paterfamilias utilitatis minus potuerit invenire.* Quaſi docere vellet, ſeveriſſimam à nobis rationem exactum iri, non ſolum de jactura, verumetiam de parvo quæſtu, hoc eſt, de exigua perfectione & profectu, quem Dominus in ſubditis noſtris, filiis ſuis, nactus fuerit.

7 Advertant Superiores, quod dum amari quandoque ſtudent, non

ſolido

ſolido ac ſpirituali affectu, ſed humano, ſubditis ſuis diſplicere timent adeoque habenas remittunt. Sed Dei juſto fit judicio, ut hi multo minus amentur quam ceteri, cum ſolidus amor vitæ exemplo, & opinione ſanctitatis, veræque erga ſubditos caritatis demonſtratione, non hujuſmodi indulgentiæ actibus, concilietur.

8 Et quoniam non poteſt Superior per ſe omnia complecti, ſolusque omnia adminiſtrare; neceſſe eſt S. Bonaventuræ conſilio utatur, quod in quinta Ala, quæ eſt Diſcretio, his verbis expoſuit: *Spiritualia vero, & quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt & profectum virtutum, principaliter debet animarum cuſtos & rector ſibimet curanda retinere; cum hæc ſint de ſubſtantia officii paſtoralis, & de his maxime ſit in judicio rationem Domino redditurus: Hæc ſunt, qualiter Regula ſtudioſe ſervetur, & alia ſtatuta, & ordinis diſciplina: item quod pax & dilectio ſit inter fratres: item ad ipſum pertinet conſcientias ſingulorum agnoſcere, & de quibuslibet perplexitatibus expedire; pericula peccatorum prævidere & præcavere; monere fratres ut proficiant, corrigere corrigenda, elucidare dubia, informare ſingulos, qualiter officia ſibi commiſſa congrue adminiſtrent, quo & fratribus, prout convenit, ſufficiant, & conſcientiam non offendant.*

9 Maximi, opinor, refert ad bonam gubernationem, ſi Superiores locales Admonitorem ſuum libenter audiant: & cum de re quapiam admonentur, hanc tamquam gubernationi ſuæ utilem & commodam, non quaſi illius notam aut reprehenſionem excipiant: multoque magis, ſi cum Provincialis ad viſitationem aggreditur, non illum cenſoris loco habeant, quaſi ad ipſos deprimendos, eorumque in ſubditos auctoritatem extenuandam advenerit; ſed ut eum potius, qui majore ſua auctoritate auxilio futurus, difficultatesque contrarias ſublaturus ſit. Quod ita reapſe continget, ſi Rector humilem ſe illi ſubordinatumque præbuerit, & perfecta cum illo conſenſione, rerumque omnium communicatione uſus fuerit. Iuvabit præterea non mediocriter, ſi cum Provincialis ad viſitandum venerit, ſinceram & ipſi conſcientiæ ſuæ rationem illi reddant: de ſingulis, in quibus erratum à ſe circa officium, & de impedimentis, quibus in eodem retardari ſe ſentiunt. Ac fortaſſe intererit prima hac vice, conferetque ad meritum & auxilium, ſi ad nos etiam de eadem re ſcribant, adjectis difficultatibus, quas ipſi ſua culpa experiuntur; ut informatio, quam de Collegii ſui ſtatu mittent, non ea ſolum comprehendat, quæ ad ceteros pertinent; ſed humilem ſimul eorum, quæ ad ipſosmet ſpectant, narrationem: quod multi

jam magno animi candore alias fecerunt, faciuntque etiam nunc, fructu, ut quidem ſpero, & ſentire illos arbitror, minime pœnitendo.

16 Oro ad extremum, & quanta poſſum contentione obteſtor, ut tanti momenti opus ſerio omnino, ac toto pectore amplectantur: neque committant, ut tot ordinationes, inſtructiones, & conatus, teſtimonium in die mortis contra nos dicant, ſi in uſum non inducantur, & in libris tantum otioſa jaceant. Hoc modo & me & ſeipſos magnis, quæ impendent, periculis liberabunt. Idque demum ſimul omnes præſtiterimus, quod à nobis requirit, tum Beatus Pater noſter, qui è cælis nos reſpiciens, clamare quodammodo non ceſſat, *Hoc agite*; tum fides, qua cariſſimæ parenti obſtricti ſumus; tum ipſum denique, quod Deo Domino noſtro debemus, obſequium: cujus gloriam impenſiſſime ac ſtudioſiſſime ſectari nos decet, cum eos curæ noſtræ commiſerit, quos non ſolum pretioſiſſimo Sanguine ſuo redemit, ſed ſingulari etiam amore, ac providentia in hanc ſanctam vocationem perduxit. A quo perpetuam vobis divinæ ipſius Majeſtatis præſentiam, & gratiam implorans, me ipſum viciſſim, ut egentiſſimum, ſacrificiis & orationibus veſtris enixe commendo. Romæ XX. Auguſti, M.DC.IV.

RR. VV. Servus in Chriſto

CLAVDIVS AQVAVIVA.

EPISTOLA XV.

EIVSDEM

R. P. N. GENERALIS

CLAVDII AQVAVIVÆ

Ad Provinciales Societatis.

DE OFFICII DIVINI RECITATIONE AC CELEBRATIONE MISSÆ.

QVanta ad officium Divinum ritè perſolvendum reverentia & attentio requiratur, præclare omnino Pſaltes Regius, propoſita ipſius Domino,

no, quocum agitur, excellenti præſtantia commonſtravit, his verbis: *Pſallite Deo noſtro, pſallite; pſallite Regi noſtro, pſallite: quoniam Rex omnis terræ Deus.* Idcirco enim ſubjunxit, *Pſallite ſapienter:* quia videlicet non quovis, ſed apto prorſus quodam modo id officium recitandum eſt, præcipue quidem à nobis, quos huic miniſterio ita deſtinavit Eccleſia, ut ipſius quaſi nomine, & creaturarum omnium, quæ id minime norunt aut poſſunt, præpotentem mundi effectorem laudemus Deum, pro cunctis exoremus, & coram eo corda noſtra pandamus. Quibus ex rebus, aliiſque compluribus, quas de hoc eodem officio alta quadam cum exaggeratione Sancti Patres commemorant, liquido apparet, quam nos deceat, ut monet Apoſtolus, *pſallere ſpiritu, pſallere & mente.* Enimvero cum ſic res habeat, ut ſive ob ſtudiorum occupationes, ſive ob frequentiorem communicationem cum proximo, ſive alias juſtiſſimas ob cauſſas, quæ ſemper ad majorem Divinæ Majeſtatis gloriam dirigantur, ſive denique ex Inſtituto & approbatione Sedis Apoſtolicæ, officium hoc privatim, non autem in Choro recitemus; majorem proculdubio à nobis diligentiam adhiberi neceſſe eſt, ut reverentia illa, quam ipſe Chorus, ipſa Eccleſia, & communis multorum conſociatio, ipſæ quoque ceremoniæ externæ conciliant, præſidiis aliis ita compenſetur, ut quod hinc deeſt, aliunde ſuppleatur. Et eo quidem accuratius, quo proclivius nihil eſt, quam ut eas ipſas ob cauſſas debita aliqua reverentia, recollectio, & attentio depereat. Primo igitur, quod ad tempus attinet, non patiemur ita nos obrui negotiis, ut ad horas valde importunas proprium hoc munus rejicere cogamur, adeo ut præveniendi, poſtponendive facultas indulta neceſſitati, vel tempeſtivæ ſeriarum rerum tractationi, oſcitantes nos reddat, minusve ſollicitos. Quod deinde ad locum ſpectat, ſitum, ſtatumque corporis, ſicuti præſcribere non eſt animus, ut officium recitetur in Sacello, Oratorio, aut cubiculo, flexis genibus, aut ſecus (nempe aliquid indulgendum fatigatis aſſiduitate ſtudiorum, vel operoſè alioquin proximi cauſſa laborantibus, ſive audiendis confeſſionibus, ſive cuſtodiis adeundis, ſive aliis hujusmodi pietatis miniſteriis exercendis) ita certe officium perſolvere, quaſi penſum aliquod indifferens, aperto loco, & ſalutationibus, aliiſque diſtractionibus valde pervio, id prorſus aliter fieri ac deceat, neque ad reverentiam attentionemve conferre quidquam poſſe, manifeſtum eſt. Atque ut unum moneam, quod maxime noſtra omnium interſit, ex uſu fore confido, ſi decori habita ratione, ſe-

 quis-

quisque penitus examinet, ſi naturæ vim & habitum, ſi mentis volubilitatem, ſi devotionem, affectum, experientiam denique diligenter excutiat. Sunt enim, qui pronis genibus etſi orare queant, non tamen eam attentionem guſtumque ſpiritualem eo ſitu experiantur, ac ſedentes. Sunt qui inambulando ſe non impediri ſentiant, quinimo liberiori mente ad altiora ſublevari. Iam vero ſi quempiam docuerit experientia, hunc, aut illum ſibi modum non ſuccedere, & eum nihilominus tædio ſeceſſus, aut cubiculi, velit conſectari; id certe Domino Deo gratum eſſe nequaquam poteſt. Quod ſi fatigato vel infirmo capiti aliquanta opus erit ceſſatione, licebit, antequam inchoetur officium, inambulare tantiſper, dum aliquid pie ſuaviterque meditando, & relaxetur animus, & ſe tamen ad officium comparet. Iuverit quoque non mediocriter illa conſideratio, Divinum hoc officium majore ſui parte pſalmis conſtare. Horum enim pſalmorum tot ac tanta præconia Sancti Patres ſuis ſcriptis mandarunt (præcipue vero S Chryſoſtomus hom. 6. de pœnit. S. Ambroſius, & S. Auguſtinus in præfationibus ad pſalmos, quæ loca miræ ſuavitatis pleniſſima ſunt, & digniſſima, quæ legantur) ut eos ſi vel mediocri prævia animi præparatione recitare ſtudeamus, non dubitem, quin mirabiles effectus experturi ſimus; eumque ſpiritualem mentis paſtum probaturi, ut numquam officii longitudo ſatietate nos afficiat: ſemper autem ejusdem jucunda varietas ſpirituali dulcedine perfuſos dimittat. Quod fortaſſe contra uſuvenit plerisque, quos, dum id officii perfunctorie pronuntiant, tædet aridæ atque inſulſæ longitudinis. Placet autem referre S. Gregorii verba, id, quod volumus, apte declarantia: *Sed qualis*, inquit, *aut quanta ſit laus, ſi devota non ſit? Apte itaque tribus vitulis, totidem farinæ modii conjunguntur* (loquitur de oblatione, quam mater Samuelis offerebat) *ut de eo, quod in Dei laudibus ore dicimus, per devotionem ſatiemur. Nam ſine farina vitulum offert, qui in Dei laudibus verba quidem edit, ſed mente vaga ad ea, quæ loquitur, non intendit. Sed ſi verba Dei laudando vel orando proferentes hilareſcimus, dum intelligentiæ miſcemus gaudium, illius vini, quod lætificat cor hominis, amphoram farinæ ſociamus.* Varietas deinde affectuum quanta in pſalmis eluceat, quam dulces & efficaces loquendi modi, quam ſingulare acumen non poëticum, ſed divinum, quod dum corda mirifice oblectat, in animos penetrat; quanta, inquam, harum rerum omnium copia extet in pſalmis, credi vix poteſt. Hinc porro fit (quod recte animadvertit S. Auguſtinus, qui res inibi ſcriptas noſtrum

Lib. 1. in 1. Reg. c. 1.

Conc. 3. in Pſalm. 30.

noſtrum appellat ſpeculum) ut pſalmorum affectus exprimere nos oporteat: timere, cum timet Propheta; amare, cum amat; laudare, cum laudat; plorare, cum plorat; poſtulare, cum poſtulat, & (quod plurimum confert ad neceſſariam attentionem ſubinde renovandam) mentem ad Deum extollere, cum ille ſe erigit; nosmetipſos deprimere, cum ille ſe agnoſcit; pro inimicis orare, cum orat; flagitare exaltationem Eccleſiæ, cum eam flagitat; amare pulcritudinem Chriſti ſponſi, eloquiorum dulcedinem exoptare, ejusque liberalitatis amplitudini pectus aperire, eumdem Patri mediatorem interponere pro firmiori ſpe obtinendi, quod ipſe nobis acquiſivit; mente exſpatiari per turres illas & cælorum palatia; grates agere pro egreſſu ex Ægypto; oblectare ſe rivis mellis è petra profluentis; ſitim explere aquis illis mirabiliter manantibus; lætari de profligatis hoſtium copiis, & adverſus eorum vim & inſidias opem implorare; ſplendorem pariter ac multitudinem Sanctorum, quos ſibi Deus in terra ſervat, contemplari. Denique, ne longior ſim, nullum non licet pium animi affectum pſalmorum recitatione concitare. Nam & in hunc usque diem cithara illa Davidica malignos arcet prohibetque ſpiritus. Verum ut intelligamus, quo pacto pſalmi ad ſpiritualem paſtum fructumque capeſſendum recitari debeant, facere non poſſum, quin adducam perappoſitum Caſſiani locum, *Col. 10. c. 10.* ubi dum agit de oratione, mirum in modum pſalmos commendat his verbis: *Omnes quoque pſalmorum affectus in ſe recipiens, ita incipiat decantare, ut eos non tamquam à Propheta compoſitos, ſed velut à ſe editos, quaſi orationem propriam profunda cordis compunctione depromat: vel certe ad ſuam perſonam æſtimet eos fuiſſe directos, eorumque ſententias non tunc tantummodo per Prophetam, aut in Propheta fuiſſe completas, ſed in ſe quotidie geri implerique cognoſcat. Tunc enim Scripturæ divinæ perpateſcunt clarius, & quodammodo earum venæ medullæque panduntur, quando experientia noſtra earum non tantum percipit, ſed prævenit notiones.* Poſtquam vero aliquot affectus pſalmorum percenſuit, ſubjungit; *Omnes namque hos affectus in pſalmis invenimus expreſſos, ut ea, quæ incurrerint, velut in ſpeculo puriſſimo pervidentes, efficacius agnoſcamus. Et ita magiſtris affectibus eruditi, non ut audita, ſed tamquam perſpecta palpemus.* & quæ ſequuntur. At enim ut eò pertingamus, præter cordis puritatem, quam diligenti examine, accuratoque labore conſequi oportebit, duo inſuper neceſſaria requiruntur. Alterum, ut aliquis auctor perlegatur,

qui breviter, dilucide, ac ſpiritualiter litteralem pſalmorum ſenſum exponat; quod mira prorſus felicitate Cardinalis Bellarminus mihi videtur aſſecutus. Al erum, ut eò feratur meditatio, & ita quidem, ut ſi quando Deus lumen aliquod elargitus fuerit, vel motum animæ aliquo in verſiculo concitarit, locus ille poſtmodum in cubiculo ſæpius expendatur: Ac veluti cui argenti vel auri vena indicata fuerit, is avide effodit; ſic nos altius (theſauri quippe non deerunt) effodere non deſiſtamus. Nec dubium, quin uno in verſiculo, quem multorum annorum ſpatio millies pronuntiaverimus, novam ſubinde venam aut fodinam demonſtret Chriſtus Dominus. Adhibenda ſolum diligentia, quam inſinuat Sapiens, dum ait, *Si quæſieris illam quaſi pecuniam, & quaſi theſauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei invenies.*

Proverb. 5.

Hic demum ſcribendi finem facere cogitabam, cum ecce graves aliquot Patres ac zelo pleni admonent, operæ pretium me facturum, ſi pauca de ſacrificio Miſſæ his attexerem. At fateor, vix me id auſum eſſe commendare (tanta quippe eſt hujus Divini myſterii dignitas atque majeſtas, ut illa per ſe ſtimulus apprime efficax eſſe videatur ad timorem, reverentiam, & actualem devotionem in nobis excitandam) niſi defectus luminis, imbecillitas virium noſtrarum, naturæ infirmitas, levitas denique mentis & inconſtantia, qua fit ut aliis in multis delinquamus, idem & in hoc ipſo, de quo nunc agimus, negotio perſæpe efficeret. Nunc tamen unum hoc dumtaxat in memoriam reducere ſatis fore arbitror. Expendendum videlicet, (ſi quidem conſideretur ut ſacrificium) cui, quid, quem ad finem, & quo modo offeratur. Nam ſi offertur ſupremo rerum omnium effectori Deo, quamvis turtures ſolummodo, columbæ, aut vituli, more antiquorum ipſi offerrentur; inſignis tamen timor, puritas, & reverentia requireretur. Si ergo nobiſcum reputabimus offerri Chriſtum ipſum, unigenitum Dei Filium, ad dexteram Patris ſedentem, verum ac ſummum Sacerdotem ſimul & ſacrificium, manifeſte conſtat, quantum præterea momenti adjungatur. Finis deinde atque intentio, qua Euchariſticum hoc ſacrificium offertur, nempe ſalus vivorum & mortuorum, Eccleſiæ unio, debita gratiarum actio, laudatio Divinæ Majeſtatis, apertè declarat, quid à nobis deſideretur. Modum denique inexplicabilem, ut non modo coram Angelis & Curia cæleſti univerſa id ſacrificium offeratur, ſed & attrectetur à nobis & participetur, eum, qui poteſt, animo comprehendat. Si poſt hæc

ut Sacramentum conſideretur, quod à nobis ſumitur, ut ab eo tamquam à fonte vitam in nos derivemus, & cum eo quaſi concorporemur, ejusque gloriæ & claritatis efficiamur participes (ita enim Patrem alloquitur, *Claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis:* quod de Sacramento intelligendum ait S. Hilarius) manifeſte apparebit, quanta cum præparatione, ac ſenſu pietatis ad illud accedere debeamus. Nec ſolum id intelligendum de remota illa præparatione (de qua divinum in modum agit Nazianzenus in ſuo Apologetico) nempe de puritate, & totius hominis ſanctimonia, id eſt, ut aſſueverit oculus ita res omnes contueri, ut inde animus ad earum Creatoris laudem & admirationem traducatur: aures divinis ſolum præceptis ac monitis pateant: os, labia, lingua eo modo ſint compoſita, ut è cælis dumtaxat ſpiritum ſalutarem ac vitalem hauriant; occluſa quoque, ac decenter aperta, ſoli præfixo ſibi muneri deſerviant. Lingua vero quaſi plectrum Spiritus ſancti concentum harmoniamque ad unius Dei gloriam efficiat. Pedes more cervorum comparati firmentur in petra, neque aliud iter norint, niſi gratum Deo, & ipſius conſentaneum voluntati. Omnia demum corporis membra facta ſint membra juſtitiæ, & quaſi exuta mortalitate abſorbeantur à vita. Non, inquam, id ſolum intelligendum de remota illa, ſed de proxima item & actuali præparatione. Qua ego re certe confundor, quoties veniunt in mentem illa S. Bonaventuræ verba: *Cum fuerit totus alteratus & Divinus effectus, ita ut nihil videat, niſi Deum, tunc accedat.* Et quamquam neque neceſſe eſt, neque hujus loci, aut inſtituti mei referre, quod ſcribit S. Dionyſius de Eccleſiaſtica hierarchia, Chryſoſtomus, uterque Cyrillus, atque ut uno verbo dicam, omnes Sancti Patres; nequeo tamen prætermittere, quod habet Damaſcenus: *Ardenti, inquit, cupiditate ad eum adeamus; manibusque in crucis formam compoſitis crucifixi corpus ſuſcipiamus; atque & oculis & labiis, & frontibus impoſitis divini carbonis participes efficiamur, ut ignis deſiderii in nobis inſiti aſſumta ea, quæ ex carbone oritur, inflammatione peccata noſtra exurat, ac pectora noſtra colluſtret: demusque operam, ut per divini ignis perceptionem inardeſcamus, diiq; efficiamur.* Hactenus Damaſcenus. Iam vero, quia decet nos ad eam dignitatem aſpirare, ſatis liquet non accedendum ad illa tremenda myſteria, niſi præparatione prævia quæ negotiorum colloquiorumve diſtractiones ſubmoveat. Neque id committendum, ut cum primum quis in ſacriſtiam pedem intulerit, dicere incipiat, *Impone Domine capiti meo.* Sed præmiſſa

Ioan. 17. 22.

Lib. 4. de Fide c. 14.

miſſa aliqua mentis in Deum elevatione cogitare oportebit, quid agendum, quove eundum ſit. In ipſa deinde celebratione ſervanda omnino regula, quæ mediam horam Sacro faciendo præſcribit. Breviori quippe tempore, neque decentiæ, neque ceremoniarum diſtinctioni locus eſſe poteſt, qui debet. Qua occaſione valde commendatum velim Æditùis & Præfectis Eccleſiæ, ut juxta præſcriptum regularum de iis, quæ ſecus facta deprehenduntur, Superiores admoneant. Peracta denique celebratione, ac miniſterio tam ſublimi, durante adhuc corporali Chriſti Domini præſentia, debitæ agendæ ſunt gratiæ. Ideo ſiquidem ab Eccleſia proponitur hymnus trium puerorum, qui in media fornace poſiti (quaſi vellent ſuppleri, quod non ſatis poterant ipſi per ſe præſtare) ad divinas laudes invitabant & cælos, & Solem, & ſtellas, & reliquas omnes creaturas ſublunares, quantumvis ſenſus expertes. Nos igitur veluti in dulce jubilum prorumpentes, tot ejuſmodi creaturarum linguis, tam immenſam Dei noſtri ſuavitatem celebremus: neque nos foras effundamus, ſed operam demus, ut divinum illum ardorem conſervemus; familiari illa Domini communicatione perfruamur; noſtraſque neceſſitates eidem humiliter inſinuemus; tum ad præparationem conſequentis ſacrificii majorem deinceps perfectionem conſectandam proponamus. Ne divina gratia, & quidem tam eximia, vel quia non tanti fiat, vel quia negligentius tractetur, vel alia quavis culpa noſtra, penitus in nobis exareſcat. Nec id ſilentio prætermittendum, quod etſi, quæ dicta ſunt, ad omnes omnino ſpectant Sacerdotes, qui videlicet (ut ait S. Chryſoſtomus) in terris degentes, cæleſte nihilominus exequuntur officium; ea tamen præcipue nobis dicta credere, noſtra omnium vehementer intereſt; à quibus nempe amplius quippiam jure requiretur, ut ab iis, qui divinitus ad ſtatum religioſum vocati, tot muniti doctrinæ præſidiis, tam ſublimis commercii notitia inſtructi, ſæculi vinculis expediti, accedente tam frequenti uſu meditationum, & quotidiano virtutum incremento, id nimirum operante ipſiuſmet ſacrificii efficacitate, præter peculiares vivoſque amoris ſtimulos, videri poſſumus ad hunc gradum evecti à Deo, ut aliqua parte compenſemus infinitum eorum numerum, qui irreverenter, inconſiderate, ac temere Divinum hoc tractant myſterium. Horum porro miſeram ſortem B. Laurentius Iuſtinianus (ut præclara S. Chryſoſtomi, & aliorum Patrum antiquorum dicta factaque prætercam) & accurate deſcribit, & religiosè dolenterque deplorat. Sed ut finem faciam, uberem

omni

omnibus à Domino Deo gratiam precatus, ut optatum ex hac qualicumque mea cohortatione fructum reportetis, majorem in modum velim Superioribus inculcatum, Confeſſariis item, & ſpiritualium rerum Præfectis, ut pro ſua quisque parte, ac officii munere connitantur efficere, ut qua impedimentis ſubmovendis, qua inquirendis commoditatibus hunc Dei cultum promoveant, nec ſolum monitis, ſed multo magis exemplo ſubditis Superiores præluceant; totiusque negotii difficultates diligenter explanent. Atque hic tandem omnium precibus & ſanctis ſacrificiis me commendo. Romæ XXIV. Novembris, M. DC. XII.

RR. VV. Servus in Chriſto

CLAVDIVS AQVAVIVA.

EPISTOLA XVI.

EIVSDEM
R. P. N. GENERALIS
CLAVDII AQVAVIVÆ
Ad
Provinciales Societatis,
Monita complectens,
FORMANDIS CONCIONATORIBVS
accommoda.

QVemadmodum noſtræ Societatis hic eſt finis, non ſolum ſaluti & perfectioni propriarum animarum (ut loquitur B. P. N. IGNATIVS) cum Divina gratia vacare, ſed cum eadem impenſe in ſalutem & perfectionem proximorum incumbere; ita etiam media, quibus illi juxta noſtram vocationem juventur, hæc ſuppetunt, quæ pariter ab eodem B. P. indicantur, oratio videlicet, ſancta deſideria, confeſſiones, ſpiritualia exercitia, colloquia privata, conciones. Et vero concionandi miniſterium, ſi probe exerceatur, non dubium, quin ſit ad lucrum animarum aptiſſimum. Sic

 quippe

quippe S. Petrus ſibi à Domino dictum audivit : *Ex hoc eris homines capiens.*

Ad illud autem munus pro dignitate obeundum, plurima in Societate adjumenta ſubminiſtrantur: impedimenta ſi qua exiſtunt, ea pauca ſunt; & à quibus, ſi quidem plane velimus, expedire nos haud magno negotio poſſimus. Quoniam ergo de hoc ipſo argumento dicere aliquid in præſens inſtituimus, idque vehementius inculcare, quod breviori epiſtola miſſa ad Provinciales XIV. Auguſti, M. D. IC. commendaveramus; ita rem omnem perſtringemus, ut de adjumentis agamus primum, tum de impedimentis, poſtremo de mediis & induſtriis, quæ ad id munus perfectè explendum non parum conferant.

Primum caput de Adjumentis.

Primum adjumentum eſt, opinio virtutis ac probitatis: in qua opinione fere ſunt noſtri apud omnes, tamquam Societatis religioſi. Hujus vero exiſtimationis tanta vis eſt, ut dixerit S. Auguſtinus: *Habet autem, ut obedienter audiatur, quantacumque granditate dictionis majus pondus vita dicentis.* Ergo cavebunt noſtri diligentiſſime, ne quos præ ſe ferant minus recte compoſitos animi motus, ne nimiam corporis curam, ne ambitionem honoris, aut quemlibet denique alium immoderatum affectum. Quibus rebus fit plerumque, ut apud ſæculares, quamvis alioquin ab ejusmodi vitiis non alienos, nonnihil de Concionatoris nomine & exiſtimatione depereat. Eamdemque ob cauſſam non ſe nimium dabunt in familiaritatem externorum; ſed ſolummodo quatenus id eorum ſpiritualis poſtulabit utilitas: nam quæ propius inſpectantur, ea quoque manifeſtius, quid in ſe habeant vitii, demonſtrant.

4. de Doct. c. 27.

2 Sua habere ordinata ſtudia, & quidem neceſſariis vacua diſtractionibus, niſi quibus ſponte ſe implicare forte quis velit. Inde vero conſequitur, ut homines Societatis ſolidam nanciſcantur doctrinam, tutèque loqui valeant. Quæ res magno utique eſt adjumento: quemadmodum è contrario quisquis ſana eſt mente, timidior certe redditur, atque ad dicendum impeditior, ſi quod dicit, non adeo exploratum habet, ut in reprehenſionem incurrere jure non poſſe credat.

3 Privato ſtudio ſacræ Scripturæ, ac legendis Patribus incumbere; tempusque huic ſtudio deſtinatum habere liberum, juxta noſtram Inſtructionem, quam diligenter obſervari peroptamus:

Inſtr. 2. §. 7.

4 Vberrima ad dicendum quaſi obvia materia, quæ videlicet à pleris-

que

que eruditis, gravibusque Doctoribus aucta plurimum eſt, & hactenus digeſta ſapienter. Maxime vero cum de Societate non pauci, & Scripturis ſacris exponendis, & aliis argumentis petractandis, ejusmodi conſcripſerint libros, ut ingentes collectos theſauros nullo prope labore eruere inde cuivis liceat.

5 Tempeſtive in Collegiis, ipſaque juventute, concionandi miniſterium inchoare: accedente ad exercitationem opera & inſtructione Præfectorum, ceterisque neceſſariis adjumentis. Qua ex re perinde atque ex frequenti animi reflexione, dum ſæpius coram doctis recteque dijudicantibus dicere contingit, facile quis hoc aſſequitur, ut firmo ſynceroque judicio libere, animoſe, ac limate dicat.

6 Multos, ac bonos audiſſe Prædicatores. Qua tamen in re judicio eſt opus. Ideo cavebunt Superiores, ne noſtri ad eos accurrant, à quibus vitia potius addiſcant.

7 Sed plus quam credi poſſit, negotium promovet, potioresque nobis partes conciliat, & materia, de qua dicimus, & auditores, apud quos dicimus, & auctoritas majeſtasque muneris. Dicimus enim tamquam ſuperiores & magiſtri, non coram Senatu aut populo, ad modum antiquorum oratorum, Demoſthenis, Ciceronis, & ſimilium, de rebus ad rempubl. ſpectantibus, deliberando, vel conſultando; accuſando, vel defendendo ſingulares perſonas; vel adhibendo panegyricos ad virtutes, aut præclara cujuspiam celebranda facinora; ſed agimus de ſingulorum audientium negotio maximo, & ſummis utilitatibus, qua una re nihil auditur libentius. Et ſi quidem docemus, doctrinam proferimus divinam, propter quam fides ipſa, quæ in auditorum pectoribus reſidet, eosdem benevolos reddit ac dociles, necnon ad aſſentiendum faciles. Quod ſi delectare ſit animus, nihil usquam verbo Dei & Scripturis ſacris eſt delectabilius. Ideo quippe ait Propheta: *Dilexi mandata tua ſuper aurum, & topazion.* Item, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! ſuper mel ori meo.* Hanc enim per ſe vim habent, ut vel nude prolata delectent. Præterquam quod hiſtoriarum varietas, quæ inibi continetur, mirum in modum recreat audientes: metaphoræ item, & pſalmorum poëſis. Proverbia autem & ſententiæ Salomonis, ſimilia quoque ac diſſimilia, ſi loco ponantur ac tempore, ſunt profecto (ut cum Scriptura loquar) tamquam mala aurea in lectis argenteis, vel inauris aurea, & margaritum fulgens. Verum de ornatu nimio

4. de Doct. c. 5. ad oblectandum adhibito, recte D. Auguſtinus, *Nec illa ſuavitas*, inquit, *delectabilis eſt, qua non quidem iniqua dicuntur, ſed exigua & frigida bona ſpumeo verborum ambitu ornantur, quali nec magna & ſtabilia decenter & graviter ornarentur.* Si tertiam deinde ac præcipuam oratoris partem conſideremus, (quæ in perſuadendo, affectibusque concitandis poſita eſt) quis dubitat, quin verba resque divinæ ſint veluti ſagittæ acutiſſimæ? Teſtatur vero S. Auguſtinus, Philoſophos ipſos ac Rhetores, quamvis Divinæ ſapientiæ forent expertes, dixiſſe tamen, pluris æſtimandum, ſi diceret orator ſapienter, ubi non poſſet eloquenter. Tum idem Sanctus ſubjungit: *Sapienter autem dicit homo tanto magis vel minus, quanto in Scripturis ſacris magis minusve profecit.* Deinde capite duodecimo hæc addit, quæ ad movendi rationem ſpectant: *Sicut delectatur auditor, ſi ſuaviter loquaris; ita flectitur, ſi amet, quod polliceris; timeat, quod minaris; oderit, quæ arguis; quæ commendas, amplectatur.* & quæ ſequuntur. E quibus omnibus, ut liquet, ampla dicendi materia ſubminiſtratur. Cum ergo Chriſtiani Eccleſiaſtæ finis ſit longe ſublimior, magisque neceſſarius, quam cujusvis profani oratoris; materia vero prorſus alia; cumque iidem Concionatores ſint veluti Legati à Deo miſſi (ita enim Dominus olim ad Prophetas, *Hæc dices populo huic*, &, *Hæc*, & hæc *dicit Dominus.* ad Hieremiam item: *Dedi verba mea in ore tuo.* Sic D. Paulus: *Legatione pro Chriſto fungimur, tamquam Deo exhortante per nos*) debent ſane ipſius, à quo mittuntur, Principis verbis, quoad poſſunt, legationem exponere. Atque hinc fit, ut non eadem, ſed plane diverſa eſſe debeat utriusque Oratoris dicendi ratio. Res enim grandiores grandius quoque poſtulant genus orationis. Ceterum cum res illæ, quæ à ſæcularibus Oratoribus tractantur, poſſint nunc parvæ eſſe, nunc magnæ, prout majorem utilitatem continent, nempe cum de pecunia, aut de hominum vita, ac ſimilibus agitur; in his tamen noſtris (quandoquidem omnia, ut idem S. Auguſtinus ait, maxime quæ è loco ſuperiori populis dicimus, ad hominum ſalutem, nec temporalem, ſed æternam referre debemus, ubi etiam cavendus eſt æternus interitus) in his, inquam, noſtris, omnia ſunt magna, quæ dicimus. Ideo ſubjungit: *Oportet igitur eloquentem Eccleſiaſticum, quando ſuadet aliquid, quod agendum eſt, non ſolum docere, ut inſtruat; & delectare, ut teneat; verum etiam flectere, ut vincat.* Concludam autem primum hoc caput illa S. Bernardi ſententia, quæ complectitur omnia: *Eſt*, inquit, *funiculus triplex, qui difficile rumpitur,*

In Cant. ſermon. 16.

tur, ad extrahendas animas de carcere diaboli, & trahendas poſt ſe ad regna cælestia, ſi recte ſentias; ſi digne proloquaris; ſi vivendo confirmes.

Impedimenta porro licet multa ſint, pauca tamen dumtaxat perſtringam. Secundum caput de impedimentis.

1 Eſt intentionis obliquitas. Cujusmodi eſſet, prædicare ſeipſum potius, ac laudem ſectari, quam auditorum utilitatibus propter Deum conſulere. Hæc enim res non modo minuit, aut prorſus tollit meritum; ſed etiam, cum circa finem erretur, incredibile eſt quam detorqueat media, eaque depravet. Iis porro, qui ſic peccant, ſi quidem res ſuccedit ex voto, ut ſive ob actionis dictionisve concinnitatem, ſive ob aliud quodvis naturale donum, frequenti concione audiantur; ſucceſſu ipſo redduntur in dies magis vani, ad correctionem difficiliores, ſuarumque rationum retinentiores: ſin autem minime ſuccedit, tum vero cum ſe ſua ſpe fruſtratos videant, mirum quam puſilli, quam abjecti fiant animi, quam melancholici. Dum interea, qui recta intentione, qualecumque talentum à Domino Deo acceperint, ad ejusdem gloriam, & animarum ſalutem illud impendunt, jugi lætitia perfruuntur, & novo ſemper ſpiritu labores obeunt. Dominus autem eorum labores inutiles eſſe non ſinit, quin potius exiguæ ſementi uberem largitur meſſem.

2 Incautus delectus in ſtudii materia, conſectandis profanis auctoribus, hiſtoriis, hieroglyphicis, poëtis, & aliis id genus, dum quis eruditi nomen inde aucupatur, quaſi Mathematicam norit, Aſtrologiam, Medicinam, Anatomiam, Phyſiognomiam, & ipſam (ſi Deo placet) Alchymiam: nec erubeſcit earum rerum oſtentare notitiam, quas majore cum laude & opinione religioſitatis ſe ne intelligere quidem oſtenderet.

3 Inordinatum ſtudium, minimeque firmum, dum quis hic illic ſparſim aliquid legens, nusquam figit pedem: nec inſpicit ubinam effodiat, unde theſaurum eruat. Qui vero ejusmodi eſt, magnam utique facit temporis jacturam, nec debitam ſibi comparat ſupellectilem.

4 Non obſervare diligentius, neque meditari, quæ leguntur in Scripturis ſacris. Quo fit, ut plerique excidant, ac veluti neglecti pereant theſauri: idque, quod dicitur, languide ac jejune dicatur.

5 Lectione quidem percurrere Sanctos Patres, ſed exigua mentis applicatione, levique adhibito ſtudio, ad eruendas materias, quæ poſtmodum futuræ ſint uſui. Atque hic longe falluntur, qui cum aliquem ſibi le-

vem ac futilem conceptum efformarint, tum Sanctos Patres in eum ſolum finem evoluunt, ut reperiant, quo ſua commenta confirmare queant. Quaſi vero utilius expeditiusque non foret, ex ipſis auguſtiſſimis fontibus aquas haurire, quæ nullo poſtea negotio, quo potiſſimum expediat, deriventur, ſua ipſorum verba, tum auditorum pectora irrigaturæ.

6 Memoriæ oſtentatio, quæ profecto magnopere quemvis dedecet in hiſtoriis etiam adducendis, rebusque profanis; quibus nempe non niſi modice ac ſcienter utendum, ſi quando gravitatis aliquid habeant, & ad virtutem exacuant; inde videlicet ſtimulos admovendo, quod vel ab ipſismet profanis auctoribus, virtutis quoque ſplendor nobis demonſtretur. At illa ipſa oſtentatio in ſacris Scripturis, ac Sanctis Patribus, nec laudem habet ullam, neque utilitatem, ſi crebræ ac variæ, non inculcato ſententiarum pondere, citationes adducantur. Hæ ſiquidem lectionibus conveniunt potius ad indicanda loca, unde doctrina erui poſſit atque confirmari, quam ſacris concionibus, quæ alium ſibi finem proponunt.

7 Perlegere quosdam è Sermonariis, ut vocant, qui temere plerumque Scripturis abutuntur; conceptusque vanos ac futiles conſectantur, qui quo plus habent novitatis, longiusque abſunt ab humana cogitatione, tanto magis Concionatoribus ipſis videntur arridere, quaſi exquiſitam illam rationem attingere alius nequeat ullus. Adeoque graviter his conceptibus & commentis in errorem impelluntur nonnulli, ut ſe utilius in ejusmodi librorum, quam in Sanctorum Patrum lectione ponere tempus arbitrentur: propterea quod non perinde in his, atque in illis talia commenta reperiant. Atque in hoc quidem minime falluntur: nam Sanctorum Patrum conceptus firmitatem habent, medullam ſpiritus, multamque ad permovendos oblectandosque animos efficacitatem: quin & ipſa per ſe cujusdam Sancti auctoritas pretioſiores illos atque commendabiliores efficit.

8 Affectatus dictionis ornatus. In quo quidem graviſſime peccatur, non modo contra quam deceat oratorem Eccleſiaſticum, ſed etiam adverſus eam artem, quam profani Rhetores tradidere; ut liquet ex Ariſtotele, Cicerone, & aliis artis ejus magiſtris. Hic porro innumeris pæne modis errari contingit, crebra videlicet epithetorum uſurpatione, tum adhibendis phraſibus poëticis, nimiumque exquiſitis; audacioribus item, atque frequentioribus metaphoris, longioribus circumſcriptionibus earum rerum, quæ uno ſimplicique vocabulo eſſent contentæ; multarum quoque rerum

enume-

enumerationibus, veluti virtutum aut vitiorum, quæ recto deinde, nec non inverſo iterum ordine repetantur: adhæc inveſtigandis vocibus antiquis, obſoletis, recens inventis, compoſitis, aut derivatis, uſurpatis interdum (ut de Italicis exemplum afferam) à Boccatio, vel poëtis, aliisve, qui linguæ gnari ac bene periti videri voluerunt. Et ſunt, qui quo minus intelliguntur, eo majorem apud auditores admirationem ſe habere credant. His vero plerumque accidit, ut ſpectatoribus exhibeant alterius quaſi panni veſtem Sericis aliquot particulis aſſutis: juſto tamen Dei judicio, quod ipſa docet experientia, riſui ſint atque ludibrio apud eos, quibus lingua, aut nativa, aut probe cognita eſt. Ideo S. Auguſtinus, *In ipſo*, inquit, *etiam ſermone malit rebus placere, quam verbis; nec Doctor verbis ſerviat, ſed verba Doctori.* Ceterum etſi referre non ſit animus, quod Seneca, & alii graves dixere Philoſophi, de ſermone philoſophico, plenoque dignitatis; prætermittere tamen non poſſum, quod à Plutarcho notatum video: hanc ſcilicet exquiſitam, & à communi uſu abhorrentem verborum exornationem atque traductionem tenebras potius rebus offundere, quam ſplendorem afferre. Ait ſiquidem, interrogatum Melanthium de Diogenis tragœdia quid ſentiret, reſpondiſſe, eam ſe non vidiſſe, propterea quod ita verbis obſcurata involueretur, ut perſpici non poſſet. Hoc autem ideo adjecit, ut quod ante dixerat, confirmaret: ornatius nempe, abundantiusque dicendi genus auditorum animos adeo perſtringere, ut ipſi rem, qua de agitur, capere nequeant. Permulta item de eodem argumento diſſerit, & profert exempla, quæ percenſere nihil attinet. Sat quippe mihi erit caput hoc concludere illa memorabili S. Hieronymi ſententia, iſtiusmodi Concionatores redarguentis in hæc verba: *Iam enim & in Eccleſiis iſta quæruntur, omiſſaque Apoſtolicorum ſimplicitate & puritate verborum, quaſi ad Athenæum, & ad auditoria convenitur, ut plauſus circumſtantium ſuſcitentur, ut oratio Rhetoricæ artis fucata mendacio, quaſi quædam meretricula prodeat in publicum, non tam eruditura populos, quam favorem populi quæſitura; & in modum pſalterii, & tibiæ dulce canentis, ſenſus demulceat audientium, ut vere illud Prophetæ Ezechielis noſtris temporibus poſſit aptari, dicente Domino ad eum, Et factus es eis quaſi vox citharæ ſuave canentis, & bene compoſitæ: & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* *Lib. 3. Com. ad Gal. in proœmio.*

9 Ingerere velle nonnulla, ſive ea quadrent, ſive dedeceant, quæ alias ipſi legerint, & venuſta putent aut curioſa. Id enim ſi temere fiat, nullo

nullo negotio à peritis deprehenditur, judicaturque Prædicator curtam habere ſupellectilem, quia ſimilia in medium proferat.

10 Nihil ſibi certo conſtituere, quod perſuadere quis velit; neque rationes afferre, quibus id confirmet, amplificet, exaggeret, aut denique moveat audientes: ſed id ſolum promere, quod de Evangelio, vel alia quapiam materia legerit, aut excogitarit. Idque adeo grave impedimentum eſt, ut nihil appoſite dici, fructus percipi nullus poſſit. Errat enim, & fruſtra vagatur, nihil habens certum quod petat oratio, & quo ictum dirigat: vacuique abſcedunt auditores, nihil domum reportantes, quod ſecum ipſi, ut oporteret, meditentur, vel quo ſe permotos ſentiant.

11 Huic impedimento affine eſt undecimum, quod ab eodem nonnumquam derivatur, non ſatis ruminari, quæ dicenda ſunt; nec recte, ut ita dicam, ſecare, (ſic enim D. Paulus, *Recte ſecantem verbum Dei*, quo loco noſtra verſio legit, *Tractantem*) non inſtare perſuadendo, & inculcando, intellectum convincendo, & affectum permovendo: ſed multa curſim dicere ad copiam oſtendendam, ne Concionator jejunus appareat. Quaſi vero inſiſtere ſingulis, ubi ſit opus, tum prolatis exemplis, & rationibus, quæ ducantur à ſimilibus, & diſſimilibus; à conjunctis, & contrariis: argumentis item conquiſitis à majori ad minus, & contra; ab utilitate, & neceſſitate, à delectatione, facilitate, & aliis generis ejusdem; tum etiam loco ac tempore Scripturis expendendis atque dilatandis; quaſi, inquam, hic amplificandi modus inopiam arguat potius quam ubertatem, & abundantiam. Certe hujus doctrinæ præſtantiſſimus extitit magiſter S. Ioannes Chryſoſtomus.

12 Imitari, & exprimere velle interdum etiam, quæ vitioſa ſunt in nonnullis Concionatoribus, quos alioquin plauſus, & auditorum frequentia celebres effecit: neque enim res eadem cuivis ætati, naturæ, conditioni, aut ingenio convenit. Vnde nec dicenda eſt eloquentia, ut ait S. Auguſtinus, ſi perſonæ non congruit loquentis. Qui vero ejusmodi ſunt, ii profecto ex inſipientium ſermone ſe pendere demonſtrant, dum judicium concionum ad vulgus & auditores deferunt. Quæ res multis obnoxia eſt incommodis, recteque adverſus eam diſſerit ex profeſſo D. Ioannes Chryſoſtomus lib. 6. de Sacerdotio. Et certe mirum eſt fieri nos velle diſcipulos vulgi, quod nec arte, nec judicio, nec rerum delectu docere nos poteſt; imo quod nec ſibi conſtat: Fit enim plerumque, ut à diverſis diverſa probentur,

bentur, aut improbentur; idque unus reſpuat, quod alter admittit. Quod ſi aliquando in una re plures conveniant, vix unquam id continget in laudando ſpiritu, efficacia, rerum copia; ſed potius in prædicanda facilitate dicendi, memoriæ felicitate, aut aliis ſimilibus levioris momenti dotibus. Et tamen S. Gregorius Nazianzenus, S. Chryſoſtomus, & S. Auguſtinus affirmant, tum ſe populi approbationem conſecutos, non cum applauderetur, ſed cum animis concitatis, & collacrymantibus oculis à concione diſcederetur.

13 Monita non libenter audire, quaſi non niſi ejus artis peritiſſimus de ea judicium ferre queat. Sed enim omnibus compertum eſt, alium etiam quam picturæ magiſtrum poſſe in tabula, quæ hominis ſpeciem pictam referat, deprehendere, ſi naſo ſit obtorto, ſi limis oculis, ſi tumidis manibus, ſi imparibus denique pedibus. Pluris autem fieri debent, ac lubentius audiri, quæ quis à Superioribus, vel Præfectis concionum, ceteriſque alicujus auctoritatis monebitur. Qui porro ejuſmodi admonitionibus locum non dabit, hic certe nimiam ſui confidentiam, rerumque ſuarum opinionem arguet.

14 Inſeneſcere vitiis, quibus à primis annis quiſpiam aſſueverit, maxime ſi ob ea ipſa à ſui ſimilibus laudabatur, adjectis iis gratulationibus, quæ novum oratorem nonnumquam agunt præcipitem. Qua in re graviter errant Superiores & Præfecti, quibus ea incumbit cura; malumque reddunt inſanabile, ſi, dum juventutem excuſandam, animoſque erigendos potius, quam contrahendos arbitrantur, connivent in eo genere vitiorum, quæ non tam ætas minuere, quam augere ſolet diſſimulatio. Et ſane juvenibus animos addere, ſed prudenter oportebit, ea laudando, quæ recta, & in bona ſpe ſunt poſita; non tamen diſſimulatis erroribus, ut ſcilicet meliores evadant: & dum per ætatem licet, ad perfectionem recta contendant. Ideo conſultiſſimum eſt, eoſdem iterum poſt monitiones ad concionem evocare, ut numquid emendarint, appareat. Nam alioquin hærebunt vitia, & inveterata, ut fere uſuvenit, fient robuſtiora. Nos quidem viros doctos & graves novimus, eoſdemque Concionatores, cum à perſonis magna auctoritate, ſibique benevolis, fidenter admonerentur de via concionandi ſua, reſpondere ſolitos, jam ſibi integrum non eſſe emendari, tum quod in veteri more conſenuiſſent, tum ne poſt tot annorum con-

ciones formam earum commutarent, præſertim cum priorem illam populi mirarentur.

15 Non meditari, nec animo comprehendere, ac poſſidere res dicendas, adeo ut non tamquam alienæ referantur, ſed veluti ejus propriæ, qui dicit; quique primum ſibi perſuaſerit, quod aliis perſuaſum velit. Niſi enim ex intimo animi ſenſu loquatur, atque ita loqui credatur, nihil promovebit. Eam ob rem, atque ut appoſite dicat, oratione indiget, motuque animi, antequam ſuggeſtum aſcendat. Vnde S. Auguſtinus: *Ipſa*, inquit, *hora jam ut dicat accedens, priusquam exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam ſitientem, ut eructet, quod biberit; vel quod impleverit, fundat.* Cap. 15.

Prima Induſtria ſit, Præcavere diligenter, ne in errores, ſeu impedimenta paullo ante enumerata incurratur. Ex eorum quippe declinatione intelligetur, quid è contrario juvare nos queat. Dum enim illa quindecim capita percurrentur, multa proculdubio ſuccurrent adjumenta. Exempli cauſſa, ſi impedimento eſt incautus librorum delectus; adjumento erit prudens electio. Si nocet inordinatum vagumque ſtudium; proderit ordo atque conſtantia. Si obeſt lectio ſacrarum Scripturarum inconſiderata, ac meditationis expers; conducet conſiderationem ac meditationem adjungere: ad eumdemque modum in reliquis.

3. Cap. de Induſtriis. II. Induſtria, Conſiderare quot extiterint, tum extra Societatem, tum etiam inter noſtros, qui litterarum ſtudio perexiguo, nec majori Rhetoricæ præſidio, vel opinione doctrinæ fulti; at ſpiritu ferventes, & ad cor loquentes, facilia quædam & utilia proferentes, non modo in Indiis, remotiſque ac barbaris regionibus, ſed etiam in Europa, & præcipuis quidem civitatibus, non fructuoſe tantum, ſed etiam jucunde, cum approbatione & nominis celebritate auditi fuerint. Hæc porro experientia demonſtrat, quo loco ſumma rei conſiſtat.

III. Scripturas meditari attentius, varia obſervare loca, & inter ſe conferre: alter enim ſubinde locus ab altero declaratur, exornatur, vim & ſpiritum mutuatur; perlegendo ſcripta Sanctorum Patrum ſuper propoſito loco, ſuperque aliis, quæ ad eumdem ipſi locum afferunt; perpendendo quis ſenſus litteralis, (nam quæ hoc ſenſu nituntur ſuaſiones, plurimum efficacitatis habere ſolent) quis ſit allegoricus, quis moralis, ſeu tropologicus, quis anagogicus. Et ex hoc multiplici ſenſu quis potiſſimum, &

quate-

quatenus ad rem faciat, quis prætermittendus, quis verbo ſolum promendus, quis vero expendendus, atque ad perſuadendum dilatandus, citato auctore, qui locum appoſite ad id, de quo agitur, exponat. Hic ſimul verſionum conſideranda varietas, adhibito contextu Hebræo, vel Græco; ſed vulgatæ editioni ſemper adhærendum, aliis vero utendum quatenus propoſiti loci proprietatem reddunt illuſtriorem, vel vim atque emphaſim augent. Exempli gratia, ubi noſtra verſio habet, Pſalm. *Diligam te Domine fortitudo mea*, in Hebræo fonte vocabulum eſt, quod ſignificat, *quaſi in viſceribus condere*, aut *ex intimo animi ſenſu amare.* Quod planum eſt, quanto vim & affectum majorem exprimat, quam illud, *Diligam.* Et tamen ad vitandam oſtentationem, ejusve ſuſpicionem, non multæ hujusmodi ſignificationes diverſæ, ut quinque, aut ſex, ſed paucæ omnino proferendæ in medium. Ac videndum, ne dum multæ afferuntur, eodem tamen omnes recidant; aut minutatim nimis, quod in ſchola potius magiſtrum decet, exponantur. Nam interdum magna ingeritur vocum ac notionum varietas, quæ ut ad propoſitam quæſtionem haud magnopere facit, ita ſane moleſta eſt; nec vitioſa minus, quam damnoſa.

IV. E pluribus rerum capitibus duo, vel tria præcipua ſibi deligere, quibus inſiſtat, quæve perſuadenda conſtituat; veluti eleemoſynam, orationem, frequentem uſum Sacramentorum: aut certe diſſuadenda, veluti avaritiam, odium, ſenſualitatem. Hæc vero capita amplificare, exaggerare, inculcare ad perſuadendum oportebit, adhibitis rationibus, quæ & intellectum convincant, & affectum permoveant.

V. Vitium quoddam declinare, quo peccatorum emendatio plurimum impeditur. Id autem eſt, quod quidam Concionatorum, ut reprehenſionem illigent certis ſententiis, atque conceptibus; ſatis habent eos ſemel, iterumve protuliſſe: neque curant ſæpe ac variis modis vitiorum caſtigationem inculcare, eademque urgere, ac tamdiu inſectari, mutatis tamen rationibus ac ſtimulis, donec paullatim radicitus evellantur. Qua in re vehemens fuit D. Ioannes Chryſoſtomus; exempli cauſſa adverſus Iuramentum, luxum, auri & argenti profluentiam, ſenſualitatem, luxuriam, abuſum Sacramentorum, Communionis infrequentiam, & alia id genus multa.

VI. Cavere ſibi ab humano reſpectu, qui vitandæ offenſionis cauſſa reprehenſionum libertatem ac fiduciam infringit. Quamquam videndum

pariter, ne per ſpeciem libertatis ullo modo perſtringatur aut particularis quisquam, aut ſtatus publicus, veluti Prælatus, aut Magiſtratus. Poſſunt enim ex circumſpectione, & prudenti conſideratione, quæ videbuntur peccata univerſe redargui, dilata correctione, quæ perſonam attingeret, usque dum, ſi opus erit, privatim fiat.

VII. Non videtur laudanda eorum diligentia, qui concionem perſcribunt integram, atque ad verbum mandant memoriæ. Nam præterquam, quod ut populus probe intelligat ac percipiat, quod dicitur, verſandum eſt, auctore S. Auguſtino, quod agitur multimoda varietate dicendi: *Cap. 10.* quod in poteſtate non habent, qui præparata, & ad verbum memoriter retenta pronuntiant: certum eſt dici efficaciter eo modo, ac penitus inſeri vix quidquam poſſe. Id vero ſi animadvertat auditor (quod proclive eſt) tum certe illud tamquam ſerium, aut ex animo dictum, non habet, nec magni facit. Adde quod oratio artificioſe contexta & elaborata ſeipſam prodit; ſemperque veretur Concionator, ne ſi vel una periodus, aut etiam particula memoria excidat, totus ruat orationis contextus. Quæ res quantopere dicendi vim retardet, credi vix poteſt. Nec propterea tamen dicendum ex tempore, non præmeditatis rebus, ac modo, quo exponendæ ſunt.

VIII. Iuverit redigere ad communes locos, atque ad certa rerum capita revocare, quæcumque ſparſim leguntur, ut præſto ſint, quotiescumque inſtruere concionem, aut exornare quis volet.

IX. Præ ceteris Sanctis Doctoribus familiarem ſibi reddere S. Ioannem Chryſoſtomum, qui non ſolum res ipſas edocet, verum etiam rationem easdem pertractandi, amplificandi, ac demum perſuadendi.

X. Accurate obſervare Inſtructionem, quam pro concionatoribus perſcripſimus: nominatim vero §. 2. 3. 4. Creditur etiam è re Iuniorum fore, ſi quis inſignem cujuspiam Sancti concionem in manus ſumat, quam patrio ſermone veluti ſuam exprimat. Sed hujus rei modum, ut ſit utilis, conſiderare ſedulo debebit Superior, ac Præfectus concionum; atque ex Vrbe fortaſſe aliquid aliquando ſpeciatim monebitur.

XI. P. Carolus Regius ad uſum, & inſtructionem Concionatorum Societatis percommodum atque uberem, noſtro juſſu, librum conſcripſit. P. item Mazarinus alium ejusdem argumenti tractatum breviſſimum quidem, ſed methodo & præclaris monitis commendabilem. Fuit uterque

in mu-

in munere concionandi apprime exercitatus. Quocirca faciendum, ut quæ ab utroque ſcripta ſunt, ea diligenter à noſtris atque utiliter perlegantur.

XII. Superiores denique in eam curam, ut in rem maximi momenti, ſtudioſiſſime incumbent, ut magna habeatur ratio ſtudiorum, ac modi ſtudendi, temporis item ac ſpiritus. Vt aptus deligatur Præfectus concionum, ejusque officii executio urgeatur. Seriæ adhibeantur monitiones ad emendationem, curioſique ac leves, niſi emendent ſeſe, removeantur. Enimvero niſi hæc diligentius curentur in poſterum, ſuppetent quidem (ita potiſſimum Divina opitulante gratia) non pauci, neque infructuoſi Concionatores; ſed non tam vi inſtitutionis, quam naturæ munere, aut applicatione animi, & ſpiritus ardore, dum ſe quisque per ſe promovere contendit. Ceterum ſi inſtitutio magiſtra & dux acceſſerit, tum vero & ad abſolutionem, & ad numerum Concionatorum acceſſionem magnam fecerimus.

Atque hæc ſunt, quæ de propoſito argumento mihi occurrebant. Supereſt ut ea per ſuam Provinciam Reverentia Veſtra communicet, atque obſervanda curet diligenter. Sic omnium precibus & ſanctis ſacrificiis me commendo. Gratia Domini noſtri IESV CHRISTI cum omnibus vobis. Romæ XXVIII. Maji, M. DC. XIII.

RR. VV. Omnium in Domino

CLAVDIVS AQVAVIVA.

EPISTOLA I.

R. P. N. GENERALIS

MVTII VITELLESCHI

Ad

Patres & Fratres Societatis.

QVemadmodum ex ea ipſa hora, qua Domino viſum grave hujus muneris onus, quod annum jam, eoque amplius, immeritus gero, im-

ponere imbecillitati meæ, ſingulari in ejusdem oculis ſenſu Societatem univerſam comprehenſam in cor atque concluſam, quam dulciſſime valui, Patresque meos omnes & Fratres arctiſſime ſum amplexatus; ita præſtitiſſem idem per litteras ſane quam libentiſſime, coramque adhuc, ſi licuiſſet, multo libentius. Verum multitudo magnitudoque hactenus occupationum fructum hunc mihi abſtulit ſuaviſſimæ jucunditatis. Nunc quoniam (ſi ita fas eſt dicere) induciarum nonnihil illæ tribuunt & laxamenti, facere nulla ratione poſſum, quin omnes, in Dei caritate, amantiſſime complectar & conſalutem; arreptaque opportunitate deſideria communicem, quibus pro ſua me clementia exſtimulat Deus; ut recenti nimirum animorum ardore amoreque in noſtrum Ordinem intimo atque veriſſimo, cum Bernardo clamemus, moribus magis, quam vocibus: *Domine, dilexi decorem domus tuæ*; magnanimoque conſilio quod in ſe eſt, unusquisque det operam, ut caſtisſimis ejusdem oculis non habentem, quoad licet, maculam, neque rugam, minima hæc ſe exhibere Societas queat. Quamvis enim probe norim, quæ Dei eſt indulgentia, vigere in Societatis quaſi corpore illum, quo initio animata eſt, etiamnum ſpiritum; planeque perſpiciam non ſuperſtitem modo, ſed robuſtum eſſe præterea & vividum; tamen, quod quisque diligit, perfectum omnibus numeris optat & abſolutum; neque inſignia tantummodo vitia ſatis habet ſi detrahat, ſed leves pro virili etiam nævos conatur abradere; neque in eo laborat uno, ut corpori univerſo, ſeu vultui, partibusque principibus ceteris faciat medicinam, ſed omnes ſedulo diligenterque, quamvis ignobiles, curat; ut, quod modo dicebam, exiſtat neque maculam habens, neque rugam: quo uno impellor ad hanc perſcribendam epiſtolam deſiderio. In qua, quod familiæ ſuæ inclytæ conſimili in loco ſcripſit B. Bonaventura; neque propoſitum mihi eſt, *nova ſtatuere, nec vincula ſuperinducere, nec onera gravia alligare, & imponere*; verum, ut ejusdem pergam verbis uti, *caritatis veſtræ zelum, quantum poſſum, excitare*, pauca de multis, decretis jam atque ſancitis, ex quibus Societatis, ni fallor, ſalus & incrementum pendet, exponere; deque iis omnes *ſollicitos reddere*; quæ, ſi, quod Deus avertat, forte negligerentur, brevi, ut idem ait, *Sanctæ Religionis ſplendorem præfulgidum in pallorem degenerare, ſanctitatis ſordeſcere pulcritudinem, bonæ opinionis odorem computreſcere* cerneremus. Sane uti Conſtitutionum noſtrarum à majoribus obſervata *perfectio hactenus ſpectabiles & amabiles nos mundo reddidit, omnique favore ac reverentia*

Pſalm. 25.

Epiſt. ad Provinc. de Refor. Frat. Epiſt. de Vitand. diſcurſib. 8.

tia dignos; ita, ſi ab iisdem deerraremus, non ingrati tantum & inutiles redderemur, ſed, quæ ſunt Generalis ejusdem ſanctiſſimi verba, *deſpicabiles oneroſique, verteretur que in ſcandalum, quod cunctis eſſe debuerat in exemplum.*

Verum committendum nequaquam videtur, ut intro in domum pedem ante inferamus, quam ſiſtamus tantiſper gradum; unoque quaſi oculorum flexu, externam, ut ita loquar, faciem perluſtremus. Bona nimirum domus, ut hanc in rem aptiſſime Ambroſius, ex ipſo veſtibulo debet agnoſci. *Lib. 2. de Virginibus.*

Dolet ac queritur vulgo Societas de noſtra ſane quammultum imminutum eſſe modeſtia. Opto itaque vehementiſſime, relegant omnes, perpendantque ſerio, quæ Beato Fundatori tanti ſtetere, modeſtiæ Regulas. Nemo rem hanc reponat in minimis: fixum quinimo apud omnes conſtitutumque ſit, eam noſtri, qui intus eſt, hominis ſpeciem ſæculares viros animo conformaturos, quam exterius nobis impreſſam animadvertent. Nimirum elinguis licet & muta modeſtia, ſilentium, cujus meminit Nazianzenus, illud eſt ſermone præſtantius, atque ad homines permovendos flectendosque copioſa quavis diſputatione longe valentius. *Orat. 12. ſive 1. de pace.* Vſu quidem ipſo compertum eſt, Fratrum noſtrorum, ſive in gymnaſiis, ſive per compita, conſpecta modeſtia, ad Societatem bene multos animum adjeciſſe; atque ego profiteri de me ſancte vereque poſſum, tantum ex eo me ſpectaculo, cum adhuc verſarer in ſæculo, fructum capere ſolitum, ut cum Romanum Collegium concionis, lectionisque ſacræ gratia è Profeſſa Domo unà omnes bini repeterent, ejus frui conſpectu pompæ enixe contenderem. In ſummâ, quod ait Hieronymus, *licet ſermone taceamus, habitu loquamur & geſtu.* *Lib. 2. contra Iobin.* Et quoniam optimam veluti matrem, Societatem ab omnibus unice diligi exploratum mihi perſpectumque eſt, nulla caput hoc inculcari ratione vehementius à me arbitror poſſe, quam ſi monuero reputandum unicuique animo eſſe, totam ſe Societatis exiſtimationem dignitatemque in ore, externaque conformatione corporis circumferre.

Succedamus, ut ita loquar, nunc intro in domum. Et vero ad interiora ſarta tecta ſervanda, ex quibus colorem ſpeciemque ducunt externa, ſtudioſiſſime ſe nobis inprimis per ſeſe commendant, quæ ad illam, quæ Deum inter nosque intercedit, conſuetudinem pertinent univerſa; precationeque continentur, excuſſione conſcientiæ, piorum lectione librorum,

Sacra-

Sacramentorum perceptione, Sacrificio Miſſæ (cujus lex, ne dimidiata minus hora teneat, jam pæne dilapſa, eorum qui præſunt deſidiam acriter reprehendit) crebro per ignita precum ſubinde jacula ad divinæ limen indulgentiæ perfugio, re ſane extra modum perneceſſaria iis atque perutili, qui tam multis, ac nos, occupationibus diſtrahuntur & curis. Eam ob rem poſtrema hæc Generalis Congregatio quædam primo & vigeſimo decreto huc ſpectantia proprie conſtituit; noſterque magnus Pater ille Franciſcus Borgia uſurpare conſueverat, ſpem ſibi in Domino eſſe, tribus maxime rebus ſervatum, auctumque iri Societatem; orandi primum ſtudio, tractationeque Sacramentorum; inſectationibus deinde & tempeſtatibus; abſoluta denique, numeriſque expleta omnibus obedientia: ſuæque rationem ſententiæ reddebat, quod Deo nos primum illud jungeret necteretque; à ſæculi inanitate alterum & amore divelleret; cum ducibus tertium noſtris, nobiſque invicem compactos coagmentatoſque nos una conſtringeret. Ad extremum pro harum exercitationum ſanctarum modo procedent cetera, iiſque languentibus, flacceſcant reliqua neceſſe erit. Egregie Nazianzenus, ejus, quæ in contemplatione verſatur, vitæ ſtudiis, actuoſæ negotia, quodam quaſi annulo conſignari, notaque alte impreſſa inſigniri tradit. *Contemplatione*, de B. Athanaſio agens inquit, *vitam obſignans*, ſive ut habent Græca, *ſigillo vitæ utens*. Harum ope & vi exercitationum recaleſcent in nobis perfectionis noſtræ ſtudia, per quæ primigenius Societatis ille ſpiritus revireſcet, quo ejus olim inſtincta ſoboles ſæculo rebuſque omnibus, quas in ipſo cumque ipſo reliquerat, oblivione perpetua obrutis, vitam agebat; nulla conſanguineorum plane recordatione, niſi cum aut commendandi per preces Deo, aut piis tempeſtive monitis ad æternam iis vitam iter commonſtrandum foret; caducorum abjecta negotiorum procuratione, cognatorum augendæ rei dignitatiſque omni cura depoſita. Quoniam autem vereor, ne caritatis ſpecie, affectus hic animi ſenſim irrepat, per aſperſionem ſanguinis Iesv Christi univerſos obteſtor, omnino apud ſe ſtatuant, magnam hinc Societati cladem afferri poſſe. Quare pro mei ratione muneris, quam poſſum graviter moderatoribus, ſevereque denuntio, robuſtos hic ſeſe maxime forteſque præbeant; non conſanguineorum poſtulationibus, non virorum commendationibus principum, non ullo denique impulſu dimoveri adducique ſe ſinant, ut ſuæ fidei concreditos, aut forenſes moderandas controverſias, aut corrogandas præfecturas,

Orat. 21. ſeu de laudibus Athanaſ.

aut

aut concilianda conjugia patiantur in ſe recipere; niſi admodum forte perraro, re ipſa cogente, eaque tum, quam caritatis ordo, proximorumque profectus exigit, temperatione. Denique ſibi perſuadeant, ſtatum hinc Societatis atque exiſtimationem magna ex parte pendere.

Hac in eadem orandi palæſtra, ad ſolidas perfectasque virtutes, quibus ex Conſtitutionum præſcripto nihil nobis eſſe debet antiquius, capesſendas condocefacti nanciſcemur præterea nervos ac vires; ad Obedientiam inprimis: qua de virtute ſermonem inſtituere opus minime foret, quod maxime proprium ſit Societatis inſigne, tutumque navigium, (ita P. Borgia dictitabat,) quo Religioſi, procelloſo hoc mari, ad tranquillum beatæ tendunt portum æternitatis; & numquam, ſeu ſomnum ſeu quietem capiant, intermiſſo curſu, diu noctuque feliciſſime provehuntur. Satis eſt B. P. N. auream plane epiſtolam accurate conſiderateque perlegere, obfirmatoque ad illam re ipſa præſtandam animo, ſummiſſe quæ jubentur & alacriter exequi, nullis oblocutionibus, contumacia nulla, nullis prætenſis excuſationibus; noſtri liberum in omnes partes arbitrium Præfectis permittere, paribus omnino ad omnia univerſe & munera & loca momentis; quam certo ex loco munereve tranquillitatem levamenque nobis animo deſtinamus, à Deo nobis & præſtolari & certiſſimo polliceri; beata illa, Ezechieli olim viſa, Cherubim æmulari, quibus extra ſenas alas, quæ mobilitatis ad cuncta obſequii officia, agilitatis, pernicitatisque nos admonent; quatuor inerant præterea vultus, quibus ad quatuor pariter orbis terrarum plagas obvertebantur; atque ita non quò proprio ferebantur nutu, ſed quò Dei agebantur ſpiritu pervolabant. Quin, quod inſuper animadvertêre nonnulli, pedibus inſiſtebant, alasque aliò quaſi jam commigraturi vibrabant: quo indicarent ad juſſa peragenda divina numquam ſe promptos non eſſe & expeditos; atque à Dei conſpectu conſuetudineque, qua cum illo arctiſſima utuntur & perfamiliari, explicari perpetuo alas cierique, vel ad cælum etiam ipſum parendi gratia, ſi res poſceret, deſerendum.

Præclare Auguſtinus: *Optimus miniſter tuus eſt, Domine, qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipſe voluerit; ſed potius hoc velle, quod à te audierit.* Qui ejusmodi eſt, ſi quæ in contrariam forte partem occurrent momenta rationum non ita exponet, ut divinam voluntatem Præſidum interpretatione evolutam ſuæ videatur velle ſubjungere: neque tan- *Lib. 10. Conſ. c. 26.*

tummodo Præfectum, ſive etiam fortaſſe conſilium, nequaquam damnatum volet, ſed ex illius etiam ſententia atque judicio formabit & finget ſuum. Neque vero generalium quarumdam facultatum, quoad fieri poteſt, extra non levem neceſſitatem amore ducamur; minimarum potius etiam rerum cauſſa, moderatoribus ſubjicere nos identidem geſtiamus, in ejus gratiam, *qui purpuram ſuæ divinitatis cilicio noſtræ mortalitatis operiens*, quod Beatus ait Bernardus, *factus eſt pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; ut nos* (quemadmodum alio idem loco habet) *diſcentes veræ humilitatis formam, caſtigemus corda noſtra in obedientia caritatis.* Et ſane uberibus digniſſima lacrymis eorum eſſet cæcitas atque calamitas, qui omnem in hoc genere attactum morſiunculamque defugerent; quodque nonnullo temporis ſpatio certo in loco, munereve verſati ſint, jus ſibi quæſitum aliquod eſſe opinarentur; ex quo fieret, ut juſſi à Præfecto decedere, rationem facti repeterent; absque ſuæ id ignominiæ nota peragi non poſſe jactarent; denique in ejusmodi locorum, & munerum vicibus, legitimum quaſi judicium conſtitui depoſcerent. Iam iſto maxime omnium in genere robur ego animi & firmitatem in Præfectis optarim; cujus præſidio, quam à ſancto Fundatore poſſeſſionem acceperunt, noſtrique illis retinuere majores, in ea conſiſterent. Et vero quemadmodum ipſis, qua decet caritate agendum eſt atque prudentia, ita in ſubjectis elimata ſubtilisque quædam Obedientia eſt exquirenda; iisque in memoriam revocandum hac ſe ratione germanam probaturos ſobolem Societatis, quæ, quos reponit in ſuis, hoc educat cibo, ad juſtamque perducit maturitatem. Recte Cyrillus Obedientiam docet, & cibum à nobis appellari & cenſeri debere. Vti enim corporis absque cibo, ita ſine obedientia ſpiritus vita traduci nequaquam poteſt. Claudam hoc caput ſuaviſſimo Ignatii magni dicto, qui in epiſtola quadam de iis diſputans, qui obedientiæ regendos ſeſe permittunt, ad eam delabitur formam dicendi, ut aſſerat, ſuum ſe cum eorum animis animum quam promptiſſime commutaturum. Ad extremum illud omnes memoria repetamus, mirifica hac eſſe vi ſanctæ obedientiæ dexteram & efficacitate, ut deſiderii florem in fructum operis excoquat, piaque conſilia dum interpellat, adducique ad exitum vetat, cumulata omni ex parte plenaque reddat.

Sermon. de S. And. tom. 2.

Sermon. 2. S. And. tom. 1.

Lib. 2. in Ioan.

Epiſtol. 11. ad Polycarp.

Ex hoc eodem precationis fonte major in dies exiſtet ſanctæ Paupertatis in nobis amor, blandior caritas, ampliorque fiducia. Et vero, quoniam

niam ſummus is ſit oportet atque dulciſſimus, liberorum B. Pater amori jubet illum eſſe perſimilem: quoniam autem in ejus fide atque præſidio non tutis modo, ſed etiam degere lætis licet, firmum Religionis murum appellat. Hæc nos vitæ commoditatum plus æquo nimiam ſollicitudinem dedocebit, quæ ne ſenſim influat illabaturque ſubvereor, aditum pedetentim perque rerum incrementa fallentia, pandente neceſſitate, æquitatis etiam cujusdam fortaſſe probabili nomine, gratique poſt diuturnos in Societate labores animi ſignificatione. De juſta mihi neceſſitate ſermo neutiquam eſt: quæ cum premit, ne calicibus quidem parcendum, quo egentibus, ſi aliter nequeat, conſulatur, moderatores non fugit: verum, hanc ſi unam excipias, animum credite Patres Fratresque tantiſper intendere ſatis eſt, *Brevis via*, inquit Ambroſius, *non eſt magnum viaticum requirendum.* Sane magiſtra experientia conſtat, blandimenta iſta naturæ alia ex aliis necti; ſedatioreque animo, minoreque longe lucta, omnibus plane tibi interdices, quam, ubi ſemel cupiditati indulſeris, deinceps abſiſtas. Delectat me hic ſummopere, quod ad illa Pſalmi verba, *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt, palpebræ ejus interrogant filios hominum*, adnotavit ſolertiſſime Nazianzenus: *Oculi*, inquit, *ejus in pauperem reſpiciunt, quod quidem palpebris melius eſt, atque præſtantius; palpebræ autem interrogant filios hominum, id eſt minor, ut ita dicam, & poſterior inſpectio.* Quod ſi, ut hoc obiter animadvertam, qui opum (nos in rem noſtram dicere poſſumus commoditatum) amantes, præfidentesque iis ſunt filii hominum à divino ſpiritu compellantur, certo affirmare tutoque poſſumus, eos, qui vere pauperes ſunt, nullius que rei, qualibet contenti, cupiditate tanguntur, maxime propria quadam privataque ratione Dei filios eſſe: quo fit, ut hereditatem extra Deum omnem defugiant, plenique animi ac ſpei decantent: *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei*; quidquid nimirum, aut in expectatione mihi eſt, aut reipſa conſequi valeo. Tu omnium mihi vicem Domine imples, neque opportunitates vitæ tantummodo, ſed delicias etiam repræſentas: in quem ſenſum verba illa, *calicis mei*, Cardinalis Bellarminus interpretatur.

Pſalm. 10.

Orat. 16. ſive de Pauperum amore.

Pſalm. 15.

Hac eadem precationis, ceterarumque piarum exercitationum in luce clareſcet noſtra in dies magis, nitebitque caſtimonia; cujus ſplendor niſi candidiſſimus ſit atque integerrimus, pioque auſu nitori pæne decertet Angelico, oculos ad hæc perſtringat omnium, ſperandum non eſt, aut in

divina amplificanda gloria, aut in juvandis ope mortalibus, pro illorum votis, noſtrorum poſſe functione munerum promoveri.

Orat. 42. ſive 2. in Paſch, Ephef. 6. Quærit peracute Nazianzenus, quid lumbis cum veritate commune ſit, ut propterea Paulus dixerit: *State ergo ſuccincti lumbos in veritate:* reſpondetque, contemplatione rerum divinarum (quibus nihil verius) concupiſcentiam coërceri, ne alio feratur. Nimirum qui mentem atque oculos in cæli formoſitatem, ſiderumque defigit, lapidum, quod idem indicat, terræque amore duci nequaquam cor ſinet. Atque hic ego optarim, ut qui, pro ſingulari Domini bonitate, præcipuus in Societatis filiis erga cæleſtem hanc virtutem viget animi ſenſus, excuteret eorumdem de manibus, ſeu manus potius colligaret, ne genus neſcio quod librorum vel attingerent quidem, è quibus numquam doctrinæ tantum accedet, quantum ut caſtimoniæ decedat in proclivi eſt; ut eam ob cauſſam ne domi quidem haben-
part. 3. c. 1. dos Conſtitutiones noſtræ decernant. Ne nectar quidem, aut ſi quis adhuc præſtabilior eſt liquor, reconditæ cujuscujus doctrinæ per fœdos adeo inquinatiſſimorum verborum canales colligendum eſſet. Memini me apud Hieronymum legere, magnum illum Ioſephum, caſtum purumque non minus, quam cautum & providum (& vero eſt illi tuendæ hæc virtus perneceſſaria) ubi pallium animadvertit à conſcelerata illa femina contrectatum, ac ſi infami illa dextera infectum foret, eo actutum abjecto profugiſſe: *Pallium illud contactu impuriſſimæ manus contagione peſtilenti contaminatum erat:* & cenſebimus noſtrum ab hujuſmodi lue tutum cor eſſe, ſi
Hom. 2. in Hierem. oculos peſtilentibus hiſce chartis commodemus? *Calix aureus hæ ſunt*, Origenes inquit, ſed qui veneno redundet, ut ſi forte te aurum illicit, magis multo virus abſterreat, eo periculoſius, quo tectius propinatum. *Calix*
Hierem. 51. *aureus Babylon.* Babylonis hoc porro nomen efficit, ut minime deinde mirum accidere debeat, ſi ab horum lectitatione librorum, qui Deum nonnihil verentur, cæca fere omnes & obſcura ſollicitudine ſuſpenſi recedant, verborumne, ſenſorumque, vaſis veluti cujusdam magnificentia duci ſe atque elegantia permiſerint; an dulcicula etiam illa, qua quo nocentius fal-
1. Confeſſ. c. 16. lat, obductum eſt venenum, illecebra. *Quo mihi verba, carminaque quædam quaſi vaſa*, ut loquitur Auguſtinus, *electa, atque pretioſa, ſi vinum in eis propinatur erroris?* In ſumma, ad hunc incomparabilem ſervandum thesaurum, intenta noſtrorum fores ſenſuum cuſtodia muniamus, diſcrimina devitemus, à propriis familiaritatibus neſcio quibus, privatiſque jungendis

gendis amicitiis abhorreamus; revocemusque, quod mirifice adnotavit Baſilius, in memoriam iis ipſis, qui animi vitæque candore, præſtantia virtutum, cæleſtis conſuetudinis excelſitate id elogii promerentur, *Dii eſtis*; ſive ad comminationem, ſive ad imbecillitatis humanæ, miſeriæque recordationem mox ſuccini: *Vos autem ſicut homines moriemini.* *De Virgin.* *Pſalm. 81.*

Iſto ipſo orationis in lumine ſpirabit flagrabitque perpetuo Caritas; omnesque proinde peræque homines nationesque collatata circumplectetur. Equidem facere minime poſſum, Patres Fratresque optatiſſimi, quin profitear, me, cum appellationem iſtam externorum in Societate audio, plane exhorreſcere: ſed fortiſſimam mihi cupiditatem injicit Deus, ſpemque firmiſſimam affectus hujusmodi vocesque ſtirpitus convellendi. Et vero provinciis, atque nationibus addicti conſecratique iſti ſpiritus, ſanctæ hujus Societatis, cujus unus eſt eritque ſpiritus Iesv, conjunctionis nimirum, caritatis, atque concordiæ, dulciſſimum mare influentes, æquum ſane fuerat, ut oblitterato etiam nomine interirent. Quod ſi quis oculorum Societatis iſti pupillæ, ſive hujusce bene adeo conſtituti compactique corporis cordi qualibet incommodare ratione conaretur, næ is à moderatoribus acerrime plectendus foret, peſtisque habendus in loco: in qua tractanda uti clementer agere atque humaniter, immanitatis eſt ſummæ; ita ſevere, atque, ut ita loquar, crudeliter ſe gerere, pietatis eſt maximæ atque veriſſimæ. Hæc efficiet conjunctio, ut noſtro ingenti bono, & approbatione mortalium, non minus Fratrum Provinciarumque omnium lætis eventibus, quam noſtris, noſtræve Provinciæ triumphemus. *Incremento diteſcunt proprio*, recte inquit Leo, *qui profectu lætantur alieno.* Recidendi igitur continenter affectus ſunt quidam animi, quos iſto in genere vetus in nobis homo progignit. Non ex elementis unquam argentum, aurum, gemmæ, aliaque peregregia permulta admixtionem habentia corpora exiſterent, niſi longiſſime licet inter ſe diſſita, dum ſibi mutuo pæne concedunt, è pluribus unam naturis inita conſpiratione conflarent. Eadem ergo & nos ipſi ratione, quamquam erga res noſtræ, ſive Provinciæ ſive regionis, voluntatis propendeamus inclinatione, exiguum quiddam concedamus, ut in hanc rem Nazianzenus ait, ut quod majus eſt recipiamus, conjunctionis hujusce ſtabilitatem ſcilicet concordiæque incrementum, cedamus, ut ſuperemus. *Orat. 14. ſive 3. de pacc.* Enimvero hæc plane virtus eſt, quæ nos victores, & inexpugnabiles quidem reddit, ut idcirco Bernardus, ſive quis alius, adnotet, à ſancto Spiritu Eccleſiam, *Serm. 41. de modo bene vivendi.*

ſiam, omnemque famulorum Dei cœtum cum acie caſtrorum ordinata conferri. *Nam ſicut hoſtes*, inquit, *timent, quando acies caſtrorum bene ordinatas ad bellum vident; ita mundus, ita diabolus expaveſcit, quando ſpirituales viros virtutum armis accinctos in unitate concordiæ vivere conſpicit.* Neque ſolum quovis hæc in diſcrimine fortitudine admirabili quadam nos obarmat, perficitque, ut ſecuro tantummodo atque tranquillo, ſed ut alacri etiam erectoque animo depugnemus. Legimus in ſacris litteris: *Et adjuvabant Iudam omnes fratres ejus, & univerſi, qui ſe conjunxerant patri ejus.* Subjiciuntur mox illa: *Et præliabantur prælium ejus cum lætitia;* quamvis & præſtantiſſimi robore hoſtes, & multitudine innumerabiles pæne eſſent. Animorum inter nos, in Domino, conjunctio ſit & conſociatio; idem ſapiamus, idem dicamus omnes; neque nos admodum ſollicitos habeant, quæ mundus in nos jactat & commolitur. De iis, quæ ad noſtram pertinent perfectionem, omniumque conſecutionem virtutum, ad quas precationis, uti memorabam, palæſtra nos erudit, hæc dicta ſint ſatis.

1. Mach. 3.

Eamdem inter precationem piis exercitationibus ceteris conſociatam, animorum ſalutis zelus exardeſcet, qui otii nos & lentitudinis in ſuſcipiendis eorum cauſſa laboribus horrore perfundet; ad Miſſiones, proprium adeo Societatis munus, omnium adeo votis exoptatum probatumque ſententiis, ad opem non pecunioſis modo & illuſtribus, ſed pauperibus etiam atque humilibus ferendam, ſuavi quadam nos vi rapi ſentiemus; neque ſi pluribus pares ſint vires, unica iis functione prodeſſe ſatis habebimus. Et ſane dedecoris plena res eſſet, ſi ex Societate aliquis (ſoboles tandem Patrum, quibus Deo mundos ipſos totos lucrari perparum videbatur) ſatis ſibi faceret, multumque ſane præſtare ſe duceret, dum Collegio, Domove in aliqua non incommode degit, piiſque triginta plus minus mulierculis bis terve per hebdomadam confitentibus aures præbet. Expendat igitur, per Domini caritatem, unuſquiſque in ejuſdem oculis perdiligenter, num cui præterea labori par ſit, remque præſidi totam candide exponat; legitimum orationis ope comparare guſtatum ſtudeat, qui omnium ſapore capiatur animorum, neque, dum Iesv ſanguine reſperſi ſint, quid inſuper quærat. Quod ſi Concionator fuerit, illuſtria, media, obſcura ſint ſuggeſta ne curet; neque frequentiſſimis tantummodo in urbibus atque celeberrimis, ad ampliſſimos ornatiſſimoſque conventus, nobiles maxime conciones admittat; vulgares modicis in oppidis variis congeſtis declinet excuſationibus,

germa-

germanamque imperii detrectationem fucata apud moderatores neceſſitate prætendat; immemor Deum non irrideri, Deoque (ut hominem deludas) minime imponi.

Eodem orationis in lumine quam abjecta, deſpicata, amore votisque noſtris indigna plane ſint, quæ extra Deum ſunt univerſa, perſpiciemus; Ioannisque Baptiſtæ exemplo, qui, ut ait Hieronymus, oculis deſiderantibus Chriſtum nihil aliud dignabatur aſpicere, divinæ gloriæ, perfectionis noſtræ, proximorum ſalutis ſinceriſſimis corda ſtudiis cumulati, conſilia, reſpectus, curas, terrenarum rerum cupiditates pectoribus noſtris excipere, aut aditum iis patefacere dedignabimur. Et vero an non probrum eſſet intolerabile, ſi qui ex Dei caritate ſæculo ſibique nuntium ipſi remiſit, unius exinde cathedræ, ſuggeſti unius, loci hujus, illius muneris ambitione duceretur? avertat divina clementia, ut ne in Societatis filios acerrima illa juſtiſſimaque apte cadat objurgatio: *Filii hominum*, &c. Hebræa habent: *Filii viri, glorioſi mei*, ſeu gloria mea, *usquequo ad ignominiam*? Filii amantiſſimi, tanto, atque B. Ignatius fuit, parente progeniti (eo ſcilicet viro, in quem ſpiritum omnino maſculum virilemque tanta Deus ubertate profudit) quibus (quamquam ſumma animi demiſſione debetis, & verecundia, liquidaque, quam nihil vobis ex vobis ſit, veſtri perſpicientia) ad omnem tamen fas eſt veritatem, promptamque grati erga Domini indulgentiam animi conteſtationem, profiteri, Majeſtati divinæ viſum hac vos nobili appellatione, *Glorioſi mei*, ſeu *gloria mea*, condecorare; ergo vos Deus compellat: *Filii viri*, &c. usquequo ad ignominiam, dum extra Deum aliqua deperitis; ſi quæ veſtrorum conſiliorum infringi interpellarive contigerit, animo diſcruciamini; cum tamen illa, niſi in Domini gloriam, opemque ferantur animorum, abjecta ſane quam eſſe neceſſe ſit, veſtrique ſimilibus probroſa atque indecora? Subjicit actutum Propheta *Sela* illud, quod interjectionem, ut Latini vocant, quamdam eſſe nonnullis placet, quæ ad ingentem aliquam ſignificandam, qua obſtupeſcimus, admirationem uſurpetur: ac ſi diceret: Fierine unquam poteſt, ut parentis tanti liberi, tam à Deo dulciter magnificeque habiti, præclariſſimis deſtinati honeſtiſſimisque provinciis, tanti adeo vilia & abjecta ducant, tam intimis angantur eorum cauſſa ſenſibus atque diſpereant?

Epiſt. 4. ad Ruſticum.

Pſalm. 4.

Hinc illud præterea commodi conſequetur, ut clientelas, commendationes, gratias, ſeu domi, ſeu foris nemo colligat, quo altius, ut mos eſt loqui,

loqui, efferatur. Et vero hic ego ætate provectos, graveſque auctoritate Patres omnes, Conſultores, Præceptoreſque, per Domini caritatem, ſtudiumque, quo in ſecundum Societatis noſtræ curſum feruntur, omni contentione atque opera obteſtor, intendant ſerio oculos, perpendantque, quam illi, & impenſe obeſſe, & prodeſſe inſigniter poſſint: non ſe certis propenſionibus ferri ſinant, neque ad benevolentiam privatim deſignent, qui cubicula frequentius terunt, laudibus liberalius onerant, ampliorem fiduciam oſtentant, (nollem uti hac voce, quæ mihi Religioſo ſtatu nimium quantum videtur indigna, atque execranda) qui ſe aptos, & obnoxios ex iis pendere omnium maxime præſeferunt. Adjiciant potius ſincere oculos ad virtutem, deinde dotes, quas diſpertiit ſingulis Deus; omnes, qua conſilio, qua exemplo juvent; ad ſanctam Obedientiam in primis, ad parem in omnia animi nutum, ad ſe moderatoribus permittendos, Deique arbitrium ex eorum petendum oraculo; ſibique perſuadeant, neque Deo ſe, Beatoque IGNATIO gratum quid & jucundum magis patrare, neque majoris momenti officium Societati poſſe perſolvere; cui uberrima ſane in cælo præmia coronæque reſpondebunt ampliſſimæ, quæ, ut probe novi, eſt ipſis, Dei munere, ſumma votorum. Ita feram illam, immanemque belluam, quam Politicam appellamus, domo exterminabimus; quæ, vocibus quidem omnium proripere ſe jubentium, clamoribuſque confligitur, noſtras tamen in inſidiis obſidet perpetuo fores; atq; utinam ne ad noſtram interdum perniciem etiam irrumpat. Æquum tamen verumque eſt, Religioſa ſubmiſſione adoleſcentes atque ſimplicitate colere, qua decet, obſervantia Patres, qui ſuos in Ordinis obſequium annos contriverunt; quo in genere nonnihil aliquanto ab hinc tempore juniores peccare inficiari non poſſumus. Denique, ut caput hoc claudam, quod pluribus, quam deſtinaram, ſum executus, quemadmodum Sancti dulciſſimo huic vaſtoque precationis committentes ſe mari, pretioſiſſimas ſenſorum, virtutumque indepti cæleſtium, expiſcatique ſunt margaritas, ut conſimili in re Chryſoſtomus fere habet, quibus cum ſe tum nos locupletarent exornarentque; ita uſu nobis veniet, ut quidquid noſtram in perfectionem, aliorumve ſalutem eſt opus, in eodem deprehendamus. Haud ſcio, an tribus ſignificatius verbis efferri omnia poſſent, quam iis, quibus totam hanc rem complexus eſt Nazianzenus: *Per eam*, inquit, (ſacram nimirum, quam contemplatione delibamus doctrinam) *Deus ſincere percipitur, & conſervatur, atque in nobis adoleſcit:*

Lib. 2. de orando Deo.

Orat. 12. ſive 1. de pace.

leſcit: nocentibus herbis, dumisque, omnibus denique evulſis, quæ ne vera Chriſtus vitis noſtris in cordibus comprehendat, pubeſcat, fructuoſa ſit, queunt officere. Hæc porro ipſa precatio depaſcitur, eamque ob cauſſam, *Cantabiles mihi erant juſtificationes tuæ in omni tempore*, David ajebat. Legunt nonnulli *amputationes*, ſeu *falces*. Et exploratiſſima ſane res eſt divina mandata, ſi accurata commentatione exterantur, falces quaſi quasdam eſſe, quæ demetant; aſſiduam Chriſti verborum geſtorumque meditationem continentem putationem quamdam eſſe, quæ noſtrarum ſarmenta ſurculosque exſcindat inutiles perturbationum; quæ hujus in eremo vitæ, in qua peregrinamur, adeò valide, tamque uberi proventu ſuccreſcunt. *Pſalm. 118.*

Ad extremum pervelim, ut parum propenſas in nos hominum voluntates querelasque, quibus nos exagitant, toto pectore retractemus. Quamquam enim novi permultas in totum falſas eſſe, alias mirum in modum auctas atque exaggeratas; proderit tamen ſummopere non ita nobis nos aſſentari, ut inducamus in animum, ne à nemine quidem è noſtris uno, ſaltem interdum, anſam aliquam occaſionemque præberi; quandoquidem proprio Societatis infortunio, ſeu potius privata quadam, inſignique felicitate, ſingulorum dicta vel facta omnibus tribuuntur; ut jam non Petrum, ſeu Paulum, ſed hoſce in univerſum homines ejusmodi eſſe circumferatur. Verum, utut ſe res habeat, demus rumores iſtos atque obtrectationes nullo veritatis fundamento niti, nulla culpa noſtrorum; quid tandem obeſſe nobis queat, ſi materiam illis omnem atque occaſionem præripere totis viribus contendamus? Facile id autem, Deo juvante, conſequemur, ſi, ut cautius agamus, in adverſa tendamus & plane contraria.

Querimoniæ porro communiores ad hæc capita revocantur: ſuperbos nos eſſe; huc nos tendere, ut omnia per nos adminiſtrentur, ex nobis pendeant univerſa; de noſtra nos ſapientia ample magnificeque ſentire, ceteros parvi facere, modico in pretio habere. Hoc primum eſt caput. Alterum eſt, vitæ commoditates nos impenſe ſectari. Tertium, cupidos nos eſſe, & quærere quæ noſtra ſunt. Quartum denique, prudentes nos homines eſſe magis, & politicos, quam ſolide ſpirituales. Iam in hæc, oro, capita mentem animumque figamus, tutoque Regularum noſtrarum ductu, uti ajebam, in adverſa tendamus atque contraria. Curemus, omnes vulgo plane pervideant, nullius nos alterius rei, quam noviſſimi loci ambitione teneri; utque tempore ſumus ac nomine poſtremi, minimique

(nimirum noſtis Societatem ab iis, qui eam cōnſtituerunt Patribus Minimam appellatam) ita nequaquam quæſitæ, ſed germanæ veræque demiſſionis laude, ut omnium maximi & principes ſimus, enitamur. *Epiſtol. 24. ad Celantiam.* *Nihil eſt*, inquit Hieronymus, *quod nos ita & hominibus gratos & Deo faciat, quam ſi vitæ merito magni, humilitate infimi ſimus.* Ne commoveamur, ſi contemptim, ſi minus honorifice, ſi minori in pretio habiti nobis videbimur, ſed patienter ſilentio feramus; animorum potius lucris, quam plauſibus neſcio quibus mortalium oblectemur: ne in aulas nos inſeramus; ad ſpiritualem pauperum opem toto pectore incumbamus: Epiſcopis, eorumdem Vicariis, iis, qui præſunt omnibus, unicum illud in hoc genere B. Xaverii exemplar perpetuo contuentes, intimam ex animo ſubmiſſionem atque obſervantiam deferamus. Ne umbram quidem noſtra, ſeu dicta ſeu facta, præferant, unde oboriri ſuſpicio queat audere nos cum iis pæne ex æquo contendere, nihil non velle pervincere: ne alienis nos rebus immiſceamus: *Epiſt. 2. ad Nepot.* *neque quid agatur in alia*, quod ſapienter monet Hieronymus, *domus alia per te noverit:* de omnibus, religioſis præcipue, ut par eſt, honorifice atque officioſe loquamur: ſtatimque haud amplius vulgo nos cenſeri ſuperbos deprehendetis. Eadem ratione ſi in vitæ commoditatibus procurandis minus ſeduli erimus; ſi in itineribus, miſſionibus, xenodochiis, ergaſtulisque luſtrandis, diu noctuque ad pie mortem obeundam juvandis pauperibus nonnulla ſciemus ſtatuemusque perferre; ſi in corporis cultu atque veſtitu pauperes & eſſe & videri geſtiemus, neque veſtibus erubeſcemus detritis & conſarcinatis uti; novas remiſſionum atque oblectationum animi formas minime excogitabimus; externorum menſas, optimatum in primis refugiemus, neque tam iis nos oblectari, quam fatigari ſignificabimus; quæ erat altera querela conticeſcet, omnesque factum ſibi ſatis per nos eſſe fatebuntur. Ad hæc ſi à litibus abhorrebimus, rationem agendi veritatis & fidei plenam, ab artificio neſcio quo, & apicibus puram ſequemur; pacta, promiſſa ad amuſſim ſancte ſervabimus; teſtamentis condendis intereſſe ex regularum noſtrarum præſcripto recuſabimus, quod tantopere ſuis etiam fratribus inculcat B. Bonaventura: denique ſi nos ita geremus, ut omnes perſpiciant, hominum animos, non marſupia nos quærere, neque id agere, ut iſta nobis, verum ut illos Deo lucremur, quis nos inſimulare valeat aviditatis? Hic vero quam maxime poſſum moderatores oro quæſoque, Procuratoribus, Confeſſariis, Eccleſiarum Præfectis, eleemoſynarum

rum conquiſitoribus, omnibus denique invigilent, ut moderatione, quæ ſane eſt perneceſſaria, utantur, certi non unquam alios nobis commonſtratoribus curſum ad cælum inſtituturos, ſi nos terrenis rebus affixos adhæreſcere animadvertent.

Ad extremum ſi opportune complures ad exercitia ſpiritualia peragenda perliciemus, inter quæ germanam ſpiritus Societatis ſpeciem ſæculares mente concipiunt; ſi de piis rebus ſermones cum omnibus miſcebimus, ad vitam melius inſtituendam proximos cohortabimur, Patris Borgiæ, ſanctæ memoriæ, conqueſtio illa ceſſabit: *Quam multi veniunt ad nos, ut fiant ditiores; quam pauci, ut fiant meliores!* Hoc porro caput, in quo nonnulla, quæ ad linguam pertinent, perſtringere neceſſe habeo, gaudeo in poſtremum hunc locum cecidiſſe, quod cupiam omnibus, quæ hactenus recenſui, altius iſta cunctorum cordibus imprimi ſempiternis notis. Ne, quæſo, nobis, Patres Fratresque, blandiamur; non pauci hoc in genere valido freno egent; nemini parcunt; nimia agunt libertate & licentia, non ſine gravi caritatis, juſtitiæque interdum injuria; dum aliena, ſeu dicta ſeu facta, nunc amplificata augent, modo ultro citroque renuntiant, nunc in deteriorem partem accipiunt; ad motus animi, atque conſilia Deo reſervata dijudicanda progrediuntur; haud ſcio an dicendum ſit, res neque geſtas unquam, neque per ſomnium quidem oblatas comminiſcuntur & jactant. Equidem mihi perſuadeo, conſulto & dedita opera non delinqui, quod ſciam quantus Dei timor, ipſo adjutore, in Societate vigeat; verum affirmo inconſiderantiam, indiligentiam, lubricitatem hac in re malum eſſe longe graviſſimum; atque utinam interdum divina Majeſtas nihilo magis, quam leviter lædatur, eoque periculoſius, quo minus inde conſcientia onerari alicui fortaſſe videbitur.

Ego vero, quoniam exonerare meam ſtatui, mihique perſuaſum eſt, innumera hinc nobis bona intercludi, atque ex hoc fonte in primis, & univerſe derivari mala, quæ æquiſſimo Domini judicio toleramus, ex intimis cordis mei viſceribus omnes obteſtor, examen, quod vocamus particulare, quam accuratum per hoſce dies in hoc vitium inſtituant; quandoquidem latius, quam opus eſſet, illud ſerpere per Societatem deploramus omnes, fatemurque, venenoſæ hujus atque execrabilis plantæ fibris evulſis, terreſtrem quemdam paradiſum illam futuram. Remedio porro utantur, quod in Domini nomine cunctis porrigo, omniaque, quæ ex remiſſa linguæ cu-

 ſtodia

ſtodia nobis impendent mala ſtirpitus eradicabit. Neque vero aliud illud eſt, quam ut omni ope atque opera pios inter nos, cumque externis ſermones inſtituere conſueſcamus. Quanta hinc, Patres Fratresque nobis bona provenient! Ita res domeſticas, non optimi interdum exempli, ſæcularibus nequaquam indicabimus, magno ipſorum detrimento, noſtræque exiſtimationis majore jactura: ita rerum dictarum, geſtarumque nuntiis aliorum aures non opplebimus; neque pro nugarum rumorumque, qui falſi, inepti, vanique deprehendantur, auctoribus unquam habebimur: ita nemini occaſionem afferemus, ut prædicet, cum de rebus piis colloqui animus tulerit, ad aliorum ſe religioſorum fores, non ad noſtras accedere. Ita denique nemo ſæcularium obſervabit uſurpabitque, haud amplius in nobis vigere priſcum illum primorum Patrum ſpiritum, qui cum principibus viris, planeque omnibus non niſi de Deo, atque æterna ſalute ſermones ſerere noverant, eaque ratione pro arbitratu cuncta conficiebant. O ſi renovatam hoc in genere Societatem daretur intueri! Omni tunc ſane animi ardore inclamarem: *Nunc dimittis*, &c. Incumbamus, per Dei caritatem, curemusque, ut longe alii hac ex parte evadamus: hanc in rem ſtudium præcipue noſtrum conferamus per hos dies, quibus pro opportunitate, rationeque à moderatoribus præſcribenda ſecedere cuncti debebunt, quo ingenti hoc Iubilæi theſauro fruantur, quod ex occaſione novi muneris, quod mihi demandare eſt Deo viſum, atque inſectationum, quas pro ipſius gloria Societas, & Eccleſia univerſa, in Iaponia præſertim, uti inaudiſtis, tolerat, ex Patrum Aſſiſtentium deliberatione, atque ſententia à Sanctiſſimo D.N. humiliter petii, ſingularique ille benignitate, qua Societatem perpetuo protegit, eſt impertitus. Felicem Iaponiæ ſtatum, Indiarumque omnium, precibus univerſorum commendo, Dominum obſecrans, ut in multorum è Societate animis flagrantiſſima ſtudia inflammet ad immanem illam ſterilitatem ſudoribus, vel etiam ſanguine ipſo, irrigandam ſe conferendi. Hac in re, per Dei amorem, moderatores præſertim adjutores ſe præbeant & adminiſtros; atque in ſubjectis vocationes ejusmodi & conſpicere & incendere gaudeant. Neque ſuarum provinciarum caritate trahi ſe ſinant, ne optimis operariis deſtituantur; ſed Deo fidant, fore ut ſi ad ipſius gloriam permultas egregiasque operas liberaliter in Indiam ſubmittant, Europæas ipſorum provincias, & numero virorum & conditione Dominus locupletet. Et ſane dolerem vehementer, haberemque, quod jure reprehenderem, ſi

quis

quis, moderatorum præcipue, pro eo ac me juvare debuerat, frigidum ſeſe præſtaret, vel etiam obeſſet, minime reputans, ardores iſtos à Domino excitari, non ad egentiſſimarum illarum provinciarum neceſſitatibus tantummodo conſulendum, ſed in Europæarum etiam ſummam utilitatem: in quibus experientia plane teſtatur, quam ejusmodi vocationum, itinerumque præſidiis germanus Societatis ſpiritus ſervetur, & floreat. Omnium me precibus, ut tandem finem imponam, & ſacrificiis, tamquam omnium maxime indigum, ex animo, & omni humilitate commendo. Romæ II. Ianuarii, M. DC. XVII.

Omnium Servus in Chriſto

MVTIVS VITELLESCVS.

EPISTOLA II.
EIVSDEM
R. P. N. GENERALIS
MVTII VITELLESCHI
Ad
Superiores Societatis Iesv.

Licet inſufficientiam meam ad ferendum onus impoſitum cognoſcerem manifeſte per imperfectionem mentis (neque enim aliunde opportunius huic Epiſtolæ initium facere me poſſe video, quam ab hiſce verbis, quibus ad ſui magni Ordinis Provinciales conſcriptas litteras exorditus eſt B. Bonaventura) Congregationis tamen generalis, & altiſſimi Dei voluntati *Epiſt. de reſor. Fratr.* pertinaciter reſiſtere æquum minime erat. *Eam ob rem ſarcinæ gravi, & quaſi importabili humeros ſuppoſui imbecilles, ſperans de adjutorio virtutis Omnipotentis, & confidens de adminiculo veſtræ ſollicitudinis in idipſum. Nam etſi ſit impoſſibile homini quantumcumq; forti, induſtrio, & experto totam tanti oneris ſarcinam ſuis humeris bajulare; ſi tamen diviſa in partes, & humeris impoſita diverſorum viriliter à quolibet portetur, non eſt quantumcumque debili capiti deſperandum.* Videns igitur me (quamvis maxime

me imparem, minimeque commeritum) *ſpeculatorem domui Iſraël datum; ne ſanguis animarum de manu mea requiratur, tamquam annuntiator veritatis explicabo breviter pauca de multis, videns illa nullatenus reticenda.*

Et vero primum ac princeps, quod commendem, illud eſt, ſerio ſibi, & ante omnes invigilent: intelligant ſuæ ſemetipſos in primis curæ à Deo eſſe concreditos: reputent unicuique à Domino præclarum illud Eucherii monitum in dies, horasque ſingulas identidem inſtillari: *Commendo animo tuo curam animæ tuæ.* Nimirum hoc ſpectare, ita apud ſe decernere quisque deberet, Talem ego, Deo favente, me præſtandum ſuſcipio, quales eos eſſe, qui mihi parent, optarim; ſtatuens munera in Societate, neque ad captandam quietem demandari, neque ad perfectionis, quoad ſatis ſit, adeptæ conteſtationem, verum ad majores, quàm unquam antea, exorbendos labores, tolerandasque perpeſſiones; ad obligationem denique imponendam, quæ omnibus in virtutibus ad celſiorem perfectionis gradum citatiore cogat curſu contendere. Itaque transferre ad nos poſſumus, quod S. Gregorius ait: *Nomen nos Paſtoris non ad quietem, ſed ad laborem ſuſcepiſſe cognoſcite. Exhibeamus ergo in opere, quod ſignamur in nomine.* Sint igitur in ſancta precatione quam exquiſitiſſimi, in excuſſionibus conſcientiæ, ceteraque rerum omnium ſpiritualium tractatione: quo in ludo germanam illam pie paterneque regendi rationem, quam Inſtitutum noſtrum depoſcit, haurimus. Denique meminerint, eos, qui alios ante purgant, quam ipſi purgati fuerint, à S. Gregorio Nazianzeno, tamquam minime idoneos, à gubernatione repelli.

Epiſt. Paræn.

Lib. 4. epiſtol. 59.

Orat. 21. ſiue de laudibus Athan.

Alterum, quod omni animi contentione atque opera in CHRISTI IESV ſanguine commendatum cupio, Regularum noſtrarum in univerſum cuſtodia continetur, Religioſæque vitæ diſciplina, qua ceteris ipſi præluceant. Vti igitur dignitate ſunt & loco principes, ita omni ſtudio allaborent, ut exemplar, ut forma ſint omnibus in victu, veſtituque, in tota ratione cubiculi, quod Regula Rectoris ſecunda præcipitur; dum legitimis temporibus precationem obeunt, conſcientiam excutiunt, cubitum ſe conferunt, ſurgunt: quæ omnia (credite) præſtare ſi quis velit, omnino valet. Illud vero apud omnes fixum conſtitutumque ſit, niſi exemplo præiverint, non privatis monitis, non cohortationibus publicis, ſive in ſubjectorum commodum, ſive in Societatis obſequium quidquam admodum ſe promoturos. Quinimo ſuarum ſibi culparum conſcii alienas objurgare minime audebunt: quod ſi audeant,

audeant, riſui vel contemptui erunt, ſtomachumque movebunt potius, quam ardens corrigendæ ſerio vitæ ſtudium inflamment. Quare, quod S. Gregorius Nazianzenus habet, *duorum alterum peccant, vel, quia venia ipſi opus habent, ultra modum aliis ignoſcentes, ut ſic vitium non modo non reprimatur, ſed etiam doceatur; vel quia imperii acerbitate ſua vitia obtegunt, ut non mores dignitati, ſed dignitas moribus fidem aſtruat, ordine admodum præpoſtero.* Veriſſimum eſt illud Tertulliani, *Dicta factis deficientibus erubeſcunt. Non confundant*, Hieronymus inquit, *opera tua ſermonem tuum*, ne, cum loqueris, tacitus quilibet reſpondeat, *Cur ergo hæc, quæ dicis, ipſe non facis?* Et alio in loco: *Erubeſcit quamvis præclara doctrina, quam propria reprehendit conſcientia.* Et ſane, quo demum pacto ad commoditatum vitæ contemptum cohortabitur is, qui omni obſequio, & indulgentia corpori obſecundat; ad patientiam, qui minimis quibusque rebus commovetur; ad humilitatem, qui delicatulum ſe, ſuæque peramantem exiſtimationis oſtendit? *Et oves meæ*, apud Ezechielem Deus inquit, *his, quæ conculcata pedibus veſtris fuerant, paſcebantur; &, quæ pedes veſtri turbaverant, hæc bibebant. Sollicita ſemper conſideratione penſandum eſt*, Gregorius Magnus ait, *ne qui præſunt exempla mali operis ſubjectis præbeant, eorumque vitam ſuæ gladio pravitatis extinguant. Conculcata, & turbata pedibus oves paſcuntur, & bibunt, cum ſubjecti ea ad exemplum vivendi appetunt; quæ Prælati quique pravo opere pervertunt.* Idem præterea beatus vir verba illa primi Regum libri ediſſerens, *Erat autem bellum potens adverſus Philiſthæos omnibus diebus Saul*, expendit, quidnam ſit dimicare in die ſuo, in die alieno, & in omnibus diebus, aitque: *Quod bellum Doctoris eſt aliud, quam quod lingua conficitur? In die autem ſuo pugnat, qui verba prædicationis ex propria trahit luce virtutis: in die vero alieno pugnare vult, qui contraire reprobis ſpiritibus ſatagit non loquendo, quæ agit, ſed prædicando, quæ novit: ſed omnibus diebus pugnat, qui multa alios docet, ſed nihil docendo profert, niſi quod prius fulget opere: omnibus diebus pugnat, quia omnia præcepta Dei oſtendit in luce operis, quæ ſubſequendo vult pandere per lucem prædicationis. Merito itaque bellum potens dicitur, in quo cum omnimoda virtutum, vel operum luce pugnatur.* Ex quo fit, ut quamvis bellum iſtud, quod à Moderatoribus, docendo inflammandoque, adverſus ignorationem teporemque geritur, uti Sanctus hic perhibet, ad linguam pertineat, maximam ſibi tamen pugnæ victoriæque partem dextra vindicet.

Orat. 21. ſive de laudibus Athan.

Lib. de patient.

Epiſtol. 2. ad Nepot.

Epiſtol. 16. ad Princ.

Ezech. 34.

Lib. 22. Mor. c. ult.

1. Reg. 14.

Lib. 5. c. ult. in 1. Reg.

Quo-

Orat.33.ſiβe 1. de Theol. Quocirca egregie hanc in rem Nazianzenus, *Cur*, inquit, *manibus vinctis linguam armamus? Nec enim, qui in ſermone ſapiens eſt*, idem alibi *Orat.15.ſiβe in plag. grandin.* ait, *hic mihi ſapiens eſt; ſed is, qui pauca de virtutibus quidem verba facit; ceterum per ea, quæ agit, multa demonſtrat, ac fidem & auctoritatem ſermoni ſuo per vitam conciliat. Præſtantior meo quidem judicio eſt pulcritudo ea, quæ oculis cernitur, quam quæ ſermone pingitur; & ſapientia, quæ per opera demonſtratur, quam quæ ſermone nitet atque ſplendeſcit.* Me porro non *21. Mor. c. 8.* excitat tantum, ſed etiam concutit atque tremefacit illa Gregorii Pontificis *3. Reg. 3.* ſententia, qui de femina illa diſputans, quæ natum, quem vigilans lactarat, dormiens oppreſſerat, in hunc modum diſſerit: *Magiſtri vigilantes quidem ſcientia, ſed vita dormientes, auditores ſuos, quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt facere negligunt, per ſomnum torporis occidunt; & negligendo opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur.* In ſumma ſi proficere quidquam cupimus, quod Iovium S. Paulinus monet, præſtemus neceſſe eſt: *Non tam lingua, quam vita eruditus; non tam diſſeras magna, quam facias.* Et vero permultum intereſt, an via perdifficili atque periculoſa verbis quemquam dirigas, an manu prehenſum deducas; neque ſubjectorum rapit atque conciliat animos Moderatoris oratio duris in rebus, tenoreque diſciplinæ præire jubentis, ſed hortantis ſubſequi: & exploratiſſimum eſt rectis exemplis curationem adhiberi multis partibus ſalutarem magis, & minus cruentam. Equidem novi ſubjectos repetere *Matth. 23.* memoria debere illud Chriſti: *Omnia, quæ dixerint vobis, ſervate & facite, Epiſt. Parænet. ſecundum autem opera eorum nolite facere;* magnumque illud Eucherii documentum eſſe oppido neceſſarium; *Obſecro te, delictum alienum (vel in ipſis moderatoribus deprehenſum) ſemper ut opprobrium reſpice, numquam ut exemplum.* Nihilominus tamen, (quæ noſtra infelix conditio eſt) ni- *Coll. 11. c. 4.* mis quidem aperte experientia indicat, Cheræmonis Abbatis apud Caſſianum pronuntiatum illud eſſe plane veriſſimum: *Numquam erit efficax inſtituentis auctoritas, niſi eam effectu operis ſui cordi affixerit audientis.* De *Orat. 21. ſiβe de laudibus Athan.* S. Athanaſio Nazianzenus hæc habet: *Ita ſe comparans, ut neque ſermone propter mores abunde ad inſtitutionem ſufficientes magnopere opus haberet*, &c. Idemque de Baſilio loquens, *Sermone*, inquit, *ad animarum cu- Orat. 20. ſiβe de laud. Baſil. rationem haud multum indigens.* Quæris quamobrem? quia opere quam plurima perficiens. At cur, quod de eodem ille ipſe narrat, *tonitruum erat oratio? quia vita fulgur.* Diutius fortaſſe, quam par erat, hoc in capite

hæſi,

hæſi, quod hic, pæne dixi, omnia verti cenſeam, & arbitrer illud B. Ioannis poſſe me huc merito detorquere, *Si ſolum fiat, ſufficit.* Qui communis vitæ normam ferre non poſſunt, ii, ut ceteris præſint, idonei ferè non ſunt. Sane B. Bernardus veriſſime ille quidem, ſed ut ad nimiam quamdam exaggerationem deflectere videatur, vel cum neceſſitas ipſa ad remiſſionem aliquam atque relaxationem cogit, magnum inde Ordines religioſos detrimentum accipere profitetur. *Eſtque noſtri Inſtituti detrimentum, ſi cogat infirmitas rigoris priſtini aliquid relaxari.* Quod ſi in iis, qui parent, id uſuvenit, quanto magis in iis, qui imperant, obtinebit; cum præſertim ad aperiendum vitæ commoditatibus, corporiſque appetitionibus aditum neceſſitatis nomen perniciſſime advolet, in iis nominatim, qui, quod ceteris præſint, facultate ad iſta, & quaſi clavi potiuntur? Eam ob cauſſam opto, ut in præficiendorum nominationibus hoc ſpeciatim, an ſcilicet communem vitæ rationem ſequi valeant, tamquam ſummi rem momenti, diſpiciant Provinciales. S. Carolus Borromæus Præſuli monenti per litteras, ne ſe aſpera adeo pœnitentia mactaret, reſcripſit appoſite; Oportere, ut exemplo ſuo Paſtor amaritiem pœnitentiæ edulcet & molliat. Eadem igitur & ipſe ratione perneceſſarium plane eſſe prædico, ut Moderator forma factus gregis ex animo, quidquid in religioſæ diſciplinæ ſeveritate auſteri ineſt & acerbi, exemplo leniat; & veluti iſto pharmaco prægustato horrorem ex ſubjectorum animis pavoremque depellat, quem parere ea ſollicitudo conſuevit, ne amarum admodum ſit atque injucundùm.

Tertium eſt, ut noſtri ſancti Inſtituti peritos crebra Conſtitutionum, Ordinationumque, quas vocamus, lectione ſe reddant; eæ ut ſerventur potius quam ut novæ condantur ſtrenue una & ſuaviter curent: non eas ad ſuam gubernandi rationem, ſenſumque detorqueant, adminiſtrationem potius ſuam ad illas dirigant: ne ſusque deque omnia miſcendi, eximendique identidem, ſeu nulla, ſeu perlevi certe cauſſa, Regulis atque Ordinationibus liberam adeo ſibi licentiam arrogent; memores grave nimis fore piaculum, ſi quis ex diſciplinæ, Regularumque jactura compendium ſibi benevolentiæ venaretur. Denique hoc ipſum Apoſtolicum plane inſtitutum ſubjecti ut adament, quam impenſiſſime poterunt, enitantur.

Hunc in finem & verbis & re ipſa ſignificent pergratum ſibi, perque jucundum eſſe, ſi à ſuis Moderatoribus dirigantur, lucem opemque ſubjecti afferant, præcipue Conſultores. Hinc fiet, ut omnes intelligant nequa-

quam illos gravate ferre, ſi ad Moderatores de eorum adminiſtratione referatur, perſcribaturve. Et vero contraria agendi ratio de eorum virtutis, ſinceræque mentis opinione detraheret ſane quam multum: locumque ſuſpicioni faceret, non unicam Dei gloriam, bonumque Societatis, ſed proprium neſcio quem guſtum atque exiſtimationem eo illos in munere habere propoſitam. Ita præterea qua par eſt diligentia, conſultationes ſuas tempori habebunt. Et ſane non poſſum non demirari, qui fiat, ut cum hoc præſidium tam enixe commendatum, adeo facile, tantæ ſit ad faciendum omnibus ſatis, recteque progrediendum efficacitatis, omnium nihilominus Provinciarum concors fere conquæſtio ſit, infrequenter Moderatores cum Conſultoribus agere; conſultationes eſſe multo rariſſimas, eas in primis, quæ ad res ſancti Inſtituti noſtri pertinent, quæ tanti ſunt tamen ponderis. Erga hoc ipſum Inſtitutum, quemadmodum paullo ante monui, ut in ſubjectorum cordibus vigeat perpetuo amor elaborent, cura adhibita, ut ſancta illa animi æquitas, voluntatisque abſoluta abdicatio, ad quam in Probationum Domibus informantur, quæque ejus pacis eſt parens, quæ exuperat omnem ſenſum, in iiſdem & ſervetur & augeatur. Denique ſollicite curent, ne qui cum adoleſcentibus noſtris verſantur, quidquam agant dicantve, quod amorem, obſervantiam, exiſtimationem Societatis, omniumque ejusdem celſiſſimi Inſtituti partium ulla queat ex parte, ſive reſtinguere, ſive imminuere, aut quavis ratione ſeveritatis diſciplinæque religioſæ ſpiritum relaxare.

Quartum eſt, ut in ſpiritualem ſubjectorum profectum toto pectore incumbant; illos, uti filios Deo cariſſimos, ab eodem Præſidum cuſtodiæ unice commendatos, intueantur: eorum ſive animi, ſive corporis neceſſitates antevertant, ingenti caritate, quæ ad omnes indiſcriminatim pertineat, absque perſonarum acceptione, ſine pondere & pondere; ita ut neque genii naturæque conſenſione, neque cognationis neceſſitudine, neque patriæ communione, non ullo denique humano reſpectu rapi ſe ſinant, ut filiorum Dei in ejusdem domo conditionem diſparem faciant. Sane tragœdiarum recordatio, quas Iacob familia ſpectavit ob amoris præcipui ſignificationes, quibus Ioſephum virtute atque promeritis ceteris liberis adeo præſtantem Beatus ille Patriarcha proſequebatur, ſatis apud nos eſſe deberet, ut nobis ſedulo, continenterque caveremus: verſareturque perpetuo ob oculos caritas, quæ ad omnes, uti ajebam, generatim ſeſe protendat;

ſitque

ſitque (quod præterea neceſſe eſt) ejusmodi, ut nemini comperta non ſit, nemo non certo reputet in Præſide, tum re ipſa, tum verbis, interius exteriusque promptam illam ſibi ſemper atque alacrem ad manum præſto futuram. Vno verbo ſtudeant omnibus omnia fieri in viſceribus, & dilectione IESV CHRISTI; inducantque in animum fore, ut ſuper ſubjectorum, etiam non perfectiſſimorum, caput hac ratione carbones congerant, iisque demum pro arbitrio utantur. Denique ut quisque maxime opis indiget, ejus ſive animo ſive corpori, præcipua quadam ſollicitudine atque cura proſpiciant. Totum hoc vigeſima quinta Rectoris Regula edicitur: *Crebro & magna caritatis ſignificatione alloquatur ſubditos, eorumque neceſſitatibus non corporis tantum, ſed multo etiam magis animæ paterno affectu proſpiciat. Si quem vero intelligat aliqua tentatione pulſari, præſertim gravi, ejus peculiarem curam & ſollicitudinem non ſolum per ſe, ſed etiam ſi neceſſe fuerit, per alios gerat: nec remedium longius differendo difficiliorem morbi curationem reddat.* Proh quantum in hac regula, Patres amantiſſimi, momentum eſt, adeo ut ſi hanc unam, qui præſunt, accurate ſervandam ſibi ſuſciperent, feliciſſime cuncta progrederentur! Hæc fiduciæ illi, qua filii cum parentibus agere conſueverunt, aditum aperit; quæ ſi deſit, ratio gubernationis in Societate alia jam eſt: hac caritas viam ſibi munit, & rationem excogitat, qua omnium ſive neceſſitatem, ſive indigentiam prævertat & ſublevet. Quam acrem mihi cupiditatem injicit Deus, ut morem illum priſtinum repetant univerſi, cum, quod ego ſciam, nemo certum cubiculum, veſtem aliam, munus illud, quidquam denique ſibi poſcebat, quod ita ſe præventos, ita ſibi proſpectum omnes ſentirent, ut vel nihil admodum opus haberent, vel caritate Moderatorum & ſollicitudine attonitos, animo quidpiam agitare, nedum petere, puderet! Ægrotos in primis facere non poſſum, quin ex omnibus cordis mei viſceribus Moderatorum ſedulitati commendem. Sollicitum enim me habet caritatis atque ſollicitudinis Beati Patris IGNATII recordatio, qui inter tot tantasque occupationes eam ægrotorum curam gerebat, ut haud ſciam, an majorem impendere bene ſedulus valetudinarii adminiſter, aut amantiſſima mater queat. Ne quæſo, per Domini caritatem, præclaram adeo atque amplam hereditatem per incuriam atque oſcitantiam nobis effluere patiamur. Conſtituantur igitur, omnibus, ſi quæ obſtant, perruptis, commoda valetudinaria. Curatores eorumdem intelligentes parentur: quæ medici præſcripſerint, ſerventur

quam accurate: denique, ut meum uno verbo ſenſum & votum exponam, curetur, ut non Moderator tantum magnæque quispiam auctoritatis Pater, cum æger decumbit, ſed frater, & tiro quilibet, quivis demum è Societate ægrotus, neque ad domeſticas delicias, neque ad maternam induſtriam, & providentiam memoria referatur; quod illud ipſum eſt, quod de Ægypti monaſteriis memorat B. Hieronymus in hæc verba: *Si quis cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, & tanto ſenum miniſterio confovetur, ut nec delicias urbium, nec matris quærat affectum.* Poſt ægrotos revoco in mentem hoſpites & peregrinos; erga quos nollem aurum illud puriſſimum caritatis, quæ in Societate claruit, ſenſim infuſcaretur; mosque ille in caritatis Apoſtolicæ ſinu ortus exoleſceret, iis, qui peregre adveniunt, pedes lavandi, omni amoris voluntatisque adjecta ſignificatione, ut ſuo in Collegio Domove ſe degere ſentiant: quo in genere, quæ peccari feruntur, nimio ſane rubore perfundunt.

Ad Euſtoch. de cuſtodia Virg.

Poſtremo, quod ad noſtrorum curam, & religioſæ diſciplinæ cuſtodiam pertinet, inter plurima, quæ poſſem, hæc pauca exponere, atque impenſe commendare ſatis habeo.

Principiò in noſtrorum Seminariis viri vere ſpirituales, atque incorruptis moribus ad docendum ſeligantur; qui ad magnos non minus in doctrina litterisque, quam in virtutibus proceſſus habendos, rectis & exemplis & monitis juvent auditores ſuos. Omnino, quibus præceptoribus utemur, ea Collegia habebimus. Hac igitur in re ſtabiles immotique perſiſtant Moderatores: non ſuis propenſionibus, non aliorum commendationibus locum tribuant: ſed optimos coram Domino deligant. Quod ſi quis non nimis utilis deprehenderetur, qua opus eſt quidem prudentia, magna tamen fortitudine atque animo, antequam incipiat obeſſe, ſubmoveant.

Deinde ſubjectos à nimio erga conſanguineos affectu divellant; planeque ſtatuant graviorem, quam aſpectu primo videatur, hunc morbum eſſe. Quoniam vero hac ipſa de re communibus in litteris nonnulla perſtrinxi, tantum addo, Provinciales ſuis in Regulis admoneri, inter capita, de quibus ſedulo in Viſitationibus eſt inquirendum, unum hoc eſſe: *An aliquis domi nimis affectus videatur ad conſanguineos.*

Cap. 15.

Tertio intelligant importunitate aliquorum in corrogandis eleemoſynis atque nimietate Dei obſequium maximopere interpellari, noſtrasque functio-

functiones quam deſpicatiſſimas reddi; ut ſi Societatis munera una, quod ajunt, manu ſæculares alliciunt, centenis hæc immoderatio manibus eosdem amandet atque propellat.

Quarto nonnullorum ex Societate ſententiæ, in rebus præſertim ad mores ſpectantibus, plus nimio libere, non modo periculum eſt ne ipſam evertant, ſed ne Eccleſiæ etiam Dei univerſæ inſignia afferant detrimenta. Omni itaque ſtudio perficiant, ut qui docent, ſcribuntve, minime hac regula & norma in delectu ſententiarum utantur: *Tueri quis poteſt; Probabilis eſt*; *Auctore non caret:* verum ad eas ſententias accedant, quæ tutiores, quæ graviorum, majorisque nominis Doctorum ſuffragiis ſunt frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere, & prodeſſe queunt, non vaſtare, non perdere. Quoniam vero Conſtitutiones, Decreta, Regulas, probe callent, de S. Thoma ſequendo, de non provehendis ad cathedras, aut etiam removendis, qui ejusmodi doctrinam parvi facere, aut cordi non habere præ ſe ferunt, præſertim ſi novitatum amantes deprehendantur, qui nulla ſunt ratione ferendi reliquum mihi præterea nihil eſt, niſi, ut hæc ipſa ſerventur, uti maximi rem momenti quam ardentiſſime poſſum urgere.

Quinto ſedulo ſubjectorum linguis invigilent, ut qua decet reverentia atque obſervantia, de Præſulibus, optimatibus, religioſis, omnibus denique loquantur; ne quidquid domi geritur ſæcularibus in aures inſuſurrent, nec magno illorum profectu, nec maxima Societatis exiſtimatione; ne tam multæ nullius neceſſitatis, aut utilitatis epiſtolæ, neque, ſive res ipſas, ſive rationem eloquendi ſpectes, pro more ſatis religioſæ ſcribantur. Quoniam vero de loquendi licentia conqueſtus ſum, meumque communi in epiſtola ſenſum expoſui, non agam pluribus; illud tantum adjicio, facere me non poſſe, quin vehementer admirer, quî fiat, ut, cum adeo frequenter noſtris in tricliniis pœnæ pro noxis in leges admiſſis infligantur, hæc una culpa (quæ tamen è gravioribus eſt, latiſſime patet, crebro contrahitur) aut numquam, aut raro plectatur.

Sexto omni ope atque opera contendant, ut cunctos, pro ſingulorum viribus dotibusque, ſatis fructuoſeque habeant occupatos: neminem ad otium vel quietem aſpirare permittant. In primis vero, ſi quem, quo ſe religionis ſubducat oneribus, majori licentia, minusque Moderatoribus obnoxius vivat, in aulas, & optimatum clientelas inſerere ſe & inferre anim-

adverterent, mature occurrant; neque dum incommoda & corruptelæ increſcant, viresque ſumant, præſtolentur; ſed ſub ipſa initia celeritate omni, fortitudine, induſtria utantur; neque hac in re modicum aliquid eſſe aut leve interpretentur.

Ad extremum ſint, ubi res exigit, arcani quam maxime tenaces; eorum in primis omnium, quæ in reddenda ratione conſcientiæ inter ipſos ſubjectosque intercedunt, quæque ipſis veluti patribus deteguntur; atque intelligant hanc eſſe gubernationis totius in Societate veluti clavim. Quod ſi quis hoc in genere peccaret, næ ille à munere, quod ſuſtinet, ſemovendus foret. In ſumma obverſetur perpetuo ob oculos filiorum ſe Deo cariſſimorum, uti ajebam, curam gerere, quorum ſeveriſſimam idem rationem exiget, & ſanguinem animarum ipſorum pretioſiſſimo ſanguine dilectiſſimi Filii ſui redemptarum reſperſarumque, de manu noſtra requiret. Moneo ad hæc è re Divini obſequii viſum fore, ſi facultates quælibet, quavis ratione, cuivis à Generalibus etiam tributæ revocarentur, uti omnes omnium his litteris revoco; quod ipſum in ſingulis Provinciarum ſuarum domiciliis Provinciales denuntiari curabunt. Gratia Domini IESV CHRISTI ſit vobiscum. Dilectio mea cum omnibus vobis in CHRISTO IESV. Romæ IV. Ianuarii, M. DC. XVII.

Omnium Servus in Chriſto

MVTIVS VITELLESCVS.

EPISTOLA III.

EIVSDEM R. P. N. GENERALIS MVTII VITELLESCHI

Ad

Provinciales, & Patres Congregationum Provincialium ejusdem Societatis.

Inſtan-

INſtante Congregationum Provincialium tempore, quo ſingulis in Provinciis unus eligatur venturus ad Congregationem Procuratorum, quæ Romæ cogetur, favente Domino, ad xv. Novembris decurrentis anni M. DC. XIX. volui ego ſpiritu affectuque animi, quando aliter nequeo, ſiſtere me præſentem omnibus, ut ubi amplexus fuero quam arctiſſime unumquemque dilectiſſimorum Patrum meorum (quos ego nomine Societatis, gaudium meum, & coronam meam rite mihi videor appellare poſſe) iisdem quadantenus exponam, tum quo nunc ſtatu ſit noſtra Societas, quosve progreſſus ea faciat, aut eam certe facere, Chriſto favente, confidamus; tum quo potiſſimum ea ne delabatur, vereri poſſimus, ſi quando ſui ipſius, quod abſit, ſuæve perfectionis curam negligeret. Ex harum quippe rerum notitia facilius pertingent RR. VV. ad eum ſcopum, quem hujusmodi Congregationes tertio quoque anno fieri ſolitæ, habent ſibi propoſitum, & expreſſum in earumdem formula, approbata à Congregatione quarta generali, §. 31. Ego ſimul officio meo aliqua ex parte ſatisfecero, necnon ardenti illi deſiderio, quod mihi Dominus largitus eſt, non parcendi labori, neque ullam prætermittendi occaſionem, qua ſubmotis impedimentis, promovere valeam, & quidem in dies vehementius, adeo commendabile ſanctæ hujus Religionis inſtitutum. Crediderim equidem, poſſe me vere affirmare, quod non mediocri RR. VV. ac mihi pariter eſſe debeat conſolationi, univerſum hoc Societatis corpus (Deo ſint laudes) recte habere, vegetumque eſſe ac firmum in procuranda tum propria, tum proximi ſalute atque perfectione. Tametſi, ut fere uſu venit in humano corpore, ſuæ non deſint infirmitates ordinariæ, interdum etiam extraordinariæ nonnullæ: ſed quibus tamen opportuna adhibeantur remedia; deprompta videlicet ex Conſtitutionibus, ex regulis, ex conſultationibus, quæ de more inſtituuntur cum Patribus Aſſiſtentibus; denique ex eo lumine, quo benigniſſimus Dominus pro divina ſua providentia perpetuo aſſiſtit huic ſuæ minimæ Societati. Vnde & ipſa dilatatur quotidie magis ac magis, & ſimiliter augetur ubique fidelium numerus, qui vel ab hæreſi, falſove idolorum cultu ad fidei veritatem adducuntur, vel à Noſtris adjuti, ad meliorem frugem ſe recipiunt. Adeo ut recte cum Apoſtolo dicere poſſimus: *Oſtium magnum nobis apertum eſt*; *1. Cor. 16.* & quidem toto pæne orbe, nedum in aliqua ejus parte: ſed adjiciendum item quod ſubjungit Apoſtolus: *Et adverſarii multi*; nobis, inquam, nihil non audentibus in eo, qui nos confortat; ſed perinde diffidentibus, no-

bisque

biſque merito timentibus à noſtris ipſorum miſeriis atque infirmitatibus. Enimvero juſtam maximi timoris cauſſam habet noſtra fragilitas, ob id, quod apte indicat S. Auguſtinus, dum generatim agens de creaturis, ſic loquitur: *Omnes creaturæ ex eo proficere poſſunt, quia eſſe cœperunt; ex eo deficere, quia ex nihilo factæ ſunt: ad defectum conditio eas ducit originis, ad profectum potentia conditoris.* Nec ſane dubium, quin ſi mentis oculos convertamus ad illam Domini dexteram omnipotentem, quæ tam brevi temporis ſpatio à tam exili, tenuique principio Societatem noſtram ad tantam

Pſalm. 79. provexit amplitudinem, ut ei recte congruant verba Pſalmiſtæ, *Plantaſti radices ejus, & implevit terram: operuit montes umbra ejus, & arbuſta ejus cedros Dei: extendit palmites ſuos usque ad mare, & usque ad flumen propagines ejus;* Nec, inquam, dubium, quin ſi ea, quæ dixi, conſideremus, ſperare poſſimus ac debeamus, fore, ut illa ipſa manus, quæ Societatem inſtituit, eamdem cuſtodiat atque perficiat. Id nimirum pollicetur B. P. N. Ignatius in ipſo Conſtitutionum procemio. Atenim ſi altera ex parte conjiciamus oculos in materiam ipſam, ex qua corpus hoc conſtat, ſcilicet in perſonas tot, tamque diverſarum nationum, affectionum, morum, voluntatum; jure timendum eſt, ne noſtra culpa regularum ſanctarum disrupta ſepe, dicatur aliquando: *Exterminavit eam aper de ſilva, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam;* Sitque hoc primum de damnis, à quibus Societas poſſit ac debeat ſibi timere. Atque utinam iſta ex parte nihil jam detrimenti acceperit! Non vacat myſterio, quod ipſo Societatis noſtræ exordio, cum eam Dominus Deus è ſuo nihilo ad tam inſignem evocavit ſtatum, eamdem coagmentari voluerit e perſonis adeo diſcrepantium inter ſe nationum, ſed quas arctiſſimo caritatis vinculo copularit, eisque unum quaſi vitalem ſpiri-

Cap. 37. tum infuderit; quemadmodum & illis olim apud Ezechielem aridis oſſibus; & ita quidem, ut ipſo Conſtitutionum initio dicere non dubitarit B. P. Ignatius, vix ſibi videri neceſſarium regulas in Societate conſcribere; quandoquidem unica regula caritatis, quæ eſt plenitudo legis, regula eſſet, atque inſtar omnium regularum. Iam vero nollem, Patres mei dilectiſſimi, ex veritate poſſe dicere: *Ad defectum nos conditio ducit originis.* At excreſcimus, & longe lateque diffundimur: agit fere quisque perpetuo cum ſuis indigenis: plurimi neſcio quo affectu, & quaſi zelotypia, ad ſuam reſtringi videntur Provinciam. Verendum maxime, ne excidentes ab illa felici regeneratione, ad primam noſtram originem brevi revolvamur.

Princi-

Principio videlicet noſtræ Societatis nullum apparebat diſcrimen Collegiorum, aut Provinciarum, ſed ne quidem nationum, regnorum, aut regionum; nunc tamen negari non poteſt, quin ſe prodat in nonnullis neſcio quis affectus, & zelus illius particularis boni, quod ad ſuas ipſi putent ſpectare Provincias; indeque ſenſim ſine ſenſu minuatur in iis, atque intepeſcat amor communis boni omnium Provinciarum, & ſubintret pedetentim meum & tuum, frigidum illud verbum, ut ait S. Chryſoſtomus, & quidquid malorum eſt invehens. Vtut ſit, hoc unum ſummopere exopto (& ob id ego, ut quidem poſſum, aſſidue fundo cor meum in conſpectu Domini) ut in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos, & evexit ad vitam hanc ſpiritualem, dum nos conſtituit membra myſtici corporis Societatis; tum ardentiſſime ipſum exoremus, ut eam, quam plantavit dextera ſua, perficere omni ex parte dignetur, quantumvis denuo foret opus illo miraculo, quod olim per Ezechielem operari non eſt gravatus: *Et tu fili hominis, ſume tibi* Cap. 37. *lignum unum, & ſcribe ſuper illud, Iudæ, & filiorum Iſrael ſociorum ejus; & tolle lignum alterum, & ſcribe ſuper illud, Ioſeph, ligno Ephraim, & cunctæ domui Iſraël, ſociorumque ejus; & adjunge illa, unum ad alterum tibi in lignum unum, & erunt in unionem in manu tua. Cum autem dixerint ad te filii populi tui loquentes; Nonne indicas nobis, quid in his tibi velis? loqueris ad eos: Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego aſſumam lignum Ioſeph, quod eſt in manu Ephraim, & tribus Iſrael, quæ ſunt ei adjunctæ, & dabo eas pariter cum ligno Iudæ, & faciam eas in lignum unum, & erunt unum in manu ejus, & faciam eos in gentem unam in terra, & Rex unus erit in omnibus imperans, & non erunt ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna, & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus, & ſervus meus David Rex ſuper eos & paſtor unus erit omnium eorum.* Tunc autem proculdubio conſequetur multiplex illa felicitas: *In judiciis meis ambulabunt, & mandata mea cuſtodient, & facient ea, & habitabunt ſuper terram, quam dedi ſervo meo Iacob, in qua habitaverunt Patres veſtri. Et habitabunt ſuper eam ipſi, & filii eorum, & filii filiorum eorum uſque in ſempiternum: & David ſervus meus, Princeps eorum in perpetuum. Et percutiam illis fœdus pacis, pactum ſempiternum erit eis, & fundabo eos, & multiplicabo, & dabo ſanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. Et erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus. Et ſcient gentes, quia ego Dominus*

ſanctific itor Iſraël, cum fuerit ſanctificatio mea in medio eorum in perpetuum. Enimvero Patres mei in Chriſti viſceribus dilectiſſimi, tametſi non ſum ego Propheta, ſed omnium minimus, ſentio me tamen à Domino impelli, ad id officii præſtandum, quo vel meo profuſo ſanguine reducam Societatem noſtram ad humum ſuam, ut illic ait Propheta, hoc eſt, ad priſtinam ſuam veræ ac plusquam fraternæ caritatis unionem; tum maxime ſi RR. VV. quæ præcipua ſunt membra ſuarum Provinciarum, me juvabunt oratione, verbo, & exemplo.

Secundum caput, quod multa nobis ac gravia damna minatur, eſt defectus ſanctæ obedientiæ, quem in plerisque non raro experimur, dum agitur de miniſterio, de loco, aliave re, quæ minus arrideat aut convenire putetur miſeræ illi exiſtimationi, quam in humilitatis domo, (quod pudendum eſt) tanti facimus. Quoniam autem B. P. N. Ignatius in illa ſua divina vere, nec unquam ſatis commendata epiſtola de Obedientia, virtutem hanc ſubſtituit, & quaſi ſubrogat iis pœnitentiis, & corporis afflictationibus, quibus in Eccleſia Dei plerique alii Ordines Regulares, juxta proprium cujusque inſtitutum magna cum ædificatione prælucent; hæc profecto una ſi nos deficiet obedientia, jure nobis ab aliqua imminente ruina timendum erit. Nec jam inficiari poſſumus (quod pariter lugendum eſt) quin incipiamus id in nobis præſentire, &, quod eſt conſequens, nonnihil damni noſtris in miniſteriis. Dum etenim aliqui (faxit Deus, ſint pauci) veluti hujus corporis membra, certis in locis, occupationibus, ac muneribus, ſtudent magis honori ac nomini, propriisque commodis, quam totius corporis, neceſſe omnino eſt, gravia inde proveniant incommoda; multisque in rebus noſtrum deſideretur officium; non quia deſunt operarii, ſed animi inductio, & abſoluta reſignatio in manibus Superiorum, ipſa denique, ut uno verbo dicam, obedientia. Imo quod eſt dolendum magis, non deeſt, qui ut eò, quò intendit, perveniat, patronos & interceſſores, tam intra quam extra Societatem, perquirat, majori cum jactura boni nominis, graviorique offenſione tum domi, tum foris, quam facile credat qui hæc molitur; & quidem contra quam Decretis admodum ſeveris cautum eſt à ſexta, & ſeptima Congregatione generali. Vnde credibile ſit fore, ut compellatur aliquando Societas extremum illud adhibere remedium, quod ſcimus attigiſſe nonnullos eorum Patrum, qui interfuerunt poſtremæ Congregationi generali, videlicet, inhabilitatis ad omnia miniſteria, &c. Ex hoc namque vitio,

tio, ut liquet, paullatim inducitur altera longe major deformitas, nimirum ut aliqua hujus corporis membra non modo ſibi munia uſurpent aliis aſſignata membris ejusdem corporis (quod etſi inconveniens, minus tamen eſt grave) ſed etiam in ſe recipiant eorum officiorum ac negotiorum tractationem, quæ ſint à Societatis corpore penitus abhorrentia, & ab ejusdem inſtituto aliena. Id vero ut illi aſſequantur, inſinuant ſe in amicitias Principum, eorum adhibent favorem, iis ſe tuentur: adeo ut cogatur Societas, vel eorum à ſe voluntates alienare, ſi deneget poſtulata; vel ſeipſam deſtruere, ſi concedat. Sed præſtat incidere in manus hominum, quam in manus Dei viventis. Nec eſt quod quisquam mihi dicat: Nollem id ego quidem, mi Pater, ſed eo me adigit Dominus ille, aut Princeps: nam ſi te puderet, non dicam à Principe occupari, ſed vel ſolam tuam requiri operam ad quodvis munus tuo non conveniens inſtituto, auſim ego affirmare, numquam eum tibi fore importunum. Et vero plus ſatis mihi compertum eſt, ideo velle Principes, quia velis; ideo Societati eſſe importunos, quia te illis importunum præbeas.

Spectabit tertium caput ad ſuaviſſimum caſtitatis votum, à cujus tamen tractatione libenter abſtinerem, quandoquidem B. P. N. Ignatio ſatis fuit dicere, eam virtutem in Societate debere Angelicam imitari puritatem. Et vere (quæ ſingularis eſt illius Domini benignitas, qui paſcitur inter lilia,) talis omnino illa eſt, in quam plurimis Societatis alumnis, qui parati ſunt ſequi Agnum quocumque ierit. Sed neceſſitas occupationum, quæ periculo ſunt obnoxiæ, occaſiones variæ ac multiplices, defectus orationis, internæ recollectionis, ſtudiique ambulandi ſollicitè coram Deo, nonnullorum otioſitas, aliorum denique nimiæ commoditates, non levem nobis metum incutiunt, ne optimo Societatis auro aliquantiſper obſcurato, amariſſimi luctus cauſſa præbeatur ei, qui aliquo tangatur zelo nominis Societatis, & divini honoris; neve liceat cum ſignificatione doloris & conqueſtionis exclamare: Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus? Ceterum quamvis non ſit meæ mentis novas edere Ordinationes (extant quippe ſat multæ, & quidem efficaces) non poſſum tamen non vehementisſimè obſecrare, & obteſtari Reverentias Veſtras, ut ob amorem Dei etiam atque etiam conſiderent, num quid amplius in eo rerum genere præſcribendum occurrat; ne fortè culpa noſtra tam pretioſus theſaurus, non dico depereat, (nam qui benigniſſimus Dominus eum Societati largitus eſt, eum-

dem, uti juvat ſperare, pro ſua bonitate ſervabit) ſed nec ulla vel minima ſui parte minuatur.

De Paupertate aliquid etiam dicendum eſſet; nec enim dubium, quin ea relaxetur, indeque debilitetur noſtræ Religionis murus. Et revera non ſe produnt in nobis ea grati animi, tenerique amoris ſigna, quæ huic virtuti, quam matrem agnoſcimus, jure debentur. Sed aliud item eſt, quod me pungit acerbius, & ob id Reverentiarum Veſtrarum conſilium & opem imploro & expoſco. Reperitur nempe, qui laxiores in hac materia evocet opiniones ac divulget; atque utinam illæ pariter non adverſentur veritati! Zelus inſuper animarum ſane quam refrigeſcit in multis, nimisque verum eſt, paucis nos eſſe contentos, & à nobis occupationes aſſumi, ac miniſteria ex voluntate potius traducendi tempus, quam ex ſincero ardentique deſiderio & fame ſalutis animarum. Eſt etiam, qui, ſi velit, duorum inſtar eſſe queat; ſed ne ſibi incommodet, ne unius quidem partes expleat. Hinc porro fit, ut cui muneri olim ſatis forent quatuor, ne viginti quidem, ut ſunt hæc tempora, fortaſſe ſufficiant. Certe cum ipſe mecum reputo, quid illi primi decem Patres effecerint; quid alias item hæc ſola profeſſa Domus Romana cum operarum numero ſane perexiguo, digna res mihi prorſus videtur, in qua omnes erubeſcamus, ut vere operit faciem meam confuſio. Huc pertinet, quod memini eveniſſe anno M. D. LXIII. Nobilis quidam Roma, ubi aliquamdiu moratus erat, reverſus in patriam, & interrogatus à ſuis, quid omnium vidiſſet Romæ pulcerrimum; planiſſime reſpondit, Societatem Iesv. O quam vellem his noſtris temporibus liceret idipſum affirmare non ſolum de Vrbe Romana, ſed de aliis quoque, ubi ſedem ac domicilium Societas noſtra collocabit! Ad hæc inter privatos creſcunt vitæ commoditates, atque in dies curantur impenſius. Faxit Deus, ne præcipua ejus rei cauſſa tribuatur noſtro Superiorum exemplo: noſtrum enim plerique in eo delinquimus; fruſtraque à ſubditis emendationem requiremus, ſi nos eam primi non exhibebimus. In recreationibus, in vineis, aliiſque oblectamentis, negari non poteſt, quin appareat exceſſus, multaque ſuperfluitas. In oratione, & examine quotidiano, ceteriſque ſpiritualibus exercitationibus, valde vereor, ne quippiam deſideretur à non paucis. Quod ſi ægre, etiam cum eorum adjumentorum uſu, religioſa vita ſuſtentatur, quid tandem futurum eſt, ſi ejuſmodi exercitationes aut omittantur, aut adeo negligenter, oſcitanterque obeantur, ut perinde ſit, atque ſi prætermitte-

mitterentur? In his vero non poteſt una aliqua generalis præſcribi regula æque omnibus conveniens. Si quis tamen aliquam ſibi volet præfigere, illam aſſumere licet, quam omnibus communiter aſſignat S. Auguſtinus, qui ſe ipſum interrogans in hunc modum: *Quantum temporis orationi tribuendum eſt?* Sic ipſe ſibi reſpondet: *Quamdiu vacat; id eſt, quamdiu aliarum bonarum & neceſſariarum actionum non impedientur officia.* Hac profecto regula qui utetur, nusquam ei vacabit loqui extra tempus, referre vel audire ſæculi rumores, aliena ingredi cubicula. Quinimo, quod pluris faciendum eſt, longe majorem quovis in loco ac miniſterio ſpiritualem conſolationem & animi quietem experietur, ſeque ſuavius, & cum uberiore proximi fructu, in ſalutem animarum ſuperimpendent, Denique ut epiſtolæ finem imponam, tametſi adverſus iſthæc, quæ ſtrictim attigi, mala & incommoda non deſint remedia, eaque per Dei gratiam efficaciſſima, quæ petere liceat ex Conſtitutionibus, regulis, inſtructionibus, & ordinationibus, quas, ut dixi, multiplicare non intendo, præſertim cum negotii ſumma pendeat ab executione, quæ ſimiliter pendet à Superiorum fortitudine ac zelo; quando certum eſt regularum praxim fore ſatis, ut omnibus occurratur incommodis: nihilominus tamen pervelim, & magnopere commendo RR. VV. ut fuſis ad Deum precibus conſiderent, ac pro ea voluntate, quam eis Dominus largitur propenſiſſimam in progresſum Societatis, tractent inter ſe, inquirantque diligentiſſime, quid demum poſſit effici, ut non modo nihil noſtræ Religioni deterius contingat; ſed potius ad id, quod perfectum eſt, aſſequendum, bene omnes animati contendamus, & quidem convenienter ſublimitati noſtræ vocationis, ac peculiaris inſtituti. Quidquid autem putabunt, ſtatuentque mihi ſuggerendum, accipiam ego libentiſſime ab iſtius Provinciæ Procuratore Romam venturo. Equidem in eum finem jam ab aliquot menſibus ego ſingulis hebdomadis ex theſauro Societatis offero Patri miſericordiarum magnum numerum ſacrificiorum, & Roſariorum, ut ab iſtis Congregationibus, quæ primæ ſunt, ex quo me Dominus Deus, quantumvis inhabilem, qualem me in dies agnoſco manifeſtius, ad hoc munus deſtinavit, is qui ſperatur, propitio numine, fructus percipiatur, ad continuum Societatis incrementum, ad ſubſidium animarum, ad majorem denique divinæ Majeſtatis gloriam & honorem. Quod ſupereſt ego me plurimum, atque ex animo commendo precibus omnium, & ſanctiſſimis ſacrificiis. Gratia

Domini noſtri IESV CHRISTI cum omnibus vobis. Romæ VII. Martii, M. DC. XIX.

RR. VV. Servus in Chriſto
MVTIVS VITELLESCVS.

EPISTOLA IV.
R. P. N. GENERALIS
MVTII VITELLESCHI
Ad
Patres & Fratres Societatis IESV.
DE ANNO SÆCVLARI SOCIETATIS.

Reverendi Patres in Chriſto, Fratresque Cariſſimi.

Pax Chriſti, &c.

SÆcularem annum ætatis ſuæ, ac fundationis ingreſſa Societas, magnam ſecum adfert conſolationis materiam, ubertatem gratulationis. Convenio illam, ſi minus corpore, ac præſenti (quod ſummè averem) ſalutationis officio; at certè animo, & caritate ſtudiorum; nec poſſum ubique propiorem ipſi me totum ſiſtere, quam per epiſtolam, quæ ab Ignatio Martyre *ſecundus portus* idcirco dicta eſt, quod alternos affatus, & congreſſus inter abſentes perageret. En adſum igitur amoris præſentiâ, & greſſibus animi aditurus omnes Provincias, quibus me communis Dominus præeſſe olim ſervum juſſit, indignum, licet tam pretioſi nominis titulo; ac poſt arctos complexus ſeorſim ſingulis diviſos ſuaviſſimis Patribus, Fratribusque, quos cum Apoſtolo *viſcera mea in* CHRISTI *viſceribus* jucundè appellem, voco omnes in partem illius ſpiritûs, quo me in hac tanta communis lætitiæ copia divina bonitas dignatur, dum excitamus beneficiorum ingentium dulcem memoriam, quæ in nos amantisſimus Pater, & Dominus, conſtanter juxta, & liberaliter per ſolidum ſæculum profudit; ac dum illi gratum teſtamur animum, quo nos parum putemus officio functos, niſi præ-

Epiſtol. 1. ad Mar. Caſſub.

Ad Philem.
Ad Phil. 1.

ter

ter verba, & deſideria, conatus quoque ardentes, ac validos tam benigno patrono, tam ſollicito defenſori ejus in obſequia rependamus, enitamurque in poſterum ejusdem tutelam, quoad ſinit imbecilla mortalitas, modis omnibus promereri. Atque hæc fuit potiſſimum ratio, quæ me, auditis Patribus Aſſiſtentibus, in Provinciarum vota flexit illud enixè petentium, ut hic noſter annus non absque aliquo ſolenni & publico apparatu abire ſineretur, de quo nuper ad totam Societatem ſcripſi; nempe, ut hinc nobis non modò præſidium, ſed neceſſitatem accerſeremus quamdam; & hoc nos veluti pignore ſciremus Deo, & hominibus obſtrictos ad exprimendam in omni vitâ perfectionem, & ſanctimoniam gratiis debitam, quas nos Deo agere profitemur: habet hoc etiam exterior ſpecies, & pompa in animum, ut illum efficaciùs moveat, nosque intrà nos cogat, ut in illo ſeceſſu à nobis exprimat vivum ejus virtutis ac ſpirans exemplar, quam adumbrant fluxi alioqui, & evanidi apparatus. Nec fuit alia Dei mens, cùm ſtatis temporibus Iubilæum annum ſuo populo indixit, ejusdem quam populi fauſtitas, & conſervatio. Eductum ſiquidem ex Ægypto, deſtinatumque promiſſis ſedibus, noluit deinceps attributis ſemel poſſeſſionibus unquam excedere, ſed eas, tum in familiis ſingulis hærere ſtabiles, tum ipſas familias primum florem, ac felicitatem in ſeros nepotes transmittere. Ob id lege cavit, ne quid ab ſe bonorum abalienarent; aut, ſi quid fortaſſis, ut fert humana conditio, diſtraxiſſent, per certas annorum periodos deſignaretur annus, quo quisque ſua reciperet, ac perinde foret illorum dominus, ac ſi nunquam divendita fuiſſent. Proh! quàm clarè audire videor illam quondam ad Moyſem, nunc ad Ignatium Dei vocem, Patres, fratresque cariſſimi: *Clanges buccinâ menſe ſeptimo in universâ terrâ veſtrâ, ſanctificabisque annum, vocabis remisſionem cunctis habitatoribus terræ veſtræ. Ipſe eſt enim Iubilæus.* Et eccum eumdem non absque divino conſilio, & Ignatii doctu; ſolenni præconio jam nuper denuntiavimus, & quidem ſeptimo menſe annum, qui ut Iubilæus, ut Sanctus nobis, & Beatus evadat, quid opus facto ſit, accipite. *Revertatur homo ad poſſeſſionem ſuam, & unusquisque redeat ad familiam priſtinam, quia Iubilæus eſt.* Si quo caſu, aut negligentiâ nonnihil nobis de ſæculi pulvere, hoc, quod exegimus, ſæculo adhæſiſſet; ſi quid foret à nobis in alienos diſtractum de hac terrâ Sanctorum, quæ, quòd ad IESVM tota pertineat, abdicari prorſus non poterat; ſi quem fortè noſtrûm turbulenta cum mundi ſequacibus, perpetuaque commercia non dicam

Cauſæ celebrati Iubilæi.

Levit. 25.

Quid faciendum, ut annus ſæcularis Societati Iubilæus ſit.

cam in ſervum mancipaſſent, cum id per Dei miſericordiam nec poſſim dicere, nec vereri; ſed vel exiguâ cordis particulâ minuiſſent, eamque mundo pigneraſſent: *Revertatur homo ad poſſeſſionem ſuam, & unusquisque redeat ad familiam priſtinam, quia Iubilaus eſt.* Recipiamus ſanè quod noſtrum eſt, repetamus, inquam, paupertatem illam hæreditariam, & avitam, nihilo ſuo contentam, ac divitem; illam puritatem, quam ſat eſt vocaſſe angelicam; obedientiam usque adeò citam, & docilem, ut nutu ſolo ageretur; mores denique antiquos, ſanctitatemque inſtauremus primigeniæ illius Patrum decem noſtrorum, fortunatæque familiæ, qui pauci numero, atque annis, in navandis tamen Chriſto laboribus virtutem, ac robur unius populi, ac integri ſæculi æquarunt. Scio poſſe, quæ Dei eſt gratia, Societatem noſtram generatim annorum centum, quem ait Iſaias, infantem vocari; diverſo tamen hoc, & optimo ſenſu, quod ſe ad hoc ætatis, annique centeſimi, & ſervarit ſemper, & majore nunc curâ, quam unquam anteà innocentem, velut Infantulam, conſervet, labisque ignaram, & gaudentem primo etiamnum lacte integritatis & ſanctimoniæ, quod ex illo hauſit Parentis Virginum caſto ſinu, in quo, & nata eſt, & hactenus crevit: ſi quâ tamen corporis parte (quod ipſi conflamus) aut triſti eventu, aut vetuſtatis injuriâ, paulùm elanguiſſe videretur, & ſenii aliquid ſenſiſſe, vehementer opto, quoscumque id tangit, hoc ſaltem contendere, ut, ex Hieronymi intelligentiâ, poſſit Societas centum annorum infans meritò nuncupari: hanc Beatus Doctor nomenclationem CHRISTO accommodat, per centenarium Abrahamum in Iſaac, progenito: ita nos velim hoc ævo, quod claudimus, Patriarchæ noſtri ac Patris Ignatii poſſimus blandâ illâ frui compellatione: *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur* CHRISTVS *in vobis*, unde *quaſi modo geniti infantes* novæ in CHRISTO vitæ cum novo ſpiritu renaſcamur; viciſſim, denuò naſcatur in nobis CHRISTVS IESVS, totusque à nobis in nos ipſos imitandi ſtudio transferatur, hoc eſt, legum noſtrarum obſervatione diligenti, omnique ex parte perfectâ. Tali hac vitæ inſtauratione, iſtoque acceſſu animorum ac virium, collecto in novos procurſus impetu, & ardore iterabimus alterum ſæculum ſanctitatis, nullo usquam loco ſubſtituti, *donec occurramus in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis* CHRISTI. Atque hoc illud eſt virile robur ac validum ab innocentia puerili numquam ſejungendum, quo noſtra Societas, ut penè vix nata, *& adhuc infans ab ubere, delectabatur ſuper foramine aſpidis*, ita deindè

Societas centum annorum infans.

Iſa. cap. 55.

In cap. 65. Iſa.

Singuli ſint in Societate quaſi modò geniti infantes.

Ad Epheſ. 4.

Eſai. 11.

deindè conſtantiùs, non primæ tantùm integritatis tenax fuit, ſed vigoris, & robuſtæ virtutis. Me quidem Calebi apud Ioſue ducem olim gloriantis abripit illa vox in ſenſus intimos gratiarum, quas æternæ beneficentiæ debemus; cùm poſſe Societas apud Imperatorem Iesvm videatur non minùs ingenuè profiteri. *Hodie centum annorum ſum, ſic valens, ut eo valebam tempore, quando ad explorandum miſſa ſum: illius in me temporis fortitudo usque hodie perſeverat, tam ad bellandum, quàm ad gradiendum.* Ita eſt planè, ita eſt, faventis miſericordiæ propitiam manum experta eſt, cujus beneficio condita, conſervata eſt ad hoc ævi, ſuo illo in flore ſpiranti, ac vegeto, quo ſe tum ferebat, cùm primùm orbe toto ſparſa, exploratum iit, quâ parte, ac modo illum Deo ſuo, ejusque legi ſanctiſſimæ ſubjugaret. Videmus nunc etiam magnâ noſtrâ & incredibili voluptate, ac ingenti lucro bullientes cruores, & maſculum robur, tot, ac tantorum Sociorum, certam nobis fidem præbentium integræ, hodieque, ac regnantis in Societate fortitudinis Majorum, *tam ad bellandum* contrà Dei hoſtes, & aſpectabiles, & occultos, *quàm ad gradiendum* in omnem religioſæ vitæ curſum, cæleſtiumque profectuum. Et verò, qui tandem morderi ſenio, & rugis ſulcari potuit, quæ jam inde ab ortu ad *mamillam Patris* labra applicuit; (ſic Iesvm Clemens Alexandrinus vocat) virtutum ipſius divinarum, vitæque lacteæ incorruptos, & vitales ſuccos afflatim exſugens, vitam ex in ſuam, & vitæ regulam perpetuò ductura? Dulcis haud dubiè nobis omnibus cauſa, miris nunc inceſſendi lætitiis, ſi modò illam redamamus, ex quâ, & in quâ, renati ſumus, & in Christo Iesv educati. Verùm enim verò, quæ foret hæc labes, ſi qui hominum noſtrorum, in hoc Societatis flore, ac ſpiritu adeò exſangues, & invalidi cernerentur, ut nequirent præ debilitate conſiſtere, nè dum aliquid moliri? Portentoſum, ac monſtro ſimile viderentur adoleſcentis adhuc Matris confecti jam ſenesque filii, ſermonem de ſe utrimque famoſum ſanè præbituri; cordatis quidem viris dicentibus mentiri hos nomen, dum ſe tantæ Matris partubus accenſent, eſſe potiùs alienos, ut ſcitè colligit Rex vates, cùm ait: *Filii alieni mentiti ſunt mihi, filii alieni inveterati ſunt, & claudicaverunt à ſemitis ſuis*; infenſis autem, atque malevolis anſam captantibus de natorum imbelli, & decrepita ætate, arguendi Matris ipſius dolum, re ipsâ effœtæ, ſed diſſimulantis exhauſtam ætatem, ac ſpecie tenùs vigorem lætum, annosque integros venditantis. En quantam invehunt Societati cladem, qui profeſſionis ſuæ immemores, (ſi

Societas Calebo ſimilis.

Ioſ. 14.

Pædag. c. 6.

Magnæ cauſſa lætitiæ.

Hujus labes, ſi qui filii degeneres.

qui tamen inter nos hujusmodi ſunt, & faxit Deus, ne unquam ulli ſint) à regia via Regularum ſanctarum exorbitant, & in profanis mortalium oculis, quos non valemus declinare, vivunt ex profano ſenſu, uſuque mortalium: nec purgat labis hujuſce dedecus, quod in contubernio ſancto degunt hominum verè religioſorum, & ſpiritu ambulantium, quorum quaſi ſub umbra ſplendida protegantur, ſed hic, ſi usquam, probatur veriſſimùm, quod ab S. Hieronymo quondam ſcriptum de beata illa virginum domo nunc legimus: *Sanctum propoſitum, & cæleſtis angelorumque familiæ gloriam, quorumdam non rectè agentium nomen infamat;* transfuſo videlicet in ſanos atque immerentes morbi ſui probro; vel communis ſaltem aliorum virtutis pretioſâ famâ privatis vitiis accisâ; eò prorſus exemplo, quo, ut monet Apoſtolus, *modicum fermentum totam maſſam corrumpit;* aut quo pauci heu! cani pulchram cæſariem deturpant nigro, alioqui lucentem ſplendido; qualem, ex mente D. Gregorii, aliorumque Patrum, nihil vetat Societatem intelligi noſtro in capite CHRISTO IESV blandè fulgurantem, de quo illius probè gnarus, cecinit divinus Spiritus, *comæ ejus nigræ quaſi corvus*, aptam ſcilicet plenarum virium conſtitutionem juvenile robur, ac heroum eâ coloris notâ ſignificans. Ad unguem denique in nos cadit, quod in diſpari argumento eleganter dixit Salvianus. *Ita eſt Eccleſia* (dicamus Societas) *quaſi oculus; nam ut in oculum, etiamſi parva, ſordes incidat, totum lumen occæcat, ſic in hujus corpore, etiamſi pauci ſordida faciant, prope totum ejus lumen offuſcant.* Pungit me, fateor, Patres mei dilectiſſimi, ac Fratres, & miſerè lancinat iſta res, atque haud ſcio, an quemquam pariter non angat, ſi quo ergà tam bonam, & honoram Matrem pietatis ſenſu, pulſuve tangitur; pungit inquam tantò acerbius, quantò pridem, ut aliàs memini, hâc ſorte vivimus, malânè, an ſecùs non affirmo, malo certè bonæ cauſæ partu, niſi bonus quoque hic partus eſt, & optabilis eventus, quo ſimus ſaltem cautiores, & ad meliora compellimur. Nimirum, illam pridem in hominum mentibus opinionem præſcripſimus, ut ob eam, quam in nobis vident, aut rentur vidiſſe conſenſionem voluntatum, quicquid in quopiam vitii notarint, ſtatim attribuant univerſis, & ex deformibus privatorum nævis, commune mox damnent: quo dici luctuoſius quid poteſt, vehementius, acrius ad noſtram cujusque ſollicitudinem, & contentiones in vitæ totius diſciplinam, integritatemque diu noctuque applicandas? Itáne verò, & eſſe poterit, ut meâ unius vel cauſâ, vel culpâ

Epiſt. 8. ad Demetr.

1. ad Cor. 5.

In c. 5. Can.

Can. 5.

Lib. 7. de Prov.

Vnius in Societate Vitium attribuitur univerſis.

culpâ illud paſſim triſte occinatur; Societas Iesv avitâ nunc modeſtiâ excidit, quâ unâ ſecernebatur ab aliis; excidit zelo animarum; amiſit verecundum illud, religioſum, ſanctum, quo ſuam omnibus operam commendabat; mutata eſt ab illâ, quid opus eſt pluribus? quæ olim fuit, jamque alia eſt: & hæc videlicet ſtudioſiùs non ſugillant, non libenter garriunt homines? inquit Gregorius Nazianzenus: nam in aliis communitatibus, *cùm non ideò nigri judicentur, quia nonnulli tales ſunt, nec obſcuri, aut ignobiles, aut deformes, aut ignavi, aut intemperantes, quod plures ita ſe habeant; verùm unusquisque privatim conſideretur, & expendatur, nec res ulla tam in laude, quàm in vituperatione poſita communiter omnibus tribuatur: hic contrà* (credas hunc loqui de Societate) *vitium unius ad omnes facilè manat, atque ob quorundam culpam, univerſus ordo in invidiam, crimenque vocatur. Quodque omnium miſerrimum eſt, hæc criminatio non in nobis conſiſtit, atque defigitur, verùm ulteriùs ſe porrigit, ac magnum, & venerandum Religionis noſtræ myſterium in eandem invidiam trahit, & ex iis, qui noſtrarum rerum cenſuram faciunt, iniqui, & peracerbi in legem quoque ipſam, quaſi vitii magiſtram, culpam conferunt.* Dixi hoc eſſe infelicitatis noſtræ; nam eſt planè mirum, & miſerum, pendere tot proborum famam ex negligentiâ paucorum, non ſic ad amuſſim Inſtituto noſtro ſeſe aptantium; licetque liberè cum Auguſtino concedere, ſi quando fortaſſis *contriſtamur de aliquibus purgamentis*, id mirum videri non debere in hac tanta ejusdem ordinis multitudine, quæ denique hominibus conſtat; in ea ſiquidem ut plurimùm quoque *conſolamur de pluribus ornamentis:* nec fas eſt *propter amurcam*, quæ tum eſt permodica, tum defœcatur, aut foras mittitur, *torcularia deteſtari, unde apothecæ Dominicæ fructu olei luminoſioris implentur.* Addidi verò hac item ex cauſa nos eſſe ſingulariter felices, quòd hic nobis ſubdatur à Deo ſtimulus, ut cuique reverâ ineſſe hunc convenit, agendi perinde, ac vivendi, tanquam ſi unusquisque totam ſolus fratrum ſuorum famam, honorem, exiſtimationemque matris: gloriam Capitis & Imperatoris Christi Iesv ſuis moribus ſuſtineret. Hinc verò cælitùs vivacibus ſtudiis accendi me ſentio, nec dubiis ſpebus, fore, ut hâc tam pronâ redeuntis ſæculi occaſione, & aditu, ſeſe quilibet noſtrûm ſeriò colligat; ſubeat penitus in ſecretius animi conclave velut gemino greſſu, quorum prior ſit exquiſitum examen, & retractatio accurata rerum omnium noſtrarum, caſtigando, dirigendo, componendo ad famæ communis trutinam & exemplar, ne quo usquam

Orat. 3. de pace.

Epiſt. 137.

Omnes actiones noſtræ exigendæ ad famæ communis trutinam.

uſquam noſtro privato errore Societatis nomen maculetur; ſed quidquid acturi deinceps erimus, hoc incitamento ad præclarè agendum provocemur, rati, non tam nos ipſos, quàm Societatem in nobis agere, crebrò illud nobis Auguſtini ad Aprignum repetendo, inculcandoque: *Quod tu facis, Societas facit, propter quam facis, & cujus filius facis.* Nec debet hæc cogitatio populorum dumtaxat opinionibus cavere, verumetiam, atque adeò magis, divino illi judicio, quo ſæpè unius peccatum in tota plectitur univerſitate. Ecquid redit in mentem Achan ille violator præcepti Hebræo militi per Ioſue ducem à Deo poſiti, ne quid vel minimum detraheret de hoſtium ſpoliis, poſt inſignem illam victoriam? peccavit is unus, rei omnes vocantur: *Peccavit Iſraël, & prævaricatus eſt pactum meum.* Quare toti populo graviter offenſus unius crimen in cæteros ultus eſt, & funeſtâ illâ, ac terribili clade in eos deſævijt. *Itaque pertimuit cor populi, & inſtar aquæ liquefactum eſt: Ioſue verò ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini uſque ad veſperam.* Vnde Salvianus in hanc rem appoſitè: *Crimen unius hominis, plaga omnium fuit.* Quis ſcit, an non rarò turbines, quibus Societas, ignota ex cauſa, & ex nubium occulto impetitur, quorum metus ac dolor horrorem nobis ciet & lacrymas, pronosque nos humi in genua corporis, pronos in cælo coram Arca vera Teſtamenti noſtri, CHRISTO IESV in cordis genua abjicit; quis ſcit, inquam, num unius crimen plaga omnium ſit? Et hoc eò magis, quò nihil opus enormi ſcelere, aut magnis criminibus; ſat eſt levis nonnumquàm lapſus, cùm ingrati animi pondere juſtitiam proritat, ejusque iras in reliquos ſpargit. Sic recenſiti populi culpam unus David admiſit, & quidem multorum ſententiâ non gravem; hanc tamen luêre univerſi. Ac mihi quidem gratum eſt credere rem inter nos aliter habere, & has tempeſtates non culpâ cujusquam excitari, ſed piiſſimi Patris ſingulari erga nos amore, filiorum incogitantiam *in judicio, non in furore ſuo*, objurgantis. At enim caritas plena eſt timoris ſolliciti, fingitque animo illa etiam mala, quæ eſſe poſſunt, tametſi non ſint re ipſa futura: debet igitur hæc cogitatio illorum cordibus perpetuò inſtare, quos Societatis remordet cura, ut ſpinæ hujusce veluti punctione ad jugem diſciplinæ noſtræ cuſtodiam arrecti, ſemperque vigiles, nihil umquam peccent, quod parens optima & ſuaviſſima cruciatu ſuo luere cogatur.

Epiſtol. 150.
Deus ob unius peccatum aliquando punit totam communitatem.
Ioſ. 7.
Lib. 4. de Prou.
1. Reg. 24.
Ierem. 1. 9.

Alter

Alter eſt greſſus intrà mentis noſtræ receſſum ferendus; inveſtigatio non defunctoria, num quâ parte in nobis obſoleverit ea flamma, quâ quondam arſimus, ignis illius ac ſpiritûs non degener filia, quo primùm vixit Societas, hodieque ſe tuetur & vegetat, ut ſi quis ejusmodi deprehendatur tepor, ſuſcitetur non ſegni operâ, & antiquo fervori reddatur. Neque verò diſſimulandum eſt, quin nimis proclive ſit tale aliquid evenire; quis enim hac mentis gravedine non ſe identidem premi ſentit, quamdiu mortis hujus peregrinatur in corpore: *Ecce corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*, inquit Auguſtinus: *Vitam ergo habet anima in corpore corruptibili: qualem vitam? onera patitur, pondera ſuſtinet, ad ipſum Deum cogitandum, ſicut dignum eſt ab homine cogitari Deum, quanta impediunt, velut interpellantia de neceſſitate conditionis humanæ? quanta revocant? quanta à ſublimi intentione detorquent? quæ turba phantaſmatum, qui populi ſuggeſtionum?* an non hæc animam enervant? ac ſine ſenſu in ſenium urgent: Nimiùm id quidem experti novimus, cùm improviſo ſpiritûs languore, torpere nos ſæpiùs repentè advertimus, & egere illius Davidici moniti: *Renovabitur, ut Aquilæ, juventus tua.* Refert Auguſtinus huic avium reginæ, ætatis jam mole fatiſcenti adnaſci roſtro, quà in uncum exit, calloſam duritiem, & fræno quodam veluti carneo roſtrum ſuperiùs cum inferiore tam arctè connecti, ut disjungi ad pabulum non poſſit: *hinc prægravatur languore ſenectutis, & inopiâ comedendi langueſcit.* Verùm addit à natura doctam, melioris ævi opportunitatem revocare: illisâ namque & afflictâ, attenuatâque ad ſaxum aliquod aduncioris exuberantiâ, lethale obſtaculum paulatim abſumit, & viam pabulo tandem facit, mox ergo *accedit ad cibum, redit vigor omnium membrorum, nitor plumarum, gubernaculo pennarum volat excelſa ſicut anteà, fit poſt ſenectutem, quaſi juvenis Aquila.* Hæc quàm ſint vera non diſputo, penes auctores fides eſto, apud quos legit Auguſtinus: ſat habeo, hunc ferè in modum, ſeu vitio annorum, ſeu noſtrâ quadam incuriâ, cordis noſtræ labris maſſam neſcio quam curvorum in terram affectuum, & cupiditatum excreſcere, quo, tanquam carneis lupatis, animi ora violenter clauduntur, ne poſſint ad cælum expandi, & divino pabulo recreari. Quod idem lugebat diverſo ſymbolo Rex Vates: *Percuſſus ſum ut fænum, & arvit cor meum:* en languor & ſenecta: ſed quænam hujus eſt cauſa? *quia oblitus ſum comedere panem meum.* Vnde porrò hæc ineluctabilis capiendi cibi difficultas, & deſuetudo? *adhæſit os meum*

Primævus Societatis ardor & Spiritus inſtaurandus.

In Pſalm. 102.

Renovanda juventus noſtra ut Aquilæ.

Pſalm. 102.

Pſalm. 101.

carni meæ, en os obſeratum circumfusâ duritie, in quam permiſſus ſibi ſenſus inſanè protuberat. Quam verò ſuſpicamur cauſam noſtri ſubinde in rebus divinis faſtidii? noſtræ in colligendo animo laborioſæ moleſtiæ? reducendisque in viam cogitationum vagarum erroribus, eò non raro progredientium, quò minimè volumus, quòd tum illas non repreſſerimus, cùm poſſemus. Quid ille rerum infimarum, mundi, honoris, parentum, commodorum tenax amor, & viſcatus? illa factis quidem, nam verba nihil moror, rebellanti carni, & ſanguini, quàm ſpiritui major auctoritas, illa viribus caſſa, & exſucca inter conflictus cum hoſte domeſtico imbecillitas repugnandi adverſariorum petitionibus, forſan ut non penitùs ſuccumbens, at eam non exerens alacritatem animi & excelſitatem, cui uni datur victoriæ nomen? ſunt iſti fructus remiſſæ virtutis, & diſſoluti ſpiritûs, qui niſi tempori erigatur, ac refocilletur, eſt planè caſui proximus, & interitui.

Ibidem.

Per aſſiduam Chriſti patientis memoriam, ac meditationem.

Quid igitur hiſce tot morbis remedii? præbet ibidem Auguſtinus. *Firmitas petræ tibi excutiet vetuſtatem, petra autem erat CHRISTVS; in CHRISTO renovabitur, ut aquilæ, juventus tua.* Crevit vetuſtas, os clauſit, atteratur in petra, beata ſcilicet illa petra, quæ ſeveritatis propriæ ſceptro vulnerata vitales ex ſeſe quondam rivos fudit omnia excitantes, omnia ſaginantes. Quidni & nobis ſicco cordis ore illam cædentibus, præter ſubtilitatem, quâ egemus, à terrena concretione expeditam, vitæ ros indidem manabit ariditati noſtræ irrigandæ? *Reviveſcet fœnum*, ait alibi Auguſtinus, irrigatum ſanguine Salvatoris. Quàm verè illud dici poteſt CHRISTI laborantis, atque morientis aſſiduâ meditatione, noſtras ad petram affectiones allidi, ac dolari, & illam earum pertinacem protuberantiam exedi, quæ proceſſu temporis adnata oris intercludebat officia, vetans ne poſſet animus ad Deum effundi, & cum ſancto Propheta exclamare: *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* Atque hoc nobis præcipuum, ut ſanè per ſe eſt, magnoperè optarim renovationis noſtræ præſidium eſſe, nempe orandi ſtudium; reſtituendo imprimis, ſi quid in eo retrò defluxerit. Sic fermè asſolet, cùm artis deciduæ, ac propè deperditæ inſtaurando eſt excellentia, ipſa primùm paratur, & reſtituitur cum neceſſariis inſtrumentis exercendæ artis officina: neque id nos latet recoquendæ ad purum igne cæleſti ſenectutis, & reparandi ſpiritûs officinam non aliam eſſe quàm orationem. Sic divinis Pſaltes: *In meditatione*, inquit, *mea exardeſcet ignis;* acer nempe ille, & agendo promptus ac mirificè potens, à quo pertingit nativus in animam,

Pſalm. 150.

Pſalm. 118.

Renovatio noſtra initium ducere debet à ſtudio Orationis.

Pſalm. 38.

nam, ſeu, dicam potius, divinus calor, unde illa vitam, & vires ducit. Mira omnino, induſtriaque officia nobis ab Sanctiſſimo noſtro Patrefamilias Ignatio erecta, inſtructa eximiis, & ſuprà quàm poſſunt inveniri locupletata inſtrumentis, & adminiculis, quæ ſicubi cujusquam deſidiâ vel æruginaſſent, vel forent omninò diſſoluta, iis reficiendis, ac repoliendis incumbendum eſt toto niſu, advocatâ in opem exercitiorum ſpiritualium efficacitate: hic proinde facere nequeo, ad iſtorum uſum, quanto poſſum maximo ardore, quin omnes adhorter, rogando plurimum, urgendoque ut illa ſeriò complectantur, adhibeantque ex propoſito in hunc finem, ut ex iis ingentes animos, ac fortes colligant ad hanc artium artem toto deinceps, quod reſiduum eſt, vitæ tempore fructuosè tractandam, futuram utique uſui non ad integrandam ſolummodò juventutem, ac valetudinem, verùm ad arcendam in poſterum à nobis perpetuùm vetuſtatis omnis injuriam. Quamquam iſta, quam dico, ſenectutis ſequacis injuria defendi à nobis præſentiori remedio debet, præ quo cætera omnia fruſtrà ſint; non novo tamen illo, & ignoto, ſed antiquo, at hic, ſi potero, vi novâ prædito, & ad curationem idoneè mixto. Abundat hoc ſæculo Societas noſtra, præter Conſtitutiones, & Regulas, id eſt, ut ego interpretor exundantem theſaurum lectiſſimorum pharmacorum adverſus omnia morborum genera; ſed abundat prætereà Monitis, Ordinationibus, Inſtructionibus tam multis, tam certis, ac ſalutaribus in quoslibet caſus, & occaſiones, ut nova cudere, vel proferre videatur magis perturbandis, qui valent; obruendis ægrotis profuturum; quàm conſervandis illis, & his perſanandis. Vnum eſt modò, quod deſiderari nonnumquàm poſſit, & hoc tantoperè commendo, ut nec graviùs valeam, nec majore ſtudio commendare, votis omnibus id optans tam altè ſingulis in animum deſcendat, ne quo umquàm rerum, aut temporum lapſu eradatur, ſed quoties ſe dabit occaſio, confeſtim ab animo in manus opusque prodeat; Eſt verò illud, accurata, & efficax Ordinationum, quas habemus, & remediorum executio, & applicatio, cujus tantùm unius operâ atque uſu vigebit æterno juventutis ſucco Societas, nec *in ſæculum* dumtaxat, *ſed in ſæculum ſæculi* florebit. Audiamus quàm pulchrè Auguſtinus. *Non ergo te ſanabit, qui fecit talem, qualis non ægrotares, ſi legem ſanitatis acceptam ſervare voluiſſes? Nonne tibi & diſpoſuit, & mandavit quid tangeres, & quid non tangeres ad retinendam ſalutem? noluiſti audire ad retinendam, audi ad recipiendam: languore tuo expertus es, quàm*

Deinde uſu Exercitiorum ſpiritualium. S. P. N. confirmari.

Tum accurata & efficaci ordinationum executione.

Pſalm. 20.

In Pſalm. 102.

vera

vera ille juſſiſſet. Infelix boni experientia, quæ ex prono in malum lapſu percipitur; eſt tamen, quod ex ea quoque lucremur, *jam tandem homo; quod non tenuit monitus, audiat vel expertus.* En quanta immineat executionis neceſſitas: quæſita eſt haud quidem in illis tantummodò, qui curari velint, ut curationem & remedia admittant, quales ſunt, qui aliis ſubſunt; ſed in iis potiſſimum, qui præſunt, ut eadem admoveant, eorumque ab laborantibus rationem fructumque exigant. Eſt profectò illorum, qui reguntur, valetudo, ac vigor ſpiritûs magnam partem in pervigili ſtudio, diligentique cura regentium poſitus, videmusque ut plurimùm, quales Domus, & Collegia Rectores nacta ſunt, tali ferè obſervatione, diſciplinâ ordine ſtrictiùs, laxiùs temperari; & certum eſt illud Nazianzeni: *Subditorum mores, uti opera de artificibus, ſic de Superioribus teſtimonium ferunt.* Mihi quidem, ut verum fatear, *ambæ aures tinniunt*, quoties recurrit quod pronuntiat S. Leo. *Inferiorum*, inquit, *ordinum culpæ ad nullos magis referendæ ſunt, quàm ad deſides, negligentesque Rectores: qui multam ſæpè nutriunt peſtilentiam, dum neceſſariam diſſimulant adhibere medicinam.* Quantò ſeveriores ſunt tituli, quibus ad exigendam ab ſuis diſciplinám virtutis compelluntur, tantò iis gravior, ſi diſſimularint, eſt cauſa metuendi: ob eam enim, quàm indidit Deus minoribus ſubjectionem ſub majore, dici vix poteſt, divino obſequio quantùm hic noceat, ſi oſcitantiùs rem gerat: nam ut principio, eſto quidem ad pœnam, *ſignum Deus in Cain poſuit*, ne à quoquam interficeretur; ita illos, qui præſunt, ſed bonam in partem, fecit ſigno quodam venerandos, & eorum frontes charactere honoris, & auctoritatis tam luculenter decoravit, ut iis ſubjecti nefas cenſeant repugnare: atque hoc illud eſt *ſignum in bonum*, quo ſe ornari David precabatur, perduelles ſuos ejus imperio, & obſervantiâ fracturus. Eſt ergò illud Gregorii dictum, quod ſemper in oculis gerant Superiores, pulchrum omninò, ſed æquè terribile; in horrendo illo ſupremi judicii Tribunali, unam à ſubjectis animam, plures à Rectoribus deferendas. *Quare penſet, qui ad ſatisfaciendum diſtricto Iudici de ſua tantùm anima vix ſufficit, quia quot regendis ſubditis præeſt, reddendæ apud eum rationis tempore tot ſolus animas habet.* Et quidem arbitror, quæ Dei eſt bonitas, quotquot præſunt in Societate, magnâ voluntate, pronisque ſtudiis eò ferri, ne quid ſollicitudinis omittant ad urgendam eorum executionem, quæ fovendis nobis, ac perficiendis præſcripta ſunt, reque ipsâ nihil omittere; verùm, quia homines ſumus,

Requiſita non tantùm in ſubditis, ſed multò magis in Superioribus.

Orat. de ſeipſ.

1. Reg. 3.

Epiſtol. 2.

Geneſ. 4.

Pſalm. 85.

Lib. 24. Moral.

ſumus, proindeque humanis obnoxii, admittit crebrò, propè absque ſenſu, aut parit animus occultam quamdam rubiginem vel affectûs, vel opinionum exerrantium tantiſper extrà lineam: quibus nonnihil minuitur, aut ſaltem tardatur illa vis, quæ ad exequendum eſt neceſſaria. Ex iis pauca obiter attingo; quorum unum eſt communiùs quoddam, & latiùs patens, etſi ab caritate, ſed minùs compoſita profectum deſiderium omnium æquè juvandorum, ac provehendorum in melius; at parùm cogitans, poſſint necne juvari, aut obfutura ſit permultis unius juvandi contentio. Hinc fit, ut Rectores habenas remittant, multaque taciti prætereant, magno communis obſervantiæ detrimento, hoc uno decepti rationis fuco, quòd nimirum verentur, ne parum ſecundo exitu premere aliquem, ubi neceſſe eſt, incipiant, frangantque illum priùs; & diſtrahant, quàm ad recti normam reducant: nec ſatis advertunt, quantùm intereà utilitati publicæ noceant, ad privatam tamen nihil prorſus conferant. Non hæc profectò eſt ratio ſanctè aliquos juvandi, retinendique intrà vocationis caſtra, plenam illis copiam facere audiendi quidvis, ſeu negligendi; ut nec refractarios equos, atque indociles vago, quà rapit impetus, & indomita libido per quævis avia excurſu, permittendisque loris in via continemus; ſed attemperandis ad occaſiones, & nunc ſuaviter adductis, fortiter modò, & cum imperio adſtrictis, extortâque ad motum frænorum, & virgæ nutus obedientiâ. Bonus ille apud Evangeliſtam Lucam Samaritanus, qui quantùmpius, tantùm induſtrius, & cordatus exemplar fuit bene regentium; jacentis illius, ac ſemianimis hiantes plagas alligando ſanavit, non laxando, *alligavit vulnera ejus*, ubi ſuo more prudenter Ambroſius: *conſtringit vulnera auſteriore præcepto.* Quod tamen ſic nolo intelligi, ut non liceat aliquandò, imò fortaſſis & debeat ſpe bonâ veri, non inanis & ficti, ad Dei gloriam momenti cuipiam aliquid indulgeri, ac diſſimulari cum aliquo; ſed cautè admodum, & ſuſpensâ manu agendum id ajo, vitatâ quâlibet offenſionis publicæ juſtâ causâ, & vel exiguo exempli non boni periculo: ac in univerſum illud ratum fixumque tenendum eſt D. Auguſtini conſilium, ac temperamentum: *Sic vigilet tolerantia, ut non dormiat diſciplina.* Eſt hic tantoperè à Iobo laudatus, quià perpetuus, indefeſſus, ſomno, & intervallis carens, cælorum concentus (*concentum cæli quis dormire faciet*) cujus dulcedine cæleſtes evadunt eæ noſtræ Domus, & ea Collegia, in quibus ſempiterno choro celebratur.

Cauſa, cur Superiores ſint remiſſiores in executione.

Primò inordinatum deſiderium omnes æqualiter juvandi.

Lib. 7. in c. 10. Luc.

Sermon. 24. de Verb. Apoſt.

Iob. 38.

Secundò Timor diſplicendi.

Affine huic eſt impedimentum alterum executionis, in eo ſitum, ne quem abs te unquàm alienes, ne cui diſpliceas: quod quidem effatum tum foret probandum, ac neceſſarium, ſi quis Beatus ſpiritibus præeſſet; ut verò idem homini procedat homines regenti, ne ſufficiat quidem, ſi ex ſpiritu vivant, niſi ſint quoque puriſſimi ſpiritûs, & planè corporis expertes. At valebit tum demùm, probabiturque axioma, ſi Superioris paterno animo, ac propensâ mentis comparatione ſolidæ ſuorum conſolationi totis viribus ſtudere cupiant, nec ulli umquam moleſtiam creare: ſtent verò nihilominus in gradu, &, ubi res poſcet, ac divini obſequii ratio, audenter eant, quò vocat neceſſitas, & quoad poſtulat (ſequantur hinc licet aliquorum mœrores, & querimoniæ) velut exactores divinæ voluntatis: nam & teneri Patres parvulos filios perſæpè contriſtant inſiſtendo, premendo, increpando, quà puerorum utilitas, & ſalus familiæ ſuadet, eſtque apud nos, quàm ſit apud iſtos Gregorii ſententia verior, quæ patris animum in Superiore à matris animo diſtinguens, ſic deinde concludit: *Rectorem ſubditis, Matrem pietas; Patrem exhibeat diſciplina.* Et vanus plerumque nec legitimus eſt hic jubentium timor, ne lædant ſuos illosque conturbent, ſi eâ, quâ decet, caritate ab iis flagitent religioſæ vitæ officia; quin magis verendum, ne idcircò jure apud eos offendant, quòd usque adeò videantur eorum virtuti, pietatique diffidere. Nam nobis tandem res eſt cum hominibus, Deo ſponte ac ultrò mancipatis, CHRISTI jugum ſponte ferentibus, ipsâque doctis experientiâ, leve ab eo factum eſſe, qui ejus in ſe periculum facere, primusque illud tollere voluit, nunc vero *computreſcere facit jugum à facit olei;* ac tametſi ita oneret quandoque, ut doleat illius pondere, ac ſeſe commoveat natura fluxa, & debilis, perfertur tamen non invitis humeris, ac ſub eo duratur, occurrente illo B. Auguſtini diſciplinæ hujus, & oneris lemmate: *non eſt pondus onerati; ſed ala volaturi.* Sic, velut totidem alites paradiſi, non habent noſtri has pennas pro pondere, quamvis inſit in iis aliquid ponderis, cùm, *etſi portant illas in terris, portentur ab illis in cœlo,* audiantque illam à Superiore cum voluptate Dei vocem ſub regulæ onere hortantis, atque confirmantis: *Porta pennas pacis, alas accipe caritatis.*

Paſt. c. 7.

De Verb. Apoſt. Serm. 24.

Tertiò Superiorum in aliquos privata propenſio.

Tertia labes executionis cenſeri poteſt Superiorum in aliquos privata propenſio, quibus, ut tutius, & absque aperta iniquæ gratiæ nota connivеant, nihil nimis in commune ſtringendum ſomniant, ſed interpretandum in multis leniùs, & cum multis connivendum. Iam has etiam leges

nimiùm

nimiùm humanas, ſi qui animoſiùs æquo proculcent, nec ita laborent, ne videantur in omnes minùs æqui; patet illa eorum ex aliis religioſæ obſervationis exactio, prætermiſſis nonnullis, qui pariter ſunt eidem obnoxii, quàm nullâ vi polleat, quàm nihil ſit nervorum habitura. Vnde magnum eſt regenti præſidium ad impetrandum ab ſuis, tum facilè, tum magna cum ſuavitate communis diſcip'inæ cultum, ſi apertos eorum in merita, factaque oculos teneat, in perſonas claudat. Nec vacat myſterio, quòd tum cæcus eſſet Patriarcha Iſaac, cùm erat duobus filiis ſolemni benedictione benè precaturus; ſi utrumque ex vultu clarè diſcreviſſet, res erat plena periculi, ne animi ſui inclinationem pluris faceret deſcriptionibus divinis, & tenerum illud atque molle ergà Eſau ſuum Iacobi meritis anteferret: nempe omnium Pater non debet communem animum privatim cuiquam addicere; non uni dexteram, ſiniſtram aliis deſtinare; ſed, quantum in ipſo eſt, ambidextrum, & æqualem ſe omnibus præbere, ratione omni diſcriminis à Deo ſolùm expectatâ, obfirmatâque mente ad ſervandum illud Domini reſponſum. *Sedere ad dexteram, vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Sed ſi tantùm obſunt Superioribus in exigenda executione ſingulares affectus in alios; quid privatus in ſeipſum amor cum proprii nominis, & commoditatum acriore ſtudio conjunctus? & hic videlicet, hic, inquam, humor eſt ſubtilis, & lentus, qui nervos gubernationis tacitè invadit, atque illam emaſculat, ut jam immobilis, jacens, ſine illo efficiendi robore marceat, quod unum in Superiore requiritur, ut poſſit ſingulis liberè, & ſuaviter jubere: *Redde quod debes.* Parit imò pejus aliquid hic amor, penetrat ſeſe atque inſinuat in oculos mentis; aut vigilans illud, ac providum, quod eſt utilitati publicæ perneceſſarium iis eripiens; aut verò cogens cæcutire, ac iiſdem de rebus tam ad ſe quàm ad alios ſpectantibus diverſa judicia fingere, quæ duo magnam perniciem inferunt ſapienti, & rectæ executioni; ac ſi alibi usquam, hìc certè præcipuè locum habet illud Gregorii: *Vehementer claudit oculum cordis amor privatus; ex quo fit, ut hoc, quod nos agimus, & grave eſſe non exiſtimamus; plerumque agatur à proximo, & nimis nobis deteſtabile videatur.* Et quî tandem quis valet in hac obſcuritate animi caligantis absque rubore jubere, aut vetare, quæ alioqui Regulæ poſtulant, dum hæc ſibi agenda, vel omittenda non judicat? Quæ ratio hoc validior eſt in Societate, quòd in ea, Deo miſerante, illud retinetur, ut Superiores cæteris præeant

Superiores apertos teneant oculos in facta, clauſos in perſonas.

Geneſ. 27.

Æquales ſe omnibus præbeant.

Matth. 10.

Quartò privatus ſui ipſius amor.

Matth. 26.

Hom. 4. in Ezech.

eant in omni etiam religioſæ vitæ officio, cuſtodiaque Regularum, præſtentque hoc ſolùm aliis, quod præter propriam, quin propriis humeris diſciplinæ communis provehant obſervationem, illius in Canticis imitatores ſponſi, qui ſponſam miſſurus in myrrhæ montem, amaroris ſedem, & acerbitatum, non putavit ſibi aliter jubendum, niſi de ſe hoc illi denuntians: *Vadam ad montem myrrhæ.* Breviter; exemplum imperium eſt ſummè potens apud religioſos homines diſertis edictionibus juſſiſque robuſtius: quamobrem Chriſtus paternarum in terris Dei voluntatum curator mirabilis (ex quo eſt *brachium Domini* appellatus) ut nos ad illas inflammaret, *cœpit facere, & docere*, quaſi ſuum illud facere documenti loco, legiſque poneret. Nec mirum, vilem de ſeipſis ſenſum, ſuimet deſpicientiam, paupertatem, tolerantiam ærumnarum in omni vita homines docturum voluiſſe tam vilem, pauperem, deſpectum, ærumnoſum eſſe; hoc nempe Rectores perſpicuè admonens fore ab hac privati amoris victoria, ut ergà ſubjectos *potentes in opere, & ſermone* evadant.

Cant. 4. Iſai. 53. Act. 1. Luc. 24.

Quintò nimia cura ac ſollicitudo rerum temporalium.

Poſtremum quod videtur poſſe executioni quoad illos, qui præſunt, obſtare; cura eſt, ac ſollicitudo quotidiani commeatûs, rerumque temporanearum juſtô major. Hæ mentem illorum, atque adeò corpus frequenter diſtrahunt, ac domo procul quandoque diſtinent, ne poſſint coràm virtutis negotium, & perfectionis urgere; in quo parùm advertunt certiorem viam rei faciendæ, ſtabiliendæque in futurum ab ſeſe deſeri, Regularum, inquam, atque Inſtituti pervigil ſtudium, expoſcendæ inſiſtens ab unoquoque in Regulis diligentiæ, ſanctimoniæ in exemplis, in proximorum ſalutem ſedulitati. Hic demùm optimus, hic mirè frugifer, hic certiſſimus eſt Collegiorum cenſus ac reditus, de quo venit in mentem S. Pater noſter Ignatius, dum hìc Romana in Domo ageret: erat fortè, ut fit, in Patrum circulo, & illato ſermone de annonæ anguſtiis, quæ tum erat Romæ arctiſſima, dicenteque uno, videri ſibi miraculo ſimile, quod tunc Domus noſtra, quæ nihil ad victum præter ſtipem haberet, in reliquorum egeſtate re tamen nullâ indigeret; itàne verò miraculum vocas? intulit graviter, & ſeverè vir ſanctus; quin foret potiùs pro miraculo habendum, ſi res in oppoſitum eveniret, quamdiu enim divinis obſequiis fideli operâ non deſumus, hoc eſt, noſtræ imprimis, deinde perfectioni alienæ; non poterit Deus providentiæ ſuæ promiſſis deeſſe, quibus ſe pactus eſt noſtri curam aſſiduè geſturum. Ex his, & talibus, quæ poſſent in hanc rem congeri, ex

parte

parte accidit, ut fortè nonnemo ab iis nequeat, quos regendos accepit, Regularum, quam quærit, incolumitatem conſequi, & perfectionem diſciplinæ. Sunt enim, quæ diximus, velut arcanæ teredines, quæ occulto dente tamdiu illum arrodunt, donec palàm fiat comediſſe illas robur ejus. Ac licet benè animatus, optimeque ſit affectus ad procurationem Regularum, retrò tamen inter eos ſubſiſtit, qui apud Iſai. *venerunt usque ad partum, & non eſt virtus pariendi.* Non deeſt ſtudium ſanctimoniæ communis, ſuorum delictis, & erroribus pungitur, ad eorum lapſus totis viſceribus torquetur, iteratque non ſemel illa B. Cypriani: *Iaculis illis graſſantis inimici mea membra ſimul percuſſa ſunt; ſævientes gladii per mea viſcera tranſierunt; in proſtratis fratribus, & me proſtravit affectus.* Conclamant res non bene habere, vociferantur, queruntur, apud quos ut par eſt, utque neceſſe eſt, oportet; imò & nonnunquam, quod non decet, nec fieri par eſt, apud quos non oportet; cujus ut plurimum unum hoc eſt operæ pretium, quod in ſimili argumento valdè dolet S. Auguſtinus, *ut infructuosè crucientur firmi, periculosè turbentur infirmi.* Et quid pluribus opus? *Veniunt usque ad partum*, ſuntque hi ſenſus, hi motus, hæ voces, & angores parturientis inſignem totâ domo religioſæ vitæ conſtitutionem. Vt verò ab iis, quorum id munus eſt, ſcribuntur remedia, dictatur curatio, decreta proponuntur, mox *non eſt virtus pariendi:* debilitate exequendi vaneſcit opus præ manibus, & tanto ſtrepitu ne tantillùm quidem promovetur. Animadverto me illos affari, quibus hæc præcepta non ita vulgò ſunt neceſſaria, quòd ea jam per ſe, vel intellectu proſpexerint, vel uſu ſemper tenuerint, ſed video unà me ut hominem loqui magnis, Deo dante, motibus afflatum ad publicam in Societate virtutem incitandam, quod eſt opus unius executionis, ac muneris mei pondus, quo ad bonum commune augendum adigor, facilè me extrà, quàm fortè deceret, extulerit. Sed ut credi poſſit hic animus non prorſus veniâ indignus, eò tamen ſpectavit ſermo, ut religione, quâ teneor, conſcientiam meam liberarem, monitis ſemel Superioribus, quod Subdiaconum ſuum Petrum in Sicilia commorantem B. Gregorius admonebat: *De his, quæ tibi pro ſervanda juſtitia ſcribo, ego abſolvor, & tu, ſi negligis, obligaris: audiſti quid volo; vide quid agas.*

Cap. 33. | *Serm. de lapſu.* | *Epiſt. 137.* | *Iſai. 37.* | *Lib. 1. Regiſt. cap. 1.*

Sub hæc verò cogitandum reſtat, exequendis rebus debere omnino à ſubjectis adjuvari ſuperiorum niſus, quæ eſt pars altera curationis adhibendæ, quam ajebam ad illum, qui curandus eſt, attinere. Inanis eſt medi-

Subditi debent adjuvare Superiores in executione.

Et eſſe ægrotis ſimiles. corum labor in præbenda medicina, quæ ſanet, ac reſtituat ægrotum, niſi
hic manum præbenti porrigat, ac ſe totum ſumendis remediis offerat. *Deo*
In Pſalm. 97. *nos committamus*, inquit Ambroſius, & Dei vices gerentibus, *parati*, *quo*
velit, curari medicamento: novit ipſe, quæ ſingulis vulneribus medicamenta
conveniant. Vide eum, qui curari velit, in omni genere medico acquieſcen-
tem: & ſi differt medicus, æger offerre ſe debet, ut citiùs ſecetur. Debet
quin immò, ſi opus eſt, ſponte ſe vinculis permittere quò fiat ſecurior, ſa-
lubriorque ſanatio. Sic explicandum eſt prolixum illud non ſanguinis,
Serm. 250. de Temp. ſed mentis martyrium, quod religioſo Inſtituto Sancti attribuunt, *Habet,*
& pax noſtra martyres ſuos, ex S. Auguſtino; *nam iracundiam mitigare, li-*
bidinem fugere, juſtitiam cuſtodire, avaritiam contemnere, ſuperbiam humi-
liare, (in quo eſt ratio, & ſumma totius executionis) *pars magna martyrii*
eſt, ac ſi nondum mors eſt, eſt certè mortificatio. Nunc, ut illa quondam
Vel SS. Martyribus. Eccleſiæ lumina, invictiſſimi Martyres, tam jucundè, ac facilè totam ad-
mittebant ſuppliciorum pompam ſibi ad terrorem objectam, nullâ cujus-
quam fugâ, vel delectu; complectebantur cruces, figebant catenis oſcula,
apprimebant pectori flagella, & taureas, inſerebant ultrò ferreis nexibus
ſacras manus, & colla ingenua; ad hunc modum, noſtris religioſæ vitæ
Sermon. de S. Laurent. Martyribus, recipienda ſunt *in honorem triumphi, etiam inſtrumenta ſuppli-*
cii, ut de illis aliis prædicat Sanctus Leo, non induendis tantùm manibus
in ſancta vincula præceptorum, legumque; ſed ea aptando, iis gaudendo,
gloriandoque, illa toto amoris complexu afferendo, tantò propenſiùs,
quantò ſunt libera vincula, & aurei torques à mitiſſimis Patribus filiis injecti
ad eorum mentes, & amores advenienti Deo liberaliter ſolvendos, dum
eorum manus pauliſper adſtringuntur. Ad hoc provocat David, hoc eò
ſignificantiùs commendat, quò brevius, & verbo dumtaxat altero, ſed fœ-
Pſalm. 2. to altiſſimis ſenſibus, & uſum amplificationis ſolidæ præbente: *Appreben-*
dite diſciplinam. Quod verbum ſit tractat Hilarius: *Virtute verbi ſignifi-*
cationem impatientis, velut properæ ad id voluntatis oſtendit, non tam expe-
tendam, quàm apprehendendam potiùs diſciplinam docens: non tepore fidei
in hujus obedientiæ obſervatione contentus, ſed ardorem ſpiritûs in appetenda
aviditate deſiderans; ac demùm appoſitè in eum, quem verſamus, locum
de capeſſendis cupidè mandatis, quibus, ut vinculis, blandè religamur;
Orat. ad Iul. *Apprehendenda itaque diſciplina, & invadenda eſt quaſi quodam amplexu,*
& vinculo corporali, ne elabatur, aut decidat tam illa quàm ipſe religioſus
ordo

ordo, qui totus diſciplinâ innititur. Vt enim S. Gregorius Nazianzenus primos illos Martyres *mundi nodos* eleganter dixit, quippe qui Deo conſtantiâ fidei mundum colligent, & adſtringant; ita hos ſecundos religioſæ obedientiæ Martyres, Societatis nodos haud temerè nominem, ut qui primos integritatis ejus nexus contineant, illam conſervent, ejus membra inter ſe, CHRISTOQVE devinciant *in funiculis Adæ, in vinculis caritatis*; hoc *Oſ. 1.* eſt, torquibus ſacris Regularum; neque obſcurum eſt, laxatis his, ſolutisve nodis, quantum detrimenti, quanta ſit in Societate conſecutura confuſio. Quapropter Sanctus Parens noſter IGNATIVS hunc toties præcipit eorum, qui ſubſunt, ex Superioribus, ordinem, ſubjectionisque morigeræ perfectiſſimam rationem, ut videatur in hujuſce cultu fauſtitatis noſtræ caput ſtatuere; quod aureâ illâ de obediendo epiſtolâ clariùs teſtatur; ubi Societatem cælo vult eſſe perſimilem, imitarique conſenſionem ejus orbium, motuumque ex ſummis, & mediis gradatim per proximè Superiores deligatum eâ celeritate juſſa faciendi, ut non ſe modò terræ vicinior à contingente volui ſinat, verùm ab eodem, nativo impetu violentæ inclinationis, etiam rapiatur: nusquam certè Deo quàm in cælis magis ad nutum deſervitur, nusquam promptiùs, & ordinatiùs ejus vocem facta excipiunt, quod per excellentiam quamdam Propheta laudat cùm Deum alloquens, *In cælo*, inquit, *permanet verbum tuum*; ubi Sanctus Hilarius, tam ad argumentum noſtrum, quàm ad exemplum egregiè: audiamus nunc quæſo, poſtquàm Sanctus Pater IGNATIVS executionem omni ex parte abſolutam doctore cælo jubet nos diſcere. *Non eſt illic tranſgreſſio*, inquit Hilarius, *non demutatio, non infirmitas, non otium: contueamur Solis annuum curſum, & menſtruum Lunæ recurſum, aſtrorum quoque, aut ſtationes, aut converſiones, aut demutationes: numquid non finibus ſuis, aut conſtitutis terminis, aut decretis viciſſitudinibus continentur? nihil illic demutatur, nihil differtur, nihil negligitur, ſed in conſtitutionis ſuæ manet lege, & indefeſſis obedientiæ miniſteriis perſeverat: quo exemplo*, concludit, *in ſanctis quoque, qui cæleſtes ſunt, Dei verbum manere credendum eſt.* Neminem latet in pulcherrimum nos, ac ſplendidiſſimum coaptatos cælum, ubi (dicam cum S. Petro Chryſologo) Aurora eſt Mater Societas: Sol parens noſter Ignatius; ſtellæ noſtrorum tot Fratrum per tot annos, ac terras digeſtus ſplendor virtutis ſingularis, & perfectæ: *Dies eſt aſpectus Matris, Sol Patris rutilat in vultu, propinquorum quot oculi, tot lucernæ, inter quorum* *lumina*

Margin notes: Societas ſimilis Cælo, & ejus ſubditi orbibus cæleſtibus. — *In Pſalm. 118.* — *Serm. 1. de fil. prod.*

lumina non valent delicta verſari: unde viventi inter tot virtutum duces, criminum tenebræ propinquare non poſſunt. Si quis tamen portentoſo eventu cometes ex fœdis mundi nimiùm propinqui, ac peſtilentibus expirationibus concretus, tot inter benignos, & propitios ignes lethalem flammam accenderit, non eſt propterea damnandum hoc cælum; cùm & identidem in aſpectabili cælo eadem inviti videamus; & in cælis cælorum, in arcano Dei auguſtali, Deique ipſius ſub oculis faces ejusmodi funeſtas ſciamus fuiſſe non paucas, iis verò aliàs univerſitates quanquam ſanctiſſimas minimè carere; quod cum præclarâ illâ ſuâ epiſtolâ probet diſertè B. Auguſtinus, erit mihi pergratum hanc ab unoquoque ad animi ſui conſolationem per otium perlegi; precor verò illam quantùm valeo, ac poſſum cæli noſtri mentem, ejus principem motionum CHRISTVM IESVM, ut hæc ab eo monſtra prohibeat. Verùm, ut dicere cœperam, ſi neceſſe eſt aliqua in eo nonnunquam apparere; hæc ſaltem nos ratio ſoletur, quòd ſunt ævi brevis, ac propè ephemera, priusque penè advertimus *evanuiſſe illas in cogitationibus ſuis*, & ſeceſſionem à nobis feciſſe, quàm clarâ nos malignitate terruerint. Ne quis porrò furor, & incantatio in eandem nos quoque deformitatem mutet, juverit plurimùm ipſius S. Petri Chryſologi ſapiens monitum. *Sepiat nos*, inquit, *paterna reverentia*, & obſervantia tanto Patri, tam amanti, ac bono, Ignatio debita; *Matris componat affectio* tenera illa, & medullis inhærens, quam, impii ſumus, ſi Societati Matri non reddimus; *cognatorum cuſtodiamur aſpectibus*, tot Fratrum exemplo, tam inſigni atque multiplici morum præſtantium, & ſanctimoniæ omnis archetypo nos ipſos, & noſtra fingamus; nihil admittamus, quod communem famam, opinionemque noſtri fallat: quicumque non illud apud ſe experitur tenerum, ac forte in expetendo, urgendoque Societatis bono, vel eam certò non agnoſcit Matrem, vel nequaquam ab ea inter filios computatur. Quantum mihi Deus ardorem ſubjicit? quæ ſuggerit vota? ut beata hæc Mater digna ſit, quæ juxtà mentem Fundatoris ſui, ſtellarum Societas nuncupetur; ſit ita ſanè terreſtrium; ſed quæ ſint tamen ab contagione exerrantium facularum, & abortivorum ignium immunes: quando & Iſaias Propheta cæli ſtellas, militiam ſeu ordines dixit. Ac ſi minimè eſt dubium fore, ut *qui ad juſtitiam erudiunt multos*, (quod eſt noſtri propriè muneris,) luceant *ut ſtellæ in perpetuas æternitates*, quid rem nominis hujus non antevertere properamus, cur non occupamus illius titulum? & expreſſis ſyde-

rum

Vti in aſpectabili, ita & in Myſtico cælo Cometes aliquando.

Epiſtol. 137.

Ad Rom. 1.

Serm. 1. de fil. prod.

Iſa. cap. 24.

Dan. 12.

rum dotibus id jure nobis vindicamus? *Sol elevatus eſt, & luna ſtetit in ordine ſuo:* ſic enim legêre Septuaginta Interpretes illud Prophetæ pulchrâ ſanè, aptâque in rem noſtram convenientiâ; cujus pars altera, quin perfectè jam conſtet, nemo in dubium revocat, Solem enim noſtrum Ignatium elevatum à Deo inter Sanctos, evectumque in gradus altiſſimos glorioſæ immortalitatis; inter mortales honoris clariùs in dies ſuſpicimus. Reſtat nunc alteram, quæ ex hac priori conſequitur, virtute noſtrâ, quâ parte nos tangit, impleamus, *& Luna* (per quam aliàs item ſtellas Doctores intelligunt) *ſtetit in ordine ſuo. Ordo noſter*, ait eximiè in hunc locum B. Bernardus, *abjectio eſt, humilitas eſt, voluntaria paupertas eſt, obedientia, pax, gaudium in Spiritu ſancto: ordo noſter eſt eſſe ſub regula, ſub diſciplina, exerceri orationibus, & ſuper omnia excellentiorem viam tenere, quæ eſt caritas.* Quàm velim, & incredibili affectu cupiam omnes ſtellarum inſtar lucidiſſimarum, ſed noſtro in ordine, nos ſtare pari utrobique alacritate, atque lætitiâ fulgentes ſive in Collegiis, & Scholis hærere fixos; ſeu per miſſiones etiam longinquas, & orbe altero ſemotas errare oporteat, prout illi gratum viſumque fuerit, qui nos huic cælo inſervit. Vtinam quoque omnes ſimus illius æmuli paupertatis ſtellarum locupletiſſimæ, quæ nihil privatum poſſident, nihil accumulant, nihil reponunt non dicam ſupervacaneum, ſed nec opportunum; communi victu contentæ ſunt, demenſum ſuum pro modo cujusque, ac neceſſitate, quot noctibus, (quæ illis ſunt dies) nullo unquam defectu accipiunt, habentque à Sole, ut ita dicam, precariam, quâ ſuſtentantur, lucem. Quis det illam in nobis infractam laboribus caritatem illarum aſpicere? quâ recurrente ſemper interitu, & quotidianis quaſi mortibus in hominum utilitatem, & gratiam conſumuntur, & occidunt; illum ex uno ſuſpenſum, ex quo totum ſplendorem rapiunt, & cujus in ſe gloriam exprimunt ſolum, & unicum nexum? florem illum nitoris illibati, qui totus, quod ſufficit dicere, lumen eſt, adeò cujusvis labeculæ expertum, ut corporibus illis puriſſimis, planeque cæleſtibus impurum aliquid ne poſſit quidem cogitando affingi. Addo modeſtiam, addo ſolitudinis amorem, ſuique contemptum tenebris gaudentem, ſeponentemque extrà hominum lucem, & oculorum arbitria quicquid agunt præclarum, & honorificum, quaſi *ne videantur ab hominibus.* Ad extremum illam earum promptam, & paratam ſemper obedientiam, ac diligentiam in parendo. Ac ſi eodem cum illis inſtinctu, quæ *vocatæ dixerunt, adſumus:*

Abac. 3.

Sol S. Ignatius.

Nos ſtella ſtantes in ordine.

Epiſt. 142.

Ab illis ſumamus exempla Virtutum.

Matth. 26.

Bar. 3.

mus: & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas; ipſi quoque obedientiam pro luce duceremus, foretque apud nos non aliud ſplendere, quàm juſſa lubentes peragere; ſi adeſſet illa explicata, & micans alacritas in capeſſendis Dei obſequiis absque loci ullius, aut temporis aut miniſterii remora, nihil rejiciens, nullius ambiens, multò minùs apertis, ſeu clandeſtinis alienisve molitionibus vel eliciens, vel extorquens, exoriens, cùm opus eſt, mundoque ſe luculenter oſtendens; prona etiam, cum res petit, deorſum præcipitare, oculosque latere; ſus deque habens inter *magnitudinis ultimæ aut primæ* cenſeri, eâ tantùm gaudens ſtatione, in quâ illam ſummus Imperator Deus locaverit. Quod ipſiſſimum eſt B. Gregorii Nazianzeni conſilium: *quo quisque ordine vocatus eſt, in ipſo maneat, etiamſi alioqui præſtantiori dignus ſit: plus utique laudis habiturus ex eo, quòd præſenti gradu acquieſcit, quàm ſi eum quærat, quem non accepit*: claudensque appoſitè ad inſtitutum de ſtellis ſermonem; *ne quis cùm ſine periculo alium ſequi liceat, ne præire cum periculo expetat, neque obedientiæ legem infringat, quæ tam terrena, quàm cæleſtia tuetur, atque conſervat.*

Orat. ad Iul.

Hæc itaque nobis omni ope ſervanda eſſe præcepto monemur fundatoris noſtri ſanctiſſimi, cælorum nobis magiſterium indicantis, ad condiſcendam ſanctitatis omnis abſolutam executionem; & huic opinor operam tunc ipſemet dabat, cùm intempeſtas noctes ſub aperto cælo, in ſiderum contemplatione inſumeret, ex quarum forma, & decore, tantum ille horrorem reportabat pulchritudinum infimarum congruenter B. Auguſtino ſuadenti, *Si vis eſſe cælum, purga de corde tuo terram*, ut videri novum non debeat, ex eo aſpectu cùm tantùm proficeret, nobis ipſum ejusdem autorem, & olim fuiſſe, & nunc unicuique noſtrûm injungere, *ſuſpice in cælum, & dinumera ſtellas ejus*: Quæ Dei quondam ad Abrahamum verba, Philo Iudæus videtur potiùs ad ſtellarum virtutes exprimendas viresque exponere, quàm ad ineundum earum numerum; cupiditatis enim, quâ trahimur ad mira earum ſpectacula, rationem hanc adfert, quòd *ſimus amantes virtutis inſatiabiles*, geramusque nobis Dei manu, ac dono ab ortu impreſſam illarum imaginem, *qui ſic immiſit in animum*, inquit Philo, *ſemina præclara, ſplendida perpetuoque vigentia, ſicut ſtellas in cælum.* Ob hoc illa, quæ ibidem ſequuntur ad Abrahamum, *faciam te in gentem magnam, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cæli*; non tàm ad multitudinem poſterorum idem refert, quàm, ut loquitur, ad *incrementum in melius*, hoc eſt ad fœliciſſimam

In Pſalm. 96.

Gen. 15.

Æſtimandum, non quàm multi ſimus, ſed quàm probi.

L. 2. de leg. alleg. & l. de migr. Abr.

ciſſimam poſteritatem: *tam magnitudine, quam multitudine auctam.* Nec verò eſt hoc ſolo nomine cur tantoperè nos amemus, quòd brevitate unius ſæculi ita hunc orbem noſtrum impleverit Societas, ut ſe in novum alium pridem diffuderit, nec admodum intereſt, ut numeri ſummam ſubducamus, ſtatuamusque, quàm multi ſumus, ſed quàm probi, quàm ardentes ſalutis noſtræ primùm, deinde alienæ; quanti, quàm conſtantis exempli, quàm amantes divinæ gloriæ; decretorum noſtrorum, & ſanctæ Regulæ quàm tenaces, hoc enim eſt, *in gentem magnam, & ſicut ſtellas cœli* evaſiſſe. Igitur, Deus Abrahamo benedicens, infinitam illam poſterorum gentem non magni fecit, nec ait, quod Philo ibidem notavit, faciam te in gentem multam, ſed in gentem magnam. *Sciens, multam per ſe imperfectam eſſe, niſi accedat vis intelligentiæ, ſcientiæque*, id eſt virtus, & perfectio, quâ magnitudini ſtellarum, ac pulchritudini affinis magnitudo noſtra, perfectioque continetur. Porrò in ſpes hujus incrementi, acceſſionumque ſanctitatis, confido eandem miſericordiam, quæ ſuam huic Societati minimæ defenſionum obſtringere voluit, Ignatio ſuo jam inde à principio dixiſſe, *multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & benedicens benedicam tibi.* At nos, vice versâ, quantis nominibus ad profectus lucis, executionis obedientiæ, tanquam ſtellæ viventes, obligamur? quos ſi negligimus, formidandum eſt, ne ſævis illis, intonatis olim, nunc etiam flagellemur minis: *Stellæ cadent de cœlo.* Ad promerendam Abrahami benedictionem opus eſt Obedientiâ. *Matth. 24.*

At non ſunt unquam caſuræ; imò nec earum cælum ruinam expaveſcet; ſi non illæ modò, quod modo prædixi, ſed ipſum quoque *ſtabit in ordine ſuo*, hoc eſt quo modo inter alios cælos infimam ſedem obtinuit, eſtque proindè illorum minimum: quam ejus fundator, ſui contemptor egregius, appellationem aſſiduè ipſi, lætusque tribuebat: ita certo, putet non fore ſe re ullâ ſat tutum, niſi ſuæ hujus abjectionis, tenuitatisque conſcientiâ, & profeſſione; cujus ope, ut pulchrè S. Leo: *declinetur ſuperbia, cui proximum eſt, ut decidat; ametur humilitas, cui ſemper debetur, ut creſcat.* Hoc igitur modeſtiſſimi nominis, ac multò magis vitæ puncto immobili, tanquam polo, quo ſemel libratum eſt, nitatur, uni Dei gloriæ ſtudeat; profusè laboret, ut proſit aliis, de ſe parciùs loquatur, Superiorum orbium agnoſcat, ut par eſt, revereaturque dignitatem, cæteras, inquam, & magni faciat religioſas familias, & obſervantiâ omni colat, & pro Inſtituti noſtri ratione, ſuum ipſis obſequium commodet, gaudeat- Opus Humilitate. *Epiſtol. 90.*

 que,

que, illis, ex ſui Ordinis natura, & gradu ſubeſſe: ſed ante omnia, ſupremo ſuo, à quo motum habet cum reliquis, & immenſo orbi conſentiat, hoc eſt, Eccleſiæ ſacroſanctæ, ejusque in terris capiti, cujus pedibus adorandis peculiari ſacramento arctè nos S. P. Ignatius alligavit, ac venerabundus dicavit. Intelligamus Societatem Noſtram, quantò ſe fortiùs ſanctæ Apoſtolicæ Sedi adſtrictam ſervarit, ac devotam, quantò illi magis pro muneris ſui obligatione adhæſerit, venerando, propugnando, parendo omni ſtudio, ac diligentiâ, (quod ego ſingulis, quâ poſſum contentione ſpiritûs commendo) tantò futuram ab omni aut casûs, aut inſultûs periculo tutiorem, tantò affluentius grande illud, atque magnificum promiſſum participaturam; *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.*

Arctiori vinculo ad Sedem Apoſtolicam.

Matth. 24.

Atque hic finis ſit eorum, quæ hâc Epiſtolâ inſtitueram commendare, utique, ſcriptâ ex peculiari meo, & intimo ſenſu, & animi ſanguine exaratâ; nempe hanc poſtremam ad Societatem univerſam, me dare cenſeo, cumque ſupremæ, noviſſimæque voces hærere diutiùs animis audientium ſoleant, eosque fortiùs permovere, vehementer cupio altè has intimi pectoris penetralia ſubire, ac imprimi penitùs *in tabulis cordis carnalibus* Patrum, ac Fratrum meorum, ut quas inflammata perfectæ illorum ſanctitatis deſideria pepererunt, in abſoluta repoſitæ Ordinationum, Regularumque obſervatione. Claudo itaque iisdem vocibus quibus olim ad populum Ioſue: *Ego ſenui, & progresſioris ætatis ſum, vosque cernitis omnia, quæ fecit Dominus Deus veſter, quomodo pro vobis ipſe pugnaverit, & nunc quia vobis diviſit omnem terram ab Orientali parte usque ad mare magnum.* Non videmus ipſi, peneque oculis contrectamus, quantùm hujus ſæculi decurſu Societati faverit? quantum illi terrarum, & hominum tribuit? usque ad mare magnum, Indosque ultimos; quàm fuit ejus laboribus in converſione populorum, ſudoribusque propitius? quantùm ejusdem contrà hoſtes divini nominis prælia fortunarit? tot iſta, & tanta, non poſſumus ſine lacrymis gratiarum meminiſſe: non conſiſtit hîc tamen, multæ adhuc ſuperſunt nationes, *Dominus Deus veſter diſperdet eas à facie veſtra*, & veſtrâ virtute ſibi ſubjiciet, quo nihil poteſt vobis venire felicius. Vnum viciſſim à vobis expectat. *Tantùm confortamini, & eſtote ſolliciti, ut cuſtodiatis cuncta, quæ ſcripta ſunt in volumine legis Moyſi, & non declinetis ab eis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* En tantorum quæ contulit, tantorum quæ promiſit bonorum vice, à vobis quantulum repoſcit? Executionem ſollici-

2. ad Cor. 3.

Ioſ. 23.

Quantum Deus primo ſæculo Societati faverit.

Quid invicem repoſcat.

ſollicitam, accuratamque obſervationem traditarum vobis per famulum ſuum Ignatium, ejusque ſucceſſores Regularum: hanc ſi præſtabitis, ſanctè polliceor fore vos certò *in gentem magnam, & ſicut ſtellas cæli. En ego ingredior viam univerſæ terræ, & vos toto animo cognoſcetis, quòd de omnibus verbis, quæ ſe Dominus præſtiturum vobis eſſe pollicitus eſt, unum non præterierit incaſſum.* Ita quidem ſpero, illius ope, ac benignitate, qui dare ſolet, quod præcipit. Per hæc ergo nova revertentis ſæculi gaudia mirificè cupio tum Superiores, tum iis ſubjectos paulùm apud ſe commorari, & ſuſceptis, ut antè hortabar, meditationibus Sancti Patris & Regulas noſtras, Decreta, Ordinationes particulatim inquirere, ſeorſum autem velim legendo recoli, & lentiùs digeri primam, quam dedi ad Provincias omnes, Epiſtolam, cùm Deo placuit hanc muneris ſarcinam mihi imponere: diſcerni verò in ſingulis exoptem veraci trutinâ, & acri examine, num quid correctione indigeat? num quæ pars executionis inveteraverit, aut elanguerit? num tota floreat, pergatque vim ſuam retinere? Poſt ſicubi opus deprehenſum erit, ingentibus animis, & generoſo propoſito tantorum beneficiorum recordatione confirmato, communes operas conferamus ad illam fortiter asſerendam: ſubditis quidem libenter ſeſe, ac prono affectu ad illam accommodantibus, & *ſollicitis*, quod ait B. Bernardus *circa cuſtodiam Ordinis, ut Ordo nos cuſtodiat*; iis verò, qui regunt, validè illam, ſed tamen ſuaviter ſic flagitantibus, ut diligentia illorum paterna, & ſpiritualis, vigoris plus habeat, quàm rigoris, ſervetque illud D. Gregorii temperamentum miſtæ caritatis, ut *Regat diſciplinæ vigor manſuetudinem, & manſuetudo ornet vigorem, & ſic alterum commendetur ab altero, ut nec vigor ſit rigidus, nec manſuetudo diſſoluta.* Perſuaſumque omninò habeant, religioſam gubernationem nullâ re graviùs infringi, quàm inflexâ duritie, ac ſeveritatis immoderantiâ; contrà verò conſtantiæ nervo ſuavitatis manu ritè temperato, nihil eſſe quod non evincatur. Cogitemus Patres, ac Fratres dilectiſſimi, quod eſt extrà dubitationem, Societatis conſervandæ vim, ac modum, in cujusque noſtrûm poteſtate, manuque ſita; ac meminerimus, partâ Majorum noſtrorum virtutibus, factisque ingentibus, nos in hanc diem vixiſſe famâ, ſuſtinuiſſe nos illorum meritis, quâ inter homines gaudemus, magni nominis dignitatem: noſtrum eſt, idque nunc agitur, ut novo ſæculo novos ad longam virtutem impetus, & momenta indamus, fundemusque novum fidei commiſſum perfectionis totius, & ſolidæ ſanctitatis, numquam

Epiſt. 321.

L. 19. Mor. c. 15.

poſthac alienandæ, a poſteris, in nos eò attentiùs aſpectu, & animo defigendis, quò ſunt propiùs viſuri noſtra veſtigia, eaque recta, vel obliqua lecturi mordicùs, & calcaturi: ſitque hic etiam non poſtremus, etſi ultimo loco dictus, ſed profectò magnus inſtaurandæ virtutis ſtimulus, ut magnum eidem præſidium impertit eximia bonitas, & paternus animus S. D. Vrbani VIII. qui tum ſuâ comprobatione, ſacratâ præſentiâ, & fauſtâ benedictione gratiarum actionem dignatus eſt, quâ collatâ in nos à Domino Deo per integrum tractum unius ſæculi proſecuti ſumus; tum ut gratam hanc, dulcemque memoriam redderet nobis fructuoſiorem, Iubilæum conceſſit, communicandum cum Societate univerſa, ejusdemque in Dei obſequio conſervationi, lætisque progreſſibus addixit. Hujus tanti boni, quò uberiores nobis proveniant, diuturnioresque fructus, vehementer opto, & quoad valeo, omnes hortor, ac plurimum rogo, non modò, ut exercitiis ſpiritualibus hâc mente ſeriò ſuſceptis, ſe comparent, verùm etiam animoſâ, & candidâ confeſſione vitæ omnis, quam in Societate traduxerunt, vel quam à poſtrema Generali, retexant, prout fuerit cuique in Domino gratius, atque utilius. Ac licet diem percipiendi Iubilæi uniuscujusque opportunitati, pietatique liberam permitto, & Superiorum prudentiæ maturè ſingula expenſuræ; ſed non poſſum negare, quin magnæ mihi futurum ſit, & incredibili conſolationi, ſi Sancti Noſtri Parentis Ignatii feſto proximè celebrando, vel intrà octavam ejus diem, res tota peragatur. Optarim ſiquidem, illum ejus triumphum, iis lætitiis, & honoribus cumulare, quibus illi non queunt majores accedere, hanc nimirum tantoperè caram, & tam unicè dilectam filiolam ſuam talem univerſim, ac pariter optimo Parenti ſiſtere, & offerre, qualem ipſe ex ſuo ſpiritu genuit, *non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ſimile, ſed ut ſit ſancta, & immaculata.* Faxit illa magni Patrisfamiliàs miſericordia, quæ per fidelem ſervum Ignatium *vocavit nos in Societatem filii ſui*, hujus quoque theſauri ſacroſancti efficacitate in ejus imaginem transformemur. Atque hìc iterum, quantâ maximâ poſſum animi mei teneritudine, quo Patres meos Fratresque circumfero ſimul omnes in viſceribus Iesv, arcteque complector, in quæ illos depono novum ex iis ardorem ſpiritûs, roburque ducturos. Priùs tamen omnes cum B. Bernardo impatientiùs obteſtor, iisque denuntio expectare me *ad hanc Epiſtolam, benignitatis veſtræ reſponſum; ſed reſponſum facti, non verbi*, precorque enixè cum D. Gregorio deſpiciendi ſui magno præceptore,

Iubilæum ab Vrbano VIII. Societati conceſſum.

Ad Ephes. 5.

Epiſt. 273.

ceptore, *ut quisquis hanc legerit, apud diſtrictum Iudicem ſolatium mihi ſuæ orationis impendat, & omne, quod in me ſordidum deprehendit, fletibus diluat. Orationis autem*, quæ mihi tribuetur, *& expoſitionis*, quæ à me dabitur *virtute collatâ, Lector meus in recompenſatione me ſuperat, ſi cum per me verba accipit, pro me lacrymas reddat.* Gratia Domini Noſtri Iesv Christi ſit cum omnibus vobis. Romæ 15. Novemb. 1639. *Lib. 34. Mor. c. ult.*

Omnium Servus in Chriſto

MVTIVS VITELLESCVS.

EPISTOLA
R. P. N.
VINCENTII CARRAFÆ
PRÆPOSITI GENERALIS
PATRIBVS, AC FRATRIBVS SOCIETATIS IESV.

De Mediis conſervandi primævum Societatis Spiritum.

POſtquam viſum eſt divinæ bonitati, præter ſpem omnem, ac meritum, imbecillitati meæ tam ingens onus imponere, quanta eſt cura Societatis univerſæ, altè mihi video in arcanum judiciorum Dei deſcendendum, & inveſtigandum, cur ei placuerit præferri multis, quem omnibus titulis poſtponi omnibus oportebat. Cujus conſilii nulla ſat mihi ratio arridet, niſi tantùmmodo hæc una, *ut* nempe *oſtendat divitias potentiæ ſuæ* vocantis *quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt*, & ſummorum juxtà, infimorumque diſpares operas æquali exitu manuque adhibentis. *Rom. 4.* *Laudem dicite Deo noſtro omnes ſervi ejus, puſilli & magni*, quem nec meritorum arctat inopia, nec tenent aliena adminicula ſuſpenſum; ſed *ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus, ego vocabo eos*, inquit, *& ſtabunt.* Stabit in gradu fortiter imbecillus, egeni opibus affluent, obſcuros nobilitatis ſplendor inopinatus decorabit. *Apoc. 19.* *Iſai. 49.*

Rationis

Rationis hujus certiſſimâ luce profuſus animus, etſi alioqui per ſeſe anguſtior, erumpat neceſſe, ac timiditatis propriæ limites prætergreſſus præpotentis Dei magnificentiæ ſe totum mancipet, tantò ſe in Deo majorem agnoſcens, quantò ſibi ipſe deſpicabilior apparet; hinc ergò & ipſe ſaluberrimâ edoctus diſciplinâ, *& infirmitatis propriæ oblitus*, *introibo in potentias Domini*, de illius miſericordia *confiſus*, *qui non relinquit ſperantes in ſe.* Et hâc primâ ad Societatem epiſtolâ, ut incipiam officiorum partem exſolvere, quæ facilè video multa mihi magnaque incumbere, *loquar* cum Apoſtolo *quinque verba in ſenſu meo*, perſtrictis ſummatim capitibus, quæ poſtrema Congregatio Generalis perficiendæ Societati noſtræ magnis animis intenta cordi ſibi eſſe indicavit, & quæ vehementiſſimè cupio efficacibus remediis ad primigenium illius ſpiritum, floremque revocari: hunc verò ſpiritum & vigorem ab unoquoque conſervari non modò ſuis integrum partibus, & vivacem, ſed ità illibatum, ut inſtituto noſtro congenitus ſanctæ coràm Deo, atque hominibus innocentiæ noſtræ candor nullo ſinatur vel incommodi metu, vel commodi ſtudio fuſcari.

Greg.

Ex tribus pendet incolumitas, & progreſſus Religioſi Ordinis.

Vt autem ex iis initium ducam, ex quibus Sanctus Bonaventura cenſet religioſi Ordinis incolumitatem, & in deſtinatum vocationi ſuæ finem auctus veros, progreſſusque pendere (loquitur autem de iis Ordinibus, qui perfectionis alienæ curas cum propriæ ſtudio miſcuerunt) tribus maximè præſidiis ſtatuit hujus operæ ſummam contineri. *Primùm vitâ irreprehenſibili. Deinde ſcientiâ ſacrâ. Tertiò authoritate Prædicandi, & Confeſſiones audiendi*, quæ ope cæleſtis gratiæ, mirificè cupio in Societate noſtra ſingula inſtaurari, ut ſit ejus vivendi ratio nullius obnoxia reprehenſioni, ſacra verò doctrinæ, concionum, & confeſſionum miniſteria ſacro ardore conſtanter incitentur.

Primum vita ſit irreprehenſibilis in interiori, & exteriori homine.

Interior tantò ſit ſublimior, quantò finem ſpectat ſublimiorem.

Atque ut ſeorsùm libemus ſingulas, ad primum quod attinet, duplex vitæ modus occurrit in Societate, exterior unus atque communior, alter interior magisque ſingularis, ſed ſuis uterque ita numeris abſolvendus, ut culpari poſſint à nemine. Ac primùm, hæc vita, quam debent Societatis homines vivere; quantò finem ſpectat ſuprà humana altiùs evectum, tantò ſe in Deum attollat neceſſe eſt, ne, humanum in morem, fluxarum rerum trahantur illecebris, ſed tanquam homines *ſurgentes ex mortuis*, ut loquitur Apoſtolus, extrà mundum, & carnem poſiti, mentis oculum in Dei interna, conſtanter defigant, ubi excellentiæ Dei perfectionumque immerſi

merſi oceano, felix *in abſcondito faciei ejus, à conturbatione hominum*, *Pſalm. 30. 21.* ævum agant.

Scitè dictum à quodam de Baptiſta, *Ioannes ſpecie homo, gratiâ Angelus*, hoc eſt, hominibus nihil præter hominem præferens, mentis arbitro, & inſpectori Deo, totus homine major, & celſior. *Specie homo, Gratiâ fit Angelus. Auth. imperf.* Baſilius item cognomento Magnus, *figurâ tantum homo erat*, ac præter illam nihil humanum, nihil debile ſapiens divinam quandam alebat interiùs, ac vivebat vitam; & hanc nobis beatus Parens noſter S. Ignatius, ad quam contenderemus, palmam propoſuit; nam *frequens erat*, ait Hiſtoricus, *Ignatii præceptum*, *Angelos in rebus agendis imitandos*, atque ut ii ſolent ad recreandam, quâ æſtuant, divinorum ſitim, res creatas, *quaſi Divinitatis guttas*, ex perenni fonte immortalitatis adhibere, ſic oportere à nobis fieri: hæc noſtra hæreditas, hoc patrimonium à majoribus acceptum, & fideliter poſteris transmittendum, patrimonium cæleſte, hæreditas ſanctæ cum beatis, ipſoque cum Deo conſuetudinis, & arctiſſimæ familiaritatis: ob hanc jure noſtris inſtituti ſcopus hanc indidit nomenclationem, ut *cæleſtes homines vocentur*, *qui ad cæleſtem patriam & ipſi contendant*, *& alios quâcumque poſſunt ope*, *ſtudioque compellant*, *maximam Dei gloriam ſemper intuentes:* quo verò id pacto exigendum eſt, paulò diſtinctiùs, & noſtris ex regulis, ducendum. *Lib. 13. n. 18.* *Polanc. hiſt. to. 2. lib. 2. n. 5.*

Ex iis enim, hic noſter Dei præſentis adſpectus interior, à meditatione incipit matutina, quæ Deo ſolida debetur, ut ſi quo fors caſu aliquid illi deceſſerit, quam primùm integrè reſtituendum ſit, neque committendum, ut à nobis nocturnæ quietis tributum, natura priùs ferat, quàm Deus precationis matutinæ, repetitâ illâ identidem Tertulliani voce, *horrendum eſt diem ſine Oratione tranſire.* *Interiorem hominem juvat matutina Meditatio.* Et hîc illos velim obiter monere, quos bene orandi habet difficultas nimis ſollicitos, minimè verò id eſſe difficile, ſi comes adſit precationi amor, quo, velut ardenti faculâ, in Deum animus rapitur; nec fore iis operoſum, hanc flammam ſuccendere, qui B. Laurentium Iuſtinianum audierint breviter docentem: *cùm oras, diligenter attende, quis, & cui, nec alterum dividas ab altero.* *De triumph. Chriſti. c. 7.* Felices planè nos, ſi ad veri ſolis non ancipites radios, harum modò vim ſyllabarum poſſimus cernere, *quis, & cui*, quàm citò nobis expeditiſſima evadat amandi ſimul ratio, & orandi?

Porrò, hanc meditationem diei auſpicem, ſequantur neceſſe eſt, cre- *Crebræ per diem Adſpirationes.*

bræ ad Deum adſpirationes, quibus tota interpungatur dies. Quis enim exul, proculque à patria, patriam ex animo non vocet, non ſuſpiret, non exclamet cum S. Bonaventura, *quando te Domine diligam? quando te perſtringam? quando ad te perveniam?* quibus ſanè mens ad amandum Deum validiùs inflammatur, quàm incomprehenſæ Trinitatis adorabili ſecreto, magnis cogitationibus pertentato: & erant hæc precum jacula, quæ ſurſum torquebat Auguſtini pectus; cùm diceret: *& tu Domine usquequo, usquequo Domine* procul abs te arcebis profugum? quamdiù mortis hujus corpore teneor, affectionum improbarum vinculis compeditus? Sanctus verò Franciſcus Xaverius, uſu longo ad Deum ſuſpirandi, etiam dormiens nocte intempeſtâ, rumpebat has ad illum voces: *ô bone Ieſu, Ieſu creator mi; Deus cordis mei, & vita animæ meæ!* quibus orationum brevium veluti flabellis, charitatis ignem aſſiduè ventilamus, ne languens denique præfocetur.

S. Bonavent.

Confeſſ. lib. 9. c. 12.

In omnibus quærendus Deus; Auguſt.

Tertiam nobis præſentem Deum retinendi artem, ac methodum commendant Regulæ, cùm jubent nos illum *in omnibus quærere*, quaſi dicerent, *aſpice quæ vides, & quære quæ non vides.* Facultates omnes ſuo pabulo gaudeant, corporis viſus creato, & ſenſili; animi viſus increato, & ab concretione terrena libero. Cujus ratum exemplar S. Parens noſter de ſe nobis reliquit, cùm cæli non tantùm ac ſtellarum, ſed minimi floris, aut plantæ humilis adſpectu *in Dei cognitionem, & amorem* confeſtim raperetur, idemque ab noſtris maximè optavit, ut omnium occupationum externam ſpeciem vitali ſpiritu meditationis reipsâ perpetuò animarent, ac ſuis moribus Doctoris Sanctiſſimi Nazianzeni dictum exprimerent: *Religioſus totus ſit in Deo, & totus in proximo; totus in Deo, quia converſatur cum proximo propter Deum; totus in proximo, quia cùm orat Deum, commendat proximum Deo:* nec eſt perfecti Religioſi evidentius argumentum, quàm *ſi omnis ejus operatio, & cordis volutatio, viva & jugis fiat oratio, & ſemper habeat ſpiritum in Deum elevatum, & oret in omni loco, in omni tempore, & in omni negotio.*

Caſſian.

Climac.

Recta in omnibus intentio.

Quarta demum Divinæ in omnibus præſentiæ colendæ ratio, noſtris item Regulis præſcripta, rectæ mentis, ſeu intentionis aſſuetudine firma conſtat; *non ſolùm circà vitæ noſtræ ſtatum, ſed etiam circà res particulares omnes, in eis ſincerè ſpectantes, ut ſerviamus, & placeamus Divinæ bonitati propter ſeipſam;* etſi enim docet Theologiæ Angelus Beatorum hanc eſſe

non

non ſolùm in omnibus, ſed ſeorsùm in ſingulis conſenſionem voluntatis cum divina; ſed hujus in partem beatitatis non minimam Religioſi etiam veniunt, cùm ipſi, ſi minùs ex Dei, at eorum ſaltem, qui Dei loco præſunt, ex verbo & nutibus, divinorum indicibus motuum clarè intelligant, quicquid ab ipſis requirit Deus, & nihil eos prætereat, quod ejus in gloriam poſſint, & obſequium referre.

Ad hæc, annuus ad exercitia per octiduum ſeceſſus, à ſeptima Congregatione omnibus imperatus, à proxima verò tam ſanctè confirmatus, ut ſtatuerit, non poſſe cuiquam illius obligationem, niſi à Provincialibus remitti. Hic verò univerſi Patres, Fratresque mei, animo repetamus, Societatis noſtræ principia his exercitiis inniti: fuere hi quadrati lapides, quos ſapientia divina, per ſervum ſuum Ignatium, Societati fundandæ ſubjecit, iisdemque præſidiis, ejusdem conſervationem, ac felices progreſſus, ſperare nos voluit. Verùm enimverò, ne tantum nobis, & tàm affluens bonum, aſſeramus ſolis, ne invideamus aliis hunc theſaurum, ſed communicemus cum illis, quoad poterimus. In quo, majorem in modum, cupio Superiores omnes probare, ſe dignos parente Ignatio filios, & libenter, atque hilariter externos excipere, cùm ad recognoſcendas in exercitiis animæ rationes, dierum aliquot receptum apud nos ſe velle ſignificaverint. Quia verò ad Societatis in ſpiritu profectum, & integritatem magnopere ſpectat, ut iſte Congregationum ſeptimæ, & octavæ ſenſus, in opus conferatur, notari mihi à Provincialibus ſingulos quotannis cupio, qui exercitiorum penſum omiſerint, & addi cauſam, ob quam omiſerint.

Exercitia ſpiritualia, quotannis per octiduum obeunda.

Danda etiam externis.

Provinciales quotannis ſcribant, qui, & quare exercitia omiſerint.

Ad interiorem Societatis vitam, cujus præcipua capita curſim decerpimus, pertinet quoque ſtudium mortificandi ſui, tanquam orationis firmamentum, idque varium ſanè & multiplex, diverſisque regulis traditum; eſt enim carnis mortificatio, ſenſuum, affectionum, facultatum. Prior, cùm ſita ſit in quodam medio rationis, ſeu prudenti mediocritate, non æqualiter omnibus incumbit, *ſed unusquisque aſſumere poterit, quæ ſibi videbuntur, cum approbatione Superioris, ad majorem ſui ſpiritûs profectum, convenire*; quâ regulâ intelligendum eſt, afflictationes externas præcipi, velut ſubſidia, viasque ad perfectionem, ad quam, ut jubemur ex inſtituti officio, ſummam, abſolutamque contendere, (pro menſura tamen communicatæ nobis divinæ gratiæ) ita planè utendum quibusvis afflictationibus

Mortificatio neceſſaria,

eaque multiplex: Carnis.

bus monemur, quæ ad parandam nobis perfectionem propoſitam neceſſariæ cenſebuntur.

Senſuum. *19. Sum.* Secundum mortificationis genus ſenſibus aſſignat Regula, docetque, nos *illorum portas ab omni inordinatione cuſtodire*, quæ vox *ab omni* ſcopum legis diſertè explicat, nihil enim patitur in uſu ſenſuum niſi compoſitum, modeſtum, caſtigatum: non oculi jactum, non verbulum, non greſſum, motumque minùs gravem, minusque meditatum. Eſt verò multorum querela, (quæ utinam falſa ſit) obſolevilſe illam Societatis noſtræ tantùm olim laudatam modeſtiam, maximè verò in junioribus, dicimurque, domo in publicum juſtò ſæpius prodire, incedere per vicos licentiùs, greſſúque non adeò decenti, curioſiùs, quantùm quidem apparet, inſpicere, & oculos ſpargere; interdum etiam inconſideratè, exemploque non bono, & loqui, & colloqui; eſtque planè mirum, ex tyrocinio in Collegium miſſos, tam repentè in alios, at non in meliùs, mutari; ut toti mox, vultu, conſuetudine, inceſſu diſcrepent à ſeipſis, jamque ipſis tempus colligendi, domandi, continendique ſui fluxiſſe videatur: momento exuunt illos ad unguem exquiſitos mores, & habitus, quos multo vix tempore, ac labore, in probationis Domo induerant; volunt ſpoliari, non ſuperveſtiri, ut ſenſu oppoſito ajebat Apoſtolus; putant emendatam collecti oris, geſtusque modeſtiam, Novitium ſapere, religioſam illam exterioris hominis conformationem, cuivis in Societate gradui communem, penè priùs ab ſeſe abdicant, quàm ullo in gradu conſtiterint, cùm circumpoſitæ virtutis cultum ornare ſcientiâ debuiſſent. Curioſitatem, & immodeſtiam Sanctus Thomas ad otium refert. Otioſus enim apud ſe animus foris, quod agat, aucupatur, ac, dum principes ſuas vires intùs habet ab opere vacuas, exterioribus utitur, & mediaſtinis: magnum ergò ac potens in ſenſus imperium tenebit animus, quem præſentis Dei aſpectus, & cogitatio conſtanter occupabit. Mens enim probè conſtituta corpus eâdem operâ componit; & præſentiæ divinæ magiſterio doctus, agere moderatè, nihil præceps, nihil inconditum hominum oculis objiciet.

Affectionum. *Reg. 14.* Iam domitis ſenſibus, non erit arduum, affectiones pariter domare, *adhibitis* (ut ait Regula) *earum contrariis:* nam, ut eximiè ſuo more à Kempis, *tantum proficies, quantum tibi ipſi vim intuleris, & non amplius.* Hinc illud ad noſtros beato Xaverio ſolemne, perpetuumque conſilium: *Vince te ipſum;* cujus toties iterati cauſam denique rogatus, reſpondit (id ferè

ferè, quod olim, in alio argumento, Beatus Ioannes) *quia hoc tantum didici ex optimo Parente noſtro Ignatio.* Ad hoc autem, viam cenſebat brevisſimam, ſui penitus introſpiciendi, cognoſcendique curam, ſui inquam nihili, ſuorumque defectuum. Quare noſtros Goam per litteras ſic alloquebatur: *vos ipſi vincite, ſummoque ſtudio elaborate, ut vos ipſos penitus agnoſcatis: nam ſui cognitio nutrix eſt divinæ fiduciæ, & parens Chriſtianæ humilitatis.*

Intelligentiæ, & voluntatis; Reg. 31.

Supereſt mortificatio præcipuarum animæ virium, intelligentiæ, ac voluntatis, de qua Leges noſtræ ita præcipiunt: *conentur reſignationem, & veram abnegationem propriæ voluntatis, & judicii habere.* Hoc verò eſt animæ ſceptrum ſub Monarcha Deo, uno ac ſummo Rege, moderandum; hujus autem pax regni ex concordia triplici ſeu obſequio coaleſcit; memoriæ ſcilicet ergà intellectum, hujus verò ergà voluntatem, & voluntatis in ipſum Deum; eſt enim, ut loquitur S. Theologus, *memoria propter intellectum, intellectus propter voluntatem, voluntas propter Deum.* Intelligentiæ tum rectè memoria ancillatur, cùm ſpecierum, quarum eſt theſaurus, delectu habito, noxias extendit, & abjicit; utiles, & caſtas tuetur, & detergit: ejus enim eſt, *divinas ſpecies, & puras imagines ſervare*, atque ad præſtandum obſcuritatis expertem intellectum, valde idoneas. Nec diſſimile eſt ergà voluntatem intelligendi officium, ſuggerendis nimirum voluntati veris, & honeſtis, opportunisque bonis; cùm ex S. Bernardo is verè ſit ſapiens, *cui res ſapiunt prout ſunt*, non ut falſò jactantur, & videntur. Quæ utinam falſitas in religioſas domos non frequenter ſubiret, & repræſentaret pro magnis vilia, & parva: pro vilibus grandia, & excelſa: caligat hîc ſenſus, fatiſcit ratio, fidei ſplendore opus eſt, quæ intelligentiæ præluceat, mentemque ſubvehat ad participandos veritatis æternæ radios. Quamobrem jure Parens noſter S. Ignatius, ad intelligentiæ noſtræ inſtaurationem, conformari eam cum divina jubet, cujus Præpoſitos habemus interpretes: quod ipſum tantopere commendat Apoſtolus, cùm ait: *hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu;* hoc eſt, veſtro vos, quoad poteſt, privato judicio abdicate; Chriſti de rebus judicium veſtri loco habete; cum Chriſto de illis, & pretio illarum, ſublimitate, aut nihilo cenſete; ô certam, & claram veri judicii regulam! ô inviolabilem ferendæ de unaquaque re ſententiæ canonem! quo, etſi oportet perſuaſiones omnium dirigi, ſed præcipuè noſtras, quos ad propiorem Imperatoris noſtri Chriſti Ieſu

imitationem, ejusdem profeſſio nominis auctorat. Atque his imbuti diſciplinis, non invidebimus ſuas mundanis dignitates, & evanidas glorias, non tangemur pulchritudine rerum caducarum, nec iis pretium niſi vile, aut nullum ponemus; ſempiterna dumtaxat mirabimur, ſuſpiciemus tantùm cœleſtia, præter cælum, æternitatem, ac Deum, nihil fixum animo geremus. Tandem voluntatis mortificationem Regulæ ſtatuunt in perfecta eorum, quæ privatim cupit, repudiatione, ſuique abnegatione abſolutiſſima: cùm enim voluntas prædita ſit duplici facultate, cupiendi unâ, alterâ exequendi; priori rejectâ, ſecundam retineat neceſſe eſt, amputatoque prorsùs arbitrio proprio, Divinum exequatur, tunc verò cenſeri perfecta poterit, quaſi finem adepta, in quem à Deo condita eſt, hoc eſt, conſenſionem ſummam cum Dei voluntate, nihil aut volens, aut nolens, niſi quod Deo placet, aut diſplicet; ſeu potiùs, nec volens, nec refugiens quicquam; ſed ex Dei nutu, aut renutu ſuſpenſa, huic ſolam miniſtrans executionem: hæc verò Sanctorum, hæc beatarum felicitas mentium, *quia voluntas Dei facta eſt voluntas eorum*; quid enim beatiùs quàm *ſub divino volito annihilari*, & in Dei tranſire transformarique voluntatem? Tradit S. Thomas, & dubitat nemo, in concurſu multarum facultatum, nobiliorem dignitate, eſſe item agendo potiorem: ſic humanæ in Chriſto naturæ ſupereminet divina, ſic in religioſis hominibus prærogativam ſemper ferat divina voluntas neceſſe eſt, huic attendatur, hæc obſervetur arrecto ſtudio, & illuc toto pondere, quò inclinaverit, eatur.

Mortificatio Voluntatis in quo ſita?

S. Bernard.

1. p. q. 31.

Et hactenus quidem de interiori Societatis vita, quibus parum profectò ſatisfiat, ſi aſſerventur ſolùm Regulis conſignata, niſi ad rem, opusque veniatur; tantum enim donum, quantum eſt hæc Dei præſentia, Societati cælitùs inſpiratum, decet non modò ſummo in pretio haberi, ſed re ipsâ, & moribus diligentiſſimè à nobis, ac integerrimè conſervari. Imitemur beatiſſimos Angelos mentis noſtræ totius conformatione, omnemque ab illa opinionem, affectum, & deſiderium, quod terram, & infima ſapiat, ablegemus; quisque ſe, jam inde ab diei exortu, in meditatione matutina, holocauſtum Domino faciat, pergat idem ſacrificium ſui, procedente die, brevibus orationum, ſed ardentibus flammis incendere; Deum quærat in rebus omnibus, omnium ſcopum, atque fontem, ad illum omnia, & ſingula referat, illum ſpectet, in ſummam ipſius gloriam, honoremque collimet, & de quolibet noſtrum illud Eſaiæ verè uſurpetur, *tantum in te Deus*, & præ-

Cap. 35.

& præter Deum nihil: in cogitationibus Deus, in deſideriis, affectibus, conſiliis, ubique Deus: hûc ſui frangendi ſtudium, & mortificatio corporis, ſed multò magis, perturbationum intimarum, totiusque animæ, convertatur. Nunc vocat nos propoſiti ordo, de externo Societatis vivendi genere, ut dicamus, quod ex Regulæ mandato, *juſtas ob cauſas*, *commune eſt*, & vitæ pauperum ſimile, ac eorum, qui habent *pietatem cum ſufficientia.* Pauperum eſt noſtra vivendi ratio, vitam pauperem profitemur, pauperes ſpiritu; ſtudio pauperes, & ſanctæ paupertatis, tamquam matris chariſſimæ, amatores. *Pauperem vitam degimus, ſed multa bona habebimus*, ſi tenuerimus, quam debemus paupertati huic noſtræ, fidem integram, & ſinceram. Paupertatem B. Bernardus, non in ſola ponit bonorum fragilium ſpoliatione, ſed in arcano illorum contemptu, & dulci amore paupertatis. Hinc probè ſecernunt viri ſancti paupertatis vim, ac naturam, ab ejusdem fine: illa ſe fluxis à rebus abſtinet, hic ab eârum etiam amore, & deſiderio. Sed ulteriùs pergamus, & in tam gravi argumento certa quædam capita diſtinguamus, quæ opto, à cunctis accuratè in poſterum obſervari.

Mndus exterior Vivendi Societatis communis quidem; ſed pauperum, *Reg. 4.*

Re, & affectu.

Primum eſt, bonorum renuntiatio, quæ nobis in ſæculo obtingebant, in qua mihi videntur nonnulla peccari, illudque imprimis, quòd ultrà quàm debeat differtur: huic S. Ignatius Parens noſter tempus *ante ingreſſum in Societatem* aſſignavit; nunc, recepto more, quòd in quartum annum ab eo tempore transferatur, haud quaquam noſtrâ, ſed Societatis cauſâ, fieri putandum eſt, ut fiat intereà de ſuorum virtute & conſtantia certior. Cæterum, primus eſt in via Dei greſſus, juvatque mirificè, ab ea quamprimum ſeſe expedire; & nocet, plusquam dici poteſt, eam in longum rejicere. Hoc ergo Chriſtus conſilium præverti omnibus volebat, *vade, & vende;* poſt verò, *ſequere me*, hunc eſſe ſignificans ad ineundam Chriſti familiam neceſſarium apparatum, censûs omnis caduci abdicationem; nec poſſum capere, quo pacto ſæculum tenaci propoſito cum religioſa familia mutarit, qui ſæculi ſarcinam & impedimenta geſtit nihilominus circumferre; multò minùs, quî poſſit jam Chriſto devinctus, & cælo conſecratus, terræ libens affigi, & terrenis vinculis gaudere. Miror verò, & quidem maximè, egere aliquos monitore, imò ſuaſore, ad exſtimulandum languorem, ut velint ea excutere; quin etiam, monitos tergiverſari, quoad valent, multaque, & varia excuſare; refellunt hæ voces religioſi

In renuntiatione bonorum quomodo peccetur?

Exam. c. 4.

ligioſi propoſiti obligationem, & eludunt ſcopum, atque conſilia providentiæ divinæ, quæ ad hoc illos omnino vocaverat, ut, repudiato non fictè ſæculo, ſibi uni ſervirent; at enim, hæ moræ, ſanctioris commodi gratiâ nectuntur; differtur renunciatio, ut inde pauperum, ut Societatis inopia pingueſcat: ita nempè ſuam nonnulli lentam hanc defendunt pietatem: ſed obſtat Sanctorum communis ſententia, præſtare videlicet eleëmoſynæ paupertatem, & ſtatim Chriſti causâ pauperem fieri, quàm opes ſibi reſervare, ut in pauperes Chriſti ſenſim opportuniùs dividantur.

Alter in eodem negotio error, eorum eſt, qui abjiciunt quidem ſua, ſed ex iis ſibi aliquid ſeponunt, ſicque illa Deo volunt conſecrata, ut inde ſibi partem retineant: non placet hæc in domo Dei ſectio timida, & diffidens; itaque Chriſtus apud S. Lucam procul omnem tollit ambiguitatem, *& omnia, quæcumque habes, vende*, inquit; qui dicit *omnia*, ne unius quidem exceptionem indulget, cujuscumque generis illa ſint, pretioſa, chara. Denique, omnia tibi ſunt reſpuenda, ut nudum Chriſtum ipſe nudus ſequare: hoc ita pleno, & ſecuro animo, qui præſtant, *holocauſtum offerunt, imò magis holocauſtum fiunt.*

S. Hieron.

S. Greg. hom. 20. in Ezech.

Tertiùm quoque, ab iis peccatur, qui ſua erogant in cognatos, non absque fiducia recuperandi eadem, ſi uſus veniat, aut eorum partem; certè, contrà mentem Salvatoris, qui, ut rectè animadvertit S. Ignatius, non dixit, da conſanguineis, ſed da pauperibus; &, ſi dubium foret, eſſetne potiùs agnatis tanquam pauperibus, quàm aliis danda; ad ſuſpectæ carnis, & ſanguinis cavendam prævaricationem, jubet unum, duos, tresve ab eo legi Præpoſitis aſſentientibus, quorum in hac re ſtare judicio, & ſententiâ debeat.

Ex, c, 4. §. 2.

Quartò, agnatis & propinquis, eſto, nihil detur, at Societati donabitur; verùm definitis pro dantis arbitrio Domibus, ſive Collegiis, in quibus, aut ſedem ſibi fixurus eſt, aut jam animum fixerit; quem modum arguunt S. Patris noſtri verba illa, *ut decet virum ſpiritualis vitæ ſectatorem*: obeundam hanc ſui ſpoliationem, exutis affectibus propenſionum privatarum, iisque inter manus eorum, qui regunt, omninò permiſſis, ut cui probaverint Domui, legata bona attribuant, modò ne extrà eamdem Provinciam: quamquam Collegio cuipiam ſua relinquere, poteſt nonnullis interdum concedi, ſi tamen in eo non habitaverint.

P. 3. c. 1. n. 7. G.

Poſtremò, anxiè qui agunt, ut quæ Societati reliquerunt, ipſimet per ſe ad-

ſe adminiſtrent, indicium præbent animi nondum ab eorum viſco ſatis explicitl: nam facit triplicem Caſſianus renuntiationem, *rerum*, *affectuum*, *& memoriæ*, complectiturque omnes Societas repudiari ab ſuis volens non poſſeſſionem modò rerum, & affectum, ſed ipſam quoque ex eorum mente perinde obduci memoriam, ac ſi nunquàm illas poſſediſſent. His ita poſitis, & eorum obſervatione ad perfectionis religioſæ culmen tam neceſſariò ſtabilitâ, omnibus quoad poſſum, & quoad ſingulos pertinet, commendo, ut ſæculi bonis, & ſeſe quamprimùm, & ex præfinita conſtitutionibus formula, exuant; ſi qui tam citò non poterunt, procraſtinandi cauſas, & impedimenta ad me ſcribant, parati nihilo ſeciùs exequi, quicquid ſanctæ obedientiæ dictarit authoritas. Ad hæc ſibi Provinciales injunctum intelligant, ut ſi quos fortè habuerint, qui renuntiandi ſuis elapſo tempore, adhuc illa retineant, de illis, & eorum negotio, clarè, per litteras, accurateque me doceant. Coll. 7. c. 4.

Secundum caput in hac paupertatis, quam inſtauramus, ſanctitate, conceſſarum rerum in uſu verſatur; nec enim ſufficit, ſæculari mammonæ nuntium remiſiſſe, niſi datis utamur moderatè, proculque omni ſuperfluitate: ac debet hic uſus frugi, acciſus, pauper, rebusque neceſſariis præfinitus ubique elucere in veſtitu, in victu, in cubiculis; nusquàm ſuperflua, nusquam curioſa, ne imagines quidem piæ, pretii alicujus, quod conditioni pauperum, cujusmodi noſtra eſt, minùs conveniat: nec verò hîc aliquis ſuperfluitati obedientiam prætexat, dicatque ſe, bona cum venia obedientiæ, tales reculas habere; vereor enim hæc, quam putant obedientiam, ne magis ſit indulgentia; etſi autem non poteſt perfectæ virtuti officere, quod duce ſit obedientiâ; ſed huic indulgentiam ſi attexas, & utriusque res geratur poteſtate, mirum non fuerit, aliquando illam abſolutæ virtuti repugnare. Quare hic ego Superiorum pervigil ſtudium magnopere requiro, ut efficaci remedio, quicquid laboraverit, perſanetur; luſtrando quandoque ſuorum cubicula, & ſupervacanea, quæ deprehenderint, nec paupertati noſtræ ſat conſentanea, omnino amovendo. Quales debeat eſſe uſus rerum conceſſarum?

Quàm præterea in itineribus parſimoniam teneri vehementer velim; convehuntur enim, conquirunturque commoditates nec noſtræ, nec ſatis ab ingenio ſæculi purgatæ, & diverſoria non ita ſancto, ut par eſſet, exempli odore vaporantur. Fuit magni illius in Societate operarii Patris Fabri dictum: *proprium eſſe noſtri Ordinis, relinquere in omnibus domibus, & hoſpitiis*, Parſimonia tenenda in itineribus. *Hiſt. lib 3. n. 25.*

ſpitiis, quò divertunt, veſtigium aliquod ſanctitatis; ubique enim conſulendum hominibus eſſe, ubique plantandum, ubique colligendum, cùm debitores ſimus omnibus, & ubique nos ſpectet Deus. Caveatur inſuper, ne itineris moleſtiis, ſtata precandi jura, & tempora, negligantur; idque primorum Societatis Patrum imitatione, quorum, dum agerent viatores, prima erat precandi cura, *egreſſos hoſpitio armabat oratio, excipiebat ingreſſos:* ex qua & illam hauriebant alacritatem viarum incommodis, & difficultatibus fortiorem; *quin Chriſti amor, & crucis ſitis, quidquid erat aſperum, mitigabat.* Quàm potens igitur ergà Chriſtum amor ad perferendam Chriſti Crucem, *quo vivens Chriſto viventi, moriens morienti, & mortua mortuo, perfectâ imitatione, anima conformatur!*

In illis ſolita pietatis exercitia non omittenda.

Lib. 3. n. 3. & lib. 4.

S. Bonav. in vit. S. Franc.

Veniamus ad tertium illud, & ſupremum munus, veræ paupertatis, non modò à ſuperfluis abhorrens, ſed neceſſariis etiam, quoties Deo placuerit, libenter carens; de quo juvat audire B. Bernardum: Felix, inquit ille, *qui nihil ſibi retinet ex omnibus; non habet foveam ut vulpes; non tamquam volucres nidum; non loculos quomodo Iudas; non domos, ſicut nec Maria locum in diverſorio, imitatus perfectè illum, qui non habebat ubi reclinaret caput.* Cùm totos quadragintâ dies, Fundator noſt.r ſanctiſſimus, à Deo precibus, & lacrymis quæſiſſet, quod genus paupertatis eſſet Societati præcepturus, peculiari tandem divini Spiritûs afflatu, ſupremum, & altiſſimum præcepit; *quia Chriſtus Dominus Dux, & caput eſt Societatis,* quam proinde ad ſummam Chriſti paupertatem decebat collimare: hæc verò qualis extiterit, nemini eſt obſcurum; averſatus eſt Chriſtus divitias, ſæculi commoda refugit, adamavit è contrario in cura corporis, cibo, veſte, domo, ſummam inopiam, continuaque incommoda; natus præſepi excipitur, & nudus in cruce moritur. Debet hæc nobis ob oculos, inquit S. Bernardus, paupertas verſari, *quam Chriſtus docuit verbo, conſecravit exemplo;* ab cujus exempli norma longè profectò abſunt, qui paupertate gloriantur; ſed ejus moleſtias fugiunt; paupertatem amant, illius comites procul ab ſe excludunt; Chriſtum non ægrè pauperem ſequuntur; ſed hâc lege; ne cum Chriſto, vel neceſſariis, vel opportunis, careant; ſolius nominis ſpecie pauperes, vacuæ atque umbratili paupertati, inanem titulum prætendunt. Certum quidem eſt, ipſoque divini Spiritûs oraculo confirmatum, quod poſt S. Bonaventura aſſeruit, *nuſquàm, & nunquàm legi aliquem volentem in paupertate Deo ſervire, pro defectu cibi, fame periiſſe:* ſed

Libenter careamus neceſſariis quoque.

Epiſt. ad Henric. Archiep.

Paupertas Chriſti qualis?

nec

nec dubium eſt, Deum ad augenda ſuorum merita, probandamque mortalibus eorum virtutem, interdùm ad tempus, quotidiana iis alimenta, vel ex parte, vel planè ſubducere, relictis ſolum, quæ ad mortem arcendam ſufficiant, trahendamque per miſerias, & dolores, vitam, judicio ſenſuum infelicem; hâc tamen exercitâ tot malis, & tàm inviſâ hominibus vitâ, nihil pretioſius, nihil optabilius apud Deum: per hanc enim, Chriſto, Angelis, & Deo ſimiliores efficimur. *Qui paucis contentus, minimis indiget, ſimilis eſt Deo, qui nullis indiget:* nec in eo tantùm perfectæ virtutis rationem Apoſtolus ſtatuit, ut quis noverit *abundare*, ſed, ut pariter *ſciat penuriam pati:* quæ, teſte B. Gregorio, *ars eſt mirabilis, & toto cordis adniſu diſcenda*; Deum, affluentibus rebus, & in penuria, æquali animo laudare; gratum eſſe cibos, & neceſſaria ſuggerenti; nec minùs gratum eadem neganti, ac ſe utrobique patienter, tranquillè, alacriter habere; hoc verò eſt ex eodem Sancto pauperem ſpiritu reipsâ eſſe, *qui alimentorum inopiam ſine murmuratione tolerat*, & penuriam quamlibet placidè exſorbet. Cujus utinam virtutis pretium, & cultus, ſemper in nobis omnibus vigeat, ſed in profeſſis Domibus præcipuè, ubi ex Pontificum Bullis, vivitur mendicatò, incertisque eleëmoſynis: ex quibus ſequitur, in his Domibus qui degunt, eſſe victu incerto, & vario contentos, aliquando etiam diminuto, & mutilo, debere, ſtatuitque S. Ignatius, *ut nullus de Societate debeat, nec poſſit quemquam ad eleëmoſynas perpetuas, domibus vel Eccleſiis ejusdem Societatis, relinquendas incitare;* ne quid videlicet, earum fiducia ſpem illam reſtringat, quam habemus in ſinum divinæ providentiæ projectam. Ex his conſici ajo paupertatis noſtræ faſtigium, ambienti altiùs aſſurgendum, ac poſt rejecta ſuperflua, neceſſariis etiam, ubi occaſio & proximi ſalus, Deique gloria tulerit, abſtinendum.

S. Chryſoſt.

Phil. 4. 12.

Hom. 16. in Ezech.

Paupertas Dominum Profeſſarum.

P. 6. c. 2. n. 6.

Quartum & ultimum monitum, excoquendæ ad purum paupertatis, in candore affectus, & ſynceritate animi ſitum eſt; uſum enim eſſe, ut diximus, rerum opùs eſt neceſſariarum, rejectis ſuperfluis: incertum, nec de eleëmoſynis ſecurum; addo nunc ab omni affectûs intemperantia ſejunctum, quem ſtatuæ ſimilitudine S. Pater Ignatius exponit: *in iis, quæ ad paupertatem ſpectant, quantum ad rerum*, inquit, *uſum*, *quaſi ſtatuam exiſtimare* me debeo; veſtium, inquam uſum, cubiculi, menſæ, miniſteriorum denique omnium, nullo mearum ſenſu, affectu, amore peculiarium rationum, ſed unius tantùm obedientiæ, & gloriæ divinæ. Video, quanta ſit

Verus Pauper ſit ab omni affectûs intemperantia ſejunctus.

Et ſtatuæ ſimilis in ejus vita.

doctrinæ hujus excelſitas, quantisque ab terra ſpatiis neceſſe ſit evectam animam meditationis impetu, & ardore intrà cælum, ac cœleſtia penetraſſe, ut eam aſſequatur: non excedit tamen inſtituti noſtri metas, ab Societatis ſpiritu non diſſentit, non deſtituitur divinæ gratiæ promptâ manu porrectâque ad opem, ſi accipimus, ferendam. Auctor erat Paulino Hieronymus; *nihil in ſe mediocre eſſe contentus eſſet, totum ſummum, totum perfectum deſideraret.* Non diſpari animo, S. Parens noſter ſummum nos virtutis apicem ſpretâ vult prenſare mediocritate, & divino fultos auxilio, perfectiſſima conſectari. Illic ſtatua hæret, ubi erigitur; nec illò verſùm ubi olim eſt ficta, magis quàm aliò propendet: ſic noſtrûm quemlibet par decet omnem ad locum, domum, collegium, habitationem facilitas, & æquabilitas: nec major in patriam, quàm in aliam partem propenſio: Naz. orat. 28. *omnis terra, & nulla terra nobis patria eſt:* ad omnes vocamur ubique gentium pari ſtudio juvandos: unum, ſi qua nobis patria, cælum eſt, ubi nos pater verus, ubi paterna hæreditas expectat: omnis æquè nobis cognata natio, gens omnis una eſt adoptionis divinæ jure, fraternitate Chriſti Ieſu, Rom. 10. patrimonii æterni promiſſionibus conflata; *non enim eſt apud Deum diſtinctio Iudæi, & Græci, nam idem Dominus omnium.* Dicamus igitur cum S. Bernardo, *unum ordinem opere teneo, cæteros charitate*, unius reverâ nationis, & patriæ affectu, & animo omnium, omnes amans, omnes apud me tum magni faciens, tum apud alios dilaudans. Fuit inventum Patris noſtri Fabri admodùm excellens, ad expellendos ab animo rerum affectus Hiſt. lib. 3. n. 3. caducarum: *quotannis rebus omnibus, quæ præſertim ad victum, & cultum pertinent, funditùs exuebat ſeſe, nihil ut ſe ſpoliatius, nihil eſſet egentius:* & memini hoc idem in Societate paucis retrò ab annis ſolemne fuiſſe, certis præſertim occaſionum magnarum celebritatibus, quales ſunt votorum inſtaurationes; ac velim plurimùm tam ſanctum morem à Superioribus revocari, tradique illis, quicquid ſuperflui apud ſe quisque repererit: hic erat Fabri ſanctiſſimus ambitus, *nihil ut eſſet ſe ſpoliatius, nihil egentius*, & abſolutiſſimæ egeſtatis integritate, nemini cederet. Ah ſi talis Societatem ardor æmulationis ſanctæ pervadere incipiat! ah ſi pejorem quisque, deteriorem, viliorem cellam, veſtem, occupationem ſibi depoſcat, & ambiat! tunc veræ in noſtris cæli divitiæ eminerent; tunc Chriſti odore mortales omnes afflarent, & traherent, tunc pulſis querelis, ac diſſidiolis pietas, ſanctitas, exempli efficacitas regnaret. Et hæc de priore Religioſi Ordinis

promo-

promovendi, tuendique præſidio, ex S. Bonaventura, initio hujus Epiſtolæ laudato, irreprehenſibili nempè vita.

Secundùm erat ſcientia ſacra; ſacram enim oportet Societatis eſſe ſcientiam, ſive ex ſubjecta materia, ut eſt Scripturæ ſacræ, ac Theologiæ ſtudium; ſive ex ordine ad Deum, ut quæ in Philoſophicis, Mathematicis, & Rhetorica verſatur. Prima, Societatis curam per ſe rectà ſpectat, altera ſolùm ut ſecundaria, & ancilla priori famulatur, mentem enim noſtram poſt ſui dedicationem jam Deo ſacram, dumtaxat ſacris occupari eſt æquum: nam quid monſtri hoc foret devotum altaribus calicem, ut fecit ſacrilegus Balthaſar, in uſus profanos redigere? atqui, haud paulò ſit gravius religioſi viri mentem fœdari rerum inanium cognitione curioſâ. Iam ſi B. Auguſtinum roges, quid ſit, impulſu vanitatis dare operam litteris; quid ſe ipſum, ac ſuam inanem gloriolam in ſcientiis venari? reſpondebit, eſſe aliud nihil, quàm *in ſacro vaſe, diabolo propinare*; in vaſe, inquam, ſacrorum cultui, & divinis honoribus mancipato, potum dæmoni præbere. Si quæras, quid ſit libros evolvere parum caſtos? libros mali dæmonis inſtinctu conceptos, lucubratos, & ejusdem typis in lucem effuſos, ad indicandam hominibus pereundi viam, parum, ſcilicet, jam notam, parumque præcipitem? audies iterum hoc eſſe in vaſe ſacro diabolo propinare; laborare de oblectando dæmone, & contriſtando, quoad poteſt, Deo; nam ſi eſt in ſæculo etiam talium librorum damnanda lectio, quantò deteſtabilior in religioſo viro, in homine de Societate, in ſacræ paginæ ſtudioſo, & converſioni animarum, propugnandæque fidei, ex inſtituti ſui munere addicto? Nec valet excuſatio linguarum, & eloquentiæ, quorum inde nitorem ſe petere nonnulli cauſantur; etſi enim eſt ex eodem Sancto elegantia illa præſtans, & *calix aureus, ſed plenus veneno, & vitio erroris:* ne labri ſplendor ſuâ luce oculos perſtringat, liquorem attende mortiferum, perniciem cogita variam, quam ſecum in animum inducit, & hanc præ cæteris maximè timendam, quòd piorum in eo ſaporem librorum, miſerè extinguit. Siniſtri judicii eſt in ægroto, optimorum ciborum faſtidium, ſed multò pejoris in religioſo, nauſeans ad ſpiritualia ſtomachus, & vice verſâ, profana appetens, manifeſto planè vitiati palati argumento, hoc eſt, depravatæ voluntatis. Accedit rerum piarum tædium, & ingens de illis ſermocinandi difficultas, ex eadem orta, ſolutiorum ſcriptorum lacuna: lingua enim cordis, ut dici ſolet, inſtrumentum, niſi ejus motu, atque imperio,

Secundum ſcientia noſtra ſacra ſit; ex materia, intentione, ac fine.

Vanitas cavenda in ſtudiis.

A libris minùs caſtis omninò abſtinendum.

Confeſſ. lib. 4. c. 15.

Graviſſima inde damna exiſtunt.

nec movetur, nec agit; æquis ferè hæc duo incedunt paſſibus; & ubi cor hæſerit, eò mox advolat & lingua; ſi mens cum Deo avidè orando colloquetur, acquieſcet & lingua ſanctis de illo ſermonibus, ſive in communi cum noſtris conſuetudine, ſive cum externis. De quo appoſitè ſuccurrit illud Angelici Doctoris, debere Religioſum hominem de Deo ſemper, aut cum Deo loqui. Qua in re certum eſt peccari aliquid à noſtris, quod pro ejus momento ſanè gravi penitùs corrigi vehementiſſimè cupio, & huc omnium operam curaſque conferri. Initiavimus Deo mentem ipſo in Societatem ingreſſu primo; linguam illi pariter dedicemus: *ô quàm pulchrum, quàm divinum, per divinarum rerum commemorationem, in Dei amorem perpetuò excitari!* Beatorum certè palæſtra civium, & primorum lingua Societatis Patrum, ejusque præcipuè ſancti Fundatoris, quem cùm vulgus, ut fit, inter fabulandum peculiaribus notis vellet deſcribere, illum, ajebat, qui ſemper in cælum ſuſpicit, ſemper in ore Deum habet: mentem nimirum in cælis agentem, lingua facilè ſequebatur. Nec poſſe videor tacitus præterire, quæcumque hìc errantur, magnam partem, Superiorum errore, evenire. Primùm enim, ab iis exemplo agendum eſt, inducendi ſunt in communem recreationem de rebus divinis, & utilibus ſermones; pervincendus eſt pudor quidam nimiùm humanus, eique præferenda Societatis, ac profeſſionis noſtræ officia; deinde, procul omninò ablegandus gazularum abuſus, alicubi perperàm admiſſus, ad paſcendam novis, aut rebus, aut fabulis, quorumdam curioſitatem, non absque culpa, & detrimento pietatis: quare huc tamdiu erit admonitio ſalutaris, & correctio admovenda, dum emendatio conſequatur. Tertio loco, invigilent noſtris externos viſentibus, & percunctentur eorum ex ſociis, num pios ſermones cum iis miſcere conſuêrint; ſi ſecus facere compererint, pro ratione ſui muneris, in poſterum moneant. Tantam ergò peſtem, molliorum auctorum, lectitatione in animos ſperante, omnes quidem in viſceribus Ieſu Chriſti rogo, ut aperto bello eos inſectemur, parumque nobis ſit, illos non legere, niſi etiam à nobis, eos, quàm longiſſimè amandemus; juniores tamen ſcholares noſtros, ſingulariter alloquor, & volo ab iis hanc meam adhortationem altè in animum demitti; eorum verò Superioribus injungo, ut ſi quem (quod abſit) deprehendant iſtiusmodi libros lectitare, vel apud ſe habere, omni confeſtim excuſatione, & interceſſione poſthabitâ, in tyrocinium remittant, hauſturum illic religioſæ virtutis ſpiritus, quos nondum eatenùs deguſtavit.

Præter

Aſſueſcendum piis colloquiis.

Naz. orat. 26.

Contrariis erratis quæ remedia adhibebunt Superiores.

Præter ſcopum autem noſtræ ſcientiæ præfixus, obedientiam nimirum, & Dei gloriam, in quæ totus Scholarium noſtrorum contendit labor, decet ipsâ quoque executione noſtrâ, litterarum ſtudia ſacra eſſe, neque extrà Deum, ſed intrà peragi: ut enim pulchrè adnotavit, & pulchriùs præſtitit, numquam ſatis laudatus Franciſcus Suarez, in noſtris, quos alit verus Societatis, & vividus inſtinctus, *mens non abſorbetur, quia ad Deum ſæpius recurrit, nunc intentionem in illum renovando, nunc auxilium, & lumen petendo, nunc verò, de veritatis intelligentia gratias agendo*; neque enim par eſt, ingurgitare ſe quodammodo totum litteris hominem, atque immergere, quaſi nihil nobis præterea meliùs, quò tenderemus, ſupereſſet: ſat eſt, iis ad tempus ſe animus commodet, ex obedientia definitum; intereà verò, in ſtudendi finem oculos identidem conjiciat, patrem luminum adoret, & invocet, ſtudendi laborem in Dei gloriam reflectat.

Studia noſtra Sacra eſſe debent ipsâ quoque executione.

Lib. 5. c. 3. n. 12.

Verùm, ut ad claudendam epiſtolam quandoque accedamus, exequamur jam tertium caput ex S. Bonaventura huc translatum, de Miniſteriis Societati maximè propriis, ſi priùs pauca de alienis ab ea dixerimus; cum enim ſit ſcopus, in quem contendit Societas, divinus, & ad ſalutem pertinens animarum, quicquid extrà hanc occupatur, ab inſtituto pariter exerrat, ut ſunt negotia ſæculi, & temporalibus de rebus, quæ nos ab eo fine vel retardant, vel omnino avertunt. Habemus quoad hæc, Salvatoris exemplum celebre, cùm rogatus à quodam, ut ortam inter ſe ac germanam, de bonis extraneis, litem diſſolveret, *Quis*, ait, *me conſtituit judicem inter vos?* quaſi diceret, quo pacto id officii ad me ſpectat? quid verò mihi cum negotiis temporariis, qui ſum ad æterna huc deſtinatus? quàm deceret noſtros ſimili reſponſo non diſſimiles curas, cùm ingeruntur, eludere: quis me conſtituit judicem inter vos? tunc certè veriùs Ieſu Societas dicerentur, Ieſum non modò appellatione, ſed rebus ipſis imitati. Confirmat hoc item his verbis S. Ambroſius, *terrena declinat, qui propter divina deſcenderat*; quæ nobis eodem jure conveniunt in religioſum ordinem *propter divina* cooptatis, quinimò, ob unum *omnium diviniſſimum*, hoc eſt, ſalutem animarum. Igitur, nobis *declinanda ſunt terrena*; noſtra non ſunt, aliena ſunt; & eorum fugam metuendum non eſt hominum quærimonia ne ſequantur, quibus, eo modo, plus multò damus, quàm exigant, ut in Chriſti facto S. oſtendit Auguſtinus: *petebat homo hic mediam hæreditatem in terra, Dominus efferebat totam in cælo, plus Dominus dabat, quàm ille poſtulabat.* Et

Tertium Miniſteria Societati propria.

Ab alienis, & à negotiis ſæculi abſtinendum.

Serm. 196.

addens

Et à nimia cura rerum temporalium.

addens reſponſo ſuo Chriſtus fructuoſiſſimam circumſpectionem: *Cavete*, inquit, *ab omni avaritia:* ubi S. Auguſtinus, *non eſt ſolùm avarus, qui quærit aliena, ſed etiam, qui cupidè, & avarè, appetit ſua.* Quo ſancti viri documento, vellem Procuratores noſtros fieri cautiores: quamquam enim interdùm æquum petunt, jureque legitimo; ſed avarè, & cupidè videntur petere, & aviditatem quamdam nimiam præferunt, quæ ſæculum redolet; ſint ergo ſuæ tenaces Regulæ, cùm jubet in agendis rebus, *memores eſſe inſtituti Societatis, quod profectui animarum invigilat.* Quo valdè ſerio moneantur, ità eſſe temporalibus conſulendum, ne qua fiat cæleſtium jactura; ita curandam rem familiarem Collegiorum, ac Domorum, ne ab re ſacra, & Societatis muneribus, homines avertant: quare admonendi, corrigendique erunt, & vero etiam officio movendi, ſi quos in re, tanti, ad Societatis inſtitutum, errare Superiores animadverterint. Hanc autem Chriſti diſciplinam, eximiè nobis S. Ignatius in ſe, ipſe expreſſit, cùm recens ad Deum converſus, ita confeſtim mentem cælo affixit, ut quicquid cum proximis ageret, moveretque, illuc omnia traheret, ac referret. Sui vero hujus conſilii ignaris, ſi quando ad ſe temporaneæ opis gratiâ, venitaſſent, majorem quandam deferebat, cæleſtem ſcilicet ſempiternamque apud Deum; idemque ab noſtris adeò exigebat, ut Conimbricenſis Collegii Rectorem, cùm Romam ad neceſſariam litem adveniſſet, non ſit paſſus in Domo Profeſſa degere, ſed, Societatis Collegio, nondum in Vrbe tunc erecto, illi apud externos diverſorium aſſignarit; tanti cenſuit Fundator ſanctiſſimus Societatem profeſſam, ab omni ſe ſpecie, atque umbra cupiditatis abſtinere. A quo ipſius primævo candore, nimis palàm eſt, nos aliquantulùm deſciviſſe: unde illa fuit Summi Pontificis Innocentii Decimi, ad Congregationem Generalem, paterna, ſed juſta commendatio: *Præſcribenda ratio, quâ omnes Patres Societatis, ſe rebus, ac negotiis ſæcularibus, non immiſceant.* Cui venerabunda, & ad obſequendum paratiſſima Congregatio reſpondit: *unum eſſe omnium Patrum ſuffragium, & votum Congregationis univerſæ, ut noſtræ Societatis homines abſtineant à negotiis ſæcularibus, à noſtris Conſtitutionibus alienis:* hinc verò conſtabit, quantâ in futurum ſollicitudine noſtris cavendum ſit, ne ulla ex cauſa, ac ne Principum quidem commendatione, atque voluntate, temporalia, & ſæcularia attingant: & advertant, qui præſunt, quid ſibi Congregatio injungat contrà violati decreti reos: *Superiores curabunt*, inquit, *ne transgreſſores impuniti*

niti maneant. Quam in rem, ſi parum valebunt remedia, quæ communiter adhibentur, erunt etiam locis, atque officiis movendi.

Excluſo ſæculo, ejusque negotiis ab ſcopo noſtro alienis, veniunt ſacra, & divina, noſtro amore, ſtudiis, & labore digna, & propriè noſtra, quæ inſtituti formula recenſet, à Summis Pontificibus approbati, ſuntque *prædicatio, lectio, ſpiritualia exercitia, puerorum ac rudium in Chriſtianiſmo inſtitutio. ſacramenti Confeſſionis, & aliorum adminiſtratio, & reliqua.* Poſſunt verò hæc bifariàm exerceri, ut S. Parens noſter Ignatius tradit, vel diſcurrendo per varias Orbis partes, civitates, & pagos, eaque confeſſionibus, & concionibus, excolendo; vel hærendo in Collegio aliquo, ſive Domo, *ubi magnus divinæ gloriæ proventus ſperatur.* Prius tamen, illud Societatis eſt peculiare quàm maximè, illamque, velut nativus character, quarto profeſſorum impreſſus, confirmatusque voto, ab ordinibus aliis diſtinguit: cujus præſtantiam operis, fructusque immenſos & neceſſitatem utinam valerem, ſciremque pro dignitate exponere: ac neceſſarium quidem, non arbitrarium hoc eſſe Societatis munus, ex Societatis ipſius mente colligitur: nam *ſcopus, ad quem tendit Societas, eſt diverſa loca peragrare prædicando, confeſſiones audiendo, &c. divina gratia aſpirante:* ſcopum autem ſi tollis, tollis unà Societatis noſtræ finem, hoc eſt, ſalutem animarum. Nobilitas verò huic miniſterio unde conciliari major poteſt, quàm à Chriſti Domini, ejusque diſcipulorum magiſterio, & exemplo? Curandum ergò, quoad fieri poteſt, in miſſionibus, ut noſtri æmulentur Apoſtolos, & ex voto, ac mente Regularum *bini aſſocientur, pedites iter faciant, ex eleëmoſynis vivant, ad hoſpitale divertant.* Et præter hæc, etiam à ferendis ſecum pecuniis abſtineant, Dei fiducia pro certo liberalique viatico contenti: quod fuit S. P. Noſtro Ignatio in ſimilibus expeditionibus inviolatum; in iis enim *nullum habebat pecuniæ ſubſidium, niſi Fidem, Spem, & Charitatem in Deum*, nec itineris labor, nec cibi tenuitas, nec incommoda ſomni capiendi moleſtiora videbuntur circumferenti ſecum diu, noctuque viæ ſuæ individuum comitem Chriſtum Ieſum, de Cruce pendentem. O ſecurum quantumvis longinquæ peregrinationis viaticum! ô ſuaviſſimum fami noſtræ cibum! ô impenetrabilem hoſtibus, & inexpugnabilem clypeum! & ſuadet prorſus neceſſaria ratio, ut prædicaturi populis Chriſtum crucifixum, eumque vi divinæ gratiæ validâ illorum altè animis impreſſuri, cum eo verſentur, illum audiant, & ab eo diſcant, Legationis ſuæ propoſitum, ac modum.

Miniſteria Societati propria, quæ?

Iul. III. fol. 61.

P. 7.

Conſt. P. 7. & 1. Reg. Miſſ.

In Miſſionibus Noſtri æmulentur Apoſtolos.

Civit. lib. 14. cap. 4. modum. Talis verò fuit ex S. Auguſtino Paulus Apoſtolus, *crucifixus cum illo, doctus ab illo, & glorioſus in illo.* Nec ſiſtet operis tanti quæſtus in iis ſolùm, quorum ſaluti conſuletur, ſed magno cum fænore in ortus redibit, in operarios nempè ipſos; remetiente nobis Deo, quam contulerimus in proximos, menſuram: neque oberit arcanis virtutum animi progreſſionibus iſta cum proximis externa, actuoſaque jactatio, ſi convenienter miſſionum Regulis ineatur, quarum vel una obſervatio accurata, facilè omnia ſupplebit præceptionum documenta, quæ poſſunt à quovis, in hac materia, optari: facto ſolùm eſt opus reſtatque ad extremum, ut admoveatur huic manus, idque imprimis ab iis, qui regunt, quos, & præ cæteris, magnopere adhortor, ut illud depromant in animarum lucrum ſtudium charitatis, quod vocationis noſtræ ſpiritui debetur, incitando, juvando, provehendoque ſuorum operas, in tanti Miniſterii ſanctitatem, imò & facem illis exempli ſui præferendo, quoad gubernationis munia patientur. Reliquos autem Sacerdotes, (ut olim à P. Claudio ſanctæ mem. epiſtolâ quâdam ad Provinciales ſtatutum fuerat) exceptis, quos vel infirmitas, vel impedimentum aliud meritò excuſat, quotannis, ad aliquod tempus, ut vacent excurſionibus miſſionum, quod non parvo ſuo, proximorumque compendio, ſunt facturi, ſimul daturi liberum pœnitentibus acceſſum ad alios, ſi volent confeſſarios. Extrà verò longiuſculum hoc tempus, poſſent per biduum, triduumve, vicina luſtrare, ac redire in diem Dominicum, conſuetam operam templo noſtro daturi. Placet quoque multum ejuſdem P. Claudii Aquavivæ cogitatio ſapiens, ut in Provincia qualibet, Reſidentia deſignetur, ubi octo de noſtris, Sacerdotes ſex, adjutores duo, eleëmoſynis alantur, quo pacto ſolet in Domibus Profeſſis, & alterni ad fructificandum in agro Domini exeant; horum deinde in locum, alii ex iis, qui in Collegiis commorantur, ſuo tempore ſuccedant: qua in re, Provinciales enixè cupio diligentiùs explorare, quid in ſua cujuſque Provincia, præſtari valeat: univerſos autem, Miſſionibus occupatos, ejus volo ſeriò meminiſſe, quod eſt à Præpoſitis Generalibus ordinatum, ne ullo modo tractent, vel aurem tractantibus præbeant, de novorum Collegiorum fundationibus: at ſi de novis Profeſſis Domibus proponatur, huc dabunt de eo litteras, & reſponſum ad illas expectabunt.

Miſſiones non impediunt proprium animi profectum, ſi earum regulæ ſerventur.

miſſiones omnibus commendantur.

Epiſtol. 9.

Inſtr. 4. fol. 27.

Epiſtol. 9. Quælibet Provincia habeat Reſidentiam unam pro miſſionibus.

Qui verſantur in miſſionibus non tractent de novis Collegiis fundandis.

Nec eſt præterea, quod huic epiſtolæ adjungam, nam *ſi hoc fiat, ſufficit* ad Societatem renovandam, reſtituendamque colori priſtino ac vigori.

Verùm,

Verùm, ut hæc in auras non vaneſcant, ſed factis rebusque ſanciantur, etiam atque etiam deſidero, ut in cultu Beatiſſimæ Dei matris ſuam ſinguli inſtaurent, expoliantque pietatem; nam, ſi Ieſu tota eſt titulo ſingulari, ac peculiari nomine Societas, totam quoque eſſe Mariæ neceſſe eſt, ſperareque ab ipſa patrocinium, atque opem, ad implendam vocationis noſtræ, ac Apoſtolici propoſiti menſuram. Ne quæſo tot Patrum ſanctus ardor, per tot moleſtias, totque diſcrimina longiſſimorum itinerum, ad Societatem, primævo ſplendori, ac pulchritudini reddendam, mirâ conſenſione congregatus, ſpebus excidat ſuis. *Chriſtus Ieſus heri, & hodie*, & nunc æquè paratus ad porrigendam manum volentibus. Cogitemus, oro, noſtrorum defectuum nævos quoque ipſos, Eccleſiæ Dei quantopere ii obſint; ſaltem enim vel arctant, vel diù remorantur prodigam ejus charitatem, ne profundat, ut vellet, opum magnarum præſidia nobis ad heroicos labores, ſervandasque ex inſtituto noſtro animas, perneceſſaria. Commendatur pietas in D. V.

Altiſſimum eſſe virtutis faſtigium, ad quam ſumus à Deo vocati, neminem puto dubitare; magnis ergo nominibus, & jure maximo, cogimur ad duplicandum greſſum, incitandumque in illam iter; aut, quod hinc ſequitur, ad divinæ offenſæ metum anxium, & gravem, ſi horum obligationem noſtrâ inertiâ decoquamus. In ſe quisque penitiùs ſubeat, videat quod agit, & quod valet, & quoad Societatis miniſteria numquid prætereà valeat; nec ſe naturæ viribus circumſcribat; ſed aſſurgat ad validiores divinæ gratiæ, iisque confiſus, attendat quibus occupatur, an ſatis ad Societatem ea pertineant; ac ſi pertinent quidem, inveſtiget tamen officii noſtri modum, & amplitudinem, num ſatis expleant: quâ docemur *impensè in noſtram, proximorumque ſalutem, & perfectionem incumbere*, id eſt, omni diligentiâ & ardore. Sed jam cum Apoſtolo claudamus, *tempus breve eſt*, quod nobis ſcilicet ad vivendum reſtat, paucorum fortaſſis annorum, forſitan nec dierum; & imus tamen in æternitatem nullo fine claudendam; *reliquum eſt, ut qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur*, & vivant, quaſi non viverent, vivant tanquam ſibi, carni & ſanguini, totisque ſæculo mortui, Chriſto uni viventes, ejusque gloriæ, perfectioni ſuæ, atque alienæ; *hoc eſt enim omnis homo*, hoc unum hominis proprium ad Dei gloriam conditi, & in Societatem ejus ad converſionem hominum vocati. Quisque ſe examinet, quantum præſtet, & quantum poſſit. *1. Cor. 7. 21.*

Et his hâc primâ Epiſtolâ decurſus ad extremum ab omnibus peto, non modò ut ſuis ad Deum precibus fulcire debilitatem meam pergant, & impe-

trare à Domino Deo, ne impoſito muneri parcè reſpondeam; ſed juvent etiam admonitione, atque conſilio liberæ charitatis, & communis boni ſtudioſæ, ſi quando, quod nimis pronum eſt, officio deero; cùm ſimus omnes ad majorem Dei gloriam conducti, eâdemque perfectionis noſtræ proximorumque obligatione. Et gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit ſemper in cordibus noſtris. Amen.

Omnium in Domino

VINCENTIVS CARRAFÆ.

EPISTOLA
R. P. N.
FRANCISCI PICCOLOMINEI PRÆPOSITI GENERALIS SOCIETATIS IESV AD PATRES FRATRESQVE EIVSDEM SOCIETATIS.

De Vtilitate, & neceſſitate executionis.

Tria Architecto curanda.

IN qualibet ſtructura perfecti ædificii tria ſunt Architecto præcipuè excogitanda; delineatio formæ, quæ membra operis interiora diſtinguat: areæ poſitus cum delectu, unde opportunè naſcatur ad loca exteriora vicinitas: ſed hæc duo molem non ſatis abſolvunt, niſi tertium adjungatur, nempè cura lucis, ac cæli: cujus commercio jucundè aſpectabilis, commodeque habitabilis, tota domus exiſtat. Hujus exemplum ſtatuit S. Ambroſius ipſum Mundi opificium, architecturam Dei; qui prima ejus fundamenta non antè ſubſtruxit, quàm illi ex immenſo ſplendoris ſui theſauro, idoneam lucis copiam provideret. Ex quo Sanctus idem illuſtre proferens documentum, *qui ædificium* (inquit) *aliquod ſtruere deſiderat; antequàm funda-*

Lib. Hexaëm. cap. 9.

fundamenta ponat, unde ei lucem infundat, explorat. Ea prima eſt gratia, quæ ſi deſit, tota domus deformi horret incultu. Hæc porrò ſunt Architecti munera, ſed neceſſaria magis, quàm ut ad perfectionem operis ſola ſufficiant. Suffecêre quidem illa Machinatori Divino univerſitatis fabricam, quam ſuprà laudavimus, excitanti; quippe cui velle idem ſit, atque perficere; neque opùs ſit ullius operâ fabri, præterquàm omnipotentiæ molitricis ſuæ; cùm contrà, ad exprimendas, quas homines adumbravêre, formas, & operarii multi, & ipſis Præfecti operariis requirantur, quorum ſine ſtudio, ac ſedulitate, ars ipſa, ſi viveret, ageretque; ad moliendum quidquam planè inutilis redderetur.

Quod igitur materiatis hiſce ædificiis uſuvenit, idem & ſpiritualibus pro quadam portione contingit. Et noſtræ quidem Societati (quod ſingulare Dei beneficium eſt) abundè ſuffecit Architectus, quidquid ab arte excogitari, aut deſiderari ampliùs poteſt: Deſcriptionem, in proportione inter ſeſe partium ſtatuenda; ſuâ cuique laborum, munerum, graduumque ratione convenienter attributâ: Poſitum: ad pedes eam Summi Pontificis collocando, infrà cæteros religioſorum hominum cœtus abjectam, dignitatum exteriorum omnium non modò inambitioſam, & non competitricem, ſed etiam incapacem; filios ſuos haud certo loco fixos habentem, ſed, inſtar errantium ſtellarum, promptos ad ſedem quotidie permutandam; in id unicè deſtinatos, ut orbem aſſiduè, non tàm terrarum, quàm induſtriæ propriæ conficiant, nullo reciproco emolumento ſuo, ſed aliis dumtaxat commodando, ac benè de omnibus promerendo. Denique, quod lucem ſpectat, quot apertæ undique veluti feneſtræ meditationum, ſtudiorum, explicationum conſcientiæ ad excipiendos ab Oriente, atque Meridie, influentes radios cæleſtium notionum. Id totum planè deſcribitur, cùm in prima Societatis idea, quam noſter egregius Architectus Ignatius conformavit, tùm in additamento, quod Succeſſores ejus, Generaleſque conventus, poſt longa temporis, ac rerum experimenta, conſultationeſque graviſſimas, apponendum, per Decreta, Ordinationes, Induſtrias, cenſuerunt. Vnum eſt, quod in tanta rerum affluentia deſiderari poſſet, ſtrenuorum copia Præfectorum, qui, quod alii prudenter excogitarunt, ipſi diligenter ad effectum adducant. Parùm nobis prodeſſet Inſtitutum tàm aptè formatum, *ſi ea noſtris actibus conferentes, quæ de nobis audimus, non inveniamus in nobis*, ut Sanctus Paulinus loquitur, *quò magis ſcilicet exprobretur*

Societas ædificio comparata.

Ep. 1. ad Seber.

nobis condemnanda torpor ignaviæ, ſterilium jejunitas animarum, & in operibus bonis aridæ manus. Non omnium, quorum Architectus ædificiorum eſt Deus, vult idem ſimul eſſe molitor. Id illi ſanè convenit in prima Mundi molitione; in cujus quippe ſtructuram, præter ipſum nihilum, intervenire, & conſpirare nil aliud poterat. In cæteris, quamquàm ſapientiæ ſuæ ingenio delineatis operibus, res ipſas creatas, effectricesque rerum, voluit in partem venire laudis, & meritorum. Idem obſervavit in fabrica Tabernaculi, quod veluti legis ſuæ repoſitorium, ſcriniumque formabat; cùm ad ejus abſolvendum ornatum, juſſit Iſraeliticum populum, ſuam & ipſam in-
Exod. cap. 36. duſtriam, ſtudiumque conferre, *qui cùm inſtarent operi, quotidie manè vota populus offerebat.* Videamus, quid egerit Salomon, in Ieroſolymitano illo Templo magnificentiſſimè exſtruendo. Veſtigium hujus aptè deſcriptum à Patre ſuo David acceperat: idea, cæleſti ex officina, deſcenderat; non eam tamen ipſe fiduciam artis habuit, ut ſperaret tantam poſſe molem ad faſtigium, culmenque produci ſine miniſterio experientium Præfectorum, ſtructorumque, ac diligentium operariorum, quos magno numero è regionibus externis accivit. Excellentiſſima exempla rerum eadem effectu difficillima ſunt: quò exquiſitiores operis executores expoſcunt, qui ea, & mente facilè complectantur, & labore aſſiduo, quæ ſeſe objiciunt, impedimenta perrumpant. Id verò ſi ſenſili formæ cujuſpiam inanimi, mutique Templi contingit; quantò conveniet magis Templo viventi, ſpirantique; in quo, ratione quâdam ſublimiore, Altiſſimus habitat, ponitque ſedem, ac ſolium gloriæ ſuæ? Hæc ipſa Caſſiani in re non abſimili ſententia eſt: *ſapientiſſimum Salomonem, poſt acceptam divinitus ſapientiam, illud magnificum Domini Templum exſtruere cupientem, legimus, alienigenæ Regis auxilium popoſciſſe: qui, miſſo ab ſe Hirano filio mulieris viduæ, quidquid Divinâ ſapientiâ ſuggerente præclarum, in Templo Domini, vel in vaſis ſacris moliebatur, miniſterio ejus, ac diſpoſitione perfecit.* Tanti Salomon fecit rectam operis executionem, magiſterium Præfectorum, ſedulitatemque operariorum; ut ſine his, ferè, pro nihilo habuerit architecturam Dei, ac Templi formam è Cælo delapſam. *Rectè etiam tu* (ſubjicit Caſſianus ad Caſtorem
Ibidem. recentium Monachorum Patrem) *verum, ac rationabile Deo Templum, non lapidibus inſenſibilibus, ſed Sanctorum virorum Congregatione; nec temporale, & corruptibile, ſed æternum ædificare diſponens, vaſa etiam pretioſiſſima Domini cupiens conſecrare non multo auri metallo, argentive conflata,*

ſed

ſed animabus ſanctis, quæ innocentiæ, juſtitiæ, & caſtitatis integritate fulgentes, Regem Chriſtum in ſemetipſis circumferant, commorantem, egenum me, omnique ex parte pauperrimum, ad communionem tanti operis dignaris adſciſcere. Quantò equidem juſtiùs dicam Ignatio, immò ipſi potiùs Chriſto, cujus præcipuè inventum Societas eſt: *tu me egenum, omnique ex parte pauperrimum, ad communionem tanti operis, dignaris adſciſcere,* non aliam ſanè ob cauſam, niſi ut labori præſim, ejusque executioni ſedulò, ac diligenter inſiſtam? Hujuſce muneris in partem, veniunt mecum Præſides Societatis omnes, quibus, tamquàm Præfectis operum, executio planè omnis innititur. Quare exiſtimo, dum mihi Deus unâ cum munere volumen Conſtitutionum impertit, hoc eſt, ipſam Societatis ideam, ſimul mihi, & omnibus aliis ejusdem Superioribus illud edicere, quod Moyſi quondam, dum illi formam Tabernaculi dedit ad manum: *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar;* idem nobis injungit, ut numquàm ab hoc Conſtitutionum modulo oculos, animumque tollamus, ut eum exactè exprimamus in nobis ipſis, & in aliis curæ noſtræ concreditis, ut munus exigit, Superiorum, tanto operi Præfectorum. *Exod. 25. 40.*

In candidatis examinandis, & admittendis quæ cura adhibenda.

Et ut ab ipſis incipiam hujus ædificii fundamentis, atque à primis in ea lapidibus jaciendis; nihil illa proficerent prudentiſſima præcepta, in Examine Generali, à Sancto Noſtro Parente tradita, de conditionibus illorum, qui ad Societatem adlegendi ſunt; ſi deinde, qui vocationes conſilio regunt, qui examine diſcutiunt, qui judicio probant, ea ipſa negligerent: ſi duci quâcumque animi perturbatione ſe ſinerent; ſive illa ſit in aliquibus inconſiderantia præpoſteræ caritatis, quâ in cooptandis corpori membris, horum magis, quàm illius utilitate ſervirent; neque penſi haberent commune bonum, quippe quod, cum res ſit multò divinior, prima quoque eſt regula honeſtatis: ſive ſit in quibusdam ſpes inanis, & fluxa, facilè futurum, ut Religio lilia educeret, & procrearet ex luto, nullo habito ad Cælum reſpectu, quod nihil, aut ſtirpium generoſarum, aut animantium perfectorum gignit, atque educat, niſi conveniens in materia ipſa ſemen inveniat: ſive ſit in aliis immoderatæ vis amicitiæ, quæ deſiderio ſanè intempeſtivo, perpetuandæ cum aliquo conſuetudinis, & convictûs, non omitteret onus haud ſatis accommodatum amico in collum injicere, & ſibi ſimul in oculos materiam aſſiduæ verecundiæ ob infortunium mali ſucceſſus, nec rarò periculum pejoris abſceſſus: ſive denique ſit in nonnullis vanæ cujusdam glo-

riolæ

riolæ ſurdus, ac propè inſenſibilis ſenſus, eò quòd Societatem Sociis multis impleverint; cùm minimè recogitent, non omne complementum, ſimul & nutrimentum eſſe corporibus, atque in multa ciborum copia, conſtitutioni valetudinis adverſantium, quos fortè præſumpſeris, optimum illud accidere, ut eos, nullo ſtomachi turbamento, quàm primùm ejicias. Duxit in Examine Ignatius prima ſuæ hujus ideæ lineamenta, ac fila direxit, noſtrique hujus Templi exterius atrium aptè deſcripſit: hoc eſt, menſuram, modumque conſtituit, quo ſint examinandæ vocationes eorum, qui ſe ad Societatem ab ſæculo transferunt. Inquiri juſſit in animam, totumque hominis habitum, ſedulitate tantâ, quantam in lege veteri adhibebant, cùm victimas, quæ Deo offerebantur in Templo, ab imis unguibus, ad ſummum usque verticem, explorabant. *Tanta cautela utuntur in hoc negotio*, inquit Philo, *& qui offerunt victimas, & ipſi Sacrifici; ut probatiſſimi Sacerdotum, peritiſſimique, ab extremis pedibus exorſi, per totum corpus inquirant, ne celetur vel minima labecula.* Quòd ſi Philonem interroges, quònam in victimis inſpiciendis diligentia hæc tanta ſpectaret? *non propter victimas*, ait, *adhibetur hæc cura, ſed ut ſine omni culpa ſint, qui eas offerunt. Submonentur enim his ſymbolis nuncupaturi vota, vel reddituri, ut nullum vitium, nullumque morbum offerant in anima, ſed conentur omninò, nitidam, & immaculatam in conſpectu Dei producere, ne viſam averſetur.* Vna vel tenuis macula, nævulus dumtaxat unus in ejus anima, qui Deo conſecratur, abundè eſt, ut puriſſimum illum offendat oculum, atque aliò indignabundum avertat. Quare, qui victimas aut explorant, aut admittunt, quibus Altiſſimo in Societate ſacrificent, ita ſe gerant neceſſe eſt, ut illis meritò poſſit manus imponere, illudque pulcherrimum denuntiare innocentiæ teſtimonium, quod olim Sacerdos ſolitus eſt, ut Philo concludit: *quòd manus imponantur victimæ, evidens indicium eſt innocentiæ, vitæque ſine culpa exactæ. Poſtulat enim Deus à Sacrificante, primùm bonam mentem, ſanctam, & exercitam in pietate: deindè, vitam benefactis ornatam, ut, dum manus imponit, poſſit liberâ conſcientiâ dicere: manus hæ, nec innocenti ſanguine pollutæ ſunt, nec injuriam intulerunt, nulli turpi rei præbuerunt miniſterium, ſed rebus honeſtis.* Non equidem id requiro, ut in primo ipſo ad Societatem aditu, ab ingreſſuris abſoluta quædam perfectio exigatur. Neque enim ſpes eſt hoc tantum boni poſſe ex Adami limo obtineri, ex quo denique, cogimur vaſa fingere, quæ religioſa inter ſepta ſplendeant *in honorem.*

Lib. de Victimis.

Ibidem.

norem. Quòd ſi verè contingeret; non eſſet ſanè religio perfectionis iter, ac ſchola, ſed ipſa perfectio: cujusmodi Pontificalis eſt gradus. Hoc illud beneficii eſt, quod Religioſi Ordines conferunt in genus humanum, ut ex ſæculi ſalo, aquas planè ſalſas attollant, easque dulces efficiant, condiantque ſenſim in rores, qui mox, eodem in mari, pretioſas virtutum margaritas informent. Non ea igitur mens eſt, ut materia nobis in manus abſoluta proveniat, priusquàm ſua in eam ſpecies inducatur, & forma; ſed, in hujus delectu, illud curæ ſit, non omnem materiam omnis eſſe formæ capacem: neceſſe eſt, ut in pomis, ita in hominibus defectus ætatis, ac naturæ diſtinguere: quorum hæc firma, ac ſtabilis; incerta illa, & mutabilis eſt. Siquis torvitate quâdam inflexibilis voluntatis, aut proprii opinione vaſtâ judicii reſtitantem ſe Moderatoribus, difficilemque præberet: ſi profunditate mentis obſcurus, ac ſui ubique obtigens non introſpiciendum ſe, quibus oportet, facilè daret: ſi ſtudio intemperantis ambitus præcipuos honores appeteret, atque aliquem ſibi prælatum ægrè patiens, prærogativam alienam, injuriam ſuam faceret: ſi cupiditatibus indulgentior neceſſarium impetu quodam dominantis affectus, id duceret, quod verè ſupervacaneum eſt conditione naturæ: hic ſanè non eſſet appoſitus lapis, qui noſtro huic ædificio inſeratur.

Licet verò ingenium, ac valetudo ſint pura naturæ munera, non virtutes effectrices meritorum, atque adeò, ad abſolutionem ſpiritûs aſpirare, ſine illis, universè quis poſſit; ſunt tamen neceſſaria inſtrumenta, atque ſubſidia exercendorum operum, quibus merita adnaſcuntur, comparandæque peculiaris perfectionis ejus, quam propriè Societas profitetur. Idque præſertim habet valetudo, ſine quâ nec ſuſcipi labores ingenii, nec vitæ communis incommoda tolerari poſſunt: quo fit, ut qui malè viribus affectus eſt, in Religioſorum cœtu non aliter degat, atque in corpore os malè luxatum, aut ſede ſuâ motum; quod nec operari ipſum rei cuipiam valet, & membris quoque reliquis, turbamento eſt.

At ingenii excellentia non eſt usque adeò in omnibus requirenda, ut defectus ejus compenſari cordis humilitate non poſſit: quæ nihil eſt aliud, quàm facilitas, atque alacritas quædam, in imo ſemper hærendi, idque amore, & gratiâ illius Dei, qui dejectionem extremam, ad ſupremam celſitudinem gradum fecit. Cum hac demiſſione animi, quidam interdum admitti poterunt in numerum eorum, qui litteris daturi ſunt operam; licet

afferant mediocritatem ingenii, modò virtutum aliarum opportunitate non careant: nam, ut corporis alimentum non abire, vertique totum debet in cor, aut in oculos, ſed eo cæteræ quoque corporis partes non ita præcipuæ inſtaurandæ ſunt, quarum absque ope cor ipſum, oculique, muneribus ſuis fungi non poſſent, ita in Societatem, non omnes idcircò recipiendi ſunt, ut Magiſtri, Scriptoresque diſciplinarum evadant; ſed aliqui etiam admiſcendi in ſupplementum officiorum ejusmodi, quorum ſine præſidio, Magiſtri, Scriptoresque ipſi, neceſſario ſtudiis ſuis otio, non fruerentur.

Sed quia plerumque ſucceſſus, ſpe, deſtinatisque noſtris inferior eſt, ideò, in excipiendis ad Societatem candidatis, ſemper erunt oculi figendi altiùs. Nam, experimento docemur, multos exſpectationi reſpondere minùs ad fidem: eâ planè ratione, quâ vicia, cum eſſet in ſemente pauciſſima, in ipſa tamen meſſe, proportione, plurima reperitur.

Novitiorum Inſtitutio qualis.

Iam verò gradum ex atrio exteriore ad interiorem faciamus, & in prima Conſtitutionum parte, ideam noſtri Tyrocinii, formamque Tyronum inſpiciamus. Non equidem exiſtimarem, à me conſilium noſtri Fundatoris ſuprà verum extolli, ſi dicerem, ipſum in ſuis Conſtitutionibus, voluiſſe tot Angelos, quot Filios inſtituere. Sanè, non unis earumdem Conſtitutionum locis, egit adverſùs illos haud aliter, quam S. Apoſtolus Ioannes per litteras egit cum ſeptem Epiſcopis Aſiæ, quos commodùm Angelos nuncupavit. Verùm, cùm hi, quàmvis Angeli, non niſi tamen in carne verſentur, & quod indè conſequitur, obnoxii defectibus, neque inſtar ſpirituum Angelorum, in via ſemel cœpta, immutabiles ſint; opùs eſt, & malo prævertentibus, & idem procurantibus documentis, quæ traduntur egregiis iis epiſtolis in Apocalypſi à Ioanne deſcriptis, atque inde ab Ignatio in ſuas Conſtitutiones propè tranſcriptis.

In prima igitur parte bonus Novitius informatur: cui Religionis oſtium aperuit is, qui clavem extrinſecùs gerit. *Angelo Philadelphiæ ſcribe: hæc dicit, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit: ecce dedi coram te oſtium apertum.* En prius Tyrocinii, omniumque firmiſſimum fundamentum, ut fores Novitio recludantur, cæleſtibus vocationis divinæ clavibus, non falſis, atque fallacibus terreſtrium rationum: cujusmodi ſunt, aut anguſtiæ, moleſtiæve domeſticæ: aut humana quædam cupiditas in litteris excellendi. Similes hiſce reſpectus eſſe quidem interdum occaſiones poſſunt, numquàm tamen cauſæ, & momen-

ta vo-

ta vocationum. Et adulterinæ quidem hæ claves, ſi quando vim habent aperiendi quibusdam ingreſſus; non habent tamen virtutem claudendi iisdem firmiter, & conſtanter egreſſus: fores enim adapertiles ita relinquunt, ut ad quemlibet levem impulſum pateant, & Novitius foràs erumpat. Nec verus Paterfamiliàs domûs illud ei denunciat: *quia ego dilexi te, & ego ſervabo te ab hora tentationis.* Et hæc poſterior eſt conditio, quæ Tyronibus ex priore ſubnaſcitur: nimirùm, fiducia in Deum, cujus potenti dexterâ futurum ſperent, ut ibi perpetuò contineantur, quò, in obſequium ſupernæ vocationis ejus, ultrò ſe contulêre. Hujus deinde fructus eſt, poſtremum, quod illis Ioannes mirè commendat, perſeverantia incœptorum. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam: qui viceret, faciam eum columnam in Templo Dei mei, & foras non egredietur ampliùs.* Sed in eo, quod cœptum aliquando non eſt, inſiſti non poteſt: neque Deus opem ferre ſolet, ut facilè id peragatur, quod quis umquàm aggreſſus ejus causâ non eſt. Igitur, à prima conditione, duæ reliquæ pendent: & huc illa ſui ſtimulatrix aſſidua ſpectat interrogatio, qua ſe Novitius in ſingula ferè momenta laceſſit; *Ad quid veneſti?* Quod ſanè dictum ipſa B. P. noſtri verba, in Conſtitutionibus, egregiè, & ad ſententiæ fidem interpretantur: *ut liberius ſecum, & cum Deo perpendat vocationem ſuam, ac propoſitum divinæ, ac ſummæ Majeſtati, in hac Societate, ſerviendi.*

Ibidem.

Cap. 4.

Iam in conſpectu eſt vera Novitii noſtri ſpecies, & forma perfectior, ſed opùs eſt facto: totum in eo negotium, & difficultas vertitur, ut exprimatur exemplum, & in hujus ideæ ſimilitudinem, caro ipſa ſubigatur. Non eſt per ſe ipſe Novitius nuper egreſſus è ſeculo, & adhuc à ſæculi flamma præfervidus non eſt (inquam) ſuopte ingenio, capax doctrinæ, ac ſapientiæ ſingularis, quam illi de ſuimet contemptu, Chriſtus exponit: ut neque ortus recenter infans, ad vitam, qui captus eſt hujus ætatis, duriorem deglutire panem, haud poteſt. Matris officium eſt, cibum ejusmodi frangere, ac tenerum mandendo facere, eique, concoctum, inquit Auguſtinus, in lacte porrigere. *Quod manducat mater, hoc manducat infans: ſed, quia minus idoneus eſt infans, qui pane veſcatur; ipſum panem mater incarnat, & per humiditatem mammillæ, & lactis ſuccum, de ipſo pane paſcit infantem.* Superior, Magiſter Novitiorum eſt ipſorum Pater, Mater, & Nutrix: munus ejus eſt, panem rumpere ſolidiorem, molereque rursùm dentibus, in lac deinde vertere, ac præbere Tyroni. Nec ſatis eſt Magiſtro, vox, quâ

Magiſtri Novitiorum munus.

In Pſalm. 33.

Epiſt. 1. lib. 6. Novitium inſtituat, doceatque: opus eſt illi manu, quâ, quod dicit, exerceat. *Neceſſe eſt*, inquit Sidonius Apollinaris, *manum linguæ porrigat, ut poſſit primùm lingua paſcere monitis animam frugalitate jejunam, ac manu, deinde, de apotheca dilectionis, ſectandæ nobis humilitatis propinare menſuram.* Hoc ſi lacte Novitius alatur, ac ab ſuo Superiore liberaliùs saginetur, licebit ex illo polliceri nobis virtutem, quæ in Religioſis jam provectis, ac perfectis exigitur. Nam, ſi S. Bernardus Auroram ſpem Solis, & florem ſpem fructûs elegantiſſimè nuncupavit; eâdem ratione, nos, optimum, perfectumque Novitium, optimi abſolutique Profeſſi appellare ſpem poſſumus. Verùm, ſi Magiſter aliquis Novitiorum, ſive pertæſus officium Nutricis, licet Filiorum Chriſti, ſive aliis ſacrorum ſtudiorum, concionum, atque alienæ provehendæ ſalutis, ſpiritualibus illis quidem, ſed muneri ſuo minùs conducentibus avocamentis abductus; ſive quia non audet exigere perfectionem ab aliis, quam minùs ipſe repoſcit ab ſe: hic (inquam) ſpiritûs Magiſter, ſi Novitios non aleret diligenter, id eſt, ſi cibum illis in propriis venis non permutaret in lac; hi ſanè non poſſent Chriſti pane pinguescere, atque ad vitam ſpiritûs vegetari. Aut idem certè, ſi quodam immoderato ſtudio teneretur, cavendi, ne quid in ſuis manibus Societati depereat, & ut quantum ſibi concreditum, aſſignatumque Novitiorum eſt, tantumdem numerato ſine ulla cujusquam jactura reſtituat; neceſſe profectò hic haberet multa palpare, aut occulere Novitii ulcera, quæ, & illi, privatim, lethalia, & publico contagioſa demùm evaderent. Ecquid ſibi Societas ab hujuſmodi Novitio polliceri poſſet in poſterum, niſi ut inſanabile membrum ſeriùs ocyùs, ne virus in corpus inſerpat, miſerâ ſectione ſcindatur: ac totus ei præteritæ vitæ curſus, præcipitem illum, infelicemque, ac miſeriis, & rubore pleniſſimum, excedat in lapſum, *de excelſo in abyſſum, de Cælo in cœnum, de clauſtro in ſæculum, de Paradiſo in Infernum?* Meminerit Magiſter, viventem hanc Societatis frugem, dici oportere uberem, non copiæ ratione, ſed pretii. Graviſſima ſunt ad hanc ipſam rem Sancti Patris verba: *Multitudo magna eorum, qui vitia ſua non benè domuerunt, ut ordinem non fert, ita nec unionem.* Colonus ille, qui lolium excrevit à tritico, plus Domino reddit, dum reddere videtur minus. Et hujuſmodi ſelectionem tritici ab lolio, Sanctus Pater in ſecunda Conſtitutionum parte, commendat: quo locô, prudentiſſimâ caritate præſcribitur ratio, dimittendi eos, qui cæteris adjuncti non eſſent emolumento majori, quàm ſint humo-

Dimittendi inidonei & noxii.

Bern. ſerm. 34. in Cant.

Conſt. P. 2. c. 1. §. 2.

humores in corpore abundantes, & in excrementa digerendi; qui, & valetudinem onerant, & materiam morbis appoſitam, facilemque ſuppeditant. Qui vanâ verecundiâ laboraret videndi in ſuamet diſciplina decreſcentem numerum alumnorum, is attollat oculos, ad magnum Religionis ſupremæ Magiſtrum, ac Deum, qui Novitios principio delegit indolis optimæ, & vocationis excelſæ: cumque eos in ipſa ſanctitatis continuiſſet officina, & intrà Cæli clauſtrum, illis, haud multò antè, huic Magiſterio fabrefactum; non veritus eſt, neque habuit pro ſui defectûs argumento, quòd tertiam eorum partem, cæleſtis vitæ habitu ſpoliaverit. Quid, quòd ejus æterna, carnemque induta Sapientia, cùm ex genere humano univerſo, duodecim ſibi Novitios ſelegiſſet, eosque aſſiduè ſtillato divinitùs verbi, atque exempli rore paviſſet; non tamen erubuit cognitum poſteritati facere, à pluribus eorum ſe fœdè deſertum, à cæterorum Principe ſe negatum; ab uno, & tum volente, nec facti umquàm pœnitente, ſe proditum.

Hæc inter nos dimittendi facultas, cuilibet, præterquàm Profeſſorum gradui, communis illa quidem eſt: exercenda tamen facilitate non pari, ſed attemperatâ vinculo, quo aut arctiore, aut laxiore unusquisque graduum Societati connectitur. Neque verò ipſis cum Tyronibus uſurpari eam caritas, æquitasúe, ſine cura, & circumſpectione permittit. Hîc tamen contrarii ſe ſcopuli duo periculosè nobis objiciunt; prior eſt ſupervacanea commiſeratio, aut certè infirmitas animi, quâ quis retardatus, ac diù deliberabundus, ſerò ſtatuit, & nunquam aggreditur partem abſcindere, quæ cæteras inficit: poſterior verò eſt, impatientia curandi, & præpropera feſtinatio, quâ quis incitatus, moras præcipitat morbo opportunas, & ſectionem intempeſtivè prævertit. Quilibet medicus etiam inexpertus, ſcientiam habet præcipiendi, ut pars putrida corporis recidatur: quicumque vel imperitus agricola, poteſt tutò præſcribere, ut arbor infœcunda ficulnea exſtirpetur. Excellentia tamen eſt artis, ut internoſcat in ſingulis, quænam ſit ſpes aut ſalutis, aut fructûs: & accommodata remedia, conſtanti animo, malis curaturam ferentibus, patienter adhibeat. Tu quidem aquilino Joannis oculo, pervides Angelum Laodiceæ, ab primo ſuo fervore tepeſcere: cur verò non illum admones, non inflammas, & cum eodem Ioanne non terres? *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Utinam frigidus eſſes, aut calidus, ſed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Cur ante oculos illi non ſtatuis ſtatum, aut caſum veriùs ani-

Ratio dimittendi Novitios.

Remedia prius adhibenda.

Apoc. 3.

mæ ſuæ miſerabilem, &, quod longè miſerabilius eſt, ipſi eidem ignotum? *Dicis, quod dives ſum, & locupletatus:* & *neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Cur non illi theſauros oſtentas, atque aperis divinæ benevolentiæ, ac caritatis, quibus abundè diteſcat, ſuiſque tandem è ſordibus totus emergat? *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum; ut locuples fias, & non appareat confuſio nuditatis tuæ.* Cur, ſi ſatis hæc vis tanta non eſt, non illi recludis, atque in conſpectu ponis longè diverſos alios iræ divinæ theſauros? *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas: ego quos amo, arguo, & caſtigo.* Denique, ſi non ſufficit operi magiſterium linguæ, manum adhibeat chirurgia: abſtine jam mollibus lenimentis, utere mordacibus, aſperiſque remediis, igne, ferro. Jacturam temporis ne facito, ad executionem ipſam aggredere: & ſiquidem vides non carnem modò miſeri illius ægri, ſed animam quoque infelici ſuppuratione corrumpi; appone medicamenta, inquit Clemens Romanus, quibus curantur abſceſſus. Incipit paulatim Religioſi cujuſpiam caro ſimul, & anima verminare? tu primùm cultello putredinem illam abradito: *ſi ſordes collegerit, novaculâ perpurgatò.* Fœda non multò pòſt animalcula repullulaſcunt, nidos inſtruunt, ac tumorem attollunt? tu contrà unguentum admove, quod corrodendi vim habeat: *ſi intumuerit, acri collyrio complanato.* Rurſus creſcit inflatio, & ſanie abſcedente marceſcit? candente tu ferro quod eſt turgidum, & purulentum inurito: *cauterio cohibeto.* Progreditur lues, & gangrænam minatur? tu verò *tabem exſcindito*, & ut totum corpus præſtes incolume, partem male infectam amittito. Sed ſimul in memoriam revocato, quàm inſolabiliter illacrymatus olim ſit S. Bernardus egreſſui, & jacturæ religioſi illius fratris, filiique Roberti: quamvis ejusmodi fugæ conſcius ipſe non eſſet; de qua innocentiæ idem ſuæ Deum teſtem appellat. *Tu, noſti, quibus ei viſceribus in cunctis tentationibus ſuis ſemper adfuerim, quantis pro eo gemitibus aures pietatis tuæ pulſaverim, qualiter ad illius ſcandala, perturbationes, moleſtias ego urebar, torquebar, affligebar:* & tamen hunc ſua reum caritas faciebat, quem veritas abſolvebat. *Fuerit meæ culpæ quòd diſceſſiſti: delicatulo quippè adoleſcentulo auſterus extiterim, & tenerum durus nimis inhumanè tractavi. Fuerit, ut dixi, meæ culpæ quòd diſceſſiſti: mutatus mutatum invenies; & quem antè metuebas magiſtrum, comitem amplectêre ſecurus.*

Conſt. Apoſt. l. 2. c. 45.

Epiſt. 1.

Fervor Novitiorum fovendus & promovendus.

Dimiſſis domo privignis, ac filiis in ea relictis: pulſo Iſmaële, atque

Iſaaco

Iſaaco hærede inſtituto; totus in eo eſt S. Pater, tertiâ Conſtitutionum parte, ut veram hanc, germanamque prolem conſervet, ac provehat. Non enim rectè incœpiſſe ſat eſt; niſi ſe quis in recto ſemel incœpto ſtabiliat, atque confirmet: ut neque ſat eſt novellam ſtirpem, vitemque floreſcere; niſi flos ipſe ſolidetur, & teneat: & in tenacitate, aut diſſolutione floris ſita ſpes eſt, aut periculum fructûs. Flores ſunt recta illa propoſita mente concepta in Tyrociniis, inquit Bernardus, *ubi botrus boni operis? Flos novella converſatio eſt, flos formula recens vitæ emendatioris eſt: placent, fateor, quæ in facie ſunt, negligentior corporum cultus & veſtium, ſermo rarior, vultus hilarior, aſpectus verecundior, inceſſus maturior.* Sunt, inquam, hi novelli flores, & præcoces, qui ſuaviſſimum odorem exhalant, ſpeciemque pulcherrimam præbent in hortis Novitiatuum reductis, & clauſis. *Verum, quia hæc noviter cœpere; ipsâ ſui novitate flores cenſendi ſunt, & ſpes fructuum magis, quàm fructus: uſtionem timeo floribus, aquilo mihi ſuſpectus eſt, & frigora matutina: hoc frigus ſi ſemel animam, ſpiritu dormitante, pervaſerit, ſubit quidam animi rigor, & vigor lenteſcit, languor fingitur virium, deferveſcit novitius fervor, ingraveſcit tepor.* Idcircò S. Pater, tertiâ Conſtitutionum parte, rationem & inſtrumenta præſcribit, quibus conſervari, augerique poſſit in Collegiis, ac Domibus primitivus ille Novitiorum fervor, *ut ſic proficiant in via Dei, ſpiritu, & virtutibus*, quemadmodùm is primo capite loquitur. Nec ſanè ab re. Quamvis enim in hoc Religionis quaſi Cœlo, Religioſi omnes, Angeli ſint; exceptis iis, qui ſeſe ipſi præcipitant *de medio lapidum ignitorum*; tamen etiam, Angeli, nondum in Dei gratia confirmati, mutationibus ſunt obnoxii, & ruinæ. Angelus erat magnus ille Epheſi Epiſcopus Timotheus; peculiari tamen epiſtolâ, ab Joanne imminuti tantiſper ejus, quo primùm incaluerat, fervoris, arguitur. Quamobrem inſtituit eum Joannes, ac variis incitamentis ad recuperandum fervorem priſtinum, reprehendit. Primùm enim proponit illi ob oculos, divinæ celſitudinem vocationis, quæ ſcilicet, eum quaſi gemmam in annulo Chriſti, & veluti ſtellam ejusdem in dextera, collocavit. *Hæc dicit, qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua.* Deindè, memoriam illi renovat antiqui fervoris, operumque, tum bonorum, quæ cum laude patravit, tùm verò malorum, quæ Chriſti causâ ſuſtinuit. *Suſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti.* Denique, periculi metum inculcat, ſi fortè à primo fervore defecerit. *Movebo candela-*

Serm. 63. in Cant.

Ibidem.

P. 3. c. 1. §. 1.

Ezech. 28. 16.

Corrigendi errantes.

Apoc. c. 2.

brum

brum tuum de loco ſuo. Hoc exemplo, S. Pater tres itidem nobis in coarguendis errantibus gradus inſinuat: *Primò, in caritate, & dulcedine, qui peccant, ſunt admonendi: Secundò, in caritate quidem, ſed eo tamen modo, ut eis rubor injiciatur: Tertiò, amori ea, quæ timorem incutiant, adjiciantur.* Hanc harmoniam, ex miſtura ſuavis aſperique concentûs docuit Bernardus Ignatium dulciſſimis illis verbis: *O bona mater caritas, quæ ſive foveat infirmos, ſive exerceat provectos, ſive arguat inquietos, ſicut filios diligit univerſos! cùm te arguit, mitis eſt: cùm blanditur, ſimplex eſt: piè ſolet ſævire, ſine dolo mulcere, patienter novit iraſci, humiliter indignari.* Suavius medicamentum, & hauſtu facilius eſt, & amabiliorem ægro medicum facit. Omnia tamen medicamenta, quæ malis naturâ inevitabilibus medeantur, ſuavia ſunt, & jucunda. Hujus generis cenſentur cibus, potusque, & ſomnus, qui naturalibus hominum morbis, medicinam faciunt. Sed, quia pleræque ægrotationum, ex intemperantia noſtra proveniunt; & qui ſemel in morbum incidit, ſi medicamenta jucundè illi ſaperent, ab eo iterùm non caveret; propterea, adverſum hujusmodi mala, moleſtos, amarosque ſuccos natura providit. Et hujus notæ medicamentis, opus habent ægrotationes reciduæ: quæ ſemel admonitionibus *in caritate, & dulcedine* caſtigatæ, regerminant: & amarities hujusce remedii, ipſe eſt pudor, ruborque, qui eâ moleſtiâ, quam inferunt, voluptatem, nequiter, ex prævaricatione captatam, abundè compenſant. Sunt tamen nonnulli, qui, ut oblectatione præſenti, quam habet intemperantia, perfruantur, malunt ſe ipſi ſubjicere futuro labori, ex medicina. Quorum temeritati frænum injicit natura timorem mortis, inſanabiliumque morborum. Haud abſimili metu, jubet S. Pater efficacitatem, ac vim addi medicamento, quo mala noſtrorum recidiva curantur, quibus ſecundi generis leniora remedia non ſuffecêre.

Quomodo? P. 3. cap.

Ep. 4. ad Fulcon.

Verùm, extrema hæc duo, Superior, in arguendis ſuis, omnium diligentiſſimè caveat: alterum, ne præ ſe debilitatem animi, ac pectoris ferat; quæ illi conjicienti oculos in ſingulares naturæ dotes, quibus prævaricator aliquis fortè præpolleat, vel in beneficia caducarum rerum, quæ in Societatem ex ipſo proveniant, omnem planè vim, vigoremque adimat, ad experienda fortiora conſilia, cùm hæc divinæ gloriæ cauſa repoſceret. Tunc enim Superioris admonita idem efficerent, quod canis cujuſpiam latratus, qui eodem tempore, quo ſe morſurum minatur, os edentulum oſtentaret: alterum, ne ſpeciem præbeat animi, aut deſperantis à ſubdito mutationem

In reprehendendo duo extrema cavenda.

tionem in melius, aut minimè proclivis, ad indulgendum, ſi ſe ille correxerit. Tunc enim, velut à carnifice vulnus reprehenſionis excipitur, non tanquàm à chirurgo, qui non excruciat ægrotantem, cujus ſalutem in perditis habeat. Meminiſſe oportet, Deum non commiſeratione ſolùm ergà peccantes, ſed etiam publico humanæ conſuetudinis bono, providiſſe, ne cui mortalium, dum inter homines vivit, ob cujuſcumque gravitatem delicti, venia deſperanda ſit. Idcircò Apoſtolus, cum Epheſios ad caritatem, tolerantiam, mutuumque inter ſe vinculum, hortaretur; potentiſſimo illo utebatur illicio; *in una ſpe vocationis veſtræ;* addebatque, nonnullos Ethnicorum *deſperantes* ſeſe ipſos in barathrum malorum omnium conjeciſſe. *Cap. 4.*

Verùm, ut ex ordine Scholaſticorum, omnia violandæ diſciplinæ ſemina, utili remedio enecentur, illud eſt optimum, quod S. Pater, in quarta Conſtitutionum parte, commendat: nimirum, ut ardor in ſtudio litterarum à Superioribus foveatur, tamquàm expulſor otii, ſilentii cuſtos, cupiditatum, nimiæque licentiæ domitor. Præterquam, quod hæc eadem ratio efficaciſſima eſt, quâ Socii ad miniſteria Societatis idonei aptique reddantur, &, quòd indè conſequens eſt, ad eamdem amandam, obſervandamque, proniùs allectentur: cùm unusquisque libentiùs vitam in eo hominum conventu traducat, in quo fieri ſe haud difficulter poſſe membrum utile, atque opportunum, intelligit: viciſſim verò, nullus æquo animo in ea regione verſetur, & degat, ubi moneta, quâ ipſe caret, in pretio ſit. Sed, quod hoc ipſum ſpectat, contingere facili negotio poteſt, ut executio Superiorum, à recto, tàm per defectum, quàm per exceſſum, aberret. Et illi quidem omninò deficerent, ſi ſatis ab Scholaſticis factum arbitrarentur, cùm hi, neceſſaria quæ ſunt ad muneris ſui functionem, utcumque conficiunt; neque eos ad operis excellentiam incitarent: ſive, quia eorum operam ad aliena diſtraherent, quorum eſt fructus præſentior, ſpectatque ad tempus adminiſtrationis ſuæ: obliti S. Patrem id Scholaſticis noſtris inculcare, ut *ſibi perſuadeant, nihil gratius ſe Deo facturos in Collegiis, quàm ſi cum ea intentione, de quâ dictum eſt, ſtudiis ſe diligenter impendant:* illudque ſubjungere, ut omnia hujuſce unius curæ avocamenta, etiam pia, ſubmoveant: ſive, quòd vereantur, ne ſciendi præſtantia humilitati repugnet: cujus cauſæ reſpectu, ſi vera eſſet, deberet, quidquid eſt ubique pretioſum, excludi: ſive forſitan, quia hujus ipſi eminentiæ immunes, defectu vel temporis, vel genii, vel alterius cujuſcumque rei, cæcâ quâdam animi procli-

Ardor in virtute etiam in ſtudiis fovendus.

P. 4. c. 9. §. 1.

vitate ducantur, ut eam quoque aſpernentur in cæteris. Qui ſanè, ſi quiſquam alius, maximè detrimentoſus eſt error: nam, qui litteris præſtant, ii demùm ſunt, quorum opera præbere poſſit Eccleſiæ magnum in magnis rebus obſequium, quale, per Dei miſericordiam, à multis è Societate collatum, explorato didicimus. Prætereà, excellentes qui ſunt, iidem mediocrium copiam alunt: & verò doctrinæ, ut humanarum omnium rerum, inclinationes fierent, niſi Divina identidem providentia viros eximiæ litteraturæ deſtinaret, qui eam ingenio reſtaurarent.

Peccari quoque hac in re poſſet à Superioribus, exceſſu ultrà jus, & æquum: ſi aut mediocres ſuorum labores fortè deſpicerent, (neque cum animo ipſi ſuo reputarent medias quasque in omni rerum genere perfectiones eſſe, quæ Mundum conſervant; & quamlibet ſcientiæ mediocritatem cum virtute, & recta voluntate conjunctam, multa perquàm utiliter poſſe, magnoque cum emolumento, moliri) aut ſi in præclaris ingeniis, errata quælibet diſſimulatione transmitterent. Quid enim aliud hoc eſſet, quàm hominem, peracuto ancipitique gladio valenter armatum, iracundiæ, ac furori ſuo permittere? Ad hunc locum, ipſa Sancti Patris verba penſentur, in prooemio quartæ partis. *Poſtquàm in iis, qui admisſi ſunt ad probationem, jactum eſſe videbitur abnegationis propriæ, & profectùs in virtutibus neceſſarii, conveniens fundamentum, de litterarum ædificio, & modo eis utendi, agendum erit, quò juvare posſint ad magis cognoſcendum, magisque ſerviendum Deo.* Iam verò, quemadmodum ſine fundamento, parietes non alium uſum habent, niſi ut opprimant, aut oneri ſint; ita ædificium litterarum, ſine fundamento virtutis, ejus præſertim, quæ more prorſus, ac genio fundamenti ad ima ſidit; hæc eſt humilitas. Sanè laus hæc ingeniis omnibus æquè neceſſaria eſt: & mediocribus quidem, ut libenti animo tolerent mediocritatem ſuam; eminentioribus verò, ne ſua illis eminentia fiat ad præcipitium gradus. Si gemma ſapientia eſt; commiſſura ejus humilitas ſit oportet: ſine qua, plane diſſutus atque exemptilis pretioſus quisque lapis amittitur. Teſtes appello Angelos (quandoquidem in perpetua ad illos comparatione verſamur) qui in magno illo Cæli naufragio, cùm hujus gemmæ jacturam principio feciſſent, mox ipſi ſe penitùs in profundum malorum miſerabili caſu merſerunt. Quomodo cecidiſti Lucifer? *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore, in deliciis Paradiſi Dei fuiſti.* Quid reſponſi datum accipite: *Perdidiſti ſapientiam tuam*

Virtus in magnis ingeniis curanda.

Potiſſimum humilitas.

Ezech. 28.

tuam in decore tuo: hoc eſt, ut interpretatur aptè Bernardus, amittendo priùs humilitatem, vanamque, de tua ſapientia, ſuperbiam præſumendo. *Perdidit eam, cùm fecit ſuam: ſic enim habere, perdere eſt. Nolo decorem, qui tollat mihi ſapientiam.* Quin & illud obſervate, primum Angelum, qui lapſus è Cælo eſt, vulgò Luciferum nuncupatum, eumdem ſæpiùs ab Ezechiele Cherubim appellari. *Perdidi te, ô Cherub, de medio lapidum ignitorum.* Itáne verò, Cherub? An non ille Seraphim, isque ex principe cæterorum Choro, immò forſan ipſe princeps omnium Seraphim fuit, cunctis unus virtutibus Angelorum, qui per novem digeſti ſunt ordines, coronatus? *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum, ſardius, topazius, & jaſpis, chryſolithus, & onyx, & berillus, ſapphirus, & carbunculus, & ſmaragdus:* quæ commodum gemmæ ſunt, virtutesque novem ipſorum Angelorum, ex quibus Lucifero diadema compactum eſt. Cur igitur inter cadendum è Cælo Cherubim nominatur? Quia ruinæ occaſionem non præbuit caritas Seraphinis propria: ſed Cherubinorum peculiaris ſapientia. Atque hæc ipſa forſan eſt cauſa, cur in cenſu gemmarum, quæ coronam Luciferi ornaverunt, poſtremo loco non carbunculus, caritatis ſymbolum, addictaque Seraphinis gemma, ſed ſmaragdus ſapientiæ nota, & Cherubinorum propria collocetur.

Serm. 74. in Cant.

Ezech. 28.

Ibidem.

Scholaſticorum diligentia excitanda.

Scholaſticorum diligentiam illud valdè provocabit, ut Superiores ex una parte, litterariis exercitationibus alacritate, & voluntate magnâ ſemper interſint: nam, ſi fortè illis paucarum horarum labor, qui audiendo inſumitur, inutilis videretur, & perditus, multò perditiorem ſubditus operam ſuam duceret, quâ ſe, ad functiones illas cum laude obeundas, per menſes, atque annos instrueret: ex altera verò parte, ut promptos ipſi ſe præbeant, facilesque ad eos, qui ſtudia negligunt, ab ſtudiis amovendos: illudque ſecum animo reputent, hac in re, abuti commiſeratione, nihil eſſe aliud, quàm alere, & fovere deſidiam, annuosque Domorum proventus, contrà quàm decrevere Fundatores, abſumere.

Ergà fundatores gratitudo.

Sed, quoniam hoc loco Fundatorum incidit mentio; temperare mihi non potui, quin tantò efficacius, quantò breviùs, inculcarem, adversùm illos, ac cæteros, benè de nobis meritos, eam referendæ gratiæ voluntatem, & curam, quam tanto cum pondere, Beatus nobis Pater injungit. Puderet equidem me, fateor, vehementer, ſi fortè non nemo Superiorum pluris faceret, coleretque, vel unicum ex uno aliquo ſperatum beneficium, quàm

ex aliis multa ſuſcepta. Illud tamen omnibus in memoriam revoco, in reddenda grati animi vice, ad verum unicè bonum, non ad præpoſteram benè merentis voluntatem, habendum eſſe reſpectum: quare, futurum potiùs ingratum Superiorem, qui beneficia compenſaturus, ab aliquo noſtrûm collata, licentiam illi permitteret, ſtatui diſſentaneam: eo planè modo, quo medicus merito dicendus eſſet ingratus, qui, ad referendam copioſi ſtipendii gratiam, ægroto nocitura concederet.

Magiſtri quales eſſe debeant.

Quia verò in Collegiis, Scholaſtici noſtri munus quoque Præceptoris exercent; formam ipſam inſpiciamus, quâ Sanctus noſter Architectus, columnas tanti momenti deſcribit. Poſcit ipſe Magiſtros ejuſmodi, ex quibus Diſcipuli *cum litteris, etiam mores dignos hauriant.* Ædificatio, ac ſpecies noſtræ illius molis, plurimùm pendet ab executione hujuſce partis, ut planè ad præſcriptum ipſi modum exigatur. Civitates, quæ Societatem ſibi poſtulant, atque Collegia ſumptibus ſanè non modicis erigunt, eo id conſilio præcipuè faciunt, ut publicas totidem pueritiæ nutricès mercede conducant, quæ diſciplinis ingenia, moribus animos moderentur, & lactent. Ex recta teneræ hujus ætatis educatione, tota pœnè Reipublicæ conſtat utilitas. Opinio, quam tot annorum aſſiduâ conſuetudine de nobis hæc imbibit, ea demùm eſt, quæ radices altius figit in animis, & latè per totum Chriſtianum orbem famâ, & exiſtimatione diffunditur.

P. 4. c. §. 1.

Quoniam verò de Scholis agimus, viſum eſt opportunum, uno ſemel loco depromere, quidquid in mentem venit, quod eas universè complectitur: quamquàm ſuperiores diſciplinæ non ab ordine Scholaſticorum, ſed ab gradu Profeſſorum tradi plerumque ſolent. In Grammatices ergò gymnaſiis procurandis, exquiſitiſſimus Magiſtrorum delectus, quod quidem ſcientiam ſpectat, neque eſt admodùm neceſſarius, neque haberi utique poteſt: cum illa majorem horum copiam, quàm dotem exquirant. Sed in altiorum diſciplinarum Profeſſoribus providendis, ingenti Superiorum culpâ fieret, niſi eminentiſſimi qui ſunt, illos cæteris præhaberent: ſed aut tædio, fugâque moleſtæ inquiſitionis, aut metu inertium querelarum, receptum in primis facerent, atque refugerent ad diſcrimen, & prærogativam ætatis: quæ, ſicut in omnibus planè miniſteriis, ita in iis, quæ tractantur ingenio, indignior eſt, cujus præcipua ratio habeatur, niſi in ipſa æqualitate laudem, quæ magis propriè requiruntur. Porrò, in his aptè deligendis, plurimùm expedit in id curam intendere, quod eſt apprimè præcipuum: nempe,

Magiſtrorum delectus habendus.

Præcipuè Profeſſorum pro Altioribus ſtudiis.

nempe, hujusmodi litteraria munera, neque nomine remunerationis, ob merita, neque reſpectu ad privata cujusquam ſolatia impertiri; ſed talenti, quo quisque prævaleat, inſumendi, communisque procurandi beneficii causâ, ſemper imponi. Id enim grati vis animi à nobis requirit, ac debita Reipublicæ fides, ob fiduciam, quâ Societati delectûs hujusce arbitrium, ordinemque illa permittit. Quare, non qui diutiùs docuit, ſed qui magis ad docendum idoneus, præferendus eſt. Verùmtamen, cùm noſtra hæc ſtudia, in Dei gloriam, atque Eccleſiæ intendantur obſequium; ii, qui conantùr vera docendo tradere, præoptandi ſunt iis, qui nova procudunt: quæ, dum veteribus adverſantur, omninò ſunt à nobis, tanquàm turbulenti quidpiam, evitanda. In quo id præcipuè cum Sancto noſtro Parente commendatum omnibus velim, ut diligenti, affectoque animo ſtudere conentur geminis terrarum Magiſtris, Ariſtoteli, in Philoſophicis, ac Sancto Thomæ Aquinati, in Theologicis diſciplinis. Quippe, quòd noſtrum aliquis ab præcipuis horum fundamentis opinando diſcedat, indicium ſanè præbet aut incapacis, aut certè contumacis ingenii. Neque minor Rhetorices, Humanarumque litterarum habenda ratio eſt, ut Sancti Patris, Majorumque noſtrorum ſcita, & inſtituta ſerventur: has enim merces omnium potiſſimas, à nobis Civitates exquirunt: ſuntque idoneum inſtrumentum, ad hæreticorum ſtylum artificiosè pugnacem, ac verè ancipitem, retundendum. Quare Superiores, egregia, atque apta majoribus quoque diſciplinis ingenia, perdi, ac peſſum à ſe dari non putent, ſi quidem ea litteris hiſce humanioribus perdocendis addicant.

Pergit S. Pater in quinta Conſtitutionum parte, ac deinde ſequentibus, digerere in ordines, officia, gradus, ac miniſteria prorsùs Angelica, ſuam hanc habilem, cæleſtemque militiam: immò delineare in hoc Templo divinæ gloriæ, quatuor veluti partes magnæ Crucis, hoc eſt, quatuor vota ſolemnia, quæ Profeſſi noſtri concipiunt, eorumque ſedulam, accuratamque cuſtodiam, quorum unumquodque vel omninò, vel ex parte, fit alteri quoque commune gradui. Et in ſingulis quidem quatuor, exigit propriè ſuos Angelis ſimiles. Nam puritatem requirit, *enitendo Angelicam imitari, & mentis, & corporis noſtri munditia:* Paupertatem, quæ etiam in commune, procul à ſe, jus omne, atque dominium terreſtrium rerum excutiat; purosque nos, Angelorum inſtar, nudosque conſtituat: quin, & more Angelorum, cùm ſe totam commodis hominum indeſinenter

In votorum obſervatione Angeli imitandi.

P. 6. c. 1. §. 1.

ter impenderit, nullam prorsùs humanam ab iis mercedem accipiat: Obedientiam intellectûs, operis, voluntatis; qualem Angeli adversùs divinum Præſidem ſuum exercent: alas, alacritatem, ſtudium Angelorum in Miſſionibus, ſolo animarum beneficio obeundis. O formam egregiam, cujus ad perfectionem, humana umquàm pictura nulla pervaſit! Immò hæc Angelos ipſos effigie hominum exprimit, ac noſtra viciſſim homines fingit imagine Angelorum. Sed qui fabrûm Præfectus idoneus erit, ad præparandam operi materiam, quod oporteret expers eſſe materiæ? Vniversè, magno id erit emolumento, ut qui Dei vices gerit, ad Angelos ſuos ſtimulandos, atque animandos, utatur his formulis, quas Ioannes Apoſtolus in idem officium adhibebat ad ſuos. Quod Puritatem ſpectat; exponat iis illa duo Chriſti mandata, quondam Angelo denunciata Sardenſi: alterum timoris: *Veniam ad te tanquàm fur, & neſcies quâ horâ veniam ad te:* alterum ſpei: *Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus.* Cultoribus Paupertatis, ac propriæ abnegationis, illud referat, quod dictum eſt Angelo Smyrnæ: *Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, ſed dives es.* Promptis ad Obedientiam inculcet quod Beato Carpo, Angelo & Epiſcopo Thyatiræ Joannes; *Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquàm flammam ignis, & pedes ejus ſimiles aurichalco: Novi opera tua, & fidem, & caritatem tuam, & miniſterium, & patientiam tuam, & opera tua noviſſima, plura prioribus.* Ad eos, qui vitam inter aſſidua rerum incommoda, atque diſcrimina tranſigunt in Miſſionibus ad Infideles, ut eos Chriſto lucrentur, ſcribat, quæ Chriſti nomine ſignificavit Joannes Angelo Pergami: *Scio ubi habitas, ubi ſedes eſt Satanæ, & tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam.*

Apoc. 3.

Verùm, præter univerſale hoc incitamentum, atque ſolatium, quod in eo ſitum eſt, ut ſuperior præ ſe cognitionem meritorum ferat, eorumque remunerationem tanquàm divinæ rei procurator promittat; mandanda inſuper erunt executioni peculiaria quædam inſtrumenta, quæ Sanctus noſter Fundator in abſolutiſſima Conſtitutionum idea, non omiſit. Et quidem, ad Puritatem quod attinet, videretur id in Societate uſurpandum, quod quidam olim legislator de Paricidio decrevit: cui nullam pœnam imponendam putavit, ne patrari illud poſſe declararet. Tamen, cùm palàm faciat Deus ejusmodi virtutem naturæ viribus ſuperiorem eſſe; cumque alia ex parte,

parte, nobis exploratum ſit, quamcumque vel tenuem in hoc lucidiſſimo Societatis adamante labeculam, ſuprà omnem modum, ſuo illum pretio fraudaturam; duo præcipuè commendata faciam, quæ fidei noſtræ S. Pater ad ejus conſervationem opportuna commiſit.

Primum eſt, ut ſuaviter alatur in ſubditis humilis quidam ejus amittendæ metus, quod ſolet haberi certiſſimum pretioſarum mercium tutamentum. Neque verò eſt, cur timoris hujusce nos pudeat; immò potiùs eo gloriandum nobis imitantibus hoc uno ſanctiſſimos in Eccleſia viros, nec ignorantibus, fortiſſimos Ethnicorum heroas, à profanis ſcriptoribus hoc nomine celebratos, quòd hujus jacturæ metum oſtentarint, cæteroqui perturbationem ipſorum animis prorſus ignotam. Hic unus efficiet, ut labendi occaſiones diligentiſſimè caveantur, utque leges Modeſtiæ, velut fida cuſtodia, æſtimentur: néve offenſioni atque injuriæ, ſed defenſioni potiùs, atque honori tribuatur, quòd Societas in quemlibet ſuorum, quantumvis eximium, curam intendat; eumque ſemper in oculis habeat, veluti in Theatro conſpicuum, atque ideò circumſpectum. Quod ſi quis idcircò ſecum iniquiùs agi putaret; idem planè faceret atque febricitans, qui Medico tanquàm injurioſo indignaretur, quòd ſibi ad manum calicem potionis noxiæ non permitteret.

Duo Præſidia caſtitatis, Primum timor labendi.

Poſterior modus eſt, ut animus addatur ſubditiſ, atque fiducia, ad reddendam ſincerè conſcientiæ rationem. Qui modus, adeò peculiaris, ac proprius nobis eſt; ut quinta Congregatio Generalis, ipſum inter ea poſuerit, in quibus Inſtituti noſtri ſumma, ac natura conſiſtit. Verùm, ut hæc ſui revelandi fiducia obtineatur in ſubditis: neceſſe eſt, quatuor in Superiore dotes emineant: amor, qui ſuaviter ad communicanda arcana cum alio impellit, quippè ad communicandum cum amico quidpiam, tantò eſt unusquisque proclivior, quantò moroſior ad fidendum, credendumque ſe Iudici: patientia audiendi; nam qui loquenti cupiditatem præſefert finiendi ſermonis, etiam ſi dicere jubeat, ad tacendum invitat: auxilium; cùm in propriis imperfectionibus declarandis, tanta ſit amarities medicinæ, ut non hauriatur, niſi certo præſumpto lenimento per ſpem recuperandæ ſalutis: ſecreti fides, quod ſuâpte naturâ usque adeò neceſſarium eſt, & cum ipſa ſuimet aperiendi obligatione conjunctum, ut præceptum de ſigillo confeſſionis, haud pure poſitivum eſſe, ſed etiam naturale Theologorum non pauci pronuntient. Haud ignotum eſt, quod Collatione ſecundâ apud

Secundum, Redditio orationis conſcientiæ.

Decr. 58.

Ad eam obtinendam. 4. Sunt dotes in Superiore neceſſariæ.

Cap. 26.

Caſſia-

Caſſianum legitur; difficultatem omnem communicandi ſui, quam boni illi Monachi experiebántur, ortúm duxiſſe ex imprudentia cujusdam Superioris, qui culpam ſibi ab ipſomet peccante detectam eidem turpiter exprobravit. Equidem, hâc ſuper re, ſemel edico, ac mentem diſertè meam aperio: ſi fortè reſciverim, violatam ab Superiorum aliquo, fidem, vel aperiendo ſecretum, vel in aliquem alium uſum, præterquàm privatum ſubditi revelantis bonum, cognitione ejusmodi abutendo, diversâ planè ratione, quàm quâ Medicus plagam ſibi nudatam, ab ægroto tractaret; ſemel (inquam) edico, muneris mei præcipuas ducturum me partes, ut inflictâ memorabili pœnâ, documentum ejusmodi palàm ſtatuerem, ex quo ſubditi magis alliciantur ad confidentiam, exemplo ſupplicii, quàm violati ſecreti memoriâ terreantur, Idem planè dictum volo de materia literarum, quæ ex Regularum præſcripto à Superioribus inſpiciendæ ſunt. Nec ſuper hujusmodi prævaricationibus, tamquàm fidei publicæ pernicioſis, quisquam ſe mihi quocumque vel imprudentiæ, vel rei levioris nomine ita probabit, ut excuſationem admittam. Puritati Paupertatem attexam: quæ in eo poſita eſt, ut privatim, ac propriè, habeamus nihil, utque in ipſo conceſſarum rerum uſu, contenti ſimus, ac læti conditione pauperibus conſuetâ. Prius difficile minùs eſt; quippe quod magnam partem in præciſione quadam intellectus, & probabili interpretatione conſiſtit: magis arduum toleratu poſterius eſt, quod habet moleſtiam, incommoditatemque naturæ. Sed ut pronius idem fiat, ac mitius; duo ſunt efficaciora inſtrumenta. Alterum Superiorum, aliorumque, qui magis conſpicui ſunt, Patrum exemplum: in memoriam apud ſe revocando Davidem, rejecto aquæ vaſculo privatim oblato, magnam bibendi voluntatem, ſiticuloſi totius exercitûs extinxiſſe. Alterum, providentia diligens, ut, quoad fieri poterit, neceſſaria & convenientia cuique non deſunt: nam qui neceſſariis minimè carent, negari faciliùs ſibi ſupervacanea patiuntur. Quamobrem, obſervandus ſemper erit ille ſanctus accuratæ circumſpectionis modus, quem nobis Beatus Pater exhibuit: *Quisque iis, quæ de communi data fuerint ad uſum ſuum neceſſarium, aut convenientem, reſecatis ſuperfluis, ſit contentus.* Scio amorem ſui privatum præſtigias interdum animo facere, ut ſuperfluum quod eſt, neceſſarium videatur: ſed quantùm in rebus humanis caveri poteſt, ea, quæ ſequuntur, in Regulis noſtris tradita, opportuna erunt, ut vel tenui pauperum victu cultique ſatis ſuperque factum ſibi putet ipſa Communitas. Primò, ut illi pro-

Puritas Paupertatis curanda.

Neceſſaria non ſubtrahantur.

P. 6. c. 2. n. 11.

provideatur rebus conditione ſinceris, caritate præparatis, & valetudini commodis. Prava Superiorum œconomia diceretur, atque eſſet; qui, pro eo ac deberent, curare bonorum temporalium incrementum ſtudio, atque induſtriâ poſitâ in cultu agrorum, & opportunitate providendarum rerum, parſimoniam ipſi omnem in eo collocarent, ut quod ſubditis Religio decrevit, & Natura poſcit, id carperent, & præparcâ manu ſubducerent. Non ea Fundatoris Sancti mens eſt; ſed magis ut victûs, ac rerum omnium neceſſariarum, & convenientium ratio *non ſit diverſa ab eo, quod Medicus illius loci, in quo vivitur, judicabit.* *P. 6. c. 2. n. 16.* Secundò, indulgere aliquid neceſſe eſt indigentiæ quorumdam ſenum, benè præſertim de Societate merentium, cujus obſequio, ætatem, ac valetudinem cum laude conſumpſerint, eamque adhuc promoveant, & valdè juvent exemplo, atque conſilio, neque ſenſui jucunda, aut ſtatui diſſentanea, petant. (Senibus aliquid indulgendum.) Quare, defectus ingens caritatis, gratique animi, & par ad cæteros avocamentum laboris eſſet, qui fortè intelligerent, ab Superioribus, aut parvæ moleſtiæ eximendæ executoribus ſibi ſubjectis, aut minutæ cujusdam impenſæ declinandæ cauſa, bonis hujusmodi ſenibus, pro cujusque indigentia, non provideri. Neque eſt, cur Superiores iidem, eo nomine ſe mihi purgent, quaſi hæc, quæ ſingillatim uni præcipuè extrà cæterorum ordinem tribuuntur, excitent opinionem neceſſitatis in multis. Hoc periculum non retardavit Sanctum Patrem, quin ita præſcriberet: *In particularibus, ſi magis vel minùs neceſſarium erit, juxtà circumſtantias perſonarum, relinquetur diſcretioni eorum, qui ipſis præſunt, ut quemadmodum iis conveniet, provideant.* *P. 6. c. 2. k.* Enimverò, facili negotio internoſcuntur, qui procul ab omni ſpecie deliciarum, ea tantummodò petunt, quæ præciſe poſtulat valetudo, ab iis, qui majus commodum conſectando, ſalubriora reſpuerent, niſi eadem jucundiùs acciderent, ſaperentque guſtatui; in cæteris verò, ſibi ab immoderatione noxia non temperarent. Neque frigidè minùs, iidem Superiores, paupertatem Collegiorum excuſarent; cùm facilè poſſint impenſis potiùs aliis minimè neceſſariis abſtinere. Quapropter, eò reprehendendi magis eſſent, ſi, ut nova ſacella, aut novas ædes exſtruerent, omitterent præbere alimentum iis, quibus dici cum Apoſtolo poteſt: *Templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis.* *1. ad Cor. 3.*

Majus omninò, quàm corporis bonorumque externorum, holocauſtum eſt propriæ libertatis; non ſolum, quia hæc multò nobilior eſt; ſed etiam, quia in hac una, tanquàm omnium domina rerum, continetur, quid- (Obedientiæ præſtantia.)

quid eminet, & donatur in ſingulis. Quare Sanctus Thomas, dum vota in ſe comparat Religioſorum, primum detulit Obedientiæ locum: majoremque Religioſi cujuſpiam Ordinis prærogativam putavit, excellentiam virtutis hujus, quàm reliquarum: quippè quæ inſtrumentum ſit efficacius, propiusque tendat in univerſalem vitæ religioſæ finem. Idcirco Sanctus noſtrûm omnium Parens, perfectionis ſupremæ percupidus, præcipuum in eo ſtudium collocavit, ut eminentiam virtutis hujus in Societatem induceret: cùm conſcientiæ ſecuritatem, vinculumque concordiæ pariat, viresque omnes, in unum idemque propoſitum, intendens, in eoque conjungens, cunctos efficiat ad ardua quæque in Dei gloriam perpetranda facinora, operoſos. Nulla prorſus Obedientiæ forma delineari perfectior eâ poteſt, quam Sanctus nobis Pater expreſſam reliquit. Executio ipſa difficilis, & quidem omnibus accidit, ſed Superioribus præſertim: qui, dum virtutis hujus promovent integritatem, videntur viris haud exquiſiti judicii, ſtudere potiùs auctoritatis propriæ, exiſtimationisque privatæ compendium facere. Pauci ſunt, qui perſpicaci ſimul, & puro perturbationibus intellectu, dignoſcant ab iis potiſſimùm Superioribus obſequium virtutis hujus urgeri, qui animo à præfecturis abhorrent, & Obedientiæ ſemper obnoxii, quàm ejusdem moderatores eſſe mallent: ampliùs, quæ ab iis imperantur, planè in nullum ipſorum privatim redire compendium; ſed unicè illùc evadere, ut Communitatis bono deſerviant, hoc eſt, iis ipſis, qui imperata perficiunt: denique, naturam vitæ communis in eo ſitam, ut aliqui ſtatuantur identidem, quibus cæteri vi legum adacti obſequenter obtemperent: propterea, ubi accuratior Obedientia, ibi felicius vitæ commercium reperiri. Sed ad multitudinis captum, hæc argumenta non faciunt. Duæ ſunt, & quidem potentiſſimæ, res, quibus, ſi comparentur, hæc virtus facilè in omnium animis nutriatur.

22. q. 186. q. 188. art. 2. ad 1.

Ejusdem Executio difficilis.

Duo adjumenta obedientiæ.

Prior, ut Superiores præbendo ſe medios, nullique privatim addictos, caritatis apprimè ſtudioſos, dictis factiſque moderatos & cautos palàm ubique faciant, nihil ſibi propoſitum eſſe, præter commodum ſubditorum: quæ omnia in his ipſis amorem, atque fiduciam Superioris creant, inclinantque horum animos, ut in eo prudentiam eſſe ſibi perſuadeant. Quòd ſi de hac ipſa ejus prudentia forſan ambigerent; ex altera tamen parte conſcii ſibi ipſi ſunt, ſe prudenter parêre etiam imprudenter imperanti: ex altera verò parte, libenter ejus voluntati, quem diligunt, ſeſe ſubjiciunt, & obſequuntur. Poſterior verò res eſt,

ut

ut experimento compertum Superior faciat, obedientes qui ſunt, eos benigniùs leniusque tractari: quòd ſi brevi aliquo temporis ſpatio neceſſe illis ſit, durius aliquid ſuprà cæteros tolerare, non tamen longè compenſationem abfuturam. Verum quidem fateor, hujusmodi ſpem ſupervacaneam eſſe perfectioribus, qui non niſi à Deo mercedem factorum expectant: ſed non omnes hunc apicem virtutis attingunt, & hæc ipſa inter nos agendi ratio, plurimum fovet, atque auget exemplum. Quare, in omnes hominum, licet ſanctiſſimos, conventus, ſua ſunt invecta ſupplicia, ac præmia meritorum: ſed illa, inſtar medicamenti, valetudinem cum perturbatione conferunt: hæc verò, cibos imitantur, qui ſuaviter nutrimento ſunt; atque ideò, aptiora exiſtimantur, ad alendam, unà cum legum obſervatione, concordiam.

Poſtremò, proprium Societatis eſt, ſolemne de Miſſionibus obeundis votum, quod à cæteris ita ſeparatur, atque eminet, ut virtus ſpeciei propagatrix, quæ viventium peculiaris eſt, ab individui conſervatrice, quæ cum rebus quoque inanimis communicatur: atque idcircò munus hujusmodi, Angelis in Cælo, in terris Apoſtolis, nomen impoſuit, immò ex tribus Divinis Perſonis ad duas quoque pertingit: huc deinde reducitur ſtudium omne animarum in concionando, in rudimentis Chriſtianæ Doctrinæ tradendis, in Congregationibus piè moderandis, aliisque ſimilibus miniſteriis exercendis. Hæc porrò pars, tam aptè à noſtro Architecto deſcribitur, ut in ea comprehendi videatur hujusce Templi velut baſis, & caput: cujus obſequio, cætera, ut uni obſecundarent, delineata ſint. Verùm, ut præſtantiſſimæ rerum formæ ſunt eædem difficillimæ, quæ ab influentibus Cæli ſideribus, motuque aſſiſtentium iis mentium, inducantur; ita hoc nobiliſſimum quidem facinus eſt, ſed omnium maximè negotioſum, quæ Superiores aggrediantur, ac præ manibus habeant. Ingens in his ſtudium exigitur: quo minimè ſatis habeant, ut ſubditi à malis abſtineant, quod plerisque mortalium abundè eſt; ſed eò enitantur, viresque omnes inſumant, ut majus ipſum bonum in ſuis ubique præoptent. Ad ſummam, Præſides requiruntur, qui ex animo, ſeduloque militent ſub iis inſignibus, quibus dictum appoſitum; *Ad majorem Dei gloriam.* Nec declinandæ moleſtiæ causâ, quam habet, aut nova diſtributio ſubditorum per Collegia, aut viatici iiſdem neceſſarii proviſio, negligant frequentiam Miſſionum: neque, ut privatorum cupiditatibus obſecundent, Congregationes eorum

Votum ſolemne de Miſſionibus.

Curandum ut rectè obeantur Miſſiones.

curæ deſtituant, qui parùm idonei ſint, fructuoſi minùs: neque impotentiâ, præterquàm infirmioribus, imperandi, in traditionem Doctrinæ Chriſtianæ, exercitationesque conſimiles occupatam habeant eam, quæ addicta ſit ſtudiis, juventutem, & non potiùs viros in gradu jam conſtitutos, qui ad hæc ipſa voti religione coguntur: neque, abalienatione animi, ab rebus poſt longè futuris, ſucceſſorumque tempore maturandis, incultam deſerant efferentem ſeſe jam tum in adoleſcentibus concionandi facultatem, quæ tantæ eſt in Eccleſia excellentiæ atque momenti. Hujus enim culturæ defectu, fieri poſſet, ut vel eam laudem ingenioſiſſimi quique deſpicerent, vel iidem à recto tramite, in cæca veluti diverticula aberrantes, perſuaderent ſibi, eminentiam hujus artis, totam eſſe in vana quadam oſtentatione eruditionis, atque facundiæ: non autem in eo, ut intellectui auditorum per rationes, atque argumenta, voluntati verò, per motum impulſumque vim faciant. *Diſcat à vero David* (inquit S. Hieronymus de concionatore Chriſtiano) *extorquere de manibus hoſtium gladium, & Goliæ ſuperbiſſimum caput, proprio mucrone truncare.* Avertat Deus ab Societate ſua, ut per eam contaminari ſublime hoc miniſterium patiatur, Eccleſiam profanari, aliosque præterquam Apoſtolos, Apoſtolica in pulpita introduci. Quòd ſi modò quis cum eodem Sancto Hieronymo putet, profanæ ſapientiæ non interdictum planè ſacris, neque omninò Templorum Chriſti fores occluſas; ſaltem hoc caveat; ut, priùsquàm illuc Ammonitidem hanc, aut Moabitidem (quam idem Sanctus appellat) intromittat, præcidat illi capillum, ungues reſecet, ac veſtem immutet. *Sin autem adamaveris captivam mulierum, id eſt, ſapientiam ſæcularem* (inquit Sanctus Hieronymus) *decalva eam, & illecebras crinium, atque ornamenta verborum, cum emortuis unguibus ſeca.*

Concionandi facultas in Iuvenibus excitanda & excolenda.

Epiſtol. 84.

Epiſtol. 26. ad Pammach.

Finem hujus Epiſtolæ faciam, ſi documentum, & mihi, & cæteris, quos à Deo hujus ferendi oneris adjutores accepi, opportunum adiecero. Hoc eſt, tales Societatem filios, quales nos eſſe voluerimus, atque fecerimus, habituram: quòd ſi nos in eorum virtute, qui nunc nobiſcum agunt, fruimur Superiorum laboribus præteritorum; non eſſe ſanè committendum nobis, ut ſucceſſores noſtri meſſem minùs ſinceram, noſtræ culpâ culturæ, ſuo ipſi tempore experiantur.

Lux duplex ædificii ſpiritualis.

Redeo jam ad eam lucem, unde principium duximus, quæ, ut Sanctus Ambroſius putat, primum eſt, atque præcipuum cujuslibet fabricæ ornamen-

ornamentum. *Lux eſt, quæ reliquos domus commendat ornatus:* Duplicem ego lucem in hac ipſa Vniverſitatis ædificatione reperio, alteram primo Mundi die à magno illo Patre luminum procreatam; quarto auctam, alteram, & in plura luminaria diſtributam. In hac quoque noſtra ſpirituali fabrica, utrique quod aptè comparetur, apparet. Nam priori quidem luci accommodata lux eſt, primæ Societatis ideæ, quam, in eadem Societate formanda, Sancto Parenti Deus afflavit: poſteriori verò, totidem luminaria proportione reſpondent, quot ſunt virtutes, opera, exempla primorum Patrum, Majorumque noſtrorum, qui vel executione, vel uſu, clariorem nobis, magiſque conſpicuam reddidere primam primæ ipſius ideæ, noſtrarumque Conſtitutionum lucem: ut verè hoc uſurpare poſſimus elogium: per abſolutiſſimam rerum executionem, prima divinitùs affuſa lux *proceſſit, & crevit, usque ad perfectam diem.* Auctorem hujuſce dicti, non me, ſed Originem præfero, qui luces has geminas ſeparavit, & geminos dies. *Illum ſanè beatum* (inquit) *qui verbo Ieſu, & ſapientiâ ejus illuminatur, qui ex ejus doctrina accipit lumen: ſed ille poſt hunc beatus, qui in diebus ſeniorum, Domino ſervit. Seniores qui ſunt, niſi qui & ipſi illuminant corda noſtra, & faciunt dies quoſdam in nobis ex illa luce, quam ipſi ex vera luce participarunt?* Perinde atque dixiſſet, doctrinam, & inſtitutionem Ieſu, hoc eſt, adumbratam traditæ ab Ieſu noſtro doctrinæ, atque inſtitutionis imaginem, veluti lucem nobis, primumque lucis diem feciſſe: ſed exemplum, uſum, executionemque diſciplinæ hujus, ab noſtris Majoribus, tot veluti luminaribus derivatam, alterum nobis diem ſanè clariorem, ac puriorem creaſſe. Apteque idem obſervat Origenes exactioris ergà legem obſervantiæ cauſam *in diebus ſeniorum* (inquit ille, dicamus nos, ætate Majorum noſtrorum) fuiſſe vivum ipſorum exemplum, atque virtutem. *Prætereundum non eſt, quod dicitur, ſervivit populus Domino omnibus diebus Ieſu, & omnibus diebus ſeniorum.* Quòd ſi illum interroges, quinam, & quot iſti ſint dies? reſpondebit: *Dies unus eſt juſtitia, alius prudentia, alius miſericordia: & ſic per ſingula dona virtutum, omne, quod ad virtutem pertinet, Ieſu dicito diem.* Quælibet virtus, ſuâmet luce, atque uſu ſui, verum Diſciplinæ diem in Societate format. Dicendum igitur verè eſt, tamdiù Societatem, diebusque totidem in ſtatu ſuo, perfectaque Regularum obſervantia duraturam; quàm diuturna in ſenioribus erunt, ac præcipuè in Superioribus exempla virtutum, & quàmdiu ex his, ad juniores ea lux vivida transfundetur.

Idea Societatis.

Secundum exempla Majorum & ſeniorum.

Homil. 5. in c. 2. Iudic.

Ibidem.

Superiores omnia agant ad ideam à S. P. N. relictam.

O utinam poſtrema hujus Epiſtolæ dicta, cordi meo Apoſtolus Paulus imprimeret, eique vim talem ſpiritûs impertiret, ut exprimere ego poſſem, in veſtro, ſententiam, verbis, ab ipſo graviſſimis, in ſuprema ſua ad Hebræos Epiſtola, ponderatam, dum loquitur de vetere Tabernaculo, quod renovatum in nobis, tantoque majore magnificentiâ, & divinæ incremento gloriæ reformatum eſt. Expendit ibi diligenter Apoſtolus, verba Moyſi dicta, *cùm conſummaret Tabernaculum: Vide, omnia facito ſecundùm exemplar, quod tibi oſtenſum eſt.* Eâque occaſione præſumptâ, architecturam, formamque novi Tabernaculi, à Chriſto non manufacti confert, ac præfert ideæ, atque operi illius antiqui. *Nunc melius ſortitus eſt miniſterium, quantò, & melioris teſtamenti Mediator eſt. Nam ſi illud prius culpâ vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur.* Locus, ac poſitus ſecundi hujus Tabernaculi, non alius ſanè, quàm cor noſtrum eſt. Præterea, luci illius tabernaculi, umbram hujus anteponit: quia lux illa, ac modus antiqui, *exemplari, & umbræ deſerviunt cæleſtium.* Ex tota hac ratiocinatione, quid arguit demùm Apoſtolus? Primò, quâ debeant ratione Superiores novo huic operi curam impendere, ac præeſſe, vivoſque Chriſti lapides expolire: *Dando leges meas* (inquit Dominus) *in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas:* deindè, quàm ſanctum, ac Dei ſpiritu plenum eſſe oporteat, virum, huic operi, præſidentem: cùm deſtinatus à Deo ſit tanquàm *Sanctorum miniſter, & Tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo:* denique, quid cavere potiſſimùm debeant fabricæ hujuſce Præfecti, hoc eſt, ne rimas illa ducat, aut nimiâ vetuſtate fatiſcat. *Quod antiquatur, & ſeneſcit, propè interitum eſt,* ut rem totam concludit Apoſtolus. Cui ſanè periculo, atque defectui, divinam ſpero equidem miſericordiam, haud permiſſuram, ut aliquando ſubjaceat opus obſequio divinæ ſuæ Majeſtatis erectum, atque Societas, quam ipſe ſub ſigno Nominis ſui, militare voluit, ut immenſæ ſuæ gloriæ propagandæ causâ ſudorem frontis, ſanguinemque venarum, non aſſiduè minùs, quàm abundè profundat. Romæ, 28. Octob. 1650.

Ad Hebr. 8.

Omnium in Chriſto Servus

FRANCISCVS PICCOLOMINEVS.

EPISTO-

EPISTOLA I.

R. P. N.

GOSVVINI NICKEL PRÆPOSITI GENERALIS SOCIETATIS IESV

Ad

PATRES ET FRATRES EIVSDEM SOCIETATIS.

De Amore, & ſtudio perfectæ Paupertatis.

QVi ad Societatis univerſæ gubernationem hactenus à Deo vocati ſunt, ut primùm eam de ſublimiore loco circumſpexêre, idem omnes vehementer optarunt, ut loca ſingula inviſere, & Socios omnes coràm alloqui poſſent: tum ut id officii, ſuo, ac ſuorum ſolatio, impenderent, tum verò potiſſimùm, ut ſi quid, aut Superiorum incuria, aut quædam ſuâ ſponte ſubrepens remiſſio, aut dæmonis fraus, & violentia, corrupiſſet; exhortando, & commonendo repararent: atque ita Societatem, quam ab anteceſſore acceperant, ſalvam, atque integram, ſucceſſoribus traderent. Verùm, cùm è re publica magis eſſet, ut hîc, velut ad clavum ſedentes, eam gubernarent; quod reliquum erat, vicarios pro ſe quisque ad univerſum Societatem litteras, ſubſtituerunt, quæ eos, & locis omnibus quodammodò repræſentarent, & ſingulos, ſi non voce, calamo ad perfectionis ſtudium adhortarentur: atque ita fieret, ut ſpiritûs fervorem, vel ſponte ardentem, magis accenderent, vel ſopitum, additis ad profectum ſtimulis, excitarent. Quod idem præſtandum mihi eſſe exiſtimavi, ut qui inter eos, non tam numero, quàm merito poſtremus ſum, ipſorum veſtigiis religiosè inſiſtam, & ſequar, quod tam utiliter præierunt. Porrò, cùm diu multùmque mecum ipſe expendiſſem, quid pro præſenti Societatis ſtatu, magis neceſſarium videretur, tandem nihil ad communis diſciplinæ bonum opportunius, nihil Deo, ac Sancto Parenti noſtro gratius facturum me judicavi; quàm ſi vos, ad perfectæ Paupertatis amorem, & ſtudium, quantùm

inſtituti noſtri ratio poſtulat, adhortarer. Quamquàm enim, & cæterarum virtutum, quibus religioſa profeſſio maximè conſtat, nulla vel ſæpiùs repetita commendatio nimia habenda eſt; tamen, ut Paupertas una præ aliis deligenda, hoc loco mihi eſſet, id eo etiam nomine illi debebatur, quòd hactenùs ab anteceſſoribus meis non prætérita, ſed alicujus poſteriorum Generalium curæ relicta videatur: eoque ſtudioſiùs ejus incolumitati proſpicere æquum eſt, quòd plerisque neſcio quo errore deceptis, minùs quàm reliqua duo vota, periculo obnoxia eſſe videatur: quare, dum tutior creditur, & negligentiùs defenditur, periculoſius impugnatur. Hinc magnus ille Franciſcus, mirantibus, cur adeò totus in aſſerenda ſtabiliendaque paupertate verſaretur, ſapientiſſimè reſpondit, ei magis cavendum eſſe, quam à periculo tutiorem, cæteri falsò arbitrarentur. Superiores enim, exigendæ à ſubditis obedientiæ, eò diligentiùs vacant, quòd ſimul cum publica, privatam quoque rem ſuam, unâ eâdemque operâ promoveant. Caſtitatem verò, per ſe, quisque, intelligit rem eſſe, ut ſplendidiſſimi, ita & delicatiſſimi nitoris, quam, cryſtallini inſtar ſpeculi, tenuis quilibet afflatus commaculat, aut infuſcat. Etſi verò tota Societas in Congregationibus Generalibus, de Paupertate, non pauca, ex occaſione conſtituit; tamen, quia fortè videri alicui poteſt, ea ad neceſſitatem ejus facere magis, quàm ad perfectionem, ideò adhuc locus de ea dicendi relictus eſt; ut intelligant univerſi, quòd ſicut Obedientiæ, & Caſtitatis, quantum eſt harum virtutum, in hominibus Societatis noſtræ requiritur, ita etiam Paupertatis: quod & ratio, & exempla eorum, qui perfectionis evangelicæ viam, rectè, atque ordine inierunt, ſatis ſuperque demonſtrant.

Paupertati magis attendendum, quam reliquis votis.

Ac primùm, illud animo repetendum eſt, DEUM O. M. cùm nos in hanc filii ſui Societatem adlegit, ſingulis nobis eundem illum, qui & totius Ordinis eſt, finem propoſuiſſe: ut non ſolùm ſaluti, & perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacemus; ſed cum eadem impensè in ſalutem, & perfectionem proximorum incumbamus. Ad quem finem, meliùs conſequendum, tria vota Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis emittuntur. Quâ Conſtitutione, finis, qui Apoſtolicæ vocationis eſt, ſatis apertè declaratur; ut Obedientiæ, & Caſtitatis, ita & Paupertatis noſtræ menſuram, & modum eſſe, quidquid ejus ad animarum noſtrarum perfectionem, & ad proximorum ſalutem conſequendam facit. Quis autem, in hac religioſæ diſciplinæ ſchola, adeò rudis, & ignarus eſt, ut non ſtatim intelligat

Paupertatis neceſſitas oſtenditur ex fine Societatis.

Exam. c. 1.

telligat, non eam hîc deſignari Paupertatem, quæ tantummodò citrà ſacrilegium eſt, ut integro voto, peccari ultrà non poſſit; ſed omninò perfectam, quantùm & rem, & affectum, & magna, & minima quævis complectitur? Scilicet, ut res ipſa per ſe loquitur, aliud eſt non eſſe malum, aliud eſſe optimum; aut ſaltem ad id, quod in virtute ſummum, atque optimum eſt, magis magisque intendere.

Ac, ut primo loco de animarum noſtrarum profectu ſermo inſtituatur, eſto hîc ſapientiſſimum illud Gregorii Nyſſeni monitum; ad ſanctitatem nitentibus (quæ ſcalæ à Iacob paternam domum egreſſo per ſomnium viſæ, nosque hinc ad cælum usque, ac DEVM, hoc eſt, ad cæleſtis & divinæ vitæ conſortium transferentis myſterium fuit) infimum, atque ideò primum omnium gradum eſſe à terra diſcedere: ut fruſtrà omnino ſit, quicumque vel uno pede terrenis hiſce rebus inhærens, conſcenſum ad ſuperiora ſibi pollicetur. Adhuc, tota illum manet via; &, ſi ex imo ſuſpicere perfectionem poteſt, & eam, quod inertes & languidi faciunt, procul ſuſpirare, ac certè aſſequi omninò non poteſt. Nam in hoc Evangelicæ vitæ curriculo, in hac religioſi progreſſus ſcala, quâ, de virtute, in virtutem aſcenditur, quantum viæ, & graduum ſupereſt conficiendum etiam iis, qui jam ſe per voluntariæ Paupertatis votum terrenis rebus planè omnibus abdicarunt! *Temporalium enim* (ait Paulinus, *ille ex opulentiſſimo divite voluntate pauperrimus, & copiosè ſanctus*, ut eum nominat Auguſtinus) *Temporalium*, inquam, *quæ in hoc ſæculo habentur, bonorum relictio, ſive diſtractio, non decurſus ſtadii, ſed ingreſſus: nec ut meta, ſed janua eſt. Non enim athleta tunc vincit, cùm exuitur: qui ideò nudatur, ut incipiat dimicare: cùm legitimè certavit, coronandus.* Quæ ſi verè, ut procul dubio veriſſimè, à ſancto viro, & Evangelicæ Paupertatis non tam verbo & linguâ, quam opere & veritate magiſtro, prolata ſunt; videant quàm propè coronam ſtent athletæ noſtri, qui nondum ſe totos exſpoliaverunt, ut incipiant dimicare: videant, quàm propè metam acceſſerint, qui adhuc terrenis rebus impediti, numquàm ſatis ſe ad curſum expedierunt. Certè, cùm Dei Filius, cæleſtem illam, & octies beatam religioſæ vitæ formam, in monte deſcriberet; Paupertatem ſpiritûs, primo loco, quaſi ad Regiæ veſtibulum ſtatuit; ut qui ingreſſum ad intima, & ſanctiora deſiderant, ab ipſo ſtatim limine intelligant, debere ſe à rebus planè omnibus, nudos Paupertati deducendos tradere, tamdiù ad oſtium hæſuros, quamdiù ali-

Ac primùm ex debito propriæ perfectionis.

De Beatitudin.

De vibit. lib. 1. c. 10.

Epiſt. 2. ad Severum.

quâ eorum, quæ mundi ſunt, cupiditate implicantur. Nam ſi, ut optimè Auguſtinus, *amor rerum terrenarum viſcum eſt ſpiritualium pennarum, & ubi concupiſcimus, ibi hæremus*; nónne adhuc in ipſo religioſæ vitæ limine hærent, quaſi viſco, ne dicam luto, infixi, qui ſua illa terrena ſic diligunt, ut ea nunquàm ſatis dimittant; aut, quod longè deterius eſt, olim dimiſſa, paulatim repetunt, quaſi eos, poſt multum ætatis, & fortaſſe etiam laborum, in domo Domini, exactum, voti ac propoſiti ſui pœniteat, & ad ſæculum redeundi facultas magis deſit, quam affectus? Quare, ut communiter omnes, ita nos ſingulariter appellat, illa ab ipſo evangelicæ vitæ exordio, poſita, & toties repetita à Chriſto Domino Lex; ut qui illum ſequi velint, hoc apud ſeſe primò conſtituant, renunciandum ſibi eſſe omnibus, omnia relinquenda, etiam ſeipſos: eâ denunciatione, ut, qui ſecùs fecerint, nec diſcipulos ſe eſſe, nec ejus Societate dignos ſciant. Quâ, veluti falce, ut cum Ambroſio dicam, in pectus noſtrum immiſsâ, omnem ibi terrenarum cupiditatum ſilvam, uno ictu ſuccidit, poſiturus in eo divinum illud perfectæ caritatis ſemen, cujus tanta eſt fœcunditas, quanta cordis noſtri ab omni terrena cupiditatum ſterilitas.

Sermon. 33. de Serb. Dom.

Lib. 2. Offic. c. 25.

In rebus etiam minimis Paupertas ad perfectionem neceſſaria.

Nec ſibi quiſquam blandiatur, jactans rerum, quibus vel ad decorem, vel ad delectationem, vel ad commodum utitur, tenuitatem nihil officere Paupertati: habere illam gradus, ſummum, medium, infimum: in quo quiſque conſtiterit, intrà virtutem ſtare: neque enim continuò malum eſſe, quod non eſt optimum. Nos verò, qui non vivimus in antris & ſilvis, ut olim Anachoretæ, minimè dedecere honeſtiorem aliquem cultum, qui huic, quam profitemur, & agimus, mediæ & communi vitæ diſſentaneus omninò non eſt. Qui in hunc modum ratiocinantur veritatis ſpecie aliquâ ad fallaciam aſſumptâ, eos primùm rogatos volo; an, cùm ſe, ac ſua omnia, Deo, ritè, & ſanctè voverunt, partem aliquam, perexiguam licet, ac minimam, de ſumma decerptam, quaſi factâ exceptione, ſibi reſervarint? Id verò ſua cuique conſcientia conſtantiſſimè pernegabit. Quis enim, cùm ad Societatem, etiam per calcatum patrem venit, non ab omni caducarum rerum deſiderio, atque amore prorſus vacuum, ac purum cor ſecum attulit, atque obtulit Deo; ut totum ſe cæleſtibus impleret, quem jam terrena nulla occupabant? Iam quid tam longè, ac retrò agi nos ſinimus, ut eorum, quæ jam pridem rectè intellexeramus, obliti, &, ut inquit Caſſianus, vim Evangelio inferentes omnimodam nuditatem, & rerum etiam exigua-

Lib. 7 c. 16. de ſpir. philarg.

exiguarum renuntiationem, Paupertati, quam profitemur, & voti, quod emiſimus, integritati neceſſariam non eſſe judicemus? Neque verò, quod ea, in quorum comparatione uſuque occupamur, levia, & modica ſint, leve, & modicum eſt detrimentum, quod animæ inferunt: ſunt enim, qui in hac veritatis, & lucis ſchola, ita miſerabiliter aliquando cæcutiant, ut niſi trabes in oculis ferant, nihil ſentiant: feſtucis, quia non totum lumen extinguunt, eruendis, excutiendisque, manum non adhibeant. Quod ii faciunt, qui, cùm ſupervacaneis abundent, quòd ea, etſi fortè non pauca, tamen non adeò ingentis pretii videantur, nulla eſſe exiſtimant: &, quòd divites non ſint, ſi cum divitibus ſæculi comparentur, non tamen intelligunt ſe mundi pauperes eſſe, non Chriſti. Dum verò odioſam Deo rapinam in holocauſto defendunt, ipsâ rerum, quas poſſident, exiguitate; mirum ſanè eſt, ſi non vident hinc ſe accuſari potiùs, quam defendi: nam, vel eò pudendum eſt magis, quòd ſumma illa, atque abſoluta Dei dilectio, quæ eſt forma ſanctitatis, theſaurus, omni comparatione major, tanti apud eos non ſit, ut ei perfectè acquirendæ hoc tantulum pretii, quod ſupereſt, modica, inquam, & levia iſta, quæ poſſident, impendere nimium putent, fruſtrà ab evangelico Mercatore edocti, rerum prorsùs omnium diſpendio, pretioſum illud magaritum comparare; in quo uno, rerum omnium compendium eſt. Illud etiam quàm miſerabile; quod ii, qui magna non poſſident, poſſideantur à parvis? Nam, ut rectè monuit Cyprianus, non eſt habere iſta, ſed haberi: ſi affectui noſtro tàm fortiter imperant, ut ne rem quidem Deo gratiſſimam, & religioſæ perfectioni in primis neceſſariam præſtituri, ea dimittamus. Adde, quòd, cùm Paupertati comes, ſi non individua, aut quotidiana, certè aſſidua, & frequens accedat neceſſitas, pronum eſt intelligere, quàm patienter, ne dicam hilarè, laturi ſint neceſſaria ſibi deeſſe, qui tam obſtinatè volunt etiam non neceſſariis abundare.

Quæ dum memoro, ſubit animum, nec ſine mœrore, fateor, recordatio nonnullorum, qui ſibi infeliciter, aliis damnoſe acuti, laxandæ, ultrà jus, fasque, omne Paupertati ſua quædam commenta excogitant, vel aliundè conquiſita, in vulgus efferunt, docentes gravia quædam, & factu admodùm periculoſa, ſalvâ, atque integrâ Paupertatis, & voti obligatione, licere: invehuntque ea paſſim ejusmodi rerum ignaris, ne, ut ajunt, imperitiâ ſuâ decepti, trepident timore, ubi non eſt timor, & fruſtrà peccent, ſi forte illicitum putent, quod doctorum hominum arbitratu, quorum munus

Quàm pernicioſum ſit opiniones Paupertatem relaxantes diſſeminare.

eſt, haſce de conſcientia quæſtiones diſſolvere, tutò, & ſine ulla culpæ ſuſpicione, fieri poſſe ſtatuitur. Quâ ſanè pietate, nihil crudelius fingi poteſt: nam, ut non omni probabilitatis ſpecie careant iſtiusmodi opiniones, an eas, operæ pretium eſt, paſſim diſſeminare, ut error, & ſcrupuli, paucis eximantur, plurimis ingerantur? Neque ejus inſcitiæ ſunt omnes, ut non ſatis intelligant, quàm incerto duci abducendos ſe committant, à recta, & regia via, cùm in Paupertatem audent quidpiam eorum, quæ certis quibusdam ratiunculis, fieri impunè poſſe audiunt: videntque ſtare ex adverſo, & contradicere, non modò ſapientum virorum conſenſum, & vocem; ſed verò etiam Præpoſitorum Generalium decreta, qui haſce commentitias, & noxias opiniones, procul à Societate ablegarunt: quo fit, ut veritatis incerti, & non ſine magna ſuſpicione erroris, audacter magis, quàm fidenter faciant, quod poſteà, ubi reſipiſcunt, averſentur, ſeque ipſos inconſultæ temeritatis damnent, veriti, nec ſine cauſa, ne ſibi magis ſua cupiditas, quàm periculoſæ ſententiæ ratio perſuaſerit. Quare qui ſcrupulis liberare ſe poſſe imperitos jactabant, pœnè ſcientes, in errorem, aut dubium trahunt: operâ quidem in ſtudendo malè collocatâ, ſi ea diſcunt, & docent, quorum, ut Auguſtini verbis utar, *melior eſt fidelis ignorantia, quàm temeraria ſcientia.* Sed eſto ea, quæ in hunc modum ad Paupertatis laxationem excogitantur, ſint non ſine aliqua rationum firmitate, ſatis probabilia, non tamen ideò utiliter evulgantur; cùm rarò, & parùm proſint; ſæpè, & plurimùm noceant. Cùm enim ii, qui à votorum obligatione, ſolutiones ejusmodi, & licentias amant, & in uſum trahunt, non ex eorum numero procul dubio ſint, quibus diſciplina, & perfectio cordi eſt, ſed inertium, & remiſſorum, quibus ſummæ virtutis loco, eſt tantùm non eſſe ſacrilegos: an ii, quæſo, ita ſe continebunt, ut eò tantùm usque procedant, quò per ſummam ejusmodi opinionum indulgentiam licet? Nequaquam: ſi ſapientum hominum teſtimoniis, & magiſtræ rerum experientiæ, fidem ullam habemus: nam, ut è ſublimi montium jugo, continenter ad ima decurrentes, lapſum repentè ſiſtere, & pedem figere, ubi primùm volunt, vix unquàm poſſunt; ſed præconcepta vis, atque impetus nolentes agit, devoluitque etiam invitos; ſic, qui ad id omne feruntur, quod quâcumque tandem conjectura licitum putant, ſæpè ad illicita delabuntur, & amantes periculum, pereunt in illo.

Sermon. 22. de Serb. Apoſt.

Et hæc quidem hactenùs ad privata damna ſingulorum. Iam, quid univer-

univerſo Ordini accidit, ſi in eo hæc cathedra peſtilentiæ ſcholam habeat, & magiſtros? Nemo ſibi perſuadeat, in religioſas familias, in quibus veteris diſciplinæ ſeveritas adhuc viget, & imperat, licentiam, & vitia apertâ, explicatâque fronte impudenter irrumpere. Nam ea, & loci ſanctitas procul arcet, &, ſi quà fortè pedem intulerit, continuò, æqui bonique vindex Juſtitia, eodem flagello, quo in reos nocentes animadvertit, vitia ipſa exterminat. Per fraudem ſubeunt clanculùm, & perſonata; tunc magis timenda, cùm ſpeciem boni, vel ſaltem non illiciti operis, mentiuntur. Et primùm quaſi verecundè, ac timidè, paucos occupant; &, ſi hos impunè, mox ſenſim ad alios prolabuntur, creſcuntque in dies; donec vulgare malum fit, & tam apertè domeſticum, ut illud ferre, quàm expellere facilius videatur, & univerſus Ordo ſe circumſpiciens, alium ſe eſſe, quodammodo & ipſe miretur. Spirat ſanè, vivitque etiam, qui phthiſi aut alio ejusmodi exitiali morbo conficitur, ſibi incommodus, aliis gravis: at, quis ita vivere præoptet, attritis viribus, & vix ſpiritum ducens, ſi integrâ, & firmâ valetudine uti poſſit, tantùm ut velit? Nos verò, quid eam imbecillem, infirmam, & præ ſumma debilitate enervem, & caducam Paupertatem malumus, cum qua ſpiritus vitam vivere vix poteſt; agere, & exercere, quod operoſi, & validi eſt, omninò non poteſt: non verò alteram illam firmam, ac robuſtam, quæ luctari cum adverſario poteſt, neque dejici, aut teneri, quia nuda eſt; & Chriſtum ſequi non longè, ſed conſequi, quia expedita eſt; & nullo onere gravis, etiam ad ardua nititur; & ſtatutam pauperibus ſpiritu copioſam mercedem obtinere, quia nihil terrenarum opum præ cæleſtibus habet?

At, quando de iis, qui, per ſummam opinandi licentiam, Paupertatis jura infringunt, & diſciplinam laxant, ſatis in præſentia dictum eſt; ratio poſtulat, ut è contrario videamus, quàm religioſè, ſanctèque de ea ſenſerit noſtri Ordinis Inſtitutor, *cujus decreta* (ut olim de Magno Athanaſio Nazianzenus) *pro Moyſaicis tabulis à nobis excipi æquum eſt, Dictatore ſcilicet* DEO *earum legum, quas nobis* Ignatius *promulgavit.* Primò, igitur, Paupertatem Societatis *Propugnaculum* vocat: non eo tantùm nomine, quòd, ut propugnaculis Urbes, ſic & Paupertate Societas muniatur; ſed, eo potiſſimùm, quòd, ut continuò ſubjicit, omnis adverſariorum conatus, in eam, vires, & arma intendat, quâ vel dirutâ, vel occupatâ, cætera omnia evertere, atque exſcindere nullo negotio poſſit. Atqui ut arcium muni-

Quid de Paupertate ſenſerit, ſcripſeritque S. Ignatius.

Orat. 3. in laud. Athanaſ.

P. 6. cap. 2. & 10.

tionibus à duplici hoſte ſimul cavendum eſt, ſcilicet ab externo oppugnatore, & à proditore domeſtico; ne ille per vim, aggere jacto, & admotis machinis, & tormentis, vallum tranſcendat, aut hic, occultâ conjuratione, portam dedat, & hoſtem admittat; ita etiam Paupertati, ab aperto quidem hoſte, qui dæmones ſunt, cavendum ſedulò eſt; ſed præcipuè à domeſtico, & clandeſtino: hoc eſt (inquit S. Pater) ab iis, *Qui ea, quæ à primis Fundatoribus bene ordinata fuerant, innovant per declarationes, & innovationes, primo illorum ſpiritui, minimè conſentaneas.* Quare, ab his primùm Societati proſpectum voluit, eâ ſanctione legis, nullo unquàm tempore abrogandâ, ut *Quicumque in ea Profeſſionem emiſerint, ſe ad innovationem Conſtitutionum, in iis, quæ ad Paupertatem pertinent, nihil facturos promittant: niſi aliquo modo, pro rerum occurrentium ratione, eam in Domino magis reſtringendam judicarent.* Aſſertâ in hunc modum Paupertate, ab inteſtina, & domeſtica ſuorum conjuratione: jam, quod reliquum erat, eam ab externis hoſtibus, ducto in omnem partem muro, aggere, & foſsâ, defendit, nihil præteriens eorum, quæ ſubmovendo amori proprio, ſub quo omnis cupiditas militat, opportuna eſſe videbantur. Ac primò, Societatem ingreſſuros, in ipſo ſtatim veſtibulo admonet, ut *ſui victûs, potûs, veſtitûs rationem, ſibi perſuadeant, fore, ut pauperibus accommodatam.* Tum: *nullâ re tanquàm propriâ uti debere: & mutuò dare, vel accipere, vel diſpenſare quidquam de iis, quæ domi ſunt, minimè poſſe.* Et: *paratos eſſe ad mendicandum oſtiatim: Et, nihil proprium domi tenere, nec foris apud alios:* & ex iis, quæ de communi data fuerint ad uſum ſuum neceſſarium, aut convenientem, reſecatis ſuperfluis, contentos eſſe debere: ſtipendia vero, immò nec eleëmoſynas, pro rebus quibusque ſpiritualibus, nulla admittere. Denique, quod univerſa, uno verbo complectitur, diligere Paupertatem *ut Matrem.* His ille, atque aliis ejusmodi operibus, munitionibusque, circà Paupertatem diſpoſitis, omnem aditum præcluſit amori proprio, quo nihil ad decipiendum doloſius eſt, nihil ad impugnandum validius. Solitus prætereà dicere, eum ſibi denique videri pauperem ſpiritu, qui ergà ea, quibus uteretur, ſic eſſet affectus animo, ut inſtar ſtatuæ cujusdam videretur eſſe, quæ nullo pacto reſiſtit recuſatve quò minùs omni quamvis pretioſo amictu, & ornatu confeſtim exuatur. Quid verò (neque enim committam, ut in præteritis habeam id, cujus eſt in hac re dulciſſima recordatio) quid, inquam, tanta illa Sanctiſſimi Parentis in orando aſſiduitas,

P. 6. c. 2.

Ibidem.

Exam. c. 4.

P. 3. c. 1.

P. 6. c. 2.

P. 3. c. 3.

tas, nocturnæque vigiliæ, & uberes lacrymæ, & immiſſa rerum planè divinarum ſenſa, & redundans cæleſtium ſuavitatum copia, æſtusque animi divino igne flagrantis, ſeſeque ipſum præ ſpiritûs impetu vix ferentis, & quidquid præterea idem ipſe in commentarios retulit, ut ſibi quotidie repræſentaret ea, quæ Deo doctore didicerat, totis illis quadraginta diebus, quos in aſſidua precatione conſumpſit, ut unum hoc tutò, & ſine errore diſcerneret, licerétne Profeſſorum Domibus, quæ totæ liberali hominum miſericordiâ victitant, ſacras ædes, vel modicis cum proventibus poſſidere; ut haberent ſaltem, unde neceſſarios ſumptus in inſtrumentum templi, cæterosque ſacros uſus ſuppeditarent? Exſtant adhùc ea omnia, & quidem ſingulari Numinis providentiâ, & conſilio, ſola præ cæteris, quæ ſancti viri, & ad ſua diſſimulanda, & contegenda ſtudioſiſſimi, modeſtiâ exciderunt: exſtant, inquam, non tam ad ipſius, quàm ad Paupertatis commendationem. Nam, ſi tantùm divinæ lucis exquiſivit, & hauſit, tam diuturnâ, & familiari cum Diſcretore ſpirituum Deo communicatione egit, ut rem non adeò magni momenti, ſi cum cæteris comparetur, certò ac tutò ſtatueret; quanto lacrymarum, & precum impendio, eidem conſtitiſſe putandum eſt eas, quas ſuprà memoravi, de abſoluta à rebus planè omnibus nuditate, ad univerſam Societatem Conſtitutiones, ac Leges? Quàm non niſi immiſsâ cælitùs mente, & divino actus illapſu, eas ſanxit, conſtituitque! electurus adhuc arctioris, & pauperioris vitæ modum, ſi è majori divini Numinis gloria futurum intellexiſſet, ut noſtræ tantùm, non etiam proximorum ſaluti proſpiceret. At, quia ſtudiis aſſiduè occupatos, in conquirendo oſtiatim victu, diſtrahi, & quotidianis exercitationibus fatigatos, nimiâ rerum inopiâ inſuper frangi minimè oportebat, quæ ad vitæ uſum, & ad laborum tolerantiam neceſſaria erant, concedenda prudentiſſimè judicavit. Rem tamen communem omnium, cum privata ſingulorum, ità compoſuit, & temperavit, ut nihilominùs perfectisſimæ Paupertati locum faceret, dum, quidquid eſt ultrà neceſſitatem, ſive ad commodum, ſive ad ornatum, quaſi de opulentia damnat, & ſuperfluis omnibus interdicit.

Atque hæc ex priore finis noſtri parte, quæ propria cujusque ſanctitas, & perfectio eſt, ad abſolutæ Paupertatis commendationem, petita, ſint ſatis. Venio jam ad alteram, eamque, ſi probè, ac diligenter expendatur, equidem non minoris momenti, ac ponderis. Ea eſt ſtudium, & caritas in procuranda proximorum ſalute: quod, quia vocationis Apoſtolicæ officium,

Perfectæ Paupertatis neceſſitas oſtenditur ex cura proximorum.

cium,

cium, & munus eſt, quid in hanc rem opportunius afferri primo loco poteſt, quàm ipſa Apoſtolorum conditio, & ſtatus? Quos, ſi oculis noſtris ſubjicere, & repræſentare velimus; occurrunt non modò tenuis, ſed planè nullius fortunæ homines, quibus patrimonium omne, navicula, & rete; cenſus ex quotidiano piſcatu; victus, quantum vulgari, & parabili cibo, ad vitam in dies trahendam, vix, atque ægrè ſufficeret; cultus denique univerſus, agreſtis, & rudis; & res domi, vel anguſta, vel nulla. At, eo, vel maximè ad Apoſtolici muneris adminiſtrationem idonei: tantùm, ut illud ipſum exiguum, ac propè nihil, quod poſſidebant, & verò etiam (idque potisſimùm) cupiditatem, & ſtudium omne, quidquam in poſterum comparandi, ultrò abjicerent. Sapientisſimè enim conſtituerat DEUS, ut cæleſtes theſauros hominibus impertirent homines, quibus terrenæ opes nullæ eſſent, vel in pretio, ut eas conquirerent; vel in uſu, ut posſiderent: Nam, quâ fronte in conſpectum Orbis terrarum, prodirent Apoſtoli, aut quantâ ad perſuadendum efficacitate, ac vi, infinitam immortalium bonorum ſuprà mortalia omnia dignitatem extollerent, ſi interim ipſi, paupertatis incommoda, & dedecus averſati, terrenis utcunque opibus inhiarent: & quod ſtruere verbis moliebantur, exemplo verbis omnibus ad perſuadendum validiore, deſtruerent? Atqui, è contrario DEI in homines munificentiæ, & fidei debebatur, ut qui ejus nomine mortalibus æternitatem, ærumnoſis beatitudinem, pauperibus felicitatem, & regnum pollicebantur, ipſi, primùm, oſtenderent, terrena hæc, & caduca, quæ cæleſtium ignoratione, mortales quaſi ſola, aut ſumma ſuſpiciunt, nullo apud ſe in pretio eſſe, ſed nihil habentes in ſola ſpe futurorum omnia poſſidere. Atque hinc factum eſt, ut cùm veritatis Magiſter JESUS, per deſignatos à Joanne diſcipulos, rogaretur, numne ipſe eſſet, qui venturus erat; an alium expectarent? renunciare illos juſſerit ea, quæ audierant & viderant, certa quædam de ſe argumenta proferens, atque illud, inter cætera, ſingulare, Pauperes evangelizari: quorum nomine Hilariùs, aptiſſimè cenſuit Apoſtolos indicari. Jam, quid in Evangelii promulgatione præſtiterint, cùm imperium Chriſti, & Eccleſiæ fundamenta ſtatuerent, toto Orbe terrarum, non eſt hujus loci commemorare. Juvat ſolum Iſaiam audire, cùm de ſublimi ſpecula futura proſpectans, & mentis oculo cernens, ſubactas Chriſti jugo gentium pœnè omnium nationes, atque idololatriam flagitiorum omnium parentem, cum ſua ſobole profligatam; tanti operis miraculum, illo quaſi epiphonemate,

mate celebravit: *Conculcabit eam pes, pedes Pauperum, greſſus egenorum.* *Apoſtolorum ſcilicet*, inquit Hieronymus, *qui Chriſti paupertatem imitantes, etiam privilegia conſecuti ſunt.* Quare, ut ad novæ legis prædicationem, donis ſanè quàm ampliſſimis à Deo inſtructi prodierint Apoſtoli, ea tamen, quaſi vix ullo in numero habenda eſſent, Iſaiæ præterita ſunt, & devicti Orbis terrarum gloria uni Paupertati adjudicata: more exemploque, immò magis conſilio, atque inſtinctu Dei: ut, quos ad idem Apoſtolicæ vitæ inſtitutum in poſterum vocaret, intelligerent, quantum ad id muneris habeat momenti, ſi non ſola, at præ cæteris voluntaria Paupertas. Quod ut adhuc luculentiùs teſtatum apud vos ſit; quanquàm hominum, Apoſtolicâ caritate, & ingenti animarum lucro clariſſimorum, exempla pœnè innumerabilia ſuppetunt; unum tamen, aut alterum, proferre conſilium eſt. Inficiebat Eccleſiam peſtifera Albigenſium lues, jamque Toloſates corruperat longè majus exitium, & contagione hæretici dogmatis, & vi, atque impetu armorum datura; niſi malo, latiùs in dies gliſcenti, prohibendo, manus valida adhiberetur. Eò igitur, ubi tam periculosè res Chriſtiana laborabat, Summus Pontifex, viros, religione, & ſapientiâ ſpectatiſſimos legavit; qui, ut curam omnem pro rei gravitate, diù, multùmque poſuerint; vix tamen ullum diligentiæ, atque operæ ſuæ pretium retulêre: donec eodem miſſus ſanctiſſimus Patriarcha Dominicus, animadvertit longè aliter, atque illi, qui ſe in eo labore anteceſſerant, agendum ſibi eſſe: ſcilicet, non dignitate perſonæ, non ſplendido comitatu, non pretiosâ ſupellectili, non denique inſtructâ ad majeſtatem ſpecie, auctoritatem & gratiam aucupandam. Quare totus ad Apoſtolici concionatoris formam compoſitus, in pauperrimo corporis cultu, detractis etiam calceis, & mendicato victitans, prædicationem apud infectos hæreticâ lue populos, aggreſſus, brevì illud effecit, quod Deo Regius Vates adſcripſit: *Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum:* ut facile poſtmodùm fuerit putreſcens illud Eccleſiæ membrum, jam incolume, atque integrum, ſuo corpori reſtituere. Quod ſi & domeſtica, ideoque ad imitationem magis accommodata exempla deſideramus; unum, ad id, præ omnibus, promam, ſed qui inſtar multorum eſſe posſit, Franciſcum Xaverium, qui viam Indis in Cœlum, Societati in Indiam primus aperuit. Eum ubivis locorum quæramus, ubique ſanè non minùs Paupertatis, quàm Caritatis Apoſtolicæ virum inveniemus: atque ejus Paupertatis, quæ non plus ipſi ad gloriam,

ſ. 26. n. 6.
Hieron.
Pſalm. 106.

quàm aliis ad ſalutem contulerit. Hanc ſibi comitem adſcivit, ab ipſo ſtatim ſuæ peregrinationis initio: ſic enim, ex Vrbe, & complexu ſuorum diſceſſit, ut nihil ſecum, præter ſimplicem corpori tegendo veſtitum, & in quotidianas preces Breviarium, extulerit. Hanc, in Indiam ſolvens, omnis viatici, & commeatûs loco, ſibi futuram, in navim ſecum intulit; præter ſimplicem craſſiore textu lacernam, ad arcenda circà Bonæ Spei Promontorium, frigora, & ſacros aliquot libellos, nihil ex iis, quæ Regius curator illi complura afferebat, ad uſum navigationis admittens. Nautici funis volumina jacenti illi pro culcitra, & cervicali erant; cibus in dies precariò quæſitus; veſtis longo uſu attrita, aut centonibus paſſim aſſutis, deformata, donec amicorum aliquis, eâ clàm, & furtim ſubductâ, aliam, paulò honeſtiorem, reponeret; induſia, & calcei (quamquàm plerumque nudis pedibus incedebat) à claſſiariis militibus, eleëmoſynæ nomine, ultrò delata; hoſpitium in publico valetudinario; & cùm Goæ inter Socios degeret mendicato cibo, potuque victitabat. At, num propterea, vel de fidei ſplendore, vel de Xaverii dignitate, ſumma hæc rerum inopia, quidquam detrahebat? quin è contrario, utrique, exiſtimationis, & gratiæ, indè plurimum accedebat: Nam, ut de cæteris ſileam, cùm mendicitas, ultimæ infelicitatis, atque ignominiæ nota ſit apud Iapones; tamen eam in Xaverio etiam venerabantur, habebantque firmiſſimi argumenti loco, tum, ut Chriſtanæ legis, & fidei ſublimitatem perciperent, quæ præter Cælum, & res ſempiternas, nihil in pretio haberet; tum etiam, ut Xaverii ſanctitatem cognoſcerent, qui ejus, quam prædicabat, divinæ ſapientiæ, & cæleſtis vitæ formam, actibus exhiberet. Iam ergò, licet non ejusdem amplitudinis, atque ubertatis campus, ubique locorum, & gentium, nobis, qui Xaverio in India, aperiatur, tamen intrà fines quisque ſuos, tantùm ut velit, & plurimum habet quod agat, ad remedium, & ſalutem animarum; & ſi muneris ſui partes obire tutò, ac feliciter velit, non aliam incedat viam neceſſe eſt, quàm eam ipſam, quam Apoſtoli primùm, tum eorum veſtigiis, ſanctè, & religiosè inſiſtentes Apoſtolici viri, Majores noſtri, nobis ad exemplum præierunt. Et ſanè, quotiescunque mihi in memoriam revoco, breve illud, & efficax B. Parentis noſtri verbum, quo Societatis operarios, quaſi expreſſâ imagine demonſtrabat, ſolitus dicere, eos, altero tantùm pede terræ inſiſtere, altero ad iter ſuſcipiendum, ſublevato eſſe debere; videor mihi intelligere, non eam ſolùm alacritatem, quâ ſtare ſinguli debe-

mus

mus *ſuccincti lumbos, & calceati pedes, in præparatione Evangelii pacis*, verùm etiam, expeditiſſimam illam Paupertatem, quæ in hunc modum, ſtantibus tam neceſſaria eſt, quàm iis, qui ſe mari committere deſtinant, anchoras ſolvere, & navem procul à terra ſubducere. Nam, ſi temporalia diligere, eſt radices cordis, qui ſunt animæ affectus, in terram immittere, atque ibi hærere, atque affigi, unde humor aliquis ad cupiditatum alimentum exſugitur; apertè intelligitur, quam ab omni terrenarum rerum amore, ac deſiderio expeditos nos eſſe oporteat, ut ſimus, quos noſtræ vitæ ratio poſtulat, omnium horarum Operarii, parati *circuire docendo, & nihil tollere in via, non peram, non panem, neque in zona æs.* Quod præſtare equidem non poſſunt ii, qui ſuis corporibus magis, quàm proximorum animabus addicti, rei domeſticæ inopiam, cubiculi anguſtias, victûs difficultatem, ſtrati duritiem, & cætera Paupertatis incommoda, ferre, prompto, atque alacri animo, minimè conſueverunt. At, qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini IESV Chriſti, quod fecêre olim Paulus, & Barnabas; quod & modò faciunt, qui Apoſtolicæ vitæ formam, atque inſtituta ſectantur, vel ea ipſa, ſine quibus vita niſi incommodè ſuſtentari non poteſt, deeſſe ſibi patiuntur, ut evangelizent de Regno DEI. Quod demùm eſt quærere non quæ ſua ſunt, ſed quæ IESV Chriſti; rem enimverò paucorum, ut vel in aureo illo naſcentis Eccleſiæ ſeculo Paulus lamentabatur.

Epheſ. 6. *Marc. 6.* *Actor. 15.* *Philipp. 2.*

Porrò, ut jam ad hoc, recto ordine veniamus, ſexcentæ quidem ſunt dæmonum machinationes, quibus Paupertatem ſubvertere totâ vi connituntur: at, illæ præ cæteris metuendæ, quæ vim dolo occultant, eoque plurimùm nocent, quòd minimum timeantur. Harum validiſſimæ, quantùm ego intelligo, duæ ſunt; Honeſtas, atque Neceſſitas: nomina planè innocentia, atque ideò ad fraudem magis accommodata. Ac primùm, ut de Honeſtate dicamus, ſunt, qui S. Bernardum in medium proferant profitentem, ſe, vel in ipſa Paupertate, à ſordibus abhorrere. Egregiè dictum, niſi contrà mentem auctoris, miris, & miſeris modis, in luxûs, & nimiæ elegantiæ patrocinium, detorqueatur. Quid enim? an in caſis, & ſub humili tecto, ſine immunditia, & illuvie, quæ ſocordiæ, & ignaviæ fæx quædam eſt, habitare Paupertas non poteſt; & vulgari, ac rudi panno, ſed mundo, amiciri; & refectis calceis ſatis honeſtè incedere? Paupertati paupertas non eſt turpitudini, ſed decori: nec ullâ re, quàm ſeipsâ, ſplendidiùs exornatur. Abſint modò ſordes, quæ vitium ſunt, non Paupertatis,

Honeſtas, & Neceſſitas ad ſubruendam Paupertatem adhibita.

De Honeſtate.

ſed negligentiæ, benè culta eſt ſine cultu: ut naturalis atque ingenuæ formæ excellentia, non indiget, ad gratiam, quaſi lenocinio quodam, calamiſtris & fuco. Hilarionem ſcio, ſaccum, quem primò induit, nunquàm laviſſe: mirantibus, reſpondere ſolitum, ſupervacaneum eſſe munditias quærere in cilicio. Sed hoc hominis ſolitarii, &, præterquàm ſibi, & Deo, nulli mortalium noti laus etiam ſit, nedum licentia. Quamquàm & ſolitarios pleroſque vitæ ſanctitate conſpicuos, ſordes ex ciliciis detergere ſolitos ſcimus. Nobis, quibus communis vitæ ratio eſt, & hominum uſui accommodata, ſordidis eſſe non licet; arguuntque ſocordium in hac parte, fœditatem S. Parentis edicta, atque exemplum: ejus enim neque paupertati, neque munditiæ quidquam addi potuiſſe vetus memoria eſt: decet quippe, ut animi, ita & corporis habitum ſibi pariter reſpondere, & nihil intùs maculoſum, & ſordidum, occultare, nihil foris incomptum & indecens præ ſe ferre: Vt enim, *in rebus fabricatis*, inquit Auguſtinus, *nullâ cogente neceſſitate, iniqua partium dimenſio, facere ipſi aſpectui, velut quamdam videtur injuriam*; ſic etiam, incompoſita & fœda impoliti hominis ſpecies, intuentium oculos ferit, atque animos abalienat: tanquam interioris formæ imago ſit ea, quæ foris oſtenditur, inconcinna cultûs & habitûs turpitudo. At, quidquid ultrà munditiam, nobis jam non ad virtutem decenter, ſed ad vitium deformiter comparatur: non enim tam indecorum eſt hominibus ſæculi etiam ſummam rerum inopiam pati; quàm Pauperibus Chriſti, ſpeciem divitum, habitu, & cultu exquiſito, affectare: nam illis egeſtas, fortunæ & neceſſitatis conditio eſt, eamque inviti ferunt: nobis, voto noſtro, voluntaria eſt, & pars maxima gloriæ, cùm Regi Regum Dei Filio, quò pauperiores, eò magis ſimiles efficiamur.

Lib. 2. de Ordine c. 11.

Ab hoc capite periculum eſt iis, qui Aulas frequentant.

Iam, licet hæc ſub falſo nomine Honeſtatis vera vanitas, & ſuperbia afficere univerſos poſſit; at longè faciliùs eos, qui ſplendida miniſteria obeunt; ac eos in primis, qui Principum Aulas frequentant: nam loco præcipiti, & lubrico inſiſtere, nec in proclive labi, immò pronos ad caſum ſuſtinere, & labentes in ſublime deducere; res eſt virtutis admodùm raræ, ideoque eximiæ. Societas quidem habuit, & porrò, ut ſpero, etiam habebit ejuſmodi hominum plurimos, pro quibus non modò ſolicita non ſit, verùm etiam, ſibi ipſi plurimùm gratuletur, eoſque in edito illo, atque ancipiti Aulæ faſtigio, ſecuros à vertigine, & caſu, ſuſpiciens illud Ambroſii de myſticis Capris in montium, & rupium jugis, tutò degentibus, læta uſurpet:

uſurpet: *Vides, quòd in altis grex iſte paſcitur, audax in monte. Itaque, ubi aliis periculum, ibi gregis hujus alimentum, ibi cibus dulcior, ibi fructus electior. Spectantur à Paſtoribus ſuis dumoſa de rupe pendentes, ubi luporum incurſus eſſe non poſſunt, ubi fœcundæ arbores fructum integrum ſubminiſtrant. Cernere licet uberi lacte diſtentas ſuper teneram ſobolem maternâ pietate ſolicitas.* Horum ſanè virtus ut ſuprà communem modum eſt, ita & gloriæ magnitudo: quin & ipſorum merito, Societati univerſæ (quam de ſublimi, & conſpicuo loco publicæ luci, atque omnium oculis ſpectandam repræſentant) plurimum exiſtimationis, & ſolidæ laudis accedit: ut vel hoc nomine, dæmon, quantùm ingenio, & viribus pollet, eorum firmitati adverſetur, ſtudeatque vehementiſſimè, eos, de tam præclaræ virtutis conſtantia dejicere; quorum lapſus, ſine publica labe, & communi detrimento eſſe non poteſt. Quare eos tantò acriùs adniti oportet, ut nihil de recti propoſito, nihil de religioſæ diſciplinæ ſtudio, ac ſeveritate remittant: quòd non ſibi ſolis ſtent, aut cadant, ſed ſui quoque de ipſorum actibus æſtimentur. Et multa quidem ſunt, eaque ſanè graviſſima, in quæ, niſi ſedulò ſibi caveant, quàm facilè, tam periculosè prolabi poſſunt. Et ne à Paupertatis propoſito abeam: Primò quibus Aulæ magnificentia, & ſplendor frequenter aſpectui obſervatur, facilè evenit, ut cùm deindè oculos ſpecioſarum imaginum plenos, in religioſam domum convertunt, ac nihil, quod non tenue, & exiguum ſit, vident; tacitâ quadam comparatione deſpiciant univerſa, ac ſibi videantur inter ſuos quaſi in ſqualore, & ſordibus eſſe: quo fit, ut à Paupertate paulatim averſi corpori domi velut accommodati, animo in Aula perpetuò verſentur. Deinde ut eos quodammodo ſui pudeat, ſi ſe in vulgari, & communi veſtitu, Magnatum, & Principum ſerico, & purpuræ inferant: aut ſi eos ad ſe adventantes, in anguſtam, & pauperem cellam admittant conſpecturos ſupellectilem non ornatu, non copiâ ſaltem, ad ſpeciem, & dignitatem inter cæteros excellentem. Denique, ut quam in Aula obtinent gratiam, & auctoritatem, eam & domi, apud ſuos, ita velint, ut ſaltem à reliquis, amplitudine, & magnificentia cultûs aliquantò honeſtioris diſtinguantur. Atque utinam non etiam ſimplicem, & parabilem communis menſæ cibum, cui a tot annis, integra valetudine aſſueverant, ex qua primùm die in Aulam acciti ſunt, quaſi mutato repentè ſtomacho, & palato faſtidiant: ut jam, nonniſi ſubmiſſis ex Regio epulis, uti velint oſtentationi, & gulæ, non neceſſitati, & fami conſulentes

In Pſalm. 118. Serm. 56.

ſulentes! Atque ita fit, ut qui familiari conſuetudine, & uſu religioſam modeſtiam in Aulam inferre debuerant, è contrario, aulicam pompam, & delicias, in Religionem invehant: eò perniciosiùs, ſi ſe inſuper ita tueantur, ut manum adhibere, & intolerandæ licentiæ modum ſtatuere aliquando velle penè capitale ſit: peſſimâ neceſſitate, ut nec ferri poſſint, neque corrigi velint. Quare ſi qui fortè ſunt, in quos aliquid ejusmodi vitiorum, ex Aula tranſierit, videant quàm pro re ſua improvidè, nèdum ſecundùm virtutem indecorè, ac turpiter faciant, ſi, ut auctoritatis, & reverentiæ umbram ſibi concilient, eam à cultu corporis, à nitore veſtitûs, & à cætero rerum hujusmodi apparatu, ſuprà communem modum ſplendido aucupantur: cùm apud æquos rerum æſtimatores, religioſo homini, divitiarum, & gloriæ contemptus venerationem; amor, & oſtentatio contemptum pariat. Magnus ille Æthiopiæ Patriarcha, & Societatis noſtræ lumen Andreas Oviedus non dignitate magis, quàm virtutum ſplendore illuſtris, cùm Eboracenſem diœceſim, antequàm in Indiam transmitteret, Sacramenta paſſim miniſtrans obiret, non modò, nullo, ad Pontificiam Majeſtatem apparatu uſus eſt; quin unico itineris comite, eoque de Societate, jumentum ſacrâ ſupellectile ac piis libris onuſtum præ ſe ipſe agebat. Quod ubi Henricus Cardinalis, & Princeps Luſitaniæ, cujus partes Oviedus in eo munere obibat, certis auctoribus comperit, mulam, quâ veheretur, & famulos, rerumque ad neceſſitatem, & commodum, copiam, regiâ munificentiâ dignam ſubmiſit, monens ut dignitatis ſuæ meminiſſe, atque eis uti vellet. Verùm ille, & prorsùs abſtinuit, &, quod olim in ſimili penè facto Xaverius, reſpondit; Evangelicam Paupertatem, Epiſcopo non eſſe dedecori, ſed honori: immò ſi nimiùm decori addatur, nimium detrahi de dignitate, quam Chriſtiana ſubmiſſio, & Paupertas, (quæ vel ſociæ ſunt, vel ſorores) magis, quàm conquiſitus ad pompam apparatus, amplificant, & tuentur. Hæc ille, non equidem omnem Eccleſiæ Principum ſplendorem ulli vitio vertens, verùm ſe, ad veterum Antiſtitum formam componens, atque id eo nomine æquiùs, quòd non ex Aula Epiſcopus, & Patriarcha deſignatus, ſed ex Religioſæ Paupertatis ſchola prodiiſſet: ſolutus quidem ille legibus noſtris; at nobis, qui Paupertatem adhuc integram profitemur, non modò dignitati ad commendationem, ſed exemplo ad imitationem futurus.

Iam

Jam Honeſtatem ad inferendum Paupertati exitium ſubſequitur æque fallax, at longè damnoſior Neceſſitas: quippè, communius malum eſt, ac tàm latè patens, quàm ſui ipſius amor: qui, dum ad ſpeciem veriſſimè, ad veritatem fallaciſſimè philoſophatur, & Neceſſitatis nomine cenſet quicquid ad commodè, ſi non etiam delicatè, vivendum facit, illud denique obtinet, ut nihil ſibi impunè non liceat. Hinc, illa animi major, quàm rerum egeſtas, abjectio, mœror, & quotidianæ expoſtulationes, & querimoniæ, & pro jure, ac licentia, ut inquiunt, naturæ quæſita furtim remedia, non præſenti ſolùm, ſed & futuræ, quam longè antè proſpiciunt, ac præcavent, Neceſſitati. Hinc, ſuperſtitioſa in cibi, & potûs delectu, ſolicitudo, & exquiſita curandi corporis diligentia, & valetudini omnia incerta vereri, omnia profutura conquirere. Quibus in præſentia omiſſis, ut ſermo mihi vobiſcum ſit de aliquantò, ut ita dicam, honeſtiori Neceſſitate, quam ferre, & pati virtutis eſt, ſed non criminis effugere; utinam ſi de Cælo Bernardus oculos in unumquemque noſtrûm intendat, non illi etiam modò repetendum ſit, quod, dum viveret, quibusdam ſive ſui, ſive aliorum Ordinum hominibus, exprobrabat! *Videmus*, inquit, *pauperes aliquos, qui, ſi veram haberent Paupertatem, non adeò puſillanimes invenirentur, & triſtes, utpotè reges, & reges Cælorum. Hi ſunt, qui pauperes eſſe volunt; eo tamen pacto, ut nihil eis deſit: & ſic diligunt Paupertatem, ut nullam inopiam patiantur.* At, quibus ad vitam in dies tolerandam, neceſſaria ſuppetunt, etiamſi nihil ſuperet, Sapientis decretum eſt, Cajetano interprete, eos vix, atque ægrè numerari inter pauperes poſſe. Qui enim Deum ſic rogat, *Paupertatem, & divitias ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo neceſſaria*; utique, dum extrema inter ſeſe opponit, & rejicit; quod eligit, medium eſt. Divitias igitur abundantia, Paupertatem neceſſitas ſequitur: quæ ex utraque componitur, vita eſt, inter commodum, & incommodum temperata: quâ qui utuntur, fruſtrà cenſeri ſe volunt inter Evangelicos pauperes; quos, è contrario, voluntaria nuditas, omnibus egeſtatis incommodis, ſponte obnoxios facit: quin, & gaudentes, quòd digni habeantur, qui ſublatâ in humeros cruce, poſt Chriſtum euntes, crucis fructus cum Chriſto identidem aliquos guſtent, in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate. Quantum hi ſolidæ voluptatis percipiunt, cum ſua cubicula, & ſeipſos curioſè circumſpicientes, non modò quidquàm non offendunt ſuperfluum, quod redundet, quin, & multa ad commodum, non rarò etiam

De Neceſſitate.

Serm. 4. in Adv. Dom.

Proverb. 30.

quæ-

quædam neceſsitati deeſſe vident! atque eò demùm intelligunt ſe verè ſpiritu, hoc eſt, voluntate pauperes eſſe; quòd, cùm facilè poſsint ejuſmodi rerum indigentiam vel tollere, vel minuere, ſponte nolunt, amantque quod patiuntur. Quin, &, ſi quæ vitæ uſui minùs neceſſaria exiſtimant, iis ſeſe ultrò abdicant, vellentque, ut de nonnullis ait Nazianzenus, præter crucem, & corpus, nihil habere. Inter quos, idem ipſe ex Monacho Epiſcopus, & in Epiſcopatu quovis Monacho egentior: *Quid?* inquit: *Paupertatem mihi objicient? meas ſcilicet opes, & copias. Atque utinam, & pannos hoſce exuere poſſem, ut hujus vitæ ſpinas nudus percurrerem!* Qui tàm generosè in Paupertatem affecti ſunt, ut re ipsâ, commodis, voto etiam neceſſariis, ad vitæ vel ſuſtentationem aliquam, vel decorem, rebus carere, dum poſſint, velint; quæ tanta domi tenuitas, atque indigentia eſſe poteſt, quam non abundantiæ, & deliciarum loco habeant? & ſicubi, pro exiguitate proventuum, aut eleëmoſynarum, quod non raro accidit, etiam integro victui neceſſaria non ſuppetant, idipſum hilarè, & jucundè non excipiant, tanquàm rem votis omnibus optatiſſimam? Quæ, dum apud vos loquor, ſpero equidem, non idem orationi meæ eventurum, quod Bernardus ajebat de lingua amoris, quæ non amantibus, barbarum quiddam, & prorsùs ignotum ſonat. Neque enim hæc eximia, fateor, & ſumma Evangelicæ, Paupertatis perfectio, alia eſt, quàm eâ ipſa, quæ religioſum decet; quamque S. Pater Ignatius, toti Societati communem fore certò ſibi perſuaſerat: idque teſtatum ipſe fecit, datis ad nonnulla per Europam Collegia, literis, quas dùm hic recito, & particulam hanc ſpiritus Patris noſtri, quaſi de ſepulcro, & cineribus, excitatam repræſento; eas ad vos quoque, ab eodem ſcriptas, miſſasque putate. „Multorum, inquit, relatione comperi DEUM ac Dominum noſtrum, vos benignè inviſere, & ſanctæ Paupertatis fructus vobiſcum communicare: incommoda, inquam, quarundam rerum temporalium, quæ ad valetudinem vel tuendam, vel recuperandam, & ad corporis incolumitatem, & ſalutem neceſſariæ eſſent. Quod equidem non exiguæ gratiæ loco habendum eſt: cùm divina largitas, aliquid ejus boni, in cujus deſiderio ſemper nos eſſe convenit, guſtandum vobis propoſuit, ut pro voto, quo nos obſtrinximus, & pro ſanctæ Societatis inſtituto, quod profitemur, ad Ducis noſtri IESU CHRISTI vitam conformemur. Equidem nullus, quòd ſciam, in tota Societate locus eſt, cui conceſſu & munere DEI, aliquid ſaltem hujusmodi gratiæ non obti-

Orat. 43. al. 28. Sùm rediit in urbem.

obtigerit. At, ſi nos in hac parte comparemus cum Fratribus noſtris, " qui per ſummos animæ, & corporis labores, ſtrenuam apud Indos ope- " ram navant, rebus etiam ad quotidianum victum neceſſariis deſtituti, fa- " mem, ac ſitim, oryzâ, & aquâ, vix depellentes (nam panis & vini copia, " multis in locis nulla ſuppetit) in vili & pannoſo veſtitu, aliisque prætereà " ærumnis aſſiduè confecti; quidquid ipſi patimur ſi non leve, ac certè " non admodùm grave videbitur. Concipiamus animo Indiam, atque " ibi nos degere, aut ubi degimus, Indiam eſſe exiſtimemus: nam illa ſal- " tem, ad ejusmodi ærumnarum tolerantiam, ubique terrarum eſſe poteſt: " & ad levandam egeſtatem, quotidiana ſubſidia à ſancta mendicate com- " paremus. Hæc ille ad ejus ætatis, & inopiæ Societatem. Quæ comme-morare æquum fuit, non modò, ut (quod propoſitum mihi erat) ex ipſo B. P. Noſtri ore acciperemus; verùm etiam, ut pudorem nobis incutiant, ſi, cùm hodiè, quàm olim res domeſtica commodiore loco ſit, nos levia ægrè & graviter feramus, cùm è contrario, gravia leviter, immò, & jucun-de ferre debeamus.

Atque hæc, de Evangelicæ Paupertatis, tum neceſſitate, tum impedi-mentis, generatim diſſeruiſſe in præſentia ſit ſatis. Reliquum eſt, ut ſin-gularia quædam, & ad quotidianum uſum præcipuè accommodata, ſubji-ciam, tanquam hujus bonæ arboris bonos fructus: quos S. P. Ignatius, qui ſic eos nominat, eâ ipsâ manu, quâ Ordinis noſtri leges, & jura deſcripſit, deguſtandos nobis proponit. Quorum ille primo loco ſit: ut nullâ re tanquàm propriâ utamur: quod conſequens eſt, ut faciat, qui ſe nihil pro-prium habere, non tantùm intelligit, verùm etiam profitetur. *Quid enim habeant proprium* (inquit egregiè Climacus) *qui ipſum quoque corpus ſuum*, immò, & animæ ſuæ mentem, ac voluntatem, *alieno imperio expo-ſuerunt?* Quis autem de re non ſua, graviter, atque iniquo animo ferat, ſi, qui poteſt, eam ab ipſo, cum libuerit, repetat, aliique utendam conce-dat? Eget ſanè præſens vita quibusdam veluti ſuſtentaculis, ſine quibus de-cidat, & pereat, neceſſe eſt. Ea ſunt, indumentum, cibus, habitatio, ſtra-tum, & ejusmodi reliqua. At, ut arboribus aliter, vites, aliter hederæ ſu-ſtentantur: ſic, & homines, rebus ad vitæ uſum, & valetudinis commo-dum neceſſariis. Vites enim, eò tantùm ſuâ arbore innituntur, ut de hu-mo ſubductæ, atque ex alto pendentes, ſoles & cælum accipiant; cæterùm, ſucco ſuo vivunt, pariuntque fructus, & vinitoris manum, ſi detrahere eas

Aliquot Paupertatis fructus deguſtandi proponuntur.

1. Nulla re uti tanquam propriâ.

Grad. 16.

libuerit, non invitè ſequentur. Longè aliter hederæ, quæ ſe totas arbori circumfundunt, & arctiſſimè applicant, eamque non tàm ramis amplectuntur, quàm laqueis illigant; tum omni ſucco emungunt productis, infixisque, quibus ab imo trunco, ad ſummum uſque verticem, proſerpunt, radicibus; ut non appoſitæ, ſed enatæ, vel inſitæ videantur. Quin, & intercisæ vivunt tamen, individuo malo, niſi prorsùm detrahantur. At, quàm periculosâ, & difficili operâ! cum hoc, ut Bernardi verbis utar, non exſpoliare ſit, ſed excoriare. Neque tantùm rebus ad quotidianum uſum conceſſis, verùm & locis ipſis tanquàm certo quodam modo propriis, uti ei, qui omnibus renuntiavit, jure interdictum eſt. Quid enim à religioſo homine magis alienum, quam uni certæ domui, aut urbi, ita addictum eſſe, ut, ſi quando migrare alio oporteat, pluribus utendum ſit, quàm ſi diceretur huic monti; *Tollere, & mittere in mare?* Aut è contrario in tenuioribus Collegiis, non ſine animi ægritudine, ac mœrore, degere; ſplendidas urbes, & ampliorem Mundi ſcenam expetere? quaſi ſola illa loca, in quibus vel degimus, vel degere præoptavimus, proximiora Cœlo ſint, & ad Deum breviore viâ traducant. Hinc illa etiam ad exteros perfugia, & exoratæ impetrationes, & quædam penè vis precum, illata Superioribus. Adeò à nobis ipſis aliquando excidimus, ſi qui olim tyrones Mundum univerſum expeditè ac libenter dimiſimus, ac fortaſſe etiam in alterum penè Orbem terrarum ad Indos mitti enixè petiimus, jam conſeneſcere uno in loco volumus? clamet licet Apoſtolus, nos non habere hic permanentem civitatem, ſed futuram inquirere: & dum ſumus in hoc corpore, peregrinari à Domino: quæ quanto veriùs pronuntiata de nobis ſunt, qui de Mundo non ſumus? Quis autem viator, & pauper, ſi ad breve tempus hoſpitio excipiatur, de loco ipſo diſputet, doleatque ſe non commodiùs, aut honeſtiùs, exceptum; vel emigrare, niſi ejectus nolit? Quod eo minùs ferendum in nobis eſſet, quorum inſtituti, ac vitæ ratio, poſtulat, ut, quod de Paulo ait Chryſoſtomus, tanquàm pennati totum pervolitare Orbem parati ſimus, & velut incorporei labores omnes & pericula contemnere, & tanquàm jam Cælum poſſidentes, cuncta terrena deſpicere.

Marc. 11.

Hom. 2. de Laud. Paul.

2. Non multa ſecum convehere, cùm in alia Collegia migrandum eſt.

Iam, quid de illis dicendum exiſtimamus, qui, cùm alio juſſi abeunt, tam multa ſecum convehunt, ut, ſi rem ex ſarcinis æſtimes, non hominem, ſed familiam migrare putes? Hi videlicet, timent, ne, ſibi in ejus, quam petunt, domûs veſtibulo, religioſa Paupertas occurrat, & exceptos deducat

cat in cubiculum, quale Sunamitis Eliſæo, crebriùs apud ſe divertenti, in- *4. Reg. 4.*
ſtruxit, univerſam ſupellectilem, mensâ, candelabro, ſellâ, & lectulo finiens.

Quamcunque hi viam ineant, at certè non Evangelicæ Sapientiæ, neque virtutis: *Virtutem enim via*, inquit verè Lactantius, *non capit magna* *Lib. 7. c. 1.*
onera portantes. Anguſtus admodùm trames eſt, per quem ducit ad Cælum. Hunc tenere non poteſt, niſi qui fuerit expeditus & nudus, nam iſti locupletes, multis, & ingentibus ſarcinis onerati per viam mortis incedunt, quæ latiſſima eſt. Quid vero, ſi ita oneratis, occurrat per viam unus aliquis, ex antiquæ, & nondum ſarcinas & impedimenta ſcientis, Societatis noſtræ hominibus? puta magnus ille S. Ignatii primogenitus Petrus Faber; qui remiſſis ad Albertum Moguntinum Archiepiſcopum, eundemque Cardinalem ſpecioſis muneribus, factum injuriâ liberavit eâ excuſatione, quòd ipſe ex eorum numero eſſet, qui omnia bona ſua ſecum portarent. Quan- *Paulin. ep. 10.*
tùm alter ad alterius conſpectum viciſſim, ſed ex contrario erubeſcerent! Faber ſuffarcinatum, quem arcta non capiunt: ille Fabrum, cujus divitiæ erant nihil habere, ut inquit de Baſilio Nazianzenus. Abjiciamus ergò *Orat. in Baſil.*
quidquid hoc eſt ſarcinarum, & ponderis, quod nos virtutis viam, in ardua, poſt Christum percurrentes quantùm onerat, tantùm delaſſat, retardatque: & ad Hilarii regulam *Spiritualium æternitatem terrenorum damno* *Can. 16. in*
comparemus: quod perinde eſſe putandum eſt, ut ſi onerariæ in altum eve- *Matth.*
ctæ, ac ſubortâ tempeſtate periculosè fluctuanti, & nimiùm gravi, conſilium de jactu maturè faciendo, demus, ne ſuomet pondere victa, & depresſa, ſubſidat. Repetamus, quod ab ipſo Societatis initio, Patres noſtri, more, exemploque ſuo, quaſi legem in poſteros ſtatuerunt: ut certis temporibus, in ea omnia, quæ uſui noſtro ſunt, ſingulatim, & ſeverè, inquiramus, ſi quid minùs neceſſariò requiſitum offendimus, quidquid hoc tandem ſit, tanquàm ſarmenta, vitem damnosè inumbrantia, præcidamus. Tùm, ne in cubicula noſtra, quidquam ſuperfluum ſeſe in poſterum inferat, quod, cùm alio migrandum eſt, efferri nobiſcum velit, adhibeamus oſtio vigiles, qui, quæ ſunt ejusmodi, longè ſubmoveant, & acceſſu prohibeant. Occurrant animo, duo illi Principes Latronum, Rechab, & Baana; qui Re- *2. Reg. 4.*
giâ ſtirpe ortum, ac nihil tale merentem, Isboſeth, per ſummum facinus obtruncarunt, Oſtiaria domûs, eademque vigil, & cuſtos, purgando tritico intenta, operi indormivit. Hinc libera, & tuta ſicariis, ad cædem do-

mini via: percuſſum enim, inquit Scriptura, interfecerunt, ſublatoque capite ejus, abierunt. Documento ſanè illuſtri, quo palàm admonemur, quid ſpiritui noſtro contingat, cùm Oſtiaria, communis diſciplinæ ratio, cujus eſt, triticum, à paleis, ſcilicet neceſſaria, à ſuperfluis accuratè ſecernere, operi ſuo non advigilat; ſed, in deſidiam, & ſomnum ſoluta, non aditum modò, ſed etiam introitum, hoſtibus animæ expeditum, relinquit.

3. Libros non ſuperfluos habere, non uſui proprio addicere.

Tertio loco occurrunt alii, qui libris paſſim coëmendis, non parum operæ, & pretii impendunt. Quo in ſtudio, quia nonnulla ſpecies honeſtatis elucet, cùm ejusmodi conquiſito, nihil indecorum, aut ſordidum præſeferat, quin, religioſum hominem, maximè decere videatur, eo tutiùs, vitium in incautos irrepit, & Paupertati non mediocriter obeſt. Ac primo, ſi ejusmodi librorum, pauci ad uſum, plures ad pompam, quaſi tacita quædam ſapientiæ teſtimonia coacerventur; tùm, ſi quos quisque ſibi cum bona Superiorum venia comparavit, eos, non tanquàm rem publicam, ſed ſingulari quodam jure, ſibi obſtrictam, vindicet. Qua in re, quid jam pridem conſtitutum ſit, nemo eſt qui ignoret. Vt primùm quis, veniâ ad id impetratâ, librum coëmerit, certo loco, ſtatim adſcribat, præfigatque fronti ejusdem libri, nomen Collegii, aut Domûs, cui addicitur. Et, ſi abeundum aliò fuerit, ullum eorum ſecum ferre non magis poſſit, quàm qui ſunt communis Bibliothecæ. Neque prorsùm laudandi ſunt, qui libros, quos certis piorum hominum eleëmoſynis compararunt, alteri cuipiam Collegio attribuunt, fraudantque, ſuo quaſi jure, locum, ubi in præſentia degunt.

4. Si quæ donentur, ne pretioſa ſint, aut nimis multa.

Caritatis etiam nomen, & ſpeciem præ ſe ferunt; qui, ne ſibi unquàm deſit quod aliis donent, multa paſſim conquirunt, &, quaſi in loculis, ſæpè ad extremum usque ſpiritum ſervant: neque id ſibi culpæ vertendum putant, quòd ea, ut ajunt, dum aliis ſervant, ipſi penè non habeant. Superiores excipio, quos non modò pari viciſſitudine benevolentiæ, verùm etiam, aliquo grati animi pignore, benè de Societate meritos, interdùm remunerare æquum eſt. Cæterùm, ubi nulla virtus beneficium, aut munus, cohoneſtat, religioſo homini virtus eſt non eſſe munificum: nam Paupertas, quam profitetur, ſi Evangelica eſt, ſi usque ad perfectam rerum omnium nuditatem, quàm nihil petit à largitoribus, quod poſſideat; tàm nihil poſſidet, quod petentibus largiatur: nec pudori, ſed gloriæ deputat, ita

ita ſemel Deo univerſa donaſſe, ut nihil reliquum habeat, quod in alios conferat. Nec tamen ignoro Hieronymum, Auguſtinum, Paulinum, Severum, atque alios ejuſmodi ſanctiſſimos religioſæ vitæ, & Evangelicæ Paupertatis cultores, & magiſtros, munuſcula ad amicos, præſertim longè diſſitos, mutuæ inter ſe caritatis, & benevolentiæ pignora, & quaſi obſides, mittere nonnunquàm conſueviſſe: ſed ea ſanè tàm rara, tam vulgaria, & exigua; ut, qui non ejuſdem planè, ac ipſi, ſanctitatis, & modeſtiæ ſit, erubeſcat inde faciliùs, quàm glorietur: adeò, in illis, non minùs clarè Paupertas, quàm Caritas elucebat, ut, ubi officii, & amoris ergò, aliquid dono dare oporteat, exemplum eſſe poſſint liberalis inopiæ, non ſplendidæ largitatis.

Alius inſuper domeſticæ Paupertatis fructus, ab ipſo Ordinis noſtri Inſtitutore, in hæc verba proponitur: *Qui*, inquit, *Societatem ſequi velit, ſibi perſuadeat, quòd quæ viliſſima erunt ex iis, quæ domi ſunt, ei tribuentur.* Quam legem, ne quis Dei, & S. Patris edicto conſtitutam putet in eos tantùm, qui primæ ætatis tyrocinium, & religioſæ diſciplinæ rudimenta ponunt in Societate, rationem continuò ſubdit, quâ, ſimul univerſos, & tyrones, & veteranos, immò & emeritos, pariter, comprehendit: ſcilicet, eandem virtutis viam, quam majores noſtri inierunt, nobis, qui ipſorum veſtigia perſequimur, tenendam eſſe: ut Societas univerſa, per omnes ætatum, atque ordinum gradus, uno tenore, ſibi ipſa æquabiliter reſpondeat: ne, ſi à prioribus poſteriores aliquid remittendo degenerent, caput aureum paulatim in pedes luteos evadat. *Cùm enim*, inquit, *qui primi in Societatem convenerunt, per hujuſmodi indigentiam, ac penuriam majorem, rerum, corpori neceſſariarum probati fuerint; qui poſt eos accedent, curare debent, ut quoad poterunt, eò pertingant, quò illi pervenerunt, vel ulteriùs etiam in Domino progrediantur.* Iam ſi ad hoc ſpeculum, ad primorum, inquam, Patrum exemplum componant ſeſe, qui multum, vel ætatis, vel meritorum, in Societate numerant; videant, an ea, quæ vilisſima domi ſunt, ſibi quoque tribui eodem, quo illi, animo patiantur: an vero, perindè ac ſi labores ſuos non Deo donent, ſed hominibus fœnerentur, id ſibi infelicis uſuræ pendi velint, ut relaxatâ in communi rerum partitione, atque uſu, Paupertate, aliquantò commodiùs præ aliis habeantur. Si ſecùs fiat; enimverò etiam doleant, & quaſi de injuſtitia expoſtulent; non ſenectutis, non meritorum rationem ullam in Societate haberi: qui portaverunt

5. Libenter pati, ſibi in uſum dari, quæ domi vilisſima ſunt. *Exam. c. 4.*

6. Nihil ſibi ſuprà cæteros debitum velle ob labores in Societate ſuſceptos.

runt pondus diei, & æſtus, pares fieri iis, qui noviſſimi unâ horâ fecerunt. Quam mercenariorum vocem, quantò æquiùs commutarent cum altera illa ſervi boni, & ſapientis, qui, cùm fecerit omnia, quæ præcepta ſunt illi, adeò nihil operis ſui merito debitum putat, ut unum illud ex Evangelio uſurpet: *Servi inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus!* Quis Miniſtrorum Chriſti, plus Doctore Gentium Apoſtolo laboravit? & quis illo egentior, quid ad ea, quæ ſibi opùs erant, ſuis ipſe manibus miniſtrabat? At; quantò pauperior ſæculo, tantò locupletior DEO, qui reddet, inquit, mihi in illa die (non in hac, id eſt, in præſenti vita, ut ſubjicit Auguſtinus) rectè factorum mercedem. Atque hoc *Remunerationis linteo*, ut loquitur Gregorius, laborum ſuorum ſudores Paulus tergebat, nihil rerum humanarum exquirens, aut ſponte oblatum ſuſcipiens, quo vel Paupertati ſubſidium, vel neceſſitati remedium compararet: ne, non ſoli Deo, & beatæ æternitatis expectationi, & ſpei, totum ſe, ac labores ſuos impendere videretur. Qui ſic cum Apoſtolo ſapiunt, etiam dolent, ſi quando ſecum indulgenter, à Superioribus agi videant, veriti, ne quopiam modo recipiant bona in vita ſua. Quin etiam ſi, quod olim Doctori Angelico, Chriſtus commendatis ipſorum laboribus, ultro, eis proponat, ut eligant quam malint mercedem accipere; cum eodem ſanctiſſimo viro continuò reſpondebunt: Non aliam Domine, niſi te ipſum.

Matth. 20. *Luc. 17.* *Lib. 8. Mor. c. 7.*

7. Negotia temporalia conſanguineorum ne ſuſcipiant.

Sunt & alii, quibus apprimè neceſſarium eſt, commune illud omnium ferè Ordinum religioſorum, & Societatis etiam, ſingulare monitum: Ne quis noſtrûm negotiis ſæcularibus ſeſe intermiſceat. Quod quàm prudenter ſancitum ſit, vel ad hoc ipſum, ut Paupertati ſuum jus inviolatum, atque integrum conſervetur, ex iis, quæ mox ſubjiciam, apparebit. Placet autem, eos, præ cæteris, ad ſui conſiderationem vocare, qui profusâ quâdam, & non ſecundùm ſcientiam in conſanguineos teneritudine, veriùs, quam pietate, ut eos, vel rerum temporalium difficultate preſſos ſublevent, vel litibus implicatos extricent, vel fortunarum ſuarum adminiſtrationi, nondùm per ætatem idoneos dirigant, curatores ſe, advocatos, tutores, villicos, litigatores, denique omnia præter Religioſos præſtant. Hinc frequens pecuniarum exactio, cuſtodia, diſtributio alieno nomine, arbitrio ſuo. Novo equidem monſtro, ut pietas irreligioſum; caritas ſæcularem faciat, ſi, quod plerumque evenit, in ejuſmodi negotia non immittant ſe modò, ſed penitùs immergant. Quantùm ex iſtorum hominum licentia, Religioſi

gioſi Ordines detrimenti patiantur, vix æſtimari poteſt. Mitto, quod eorum operâ uti vix ulla in re Superiores poſſunt; adeò eos ſua illa neceſſitas ad ſe totos avocat. Quòd Patriæ, aut uni certo loco affixi, inde ſe nullâ vi abſtrahi patiuntur. Quòd guſtatâ ſemel eâ ſpecie libertatis, ad communis diſciplinæ formam, revocari difficilè poſſunt. Quòd animum in temporalium rerum adminiſtratione, & cura, quotidiano uſu diſſipatum, colligere ad ſui cultum, præcipuè ad orationis ſtudium, vix, atque ægrè valent. Illud intolerabile, ſi & lites inferant, & ad tribunalia confligant, & violentas pecuniarum repetitiones faciant, aut palàm negotientur ad quæſtum. At, nonne hoc eſt ad telonium ſedere, atque eò redire Apoſtolicæ vitæ virum, unde Chriſtus Matthæum, ut ex publicano Apoſtolum inſtitueret, avocavit? Erubeſcant eorum causâ reliqui ejuſdem Ordinis Socii, neceſſe eſt, quorum odorem fœtere etiam apud bonos faciunt: ut vix multorum virtus, & probitas, diù multumque nitendo reſtituere tandem poſſit, quod eorum unus aliquis, de communi exiſtimatione detrahit. At, ſi qui manum non amovet ab aratro, ſed tantùm reſpicit retrò, non eſt aptus Regno Dei, quid tandem ii, qui dimiſsâ in agro Domini ſui, & proximorum culturâ, totos ſe ad terrenarum rerum negotiationem convertunt? ſpecie quidem primo aſpectu etiam honeſtâ, caritate in conſanguineos decepti: cæterùm, parùm, memores, quàm blanda ſui conciliatrix, & ad fallendum verſuta, & mendax ſit, ſuopte ingenio natura: in quam veritatis Magiſter Chriſtus, docuit pietatis genus aliquando eſſe, ſe præbere crudelem, cùm ſecuturum ſe juvenem, vetuit domum redire, vel ad hoc tantùm, ut parentem recens vitâ functum, humaret.

Reliquum eſt ut de iis ultimo loco dicam, qui, cùm ſe ſuis bonis nondùm abdicaverint, moram de induſtria injiciunt, ne ab ſe hoc reliquum oneris, quo gravantur, excutiant. Quos, ſi paupertatis amor, ſi ſui in via Domini profectùs, immò firmitatis, & conſtantiæ cura ulla tangeret, deceret equidem, non à Superioribus, quaſi invitos compelli, ſed magis ipſos, ſaltem ut primum ex tyronibus exceſſerunt, id ſuis precibus impetrare: ne non prorſus à Mundo præciſi, unde per rerum ſuarum contemptionem effugerant, eò per deſiderium retrahantur. Sunt verò, quos in hoc genere dæmon ludificat eò certius, quòd ingentis boni ſpeciem eis objicit, ſi vel Collegium conſtituere, vel certi cujuſpiam loci rem domeſticam augere, collato in id patrimonio, poſſint: ut propterea neceſſe habeant res ſuas ſibi

8. Bonis ſuis ſe matur è abdicare.

diu

diu habere, negotiari, novos quæſtus facere, donec ea pecuniæ ſumma conficiatur, quæ deſtinato operi ſatis ſit. Si qui fortè ejusmodi ſunt, intelligant plus ſe Societati profuturos, ſi Obedientiam, & Paupertatem, quàm ſi quidquid eſt opum, illi impendant. Rerum naturâ, atque ordine, ita comparatum eſt; ut, quo quidlibet naſcitur, eo potiſſimùm creſcat: at religioſi cœtus, Mundi contemptu, & rerum omnium, immò, & ſui ipſius abdicatione, primùm coaluêre: his neceſſe eſt augeantur, & majores fiant. Quid enim, & ipſis prodeſt, ſi Mundum univerſum lucrentur, diſciplinæ verò, & legum ſanctiſſimarum, quæ animæ loco, eis ſunt, detrimentum patiantur? Damnoſa caritas eſt, religioſam domum fundare velle, & religioſæ perfectionis fundamenta ſubruere: multiplicare gentem, & non magnificare lætitiam: illam, inquam, lætitiam, quæ non ex hominum numero, ſed ex virtutum pondere, vera, & ſolida provenit. Quare, qui bona ſua conferre in Societatem volunt, eâ S. Auguſtini regulâ utantur; ut inter bona ſua, ſeipſos primùm adnumerent, & ſe illi bonos præbeant. Neque velint, quæ de rerum ſuarum poſſeſſione, ad aliquod breve tempus, retinenda permiſſio, Conſtitutionum eſt, lex ſit, immò, & neceſſitas, non legum, non Moderatorum judicio, ſed ſuo tantùm arbitratu finienda. Quid jam, ſi non caritas in Societatem, ſed privatus in ſe ipſum amor, procraſtinare, & in longum tempus differre abdicationem ſuadeat, nova ſemper impedimenta cauſando: ut, dum ſpem bonam de rebus ſuis faciunt, interim ipſi aliquâ, cum Superiorum licet venia, ad varios uſus identidem ſibi decerpant: & mitiùs habeantur, ut quibus in promptu eſt, cui voluerint loco benefacere? Ejusmodi artibus, & fallaciis, Deo, & animæ ſuæ illudere, quàm turpe ſit, nemo non videt: at Superioribus, quaſi clauſis oculis, eis capi enimverò turpiſſimum eſſet. Quare, cum pro locorum & perſonarum conditione, certum tempus, quo primùm elapſo, abdicare ſe ſuis bonis quisque debeat, generatim, & universè, definiri non poſſit, reliquum eſt, ut, qui interim ſua ſibi habere permittuntur, tanquàm non habentes ſint, neque ipſis quidquam inde trahendi in privatos uſus, poteſtas ulla fiat: alioqui, Paupertas, quæ tantæ dignitatis, ac meriti virtus eſt, jam erit tentatio, ſi ad manum habeant, quo ſe ab ejus incommodis, per Superiorum indulgentiam, redimere, ſuâ pecuniâ, poſſint. Sentiant & ipſi, pari cum cæteris fortunâ, communis inopiæ difficultates, neque ullis publicæ, aut privatæ diſciplinæ oneribus, (quantumcumque ſpem rerum ſuarum faciant)

faciant) eximantur, aut ſuprà reliquos ſtent: ne venalia privilegia videantur, & ſuæ virtutis bonos pœniteat, ſi plus ſperatæ pecuniæ, quàm præſentibus meritis, tributum videant.

Et ſanè plurimum habet in utramque partem momenti, ſive ad perdendam, ſive ad conſervandam Paupertatem, Superiorum, vel remiſſio, vel cura: ut propterea, quâ decet eos eſſe in Societatem ſuprà cæteros fide, adniti plurimùm debeant, ut hac etiam in parte, cui niſi ſedulò proſpiciatur, multum periculi eſt, muneri ſuo ſatisfaciant. Ac primùm, ne inter eos ipſi adnumerentur, *qui dicunt, & non faciunt; imponunt onera gravia in humeros hominum, digito autem ſuo, nolunt ea movere:* ſed, ut rectè admonet Petrus, *Forma facti gregis* quos ad Paupertatem crebris adhortationibus invitant, exemplo potiſſimùm trahant: alioqui, vanus eſt ſermo docentis, quem facta dictis contraria enervant. Suos igitur ad Paupertatem alliciant, ſed eâ Sponſi voce, amicam ſibi animam, ad virtutis faſtigium provocantis: Surge, propera, veni. *Non* enim *parùm confortat*, inquit Bernardus, *quod addit Veni, & non, Vade.* Deindè, ne ſingulari in quempiam benevolentiâ, aut animi propenſione, ducti, vel timiditate, ac metu, victi (ſi Paupertatis jura infringentibus obviàm eant) avertant oculos, diſſimulentque *Speculatores cæci*, & *Canes muti:* ut eos Iſaias per indignationem appellat. Hinc profuſa illa, & prodigia in concedendo facilitas, perindè, ac ſi non Paupertatis, ſed Obedientiæ tantùm cura habenda ſit: aut quantùm de communis diſciplinæ, ac legum ſanctitate, Superiori remittere libitum fuerit, id verò totum liceat. Neque minùs, quàm immoderata profuſio, cavenda ipſis eſt nimis anguſta tenacitas. Sunt enim, qui duritiem, & ſordes, naturæ ſuæ vitium, parſimoniæ, & frugalitatis nomine cohoneſtent: &, tenaces cùm ſint, Paupertatis amatores videri volunt. Itaque, multa condere, pauca promere, ſervare tenaciter, parcè etiam neceſſaria diſpenſare: ac, ne conqueri ſibi ſubditis vacet, domûs inopiam paſſim objicere, & lamentari. Id vero eſt, Paupertatem non ſervare, ſed perditum ire: neque enim *Pietas cum ſufficientia*, ſed coacta neceſſitas proprietatem in religioſas familias primò invexit. Decet equidem, voluntarios Chriſti pauperes, omnem egeſtatis etiam iniquæ duritiam, magno animo perpeti: at, nihil magis dedecet, quàm ut ſubditorum virtute Superior abutatur, ut ſuo ipſe vitio ſatisfaciat, fraudetque operarios dignos mercede ſuâ, & congreget, quæ nec ipſe ſciat cujus futura ſint. Meminerint ergò

Superiores exemplo præeant, & ne tenaces ſint & ſordidi.

Matth. 23.

1. Petr. 5.

Serm. 85. in Cant.

Iſa. 56.

1. Timoth. 6.

gò Superiores, ſe Patres quidem eſſe, hoc eſt, ſolidi, & virilis affectûs, qui non molliter indulgeant filiis, etiam nocitura petentibus: ſed & Matres ſe eſſe, ut eos ſinu foveant, & ad ubera portent: quod ſe facturum recepit Deus, & quidem ſuprà quàm matres poſſint, usque in ſenectam, & ſenium filiorum. Videant, quantâ ſedulitate, quàmque irrequieto labore, circumvolent, atque oberrent aviculæ, ut maternæ pietatis officium exequantur, & cibum pullis conquirant. Faciant quod boni Imperatores, qui plus ab annonæ caritate, quàm ab hoſtis ferro, ſuis timent. *Sæpiùs enim*, ut inquit Romanæ militiæ Magiſter, *penuria, quàm pugna conſumit exercitum; & ferro ſævior fames eſt.* Itaque, re frumentariâ abundè inſtructi, tùm demùm, & copias educere, & militarem diſciplinam exigere, tuto poſſunt: ſecus ſi fecerint, plus perturbationis, & tumultûs, in caſtris, quàm ordinis, & virtutis, in acie habituri. Nunquàm tàm anguſta domi res erit, quæ caritati locum non faciat. Tolerant libenter ſubditi, quod ne tolerent, Superiores ſollicitos vident; &, quod inopiæ deeſt, caritas ſatis ſupplet.

Veget. lib. 3. cap. 3.

Atque hæc ea ſunt, Patres, Fratresque in Domino dilectiſſimi, quæ de Paupertate ad vos ſcribere in præſentia viſum fuit. Pauca equidem pro dignitate, atque amplitudine argumenti, niſi quod non ſcientibus modo, ſed & amantibus legem, loquor: ut propterea, ſingulare illud Magni Gregorii ſapientiam locuturi, inter perfectos religioſæ vitæ ſectatores, qui id ab eo requiſierant, uſurpare meritò poſſim: *Si Dei ſunt vaſa, ſcio quia fontem ſapientiæ intus habent, ut meæ ſiccitatis guttas parvulas ſuſcipere non debeant.* Et fortaſſe cauſam hanc Paupertatis univerſam, non modò brevius, ſed & plenius peroraſſem, ſolo in exemplum, & præmium, propoſito Præceptore, ac Duce noſtro Chriſto Iesv, quo nihil ad imitationem præſtantius, nihil ad mercedem uberius proponi cuivis hominum generi poteſt. Nam qui, *cum eſſet dives, propter nos egenus factus eſt, ut illius inopiâ, divites eſſemus:* qui *ſemetipſum exinanivit, ut de plenitudine ejus, nos omnes acciperemus:* quid jam cordium noſtrorum deſideriis reliquum fecit, ut, dum in ipſo omnia invenimus, præter ipſum, ſi non etiam præ ipſo, alia expetamus? An verò, ſi pauperibus ſpiritu, nihil prætereà ſuppeteret ad mercedem, quàm, quòd ſocii ſimus Paupertatis Chriſti (qui, dum eam, ut ait Ambroſius, in ſeipſo dedicavit, pretioſam fecit, & ſuper omne dignitatis, & gloriæ faſtigium evexit) non id ſummæ felicitatis, & copioſiſſimæ remu-

Ep. 27. lib. 7.

Chriſti D. exemplum ad Paupertatem perſuadendam efficaciſſimum.

2. Corinth. 8.
Philipp. 2.
Ioan. 1.

remunerationis loco habendum eſſet? Quid enim cauſæ fuit, cur in terras adveniens DEI Filius, nihil de gloria magnificentiæ regni ſui ſecum extulerit? *Erat*, inquit Bernardus, *qui fortè ei ſublimia quærenda arbitraretur eſſe palatia, ubi cum gloria Rex gloriæ ſuſciperetur. Sed non propter hoc à regalibus illis ſedibus venit. In ſiniſtra ejus, divitiæ, & gloria: in dextera longiturnitas vitæ: horum omnium æterna in Cælis affluentia ſuppetebat: ſed Paupertas non inveniebatur in eis. Porrò, in terris abundabat, & ſuperabundabat hæc ſpecies, & neſciebat homo pretium ejus. Hanc itaque DEI Filius concupiſcens deſcendit, ut eam eligat ſibi, & nobis quoque ſuâ æſtimatione faciat pretioſam.* Hinc, ut eum primi Paſtores inveniant pauperem pauperes, ſignum ab Angelo accipiunt, pro ſolio præſepium, in quo reclinatur: pro purpura pannos, quibus involvitur. *In ſignum*, ſubdit idem Bernardus, *poſiti ſunt panni tui Domine IESV: ſed in ſignum, cui à multis uſque hodie contradicitur.* Sacramentum enim hoc magnum eſt, quod vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget: Paupertatem pro DEO ſponte aſſumptam, rem eſſe divinam, quam ſcilicet DEUS ipſe præpoſitam regnis, & ſedibus, tàm ſingulariter adamavit, tam arctè complexus eſt, ut à Bethelem ad Calvarium, hoc eſt, à primo ad extremum usque vitæ ſpiritum, eam à ſe nunquàm abſtrahi paſſus ſit: adeò ut, qui pannis involutus jacuit in præſepio, nudus in Cruce pependerit. Excipiamus ergo, dilectiſſimi, prompto, atque alacri animo, Paupertatem; & quam noſtri Ordinis Inſtitutor Ignatius *Societatis Matrem* nominavit, & fecit, eâ, quâ decet filios, caritate, & benevolentiâ, complectamur. Impendamus bonorum temporalium jacturam, in quæſtum, & lucrum æternorum: & qui cum Maria pretioſum unguentum ſuper caput Domini effudimus, fracto inſuper alabaſtro (ne quidquam eorum, quæ ſemel DEO vota donavimus, repetendi nobis jus, aut poteſtas relinquatur) gaudeamus, nos, & pro Chriſto pauperes eſſe, & in Chriſto divites, nihil præter ipſum habentes, & in ipſo omnia poſſidentes. Procul à nobis illud Meum, ac Tuum, frigidum verè verbum, quod perfectæ in DEUM caritatis, ſæpè ignem extinguit, ſemper ardorem imminuit. Ecquid (ut poſtremò vos alloquar cum Lactantio) *quid dubitamus benè collocare id, quod nobis una tandem dies eripiet? Quid veremur fluxum, & fragile bonum, facere ſempiternum: & res noſtras cuſtodi DEO credere, ubi non furem, prædonemque timeamus, non rubiginem, non tyrannum? Qui apud DEVM dives eſt, pauper eſſe nunquàm poteſt. Si juſtitiam*

Serm. 1. in Vig. Natal. Dom.

Sermon. 4. in Nat. Dom.

Lib. 6. de Vero cultu.

tanti putamus, ſequamur eam abjectis oneribus, quæ nos premunt. Liberemus nos ipſos compedibus, & catenis, ut expediti ad DEVM curramus. Magni, & excelſi animi eſt, calcare mortalia.

Ità Chriſti Iesv Societate, & Majorum, qui nos à prima Ordinis noſtri inſtitutione exemplo præluxerunt, conſortio digni, noſtræque, ac proximorum ſaluti, pro ea, quam profitemur, Apoſtolicæ vitæ ratione, operam ſtrenuè, utiliterque navantes, *pauperem quidem vitam geremus* (ſic Tob. 4. enim & juvenem Tobiam ſenior alloquendo conſolabatur) *ſed multa bona habebimus:* ea ſcilicet, quæ Pauperibus ſpiritu, promittuntur, Beatitudo, & Regnum Cælorum: quod Pater Pauperum, & Dives in miſericordia Devs, pro ſua in omnes beneficentia, vobis, mihique largiatur. Valete. Romæ 30. Septemb. M. DC. LIII.

Omnium in Domino

GOSWINVS NICKEL.

EPISTOLA II.

R. P. N.

GOSVVINI NICKEL PRÆPOSITI GENERALIS SOCIETATIS IESV

Ad

PATRES ET FRATRES EIVSDEM SOCIETATIS.

De Nationali, Provincialique pernicioſo Spiritu in Societate vitando.

EXcubanti mihi, ſoliciteque vigilanti, pro hac meæ cuſtodiæ commendata Dei Domo, quæ à Sapientia ædificata, Chriſti Ieſu, Architecti ſui nomen altè refulgens in veſtibulo procul oſtentat; cùm aliæ ſubindè periculorum

cultorum facies metum incutiunt (nam & eluviones fluviorum, & effuſiones imbrium, & furum ſuffoſſiones nocturnas Evangelicis admonitionibus jubemur ſpirituali ædificio metuere) tùm me peculiariter cogit turris hujus noſtræ cælo jam admota celſitudo, ab adverſis ventorum cavere flatibus; ne, quod Chriſtus denuntiat (& ipſe utinam avertat!) verum unquam illud cum noſtra ultima pernicie, ſummaque invidorum gratulatione, cernatur: *Flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* In quo, ne ſupinè fiduciæ indormiamus, quaſi fundatæ in petra domui, tale nihil pertimeſcendum ſit; excitat exemplum Domus Iobi, quæ licet, ut S. Gregorius ſubtiliter obſervat, ſeptem donorum Divini Spiritûs, quæ totidem ejus Sancti Patriarchæ, filiis deſignari vult, & trium præſtantiſſimarum virtutum Fidei, Spei, & Charitatis, quas in tribus ejusdem filiabus intelligit, invicto, ut videbatur, adversùs omnem diabolicam vim præſidio teneretur, ingruente tamen à regione deſerti, vento vehementi, proſtrata eſt.

Spirituali Societatis ædificio plurimùm metuendum ab adverſis Ventorum flatibus.

Matth. 7. 27.

Moral. lib. 5. cap. 16. & 17. lib. 2. cap. 21.

Iſtum ego ventum RR. PP. non alium in præſentia dixerim, quam hunc, de quo agere conſtitui, peregrinum Spiritum, frigidum, maleficum, planè horribilem, & peſtilentem ventum; quippe, qui non faſtigiorum ſolùm pinnulas, tegulasque tectorum, damno utique reparabili, decutere contentus, totum ipſum molis quamlibet ſolidæ corpus, à quatuor, ut de Iobi domo ſcribitur, complexus angulis, robuſteque ſuccutiens, univerſas ſimul ædificii compages laxat, & viſendam ingentis operis fabricam, in ruderum informium acervos, momento commutat.

Talis ventus eſt ſpiritus Nationalis.

Cujus tam pernicioſi Spiritûs extremam, quam minatur, ruinam, ut, quantum in me eſſet, à Societate procul arcerem, egeram de eodem in poſtremâ PP. Procuratorum Congregatione; ſed, prout ejusdem Congregationis præſcripta temporis ratio exigebat, in brevi ſatis, ſuccinctaque exhortatiuncula. Quam nihilominùs, cum plerique è congregatis Patribus à me poſtularent, ut deſcriptam ſecum in Provincias deferrent, ut id, quod petebant (quia prodeſſe in illa brevitate haud multum poſſe judicabam) excuſarem, promiſi me illa ipſa, quæ ad illos dixeram, paulò copioſiùs tractaturum, ac deinde per modum epiſtolæ, Provinciis omnibus, pro more, communicaturum.

In hac ergò, quam promiſſam nunc mitto, epiſtola, ſi res ipſa ſpectetur, novi, vel nihil, vel parum admodùm adferam; ſed ſolùm, quæ anteà,

per compendium quaſi dixeram, ad plurium captum meliùs accommodata, fuſius aliquanto, quàm anteà, explicabo; ut ita fidem meam liberem, factæque promiſſioni ſatisfaciam.

Argumentum ſcriptionis, ejusque partitio.

In qua tota re, ut certâ methodo diſſeram, primùm explicandum videtur, qui is tandem ſit malus, & malignus Spiritus, & utrùm jam ab illo paſſa ſit aliquid Societas; deindè, quanta ab eodem metuenda eſſet pernicies, ſi in Societate invaleſceret. Quæ benè, diligenterque, pro merito, reique gravitate, ponderata, ſervire quoque pro remediis poterunt, & præſidiis, quibus ut nos, adversùs ejusdem Spiritûs hoſtiles animos, impetusque, omni curâ, ſolicitudineque armemus, atque muniamus, non ſolùm utile, ſed & neceſſarium fore, dubitandi nulla poteſt eſſe ratio.

Principio ergò, dum hunc Spiritum Provincialem voco, verbum fortaſſe mihi deeſt cogitationi explicandæ meæ ſatis accommodatum. Cæterùm, ne de vocabulo controverſia ſit, vocetur ſanè quo quis nomine maluerit, poſtquàm quid rei, ac notionis iſti ego verbo ſubjiciam, paucis expoſuero. Iudicia mentium, & inclinationes, affectusque voluntatum, ſpirituum paſſim variorum appellatione, deſignare Sacri Prophetarum, & Apoſtolorum libri, ſcripta quoque Patrum, & myſticæ Theologiæ Doctorum aſſolent.

Provincialis ſpiritus quis.

Si quorum ergò eſt hominum inductio animi, ſtudiumque ejusmodî, ut omiſſo communis utilitatis, ac rei ſummæ reſpectu, privatim ſibi, ac ſuis conſulant, ſe unos intueantur, ſibi ſerviant, ſuas domos, cognationes, Vrbes, Provincias potiſſimùm, atque adeò unicè curent; earum, ſuasque commoditates, quomodocumque etiam cum damno, exitioque publico conficere, penſi nihil habeant, Provinciali eos iſto Spiritu inſtinctos dixerim. Ratio nomenclationis hujus magis illuceſcet in hypotheſi.

Quis illo ſpiritu agatur?

Societas Ieſu, corpus eſt, pluribus coalitum ex membris; Ordo eſt Religioſus, multos variarum nationum homines, complura in diverſis Oppidis, Vrbibus, Regionibus, Regnis ſita, certasque deſcripta in Provincias, Domicilia complectens. Talis corporis membra, vel talis Religioſi Ordinis profeſſores, aut multi ex omnibus, aut pauci de multis, aut denique unus aliquis ex univerſis, ſi fortè oblitus finis univerſalis gloriæ Dei, ac ſalutis animarum, mediorumque ad iſtos fines in noſtris Conſtitutionibus ordinatorum, ſuas ſibi proprias rationes, ſuos privatos ſcopos, peculiaribus à ſe mediis, proſequendos deſtinaverit: ſi æquum duxerit, Provinciæ, Patriæ,

Genti,

Genti, Nationi, cognationi ſuæ, cætera omnia accommodari, ſi quo iſtarum rerum præcellentiam, primatum, prærogativam tueatur, obtineat, vindicet, nihil non moveat, nihil non miſceat, ſi clam palàm, opportunè importunè id agat, in id incumbat, totus in eo ſit: cum, de ſancto vitæ ſuſceptæ propoſito, velut de recto abreptum curſu, incurrente in adverſum, Provinciali Spiritu, non dubitem dicere, cui ſi pergat tota vela pandere, in Syrtes haud dubiè, ſcopulosque impingens, ruat.

Illud jam dubitandum venit: ecquid in Societate noſtra id genus homines reperiantur? magnas negandi cauſas video; quomodò enim homines mundo mortui, cum Chriſto crucifixi, qui ſe holocauſtum Deo fecerunt, tot Conſtitutionibus, tot inſtitutionibus formati, tot probationibus explorati, tot exemplis illuſtribus admoniti, tot ſeceſſibus annuis, tot meditationibus, lectionibus, exhortationibus quotidianis, tot Sacris Sacramentis, votis, tot divinis vocibus, & illuſtrationibus adjuti, eò tàm turpiter delaberentur, ut Ægyptum in Terrâ Sanctâ cogitarent, miſsâ ad aratrum manu, retrò vultum averterent, divinæ gloriæ, ſuæ ſalutis, ædificationis proximi obliti, terrenæ patriæ, privatæ familiæ, naturalis neceſſitudinis, vitioſe, affectibus indulgerent, turpiter commodis ſervirent, &, quo ad hunc ſcopum pertingerent, perturbare Obedientiam, ſolvere diſciplinam, opus Dei deſtruere non cunctanter aggrederentur? *An in Societate ille ſpiritus reperiatur.*

Et ſunt hæc quidem media, ad profligandum, exterminandumque malignum hunc Spiritum efficaciſſima, ut proinde ſperare in Domino haud immeritò poſſe videamur, hujusmodi homines in Societate, ſi non omnino nullos, ſaltem pauciſſimos adhuc inveniendos. Nihilominus, dum allatas ad me querelas, diligentius examino, quæque de hac ipſa materia perſcribuntur non unis litteris, quæ ut aucta, exaggerataque, quis cauſetur, vix tamen me teneo, quin exemplo Divi Pauli, qui cum ſcripſiſſet ad Corinthios fideles: *Audio inter vos ſciſſuras eſſe;* ſtatim ſubdit: *& ex parte credo:* ego quoque ſubeſſe aliquid, idque non levis momenti, tot querelis, ſcriptionibusque ſuſpicer. *1. Cor. 11. 18.*

Verum, quomodocumque hæc ſeſe habeant, illud certè inficiari nemo poterit, quin fidelitas, quâ Matri noſtræ chariſſimæ Societati obſtricti omnes tenemur, id à nobis exigat, ut ſive contacti ſumus tantâ lue, quod refugit animus credere; ſive, quod negari vix poteſt, ab ea periclitamur, vel de contractæ noxæ remediis, vel de præſidiis, adversùs periculum im-

minens, cogitemus. Ad quod utrumque, mihi imprimis efficax fore videtur, conſideratio damnorum ingentium, quæ hic Provincialis Spiritus in nos, niſi cavemus, importaturus eſt.

Damna, quæ oriuntur ex hoc ſpiritu.

1. Prædominante hoc Spiritu Societas ſalva eſſe nullo modo poteſt.

Inter quæ mala, tanquàm primæ, & præcipuæ conſiderationis, illud primo loco occurrit, quod prædominante hoc Spiritu, ſalva eſſe Societas noſtra nullo modo poſſit, utpote, cujus verè caput jugulumque petat. Cùm enim illa ex tam variarum, tamque inter ſe diſſidentium nationum, naturarumque inſpiratâ à Spiritu Sancto conſpiratione, ab initio coaluerit, peti nullo telo capitalius, nullâ irreparabilius labefactari machinâ poteſt, quam ſi quâ vi, quâve arte pervincatur, ut pro genetrice illa concordia differentium membrorum, quâ iſtud corpus ortu primo coaluit, deſtructrix iſta ſeceſſio ſingularibus quemque ſpebus, ac ſcopis ab uno communis boni propoſito, in quod unanimiter conveneramus, ad reſpectus privatarum utilitatum variè revocet, ac diſtrahat. Etenim, quæ ex multis conſtant, ea, neque ſtare poſſunt, nec operari, niſi ea multa unum ſint vel naturâ, ut elementa, quæ per qualitates ſymbolas ſingula ſeſe invicem complectuntur; vel conſenſione voluntatis, ut exercitus, familiæ, ſocietates, urbes; vel extrinſecâ partium colligatione, ut arte facta, domus, veſtimenta, horologia &c. Qualium rerum omnium non ſolùm vigor, flos, & perfectio; ſed omnino vita, ſalus, ſtatus in perſeverantia conjunctionis, conſenſionisque ſita eſt. Secedant in partes elementa, & in naturas quæque ſuas, ac loca reſolvantur; mixtum non jam læditur, ſed planè interit, funditusque corrumpitur. Vnde Imperia diu ampla, lateque florentia, Aſſyrium, Græcum, Perſicum, Romanum, niſi ſoluto Provinciarum nexu, laxatis, ac ruptis conſenſionis repagulis, evanuerunt? Societas, ſi minima comparare maximis licet, Societas, inquam, ex mixtione ſancta hominum diverſorum, vi unitivâ Sancti Spiritûs, in pulcherrimum hoc corpus coagmentata eſt, per eandem adolevit, per eandem, ad terrarum usque ultimas, latiſſimè ſparſa eſt. Væ nobis, ſi vitale hoc vinculum aliquando relaxetur, & ad ſuum hi principium Collegiorum, Provinciarum item ad ſuum illi, alii quoque ad ſuum contrahant ſeſe, atque à cæteris abſcindant. Quæ abſciſſio acerbior utique, periculoſiorque cenſenda eſſet, magisque deploranda, ſi inter unius etiam ejusdemque vel Domûs, vel Collegii membra gliſcere, incrementaque ſumere intelligeretur: quid enim tunc reſtet, niſi quod horret animus cogitare, & quod in omnem æternitatem avertat à ſua Societate

Bonus

Bonus IESVS! quid, inquam, reſtet, niſi ut totum corpus diſſipetur, & pereat, niſi ut *Regnum in ſe diviſum*, juxta Chriſti Salvatoris verbum, *deſoletur*, *Lucæ 11. 17.* & *domus ſuprà domum cadat*, niſi denique, ut, pro mirabili illa pace, cujus verus Rex pacis Chriſtus IESVS redivivum in nobis, illuſtreque ſpecimen conſtituens, effecit, *Vt habitaret lupus cum agno, pardus cum hœdo accubaret, vitulus, & leo, & ovis, morarentur ſimul, & puer parvulus minaret eos:* *Iſai. 11. 6.* pro illo, inquam, tam admirando promeritæ nobis à Chriſto Domino pacis ſpectaculo, quid reſtet, niſi ut nos ingratiſſimi, vineam ejus electam, Societatem noſtram, in multitudine ab illo, abundantiaque pacis, à prima ejus origine plantatam, & per tot annos, ad nos usque in eadem feliciter conſervatam, infelici tandem ſorte, permutationeque in quoddam quaſi diſcordium, atque in ſe mutuò incurrentium belluarum amphiteatrum converſam, Orbis oculis, invidorum gaudiis, hoſtium plauſibus offeramus?

Et unum, & Chriſti corpus, omnes pariter ſumus, quod ſociali membro detrahitur, Chriſto detrahitur. Ille Frater, ille Pater, non minùs quàm ego, membrum Chriſti eſt, os meum, & caro mea eſt. Quid me ejus, ſi quis fulget nitor, ſi qua eminet amplitudo, percellat, quæ ad meum quoque decus emicant? cur illi detractum velim, quod in illo jam poſſideo? Collegium iſtud, iſtam Provinciam, non aliud, quam error, & mentis quædam cæcitas, aliena mihi facit; reverà, res meæ ſunt, pars hæreditatis Chriſti, regia patrimonii, arces imperii magni Patris mei. Floreat per me iſta Domus, iſta Provincia, ubicumque, & apud quoscumque, & creſcat in mille millia, ſoror enim noſtra eſt, (quæ non tam, ut intelligitis, illorum Rebeccæ fratrum, quam veræ, ac divinæ charitatis vox eſt.) Immò una mecum eſt ſponſa Chriſti, de qua ipſe dicit: *una eſt columba mea, formoſa mea.* *Cant. 2. 10.* Quàm importunum ſcelus eſſet, non jam veſtem ſponſæ Chriſti, ſed corpus ipſum dilacerare, ac diſcerpere? Notatur alicubi in Libris ſacris, de conſenſu filiorum Iſraël, fuiſſe illos univerſos, *quaſi virum unum.* *2. Reg. 19. 14.* Toties centena hominum millia, quaſi vir unus erant. Magna laus; ſed non ſumma, ideoque Synagogæ propria. Eccleſiæ peculiaris dos eſt verè unam, non quaſi unam eſſe. Audite Paulum in perſona Corinthiorum, fideles omnes alloquentem: *Deſpondi vos uni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto.* *2. Cor. 11. 2.* Vos, inquit, omnes Virgo una eſtis, una Eccleſia Catholica Vos omnes eſtis. Qui ab unitate ſe ſegregat, ad Chriſti

2. Iſte ſpiritus injuriam facit Chriſto, cujus omnes membra ſumus.

conjugium non pertinet; qui unitatem rumpit, repudiat Chriſtum. Videat igitur ſponſa iſta, ut una ſit, ne ſponſa eſſe deſinat: ut autem hoc conſequatur, audiat Vatem Regium monentem: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: obliviſcere populum tuum, & domum patris tui.* Obliviſcamur & nos, cujus Provinciæ, cujus Patriæ, cujus domûs ſimus; ejus utique Societatis filii, *cujus vocationis eſt, diverſa loca peragrare, & vitam agere in quavis mundi plaga, ubi majus Dei obſequium, & animarum auxilium ſperatur.* Obliviſcamur, inquam, domûs noſtræ terrenæ, patris noſtri mortalis, & non minùs turpe judicemus, iſtorum, *quæ* dudùm *arbitrati ſumus ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaceremus*, curam, & affectum reſumere, quàm in matura ætate, nutricis, & crepundiorum deſiderium teſtari.

Pſalm. 44. 11. *Sumar. Reg. 3.* *Philipp. 3. 8.*

3. Obſcurat bonum Societatis nomen.

Quid jam querar Societatis bonum nomen iſto Spiritu obſcurari quando caput ipſum, & vitam, eo in præceps impelli jam deploravimus? Eſt tamen huic querelæ non incongruus locus, ad noſtram acuendam providentiam, quæ non tantùm quid reipsâ mali ſit, ſed quid vulgò eſſe videatur, debet proſpicere: *Sapientibus enim, & inſipientibus, debitores ſumus:* iidemque pariter *Deo, Angelis, & hominibus facti ſpectaculum.* Quid Deus, & Angeli de nobis judicent, minùs fortaſſe laborandum eſt, ſi bene nobis ſumus conſcii; intima illi penetrant, vulgus hominum ex ſpecie, & facie judicat. Habuerimus certè inter nos juſtas interdum contendendi cauſas, ut inter Sanctos, atque adeo inter Angelos, contentiones ſcimus exarſiſſe innocentes; ſcandalum tamen oritur, infamia ſpargitur, digladiari Ieſuitas inter ſe, ignari, invidi, hæretici celebrant. Caveamus, ne jure dicat nobis Societas, quod Patriarcha filiis, diſcordiæ adversùs Sichimitas hoſpites auctoribus: *Fœtere feciſtis me habitatoribus terræ*; neque committamus, ut jure quiſpiam in nos impingat illud Pauli: *Cùm ſit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales eſtis? & ſecundùm hominem ambulatis?* Nemo eſt noſtrûm, credo equidem, qui non diligat etiam ſuprà quodvis ſuum privatum commodum, immò ſuprà vitam, decorem Domûs Dei, Societatis videlicet hujus, cujus in atriis, præoptavit potiùs, quàm in paterna domo vivere, de qua, mundo contrà, ad delectabiles ſuas ſuavitates deliciaſque invitante, generosè aliquando ac conſtanter dixit: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi; hic habitabo quoniam elegi eam.* Porrò, hujus Domûs, hoc eſt, Societatis decorem omnem, famamque, ac gloriam (de qua pari cum Apoſtolo generoſitate dicere debemus: *Melius eſt mihi mori, quàm ut gloriam meam*

Rom. 1. 14. *1. Cor. 4. 9.* *Geneſ. 30. 30.* Iuxta Hebraicam veritatem ex verſione Pagnini. *1. Cor. 3. 3.* *Pſalm. 131. 14.* *2. Cor. 9. 15.*

meam quis evacuet) unâ potiſſimum, veræ inter nos conſenſionis opinione, contineri manifeſtius eſt, quàm ut probari debeat. Quò ſpectat, quod præclarè D. Auguſtinus, in illa Pſalmi 25. verba: *Dilexi decorem domûs tuæ*, annotavit: *Cùm lapides vivi, corda fidelium, charitatis vinculo continentur, decor eſt Domûs Dei, & locus tabernaculi charitatis ejus.*

Neque tamen per hoc, ego vos volo RR. PP. famæ ſolius rationem ducere, ubi corporis ipſa hujus noſtri, Societatis, cujus membra ſumus, vita, & ſtatus, in non dubium diſcrimen projicitur; ſtare ſiquidem Societas non poteſt, quod nunquam ſatis dicimus, niſi evulſo radicitùs Nationali Spiritû, arctâ nobis invicem conſenſione cohæremus; & cohæremus nos quidem, quæ Dei gratia eſt, atque adversùs ſuſpiciones, vel malevolorum, vel imprudentium idonea ſinceræ unionis, quæ in Societate hodieque vigeat, cùm exempla, tum teſtimonia proferre poſſumus. Verùm, quia non gratulandi, quod minùs neceſſe eſt, ſed admonendi hoc tempus ſumpſi, è duobus, quod intimè ſentio, animi motibus, voluptatis ex fructu noſtræ concordiæ; metûs verò ex periculo ne ea relaxetur, aut turbetur, extremum hunc tantùm vobis, cujus utilior expreſſio eſt, hoc loco indicandum ſtatuo. Timeo, inquam, ut cumque rerum ſummam bene adhuc conſtare video, ne cui noſtrûm negligentia obrepat *capiendi vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas, & allidendi Babylonis parvulos ad petram*, hoc eſt, prima quæque, dum adhuc tenera ſunt, æmulationum, diſſenſionumque, ex nationalitate pullulantia, ſuccreſcentia ſemina elidendi. Eſt charitas, eſt unanimitas in nobis; video, & lætor, atque auctori bonorum omnium gratias ago. Sed quo magis id bonum amo, eò plus timeo, ne qui ſuboriantur interdum dictarum ſimultatum fomites, ne quæ minùs cautæ converſationis alluſu ſcintillæ contentiuncularum emicent, quas non ſubitò, largâ cæleſtis aquæ, hoc eſt, charitatis, & gratiæ infuſione obruamus. Imprudens nimium ille ſit, qui ſe initiis, & primis motibus, tam tetræ perturbationis rapi permittat, efferendum longiùs quàm vellet; quippe, quæ, quos ſemel arripuerit, in perniciem ipſam poſſit impingere. Non lethale, at ne grave quidem ferè vulnus à morſu eſt; Pauli nihilominùs Apoſtoli, ad leviter ſe inceſſentes Galatas, verum monitum eſt: *Quod ſi invicem mordetis, videte ne ab invicem conſumamimi.* Non ferè mala ſiſtunt ubi cœperunt, irritata ſæpe certamine, levis ira furor fit. Si nihil aliud, concertatiunculis hiſce, & vires, ad verorum hoſtium certamina ſervandas, attere-

4. In apertum diſcrimen adducit Societatem.

Cant. II. 15.

Pſalm. 136. 9.

Galat. 5. 15.

remus, & attentionem à ſemper intentis, à nunquam non cavendis perennium inimicorum inſidiis, avocaremus, ſicque, illorum vel inſultibus, vel dolis, nos facilè vincendos exponeremus. Cujus conſilii imprudentiam, Divus Nazianzenus, ſimilitudine à navigantibus ductâ, egregiè demonſtrat, dum ſic ſcribit; *Si, dum foris tempeſtas ingruit, nautæ ipſi inter ſe diſcordes præliantur, certum naufragium eſt.*

Orat. 25. ad 50. Epiſc.

Verum, quia jam fui in hoc primo puncto explicando prolixior, quàm decreveram, ero in altero tantò brevior, dum oſtendam, ſæpe damnatum Nationalem Spiritum, certiſſimam eſſe peſtem, mortemque charitatis, &, quod ex eo clariſſimè elucebit, ipſius quoque Societatis, quæ in charitate ab Auctore ſuo fundata, ſubverſo fundamento, ſimul cum eodem ut ruat, neceſſe erit. Equidem, huic ſolitario, ſeducto, ſuas ſibi res ſeorſim habenti Spiritui, nihil magis, è regione, opponi cenſeo, quàm veram, & ſinceram hominum propter Deum charitatem, quæ id officii ſuſcipit, ac commendat, ut homines, Dei causâ, à quo creati, dilectique ſunt, cujusque circumferunt imaginem, præcipuè ament, non ob rationes ullas naturales, cauſasque humanas. Non ergò ſibi de charitate blandiantur, qui quomodocumque homines amant; nec verò, ſi quis parentes, ſi quis cognatos, populares, aut cives, inſtinctu naturali diligit, charitate Chriſtianâ pollere continuò judicandus.

5. Eſt certiſſima peſtis, & mors Charitatis.

Matth. 5. 46.

Disertè Chriſtus Dominus: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, nonne, & Publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantùm, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?* Totum igitur diſcrimen in amandi cauſa eſt. Amo aliquem, quia neceſſarius meus eſt, vel ejusdem mecum patriæ; ne philoſophica quidem eſt charitas, quæ virtutem ſpectat; ſed naturalis, cujus & brutæ pecudes capaces ſunt: nam & hæ progenitores, & benefactores amant: Chriſtiana multò minùs, quæ hominem, ut dixi, merè propter Deum diligit.

Age igitur, ſi qui inter nos eſſent, quod Deus avertat, qui munia procurationis animarum, qui doctionis, & gubernationis, aliaque Societatis miniſteria, non Dei vocatione, non Superiorum delectu, non religionis auctoritate, ſed occaſione naſcendi, & quodam quaſi hæreditario antiquitatis jure, ad ſe, ſuosque pertinere judicarent, tacitè ergà alios illud uſurpantes, quod Iephte ab offenſis fratribus audivit: *Hæres in Domo patris noſtri eſſe non poteris, quia de alia matre natus es.* An judicari ab ullo prudenter

Iud. 11. 2.

denter poterit, veram talibus ineſſe charitatem? non exiſtimo. Quid ſi tamen iidem viri ſint docti, prudentes, magnæque præ aliis exiſtimationis? audeo dicere, magno auctore Paulo utique Apoſtolo, tamen nihil ſunt; quia charitatem Chriſti non habent, amando ſolùm naturaliter ſuos, & quia eam violant aſpernando eos, quos à ſe alienos arbitrantur. Verè S. Auguſtinus: *Quisquis violat charitatem, quodlibet magnum habeat, ipſe nihil eſt.* Quæ Sanctiſſimi Patris verba, prodeſſe quoque haud parum poterunt, ad erigendos puſillorum quorumdam dejectos animos: certum enim eſt, tales angi interdum, turbarique haud leviter poſſe, ſi viderent, aut videre ſibi viderentur, viros ætate graves, eruditioneque, atque eloquentiâ in paucis eximios, & quod in hoc fortaſſis genere, plus aliquanto, ad turbandos infirmorum animos momenti haberet, ſi viderent, inquam, illos etiam, qui ad prima ſui Ordinis munia, dignitatesque, præ multis aliis, ſunt promoti, usque adeò tamen, iniquâ perſonarum acceptione abripi, partialibusque ſuis affectibus, non absque inſigni charitatis læſione, ita nonnumquam indulgere, ut quosdam quidem ſuprà modum, meritumque, laudibus efferrent, & ſuſtollerent; alios verò, longè infrà illud abjicerent, deprimerentque; quosdam quaſi in clientelam ſuam, patrociniumque ſuſceptos, foverent unicè, promovereque ad meliora omnia ubicumque poſſent, ſatagerent; cum interim alios, donis licet naturæ, virtutibusque haud impares, velut extraneos, ignotosque negligerent, omnique favore deſtituerent, idque, nulla aliâ magis, quàm nationis, ejusdemque patriæ, ac neceſſitudinis, commendatione; & reperiri quidem aliquos huic vitio obnoxios, non eſt facilè judicandum; quod ſi tamen reus quis convinceretur, quicumque ille ſit, quodcumque etiam magnum habeat, ex D. Auguſtini tamen ſententia nihil eſt, utpotè, qui charitatem violet. Vt proinde, qui tales ſunt, habeant quod caveant, meritoque ſibi metuant, ne, cùm dies Domini advenerit, omnis illa eorum in opinione hominum fundata magnitudo, atque à Nationali Spiritu vitiata excellentia, fumi inſtar evaneſcat, & viri divitiarum, etiam ſpiritualium, & cæleſtium, *Vbi dormierint ſomnum ſuum*, juxtà illud Davidis, *nihil inveniant in manibus ſuis.* Quam in rem, dicere ſolebat ſapienter P. Lainius, ſanctæ memoriæ: *In Eccleſia militante, Ordines, & gradus diſtingui ex donis, quæ gratis data vocantur: in triumphante, ex his, quæ gratum faciunt.* Vnde cauſa Divo Paulo fuit, enumeratis donis Dei gratuitis, adhortandi fideles, *ut æmularentur chariſmata*

1. Cor. 13.

Pſal. 75. 6.

Hiſt. Soc. p. 2. l. 8. n. 214.

1. Cor. 12. 31.

meliora, nempe charitatem, ſine qua, ut ait, homo quidquid aliud habeat, nihil eſt. Illa verò, præterquam quod promiſſionem, futuræque felicitatis pignus certum habeat, vitam inſuper præſentem, neceſſariis virtutum præſidiis inſtituit. Id quod idem D. Paulus docet, enumeratione illâ celebri fœtuum, aut proprietatum charitatis: *Charitas patiens eſt, benigna eſt &c.* quæ noſtis. Qua in cogitatione, rectè Gregorius Magnus, in rem noſtram, fideles adhortatur, de charitate loquens: *Hanc ergo matrem*, inquit, *cuſtodemque virtutum, inconcuſſa ſtabilitate teneamus, nullæ in nobis eam ſubdolorum linguæ imminuant, nullæ antiqui hoſtis inſidiæ corrumpant.* Non ſolùm matrem, ſed cuſtodem prætereà virtutum charitatem vocat, ut nimirum doceat, nequaquàm virtutes, ut filias matri ſuperſtites, poſſe vivere, ſed cum ea ſimul occidere: quippe, quæ cuſtos inſuper earum ſit; ipſæ verò tales, ut ſicut ſine matre oriri, ita ſine cuſtode conſervari nequeant. Cujus rationem, Sanctus Ambroſius alibi tradit, abſentiam nempe Chriſti ab anima charitate vacua; quæ abſentia facit, ut, veluti capite remoto, influxus in membra ſpirituum ceſſet. Sic enim commentatur in illa verba: Filius hominis non habet ubi caput ſuum reclinet: *Nam, poſtquam in pectore noſtro non requies proximi eſſe cœpit, ſed fovea, caput ſuum Chriſtus avertit à nobis.* Cui conſentiens Divus Hieronymus: *Non eſt*, inquit, *umbraculum Domini, niſi ubi pax eſt: ubi zelus & diſcordiæ, ibi omnino non eſt Protector Deus.*

1. Cor. 13. 14. — *Lib. 2. Epiſt. 4.* — *In Pſalm. 75.*

Quocircà, hic ego compellaverim Societatem, quibus verbis Auguſtinus alloquitur Eccleſiam. *O Ieruſalem! (O Societas) quæ ædificaris ut civitas, cujus participatio ejus in id ipſum: fiat pax in virtute tua, fiat pax in dilectione tua, quia virtus tua dilectio eſt.* Quies omnium tumultuum, finis omnium contentionum, inquietudinumque noſtrarum, in dilectione mutua, in vera fraternæ charitatis uſurpatione, conſtitutus eſt. Tunc, nec murmurabitur de Superioribus, nec invidebitur florentibus, nec rejicientur alienigenæ, nec humiles contemnentur; ſi vera, ſancta, Evangelica in nobis vigeat charitas, quæ unumquemque noſtrûm, in qualicumque fratre, Dei ſpectare imaginem, ac vereri docet; quæ vitia, & defectus, ſi qui ſunt, *alis ſuis aureis* (ut ait Divus Chryſoſtomus) *ne videantur, tegit.* Cujus ejusdem S. Patris, & illa hypotypoſis communitatis ſanctæ ordinata charitate compoſitæ, ſi hic adſcribatur non erit extrà propoſitum: *Vellem te ducere*, inquit, *in civitatem talem, ſi quidem fieri poſſet, cujus anima una eſſet: videres,*

In Pſalm. 128. — *Hom. 40. in cap. 19. Act.*

videres, quomodo quâvis citharâ, & tibiâ modulatius, omnia ſonarent, nihilque obſtreperet abſonum. Hæc melodia & Deum, & Angelos lætificat, omni ſcilicet terrenarum perturbationum ſtrepitu ſilente. Vnde paulò poſt ſubdit: *Inter amicos dum charitas citharam pulſat, omnes affectiones ſilent, & obdormiſcunt, quaſi beſtiæ delinitæ, mitigatæque blanditiis.*

Hanc igitur talem, tantamque virtutem adamemus, Patres mei, hanc amplectamur ipſi, hanc aliis inſinuemus, cum hac cæleſti, & ſancta charitate, omnes humanos affectus, & naturales neceſſitudines, commutemus. Ignoremus, excluſo omni Nationali Spiritu, & affectu, differentiam Nationum, diſcrimina urbium, & locorum, patriarum, & Provinciarum litus, rixas, obnixa ſtudia, & linguam, cæli civibus, barbaram neſciamus. Bene emitur omnium carnalium abdicatione affinitatum, theſaurus pretioſiſſimus, & margarita ſplendidiſſima divinæ charitatis, cujus compos, & ſentiens quid teneat ſancta Sponſa dicit: *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domûs ſuæ pro dilectione, quaſi nihil, deſpiciet eam.* *Cant. 8.*

Neque cauſemus diſtantias locorum, aut ex neceſſaria miniſteriis animarum per omnes terras diſperſione noſtra, excuſationem imperfectioni prætexamus; conſtat, vigetque ſecura longinquitatis, atque abſentiæ inter Sanctos individua ſemper unitas charitatis, cujus inſolubile vinculum, ipſa perfectio, ipſe Deus eſt: *par eſt* quippe, ut egregiè Ildebertus ſcribit: *Latitudo charitatis, & mundi; facile eſt enim, ut diverſi littoris cultores charitas uniat, quæ unam Rempublicam fecit cælum, & terram.* *Charitatem non dividit diſtantia locorum.* *Epiſtol. 21.*

Reſtat nunc tertium, & ultimum à me propoſitum caput; quod libenter his Eccleſiæ verbis, levi mutatione ad præſentem uſum accommodatis, inchoaverim. Excita Domine IESV in Societate tua Spiritum, cui B. IGNATIVS LOYOLA ſervivit, ut eodem nos repleti, ſtudeamus amare, quod amavit; & opere exercere, quod docuit. Et quis fuit ille excitandus Sancti Ignatii Spiritus? certè non fuit Provincialis, ſed univerſalis; non particularis; ſed principalis; non in ſeipſum, aut ſua reflexus, ſed ad commune omnium bonum latiſſimè intentus. Quando ille nationem unam uni prætulit? quando perſonas ex genere, aut patria, non ex virtute, ac veris dotibus æſtimavit? qui ejus de maligno hoc Spiritu, fraternaque charitate ſenſus, quæ mandata erant? extant ea in omnibus ferè Conſtitutionum commendata paginis, quæ, ut relegatis, ut meditemini, etiam atque etiam hortor. *In collecta Octavæ S. Laurentii.* *Spiritus S. P. N. non fuit Nationalis, nec Provincialis.*

Neque

Nec aliorum Primorum Societatis Patrum.

Neque alius omnino viguit Spiritus in primis iſtis ejusdem S. Patris filiis; qui licet è variis eſſent, iisque malè concordibus collecti gentibus, & eo collecti tempore, quo internecino nationes eorum flagrabant bello, num quæ tamen ideò in illis apparebant ſtudia, odiaque nationalia? quando quisquam eorum de alio excepit eo nomine, quod antiquior eſſet, aut aliundè oriundus? Quo nunc abierunt illa aureæ libertatis felicia tempora, quibus Præpoſitus Generalis nullo diſcrimine nationum, aut cognationum, nullo patriæ, aut antiquitatis, cuique ſuum, nemine reclamante, pro uſu, pro neceſſitate locum, munusque aſſignabat? quando Sancto Ignatio jubente, cunctis probantibus, Rector primus Romano Collegio Gallus imponebatur, Hiſpanus Pariſienſi, Peruſino Belga, Patavino Gallus? Quando Concionatores, Profeſſores, Operarii ex Provinciis in Provincias, in urbem, in miſſiones longinquas, uno nutu evocabantur, mittebantur, mutabantur, nullâ cujusquam morâ vel querelâ? Ad quam usque adeò neceſſariam, hoc potiſſimum tempore, veritatem, magis magisque confirmandam, ſtabiliendamque, etſi ſupervacaneum videri id fortè poſſit, prætermittere tamen, nec poſſum, nec debeo, quin addam, quod in Soliloquiis, de vita ſua, ſcriptum poſteritati reliquit (re ipſa, quod ſcripſit, in Collegio olim Panormitano expertus) P. Petrus Ribadineyra, unus, & quidem ex chariſſimis S. Ignatii diſcipulis, dum Deum his ipſis, quæ addo, verbis alloquitur: *Erat enim verò res propria tuæ manus, & imago quædam primitivæ Eccleſiæ, videre Flandros, Italos, Hiſpanos, & Gallos, tempore tantorum bellorum, inter Hiſpaniam, & Galliam, vivere nihilominùs inter ſe, cum tanto amore, ac ſi non haberemus niſi unum cor. Eramus nimirum ſeptem Magiſtri, ſed ſinguli diverſæ nationis: Primus erat P. Nicolaus Lanoii, Flander Rector Collegii, & ſimul Profeſſor Theologiæ; P. Paulus de Achilles erat Lombardus, & prælegebat Philoſophiam; Ego Caſtellanus docebam Rhetoricam; Frater Ioannes Rogerius Gallus, ex civitate Pariſienſi, prælegebat Humanitatem; Frater Michaël Botelo, Luſitanus, docebat primam Grammaticæ; P. Iuvenalis Pedemontanus, ſecundam Grammaticæ; & P. Petrus Venuſtus, Griſo, ex valle Telina, infimam; & cum eſſemus tot ex tam variis nationibus, fuimus omnes verè una anima in Chriſto.* Ecce quàm id temporis felix erat, beatusque Societatis, & primorum iſtorum S. Ignatii filiorum, ſtatus! Vbi tunc auditæ coitiones certorum, commorationem certis in locis, Domibus, officiis affectantium?

ctantium? Vbi ambitioſè, eosdem in fines, conquiſitæ commendationes Principum, Procurat æque, non bonis artibus, populorum, Magiſtratuumque interceſſiones? Erant hæc artificia, machinationesque peſſimæ, primis iſtis Patribus novæ planè, atque inauditæ; quia ſcilicet vigebat in illis animorum unio, Spiritusque nationalis, cujus ſunt illa infeliciſſima germina, ab illis, totaque Societate procul exulabat. Exulet illa nunc quoque à nobis RR. PP. vigeatque ſacra illa unanimitas, quæ illos cæleſti nexu copulabat, nihil nobis quoque bella, nihil populorum diſſenſiones, diſcordis contagionis afflabunt. Oportune S. Gregorius ad illa Ezechielis de quatuor animalibus verba: Junctæque erant pennæ eorum &c. *Vnanimitate, inquit, junguntur, licet officio, natura, ſpiritu inter ſe differant: & propenſionis propriæ oblita, ſimul elevabantur, ſimul ambulabant.* Nam, ne cœlum ſit Religio, quod S. Bernardus debere eſſe ait, non utique diverſitas perſonarum ſed animorum disjunctio facit. Quandoquidem, ut veriſſimè de Beatis in cœlo degentibus Auguſtinus ſcripſit: *Habebunt & tunc Sancti Dei differentias ſuas, conſonantes non diſſonantes, id eſt, conſentientes non diſſentientes: ſicut fit ſuaviſſimus concentus ex diverſis quidem, ſed non inter ſe adverſis ſonis.* Verum finis nullus ſit, ſi copioſiſſimi argumenti venam ſequi ad extremum velim. Concludam ergò epiſtolam, & quidem iisdem penè verbis concludam, quibus Patres in ultima Procuratorum Congregatione alloquens concludebam, quam tunc ad eos habebam, exhortationem. In qua ajebam, noſſe me eorum animos, noſſe Religionem, non ignorare me etiam quantopere nationalitatem omnes deteſtarentur, & ab ejus funeſta operatione abhorrerent, &, ſi quid fortè uſpiam ipſius malignitatis invaluiſſet, aut ſaltem irrepſiſſet, quàm illud ſublatum, eradicatumque funditùs deſiderarent: qui eorum zelus, ſenſusque, licet pius omninò, ſanctusque eſſet, addebam tamen, ad emendationem, illum minimè ſufficere, niſi aliorum quoque omnium per Provincias idem ſenſus, animusque foret.

Lib. 19. moral. cap. 18.

In Pſalm. 150.

Quam ob cauſam orabam, & obteſtabar, omnes, & ſingulos, ut, ubi in provincias ſuas feliciter rediiſſent, in eumdem, quem ipſi haberent, ſenſum, hac in re, affectumque, cæteros quoque in iis, omnes Socios inducere totis viribus conarentur.

Quod & nunc abſens apud vos RR. PP. per hanc meam Epiſtolam, affectu, quo poſſum maximo, facio, rogans & obſecrans omnes, tam eos,

Odium adverſus tam malignum Spiritum.

non ſibi tantùm, ſed aliis quoque inſtillandum.

qui communicato ſibi à Deo lumine, perniciem hujus Spiritûs penitus jam antè introſpexerunt, & ab eo, tanquam jurato Societatis noſtræ hoſte, inimicoque acerbiſſimo, toto ſemper animo, affectuque abhorruerunt; quàm etiam eos, qui fortè, allatis non ſolùm à nobis rationibus, verùm etiam, & quidem multò magis ſacræ Scripturæ teſtimoniis, Sanctorumque Patrum auctoritatibus graviſſimis perſuaſi, nunc primùm, multiplicem ejus malitiam agnoſcent, ſalutaremque ab eodem averſionem, odiumque concipient: rogo, inquam, omnes, & primò quidem, ut in ſancto illo, quod Deo adjuvante, ut ſpero, concipient odio, non ſolùm conſtanter, immotique perſeverent; verum etiam, ut creſcere in eodem, ac proficere, quotidiè, magis, ac magis adlaborent.

Deinde, ne ad expurgandam, liberandamque ab hoc peſtilenti Spiritu Societatem, ſufficere arbitremini veſtrum illum, quem contra eumdem Spiritum ſentitis, magnæ diſplicentiæ, indignationisque ſenſum, bonum illum quidem, & laudabilem, ſed qui intùs in animis veſtris ſine operatione, fructuque, in alios, quaſi ſepultus jaceat; niſi foras is erumpat, cognoſcendumque ſe etiam aliis præbeat, & quod vos rectum, ſincerumque, de perverſa Provincialis Spiritûs indole, naturaque formaſtis judicium, idem illud ſuadendo, adhortando, monſtrando, conando, modis omnibus, quantum in vobis erit, efficiatis, ut & alii, vobiſcum agnoſcant, approbent, & imitentur. Pari modo, judicandum non eſt, ſufficere, quod vos ſanctum, ſalutareque odium, adversùs ejusdem Spiritûs malignitatem pridem laudabiliter concepiſtis, niſi idem & alii, conſilio, ſuaſuque veſtro inducti, in animis quoque ſuis excitare, fovereque moliantur; niſi quos vos ſeductos jam, occupatosque ab hac contagione, dolenter mecum gemitis, ac deploratis, eosdem, & illi deplorent, reducereque vobiſcum in meliorem frugem, mentemque ſaniorem, conentur, & ſatagant. Atque in his demum piis religioſi animi affectibus, ſenſibusque, firmi conſtantesque perſiſtant, donec communem hunc, melioremque bonorum omnium, ac totius Societatis de nationalibus affectionibus ſenſum, opinionemque Sociorum, tandem omnium animis, mentibusque impreſſum, inſculptum vobiſcum videant, & lætentur.

Quod inficiari certè nemo poterit, quin ſancta omnium noſtrûm vocatio, verorumque, ac germanorum Societatis filiorum officium, meritò ab omnibus requirat, & exigat: cui ut ſatisfaciamus, inducant tandem

omnes,

omnes, (quod toties repeto) in animum, ſuccurrere periclitanti Societati, à nationalibus his affectibus, charitatem ſi refriguiſſe alicubi intellexerint, reaccendere illam pro ſe quisque in ſe, in aliis contendant, Patrum exempla, Societatis famam, proximorum ædificationem, Dei gloriam, humanis affectibus præferenda putent: non quæ revelaverit caro & ſanguis, ſed quod Spiritus Patris, in Conſtitutionibus, in Regulis noſtris, ſuggeſſerit, hoc loquantur, hoc omnes agant. Amen. Romæ XVI. Novembris M.DC. LVI.

Omnium in Domino

GOSWINVS NICKEL.

TABVLA EPISTOLARVM.

S. P. N. IGNATII

1 DE Obedientiâ. pag. 525

2 De perfectione religiosâ. 534

R. P. N. IACOBI LAINES

3 Ad eos, qui ſunt in Indiâ: de magnitudine ſuſcepti operis, & conſervatione ſpiritus in illâ Miſſione. 542

R. P. N. FRANCISCI BORGIÆ

4 De mediis conſervandi ſpiritum Societatis, & vocationis noſtræ. 546

R. P. N. EVERARD. MERCVRIANI

5 De monitis ad rectam gubernationem. 554

R. P. N. CLAVDII AQVAVIVÆ

6 De felici progreſſu Societatis. 561

7 De renovatione ſpiritus. 584

8 De ſtudio perfectionis & caritate fraternâ. 602

9 De mediis ad conſervandam Societatem. 621

10 De oratione & pœnitentiis, qui uſus earum in Societate juxta noſtrum inſtitutum. 638

11 De fine Miſſionum Orientalium. 651

12 De Iubilæo & Miſſionibus. 656

13 De fervore & zelo Miſſionum. 661

14 De modo inſtituendarum Miſſionum. 670

15 De uſu Exercitiorum ſpiritualium. 673

16 De formandis ac bene inſtituendis noſtris Concionatoribus. 675

17 De recurſu ad Deum in tribulationibus & perſecutionibus. 677
18 De renovatione ſpiritus & correſpondentiâ cum Deo. 683
19 De ſollicitudine & vigilantiâ Superiorum erga ſubditos. 701
20 De Officii Divini recitatione, ac celebratione Miſſæ. 706
21 Monita, formandis Concionatoribus accommodata. 713

R. P. N. MVTII VITELLESCI

22 Ad Patres & Fratres Societatis, de Oratione, &c. 715
23 Ad Superiores. 741
24 Ad Patres Congregationum Provincialium. 750
25 Ad Patres & Fratres Societatis de Anno ſæculari. 758

R. P. N. VINCENTII CARRAFÆ

26 Ad Patres & Fratres Societatis, de Mediis conſervandi primævum Spiritum. 781

R. P. N. FRANCISCI PICCOLOMINEI

27 Ad Patres & Fratres Societatis, de utilitate & neceſſitate executionis. 804

R. P. N. GOSWINI NICKEL

28 Ad Patres & Fratres Societatis, de amore, & ſtudio perfectæ Paupertatis. 831
29 Ad Patres & Fratres Societatis, de nationali Provincialique ſpiritu vitando. 860

INDEX
IN LITTERAS
PRÆPOSITORVM GENERALIVM.

Abdicatio.

IN Abdicatione bonorum quomodo peccetur pag. 791

Bonis ſuis maturè ſe abdicare fructus eſt paupertatis 855

Admonitiones & Correctiones.

Quales 575. 576. &c. quomodo admittendæ 554

Adſpiratio.

Crebræ per diem Adſpirationes juvant interiorem hominem 785

Ædificium.

Societas ædificio comparata. 805

Lux duplex ædificii ſpiritualis. 828. 829

Spirituali Societatis ædificio plurimum metuendum ab adverſis ventorum flatibus. 861

Amor Dei.

Ejus incitamentum Amor 596. 597. 695 ad 698. Vide 735. 668. 664. 662. 663

Amor ſui.

Privatus ſui ipſius Amor cauſa, cur Superiores ſint remiſſiores in executione. 771

Animarum ſalus & zelus.

Vide 541. 591. 624. 625. Iuvandæ modo ac mediis Societatis 634. Quantum ad eas juvandas teneamur. 663 664. usque ad 670

ad 670. Vide item 674. 675. 687. 688. 734. 739. 756. 689.

P. Claud Aquaviva.

Ejus Epiſtolæ ſexdecim à 561. &c. Pia deſideria. ibid. Humilitas & gratitudo pro vocatione 583. Studium in Societatem. 621.

Architectus.

Tria Architecto curanda. 804

Benedictio.

Ad promerendam Abrahami benedictionem opus eſt obedientia 779. & Humilitate ibid. & arctiori vinculo ad ſedem Apoſtolicam 780.

P. B. Borgia.

Ejus Epiſtola 546. Æſtimatio Societatis & primorum Patrum 549. 550. 555. 556 Apophthegmata 728. 729. 739

Candidatus.

In Candidatis examinandis & admittendis, quæ cura adhibenda 807

Caritas. Vide *Amor Dei & unio.*

Caſtitas.

Ejus momentum 731. 732. Media 732 755. Votum ſuaviſſimum 755. Pericula 753. 755.

Duo præſidia caſtitatis 823

Charitas.

Charitatis certiſſima peſtis & mors eſt ſpiritus Nationalis 868. Charitatem non dividit diſtantia locorum 871

Chriſtus.

Chriſto, cujus omnes membra ſumus, injuriam facit Spiritus Nationalis 867

Chriſtiana doctrina, Catechiſm. Vide *Miſſiones, Profeſſi, Superiores.*

Colloquium.

Aſſueſcendum piis colloquiis 798

Cometes.

Vti in aſpectabili, ita & in myſtico cœlo Cometes aliquando 776

Communitas.

Tota communitas aliquando punitur ob peccatum unius 764

Concionatores, Conciones.

Sint ad fructum, & cor 582. 583. 628. Earum momentum 675. 676. 713. modus 676. Quæ Concionatoribus curanda 676. 743. ad 745. 676 714. 734. 658. 659. Eorum munus 716. Adjumenta ſeptem 714. ad 717. Impedimenta quindecim 717. ad 722. induſtriæ duodecim 722. ad 725.

Concionandi facultas in juvenibus excitanda & excolenda 828

Concordia. Vide *Vnio.*

Confeſſarii, Confeſſio.

Quædam iis præſtanda 628. 629. 674. 582

Conſtitutiones. Vide *Regulæ.*

Contemplatio. Vide *Oratio.*

Conſanguineus.

Conſanguineorum negotia temporalia non ſuſcipienda 854

Conſcientia.

Redditio rationis Conſcientiæ præſidium Caſtitatis 823

Vt ea bene reddatur quatuor dotes in Superiore neceſſariæ ibid.

Correctio.

Corrigendi errantes, & quomodo 815. In reprehendendo duo extrema vitanda. 816

Vide *Admonitio, Superior,*

Devotio. Vide *Maria, Oratio, Spiritus, Exercitia, Officium Divinum.*

Deus.

Quis 688 689. Ejus perfectiones duodecim quid à nobis requirant 690. ad 701.

Deus ob unius peccatum aliquando punit totam communitatem 764. Quantum Deus primo ſæculo Societati faverit 780. Quid in vicem repoſcat ibid. In omnibus quærendus 786

Diabolus.

Ejus qualitates 590. 622. 684. Obnitendum 681

Dimittere.

Dimittendi inidonei & noxii 812. Ratio dimittendi Novitios 813. Remedia prius adhibenda ibid.

Diſcretio. Vide *Ferbor indiſcretus.*

Diſplicere.

Timor diſplicendi, cauſa, cur Superiores ſint remiſſiores in executione 770

Domus Profeſſa.

Paupertas Domuum Profeſſarum 795

Domus Probationis. Vide *Nobitii.*

Examinare.

Quisque ſe examinet, quantum præſtet, & quantum poſſit 803

In examinandis candidatis quæ cura adhibenda 807

Exemplum. Vide *Concionatores, Superiores. &c.*

Exercitia ſpiritualia.

Quoad noſtros omnes 590. 635. 636. 658. 679. 680. 685. 740. 673. 674. Quoad Miſſionarios & Concionatores 696. 676 Quoad externos 673. ad 675. 739

Vſu exercitiorum ſpiritualium S P. N. confirmari debet noſtra renovatio 767. Quot annis per octiduum obeunda exercitia ſpiritualia 787. Danda etiam externis ibid. Provinciales quotannis ſcribant, qui, & quare exercitia omiſerint ibid. Solita pietatis exercitia non omittenda in itineribus 794

Fama.

Omnes actiones noſtræ exigendæ ad famæ communis trutinam 763

Ferbor indiſcretus.

Ejus damna 539. 540. Minus jam timendus 650

Ferbor. Vide *Tepor, Spiritus, Perfectio, Renobatio.*

Fundatio, Fundator.

Qui in Miſſionibus verſantur non tractent de fundandis novis collegiis 802. Erga Fundatores gratitudo 819

Gratitudo in Deum.

Hujus motiva 686. 687. 688. 689. 690. 691. ad 700. Ingratitudinis damna 692

Homo.

Homo interior tanto ſit ſublimior, quanto finem ſpectat ſublimiorem 784. Specie ſit homo, gratia Angelus 785. Interiorem hominem juvat matutina meditatio ibid. & crebræ per diem Adſpirationes ibid.

Honeſtas.

Honeſtas, ad ſubruendam paupertatem adhibita 843. Ab hoc capite periculum eſt iis, qui Aulas frequentant 844

Humilitas.

Quam neceſſaria 599. 603. 737. 738. 754. Ejus praxis 737. 738. Ejus typus Iordanis 683. opus eſt Humilitate ad promerendam Abrahami Benedictionem 779. Humilitas potiſſimum curanda in magnis ingeniis 818.

Iaponia Vide *Miſſio Indica.*

S. P. Ignatius.

Ejus Epiſtolæ duæ 525. 534. Quid ſenſerit de Obedientia 525. ad 534. De ſuorum profectu ac zelo 534. 537. 538. De eorum mortificationibus & charitate 540. 541. Non gubernavit politice. 578. Societatem inniti voluit patrocinio SS. Petri & Pauli 583. vide 564. 566. 570. 572. 576. 579. 583. 605. 619. 623.

S. P. Ignatius comparatur ſoli 777. Quid S. Ignatius ſenſerit, ſcripſeritque de Paupertate 837. Spiritus S. Ignatii non fuit Nationalis 871

India. Vide *Miſſio Indica.*

Intentio.

Recta in omnibus intentio habenda 786

Iubilaum.

Ad

Ad id quæ præparatio? & à quibus Societati conceſſum 600. 609. 658. 685. 686. 740

Cauſæ celebrati Iubilæi 759. Quid faciendum, ut annus ſæcularis Societati Iubilæus ſit ibid. Iubilæum ab Vrbano VIII. Societati conceſſum 782

Iuventus, Iuvenes.

Renovanda juventus noſtra ut Aquilæ 765. Per aſſiduam Chriſti patientis memoriam, ac meditationem 766. Concionandi facultas in juvenibus excitanda & excolenda 828

Lætitia.

Magnæ cauſa lætitiæ 761. Hujus labes, ſi qui filii degeneres ibid.

P. Laynius.

Ejus Epiſtola de Miſſione Indica 542 &c. Scientia cum virtutibus 549. 550

Libri.

A libris minus caſtis omnino abſtinendum 797. Graviſſima inde damna exiſtunt ibid.

Lingua.

Ejus vitia 739. ad 741. Spiritualia colloquia 739. 740. 711

Magiſter Novitiorum.

Magiſtri Novitiorum munus 811

B. V. MARIA.

Spes & tutela Societatis 619. Ejus cultus ibid. Potentia, & charitas 620. Ejus hymnus additus Litaniis.

Meditatio.

Meditatio matutina juvat interiorem hominem 785. vid. *Oratio.*

Miniſteria.

Miniſteria Societati propria 799

Miſſa.

Devote celebranda 710. 712. Impedimenta 710. In Sacrificio cogitandum Cui, Quid, Cur, Quomodo ibid. Ad Sacramentum quæ præparatio remota, proxima 711. Quæ obſervanda, ante, poſt, in tempore 712. 722. Ejus cultus & ſanctitas 711

Miſſiones.

Earum mittendarum modus è Collegiis 658. 659. 671. & reſidentiis 671. 672. 673 Neceſſitas 659. Adjumenta 661. 664. 665 669. Zelus 661. 662. 663. 664. 666. 669 670. 681. Finis 662. Impedimenta 665. Momentum & fructus 669. 681. Qui mittendi 669. 671. 672. 673. 659. Facultates 659. Conciones 658. 659. In iis concilianda benevolentia, &c. 659

In Miſſionibus Noſtri æmulentur Apoſtolos 801. Miſſiones non impediunt proprium animi profectum, ſi earum Regulæ ſerventur 802. Miſſiones omnibus commendantur ibid. Quælibet Provincia habeat Reſidentiam unam pro Miſſionibus. ibid. Qui verſantur in Miſſionibus non tractent de novis Collegiis fundandis. ibid. Votum ſolemne de Miſſionibus 827. Curandum ut recte obeantur Miſſiones ibid.

Miſſio Indica.

Ejus præſtantia 543. 544. Ei quæ perfectio neceſſaria 544. 545. Quæ cautela & adjumenta 545. 543. Excellentia & finis 651. 652. 653 654. Prædictiones. 651. 652 Ejus operarii cujusmodi 653. 654. 655. 740. 741

Modeſtia.

Ejus momentum & vis 727

Modus vivendi.

Modus vivendi Societatis exterior communis quidem; ſed Pauperum, re, & affectu 791.

Mortificatio.

Ad interiorem Societatis vitam neceſſaria 787. Eaque multiplex; Carnis, ſenſuum ibid. Affectionum, intelligentiæ, & Voluntatis 788. 789. Mortificatio voluntatis in quo ſita 790.

Internæ neceſſitas 554. 555. 556. 624. 626. 627. 631. 684. Quam propria Societati 555. 556. 577. 623. 626. 627. Publica 555.

ca 555. Exterioris utilitas 644. 646. 648. 649 650. 680. Modus quoad Scholaſticos 639. 644 Quoad reliquos 644. 645. 646. 647. 648. 650.

Neceſſaria, Neceſſitas.

Neceſſaria non ſubtrahantur 824. Neceſſitas ad ſubruendam Paupertatem adhibita 847

Negotia.

Ab alienis, & Negotiis Sæculi abſtinendum 799. Negotia temporalia Conſanguineorum Noſtri ne ſuſcipiant 854

Novitiatus, Novitii.

Inſtitutio & Probatio 548. 629. Bene fundandi 549. Eorum gratia & docilitas 573. Boni Novitii ſignum 549. Novitiatus continuus vita noſtra 561

Novitiorum inſtitutio qualis 810. Ratio dimittendi Novitios 813. Remedia prius adhibenda ibid Fervor Novitiorum fovendus & promovendus 815. Corrigendi errantes; & quomodo 815. 816

Obedientia.

Nota Societatis 525. 526. 533. 552. 729. 730. 754. Ejus utilitas & præſtantia. 525. 527. 533. 540. 541. 729. 730. Ejus neceſſitas & ſecuritas 525. 529. 534. 540. 541. 730. 754. 755 574. Ejus munus & excellentia quoad voluntatem 526. 527. Quoad intellectum 528. 529. ad 532. Latitudo 526. 527. 533. 532. 730. Typus 729. Adjumenta 531. 532. Defectus 754. 530. Exempla 532. 533. Obedientia imperfecta qualis 570

Opus eſt obedientiâ ad promerendam Abrahami benedictionem 779. Obedientiæ præſtantia 825. Ejuſdem executio difficilis 826. Duo adjumenta obedientiæ ib.

Odium.

Odium adverſus Spiritum Nationalem, non ſibi tantum, ſed aliis quoque inſtillandum 874

Officium Divinum.

Attentio, reverentia, devotio 706. 707. 708. ad 710. Tempus, locus, ſitus 707. 708

Oratio.

Neceſſitas & utilitas 565. 566. 635. 636 639. 656. 658 679. 726. ad 741. Excellentia 736. 737. Modus quoad Scholaſticos 639. Quoad reliquos 639. 647. 648. 649. 650. 656. ad 658. Methodus 640. 641. 642. Meditationis neceſſitas, hora, methodus, frequentia 567. 639. 640. 641. 642. 649. Contemplationis uſus in Societate 640. 641. 642. Tria genera 641. 642. Argumenta quædam de divinis Perfectionibus 690. ad 700. Recollectio frequens, elevatio mentis, &c. 545. 643. Aſpirationes, Exercitium præſentiæ Dei 643. 644

Vide *Officium divinum*, *Miſſa*, *Præſentia Dei*, *Spiritualia*, *Tribulationes*, *Exercitia*, *&c.*

Ordinationes.

Accurata & efficaci Ordinationum executione confirmanda renovatio noſtra 767 Quæ requiritur non tantum in ſubditis, ſed multo magis in Superioribus 768

Ordo Religioſus.

Ex tribus pendet incolumitas, & progreſſus Ordinis Religioſi 784

Paſſiones animi.

Mortificandæ maxime in vita mixta 590. Vide *Mortificatio.*

Paupertas.

Qualis debeat eſſe uſus rerum conceſſarum 793. Libenter careamus, etiam neceſſariis 794. Paupertas Chriſti qualis ibid. Paupertas Domuum Profeſſarum 795. Verus Pauper ſit ab omni affectûs intemperantiâ ſejunctus; & ſtatuæ ſimilis ibid. Puritas Paupertatis curanda 824. Paupertati magis attendendum, quam reliquis Votis 832. Paupertatis neceſſitas oſtenditur ex fine Societatis 832. Item, ex debito pro-

priæ

priæ Perfectionis 833. In rebus etiam minimis Paupertas ad Perfectionem neceſſaria 834. Quam perniciòſum ſit opiniones Paupertatem relaxantes diſſeminare 836. Quid de Paupertate ſenſerit, ſcripſeritque S. P. N. Ignatius 837. Perfectæ Paupertatis neceſſitas oſtenditur ex cura Proximorum 839. Honeſtas ad ſubruendam Paupertatem adhibita 843. Item, Neceſſitas 847. Aliquot Paupertatis fructus deguſtandi proponuntur 849

1. Nullâ re uti tanquam propria ibid.

2. Non multa ſecum convehere, cum in alia Collegia migrandum eſt 850.

3. Libros ſuperfluos non habere; non uſui proprio addicere 852

4. Si quæ dono dantur, ne pretioſa ſint, aut nimis multa 852

5. Libenter pati ſibi in uſum dari, quæ domi viliſſima ſunt 853

6. Nihil ſibi ſupra cæteras debitum velle ob labores in Societate ſuſceptos 853

7. Negotia temporalia Conſanguineorum non ſuſcipere 854

8. Bonis ſuis maturè ſe abdicare 855

Ad Paupertatem perſuadendam exemplum Chriſti Domini efficaciſſimum 858

Circa eam obſervanda 553. 731. 738. 739. Quæ vitanda 756. Ejus neceſſitas & excellentia 553. 731

Peccata.

Eorum fœditas malitia, & damna 603. 604. 608. 609. Etiam venialium 604. 698 699. 704. Quomodo à ſingulis cavenda. 699. Quantum à Superioribus in diſciplina communi 704. Enumerantur quædam magis obvia ibid. & 738. 739

Ob peccatum unius aliquando punitur tota Communitas 764

Peregrinatio.

Parſimonia tenenda in itineribus 793. In illis ſolita pietatis exercitia non omittenda 794

Perfectio.

A quo detur; & quas diſpoſitiones requirat 534. Documenta ad eam juvantia 536. 537. Incitamenta varia 534. 535. 536 537. ad 539. 685. 688. 689. Inſtrumenta quatuor 538. Impedimenta 539. 540. 572. 588. 684. Studium ejus quam neceſſarium 537. 588. 590. 591. 598. 601. 602. 603. 683. Attende tibi in vita mixta quid ſignificet 591. 592. Vide etiam 537

Ex debito propriæ Perfectionis neceſſaria Paupertas 833. In rebus etiam minimis Paupertas ad Perfectionem neceſſaria 834

Pœnitentia. Vide *Mortificatio.*

Præſentia Dei.

Ejus Exercitii neceſſitas, utilitas, & uſus in primis Patribus, &c. 555. Vide *Oratio, Deus, Miſſiones.*

Probatio. Vide *Novitii.*

Profeſſi.

Quoad humilitatem, labores, & ſolidas virtutes 550. 551. Quoad Miſſiones 669. 671. 673

Profeſſores.

Profeſſorum pro ſtudiis altioribus delectus habendus 820

Propenſio.

Privata in aliquos Propenſio, cauſa, cur Superiores ſint remiſſiores in executione 770

Provincia.

Quælibet Provincia habeat Reſidentiam unam pro Miſſionibus 802

Provinciales.

Iis commendata: quoad Regulas quaſdam 631. Quoad informationes 625. 630. Quoad Superiores ſibi ſubditos, Conſultores, & antiquiores Patres 625. 630. 631. 632 Quoad Præfectos ſpiritus, Concionatores & Confeſſarios 626. 628. 676. Quoad Scholaſticos, quoad immortificatos & dimittendos 626. 627. 628. 629. Quoad Novitios 626, 629. Quoad Miſſiones & proxi-

proximos 633. 634. 658. 659. 660. 669. 674. 675. Quoad concordiam 633. Provinciales quotannis ſcribant, qui, & quare Exercitia ſpiritualia omiſerint 787

Proximi. Vide *Animarum ſalus, Superior. &c.*

Reddere Rationem.

Redditio rationis Conſcientiæ præſidium Caſtitatis 823. Vt ea bene reddatur, quatuor dotes in Superiore neceſſariæ ibid.

Regulæ.

Earum præſtantia 568. 571. 572. 623. 727. 757. Earum obſervatio quam neceſſaria 568. 571. 572. 605. 630. 631. Quam utilis 568. 570. 727. 757. quam facilis 569. 570. 635. quam ſufficiens 623. quam commendata 568. 572. 630. 631. 757

Religioſi, Religio.

Religioſi vita ſit irreprehenſibilis, in interiore, & exteriore homine 784

Quales eſſe debeant, quoad Miſſam, orationem, gratitudinem, &c. 712. 690. 656. 657. Vide *Societas, Spiritus, &c.*

Remedium.

Contrariis erratis quæ remedia adhibenda 798. Remedia adhibenda ante dimiſſionem 813

Renovatio.

In quo conſiſtat 587. quam ſit neceſſaria & utilis 588. 590. 593. 594. 599. 683. 684. Adjumenta ſex 593. ad 600. Ejus uſus in Societate & fructus 601. 607. 610. Quæ in ea procuranda 600. 620. Quibus mediis fiat, & promoveatur 599. 620. Vetuſtatis ſigna 586

Renovanda juventus noſtra, ut Aquilæ, per aſſiduam Chriſti patientis memoriam & meditationem 765. 766. Renovatio noſtra initium ducere debet à ſtudio orationis 766. Deinde uſu Exercitiorum ſpiritualium. S. P. N. confirmari 767. Tum accurata & efficaci ordinationum executione ibid.

Reſidentia.

Quælibet Provincia habeat Reſidentiam unam pro Miſſionibus 802

Res Temporales.

Nimia cura, ac ſollicitudo rerum temporalium, cauſa cur Superiores ſint remiſſiores in executione 772. In renuntiatione bonorum quomodo peccetur 791. Abſtinendum à nimiâ curâ rerum temporalium 800. Bonis ſuis mature ſe abdicare, fructus eſt Paupertatis 855

Sæculum.

Quantum Deus primo Sæculo Societati faverit 775. 780

Scholaſticus Societatis.

Scholaſticorum diligentia excitanda 819

Quoad cognitionem ſui, & humilitatem ſolidam 550. quoad pietatem 551. Vide *Provinciales, Superiores.*

Scientia.

Scientia noſtra ſacra ſit, ex materiâ, intentione, ac fine 797. Et executione 799

Sedes Apoſtolica.

Ad promorendam Abrahami benedictionem opus eſt arctiori vinculo ad Sedem Apoſtolicam 780

Senex.

Senibus aliquid indulgendum 825

Senſus.

Mortificatio ſenſuum ad interiorem Societatis vitam neceſſaria 788

Societas IESV.

Quid faciendum, ut annus Sæcularis Societati Iubilæus ſit 759. Societas centum annorum infans 760. Singuli ſint in Societate quaſi modo geniti infantes ibid. Societas Calebo ſimilis 761. Vnius è Societate vitium attribuitur univerſis 762. Primævus Societatis ardor, & Spiritus inſtaurandus 765. Iuventus Societatis renovanda, ut Aquilæ ibid. Societas ſimilis Cœlo 775. Quantum Deus primo Sæculo Societati, faverit 780. Quid in vicem ab ea repoſcat ibid.

ibid. Iubilæum ab Vrbano VIII. Societati conceſſum 782. Ad interiorem Societatis vitam neceſſaria mortificatio, eaque multiplex 787. Carnis & ſenſuum ib. 788. Affectionum, intelligentiæ & voluntatis ib. 789 Modus vivendi Societatis exterior communis quidem; ſed pauperum, re & affectu 791. Miniſteria Societati propria 799. Societas ædificio comparata 805. Idea Societatis 829. Ex fine Societatis oſtenditur neceſſitas paupertatis 832. Spirituali Societ. ædificio plurimum metuendum ab adverſis ventorum flatibus 861. An in Societate reperiatur Spiritus Provincialis 863. Societas prædominante hoc Spiritu, ſalva eſſe nullo modo poteſt 864. Idem obſcurat bonum Societatis nomen 866. Et Societatem adducit in apertum diſcrimen 867. Primi Patres Societatis non habuerunt Spiritum Nationalem 872

Ejus incrementa 546. 562. 637. 685. 686. 735. 756. Figuræ 546. 547. 548. 571. 562. 622. 637. 630. 685. 686. Humilitas 543. 738. 623 751. 735. Vita & mors 554. 634. Sinceritas & ſimplicitas primitiva 554. Vnio, uniformitas 571. 580. 601. 602. 630. 728. 752. 753. 754. Obligatio ad Perfectionem, &c. 556. 605. 607. 608. 609. 688. 725. 735. 751. Ejus pietas & fiducia in Deo 547. 551. 639. 687. 730. 751. 752. Mortificatio 554. 555. 556. 623. 626. 627. 638. 728. 735. 756. Fines 638. Modeſtia 727. Obedientia 728. Contemptus mundi 728 729. 735. Inſtitutum & gubernatio 623. 626. 627. 635. 636. Sanitas 621. 622. 751. Labores, zelus & Miſſiones. 634. 660. 664. 665. 666. 667. 668. 669. 700. 735. Infirmitates veræ vel exiſtimatæ. 637. 735. 736. 737. 739. 756 Remedia 751. 679 608. 621. 622. Admittendi 547. Quibus mediis conſervanda 551. 555. 571. 572. 607. 608. 610. 621. 622. 623. 630. 636. 637. 678. 684. 687. 725. 728. 736. 739. 752 753. Externi conciliandi 637. Vide *Tribulatio*, *Vnio*, *Oratio*, *Spiritus*, *Exercitia*, *Miſſiones*, *Superiores*, *Religio*, *&c.*

Socius.

Comparantur Noſtri Stellis ſtantibus in ordine 777. Æſtimandum non quàm multi ſint, ſed quam probi 778

Spiritus & Spiritualia.

Primævus Societatis Spiritus inſtaurandus 765. Quoad litteras 550. 566. 551. Media & adjumenta 552. 571. 728. 587. 588. 684. 591. 592. 756. Actionum ſpiritualium vis 728. 729. 756. Regula generalis 756. 757. Cura 565. 756. Profectus in ſpiritu 569. Difficultates unde 569. Spiritus conſeneſcentis ſigna tredecim 586. Vide *Oratio*, *Renovatio*, *Perfectio*, *Superiores*, *&c.*

Spiritus Nationalis.

Spiritus Nationalis ventus eſt adverſus, à quo Spirituali Societatis ædificio plurimum eſt metuendum 861. Nationalis Spiritus quis 862. Qui illo Spiritu agantur ib. An in Societate ille Spiritus reperiatur 863 Damna quæ oriuntur ex hoc Spiritu 864

1. Prædominante hoc Spiritu Societas ſalva eſſe nullo modo poteſt 864

2. Iſte Spiritus injuriam facit Chriſto, cujus omnes membra ſumus 865

3. Obſcurat bonum Societatis nomen 866

4. In apertum diſcrimen adducit Societatem 867

Eſt certiſſima peſtis, & mors charitatis 868. Spiritus S. P. N. & aliorum primorum Patrum Societatis, non fuit Nationalis 871. ſq. Odium adverſus tam malignum Spiritum non ſibi tantum, ſed aliis quoque inſtillandum 874

Stella.

A Stellis Nobis ſumenda exempla virtutum 777

Studia.

Vanitas in ſtudiis cavenda 797. Studia

noſtra ſacra eſſe debent, ipſa quoque executione 799. Ardor in ſtudiis fovendus 817. Profeſſorum pro ſtudiis altioribus delectus habendus 820

Subditus.

Accurata & efficax Ordinationum executio requiſita in ſubditis 768. Subditi debent juvare Superiores in executione 773. Et eſſe ægrotis ſimiles 774. Vel Sanctis Martyribus ibid. Subditi Societatis ſimiles orbibus cœleſtibus 775

Subordinatio.

Inter Iuniores, & antiquiores Conſultores, Præceptores 736. Vide *Superiores, Obedientia, Humilitas.*

Superioritas, Superiores.

Qualis, quomodo acceptanda, & adminiſtranda 701. 702. 741. 742. Idonei qui 550 744. 745. 557. 565.

Superiores, quoad Deum & divina 565 ad 596. 560. 703. 704. 742. 624. quoad ſuos Prælatos, Admonitores, Conſultores 533. 705. 745. 746. 750. Quoad Societatem 562. 570. 621. 648. 702. 703. 624. 730. 754.

Quoad Regulas, Inſtructiones, &c. 703 704. 559. 560. 742. 745. 746. 567. ad 576. 559. 575. 576. 701. 702. 703. 704. 705 706. 583. 621. Quoad ſeipſos & bonum exemplum 558. 576. 625. 705. 742. 743. ad 746. 756.

Quoad regimen ſubditorum 750. 557. 558. 560. 631. 704. Egentium, ægrorum, hoſpitum 747. 748. In ſpiritualibus 574. 747. 748. 566. 567. In diſciplina interiori 560. In ſubordinatione & unione 631. 579. 681. 682. 704. 747. 749. 754. In occupationibus externis & mortificatione. 748. 750. 623. 648. 650.

Quoad modum agendi, & gubernandi ſollicite, ſecundum Regulas pie, prudenter 624. 625. 703. 744. 747. 559. 560. Cum æquali in omnes amore, veritate, ſinceritate, auctoritate 558. 559. Cum compaſſione, benignitate, charitate 562. ad 566. Leni ſeveritate 575. 576. 677. Cum ſuavitate ac prudentia divina, exercendo ſubditos in mortificatione & abnegatione ſui 578. Vitando aſperitatem 576. 632. 633. & prudentiam politicam 577. nimiumque placendi ſtudium 704. 705. Regularum executionem ſincere urgendo 745. & ſecretum fideliter ſervando 750. Vide 703. 704

Quoad externos & ſcholas 581. 583. 721 725. 670 636. 740. 674. 681. 749

Accurata, & efficax Ordinationum executio requiſita in Superioribus 768. Cauſæ; cur Superiores ſint remiſſiores in executione 769

1. Inordinatum deſiderium omnes æqualiter juvandi ibid.

2. Timor diſplicendi 770

4. Privata in aliquos propenſio ibid.

Superiores apertos teneant oculos in facta, clauſas in perſonas 771. Æquales ſe omnibus præbeant ibid.

4. Privatus ſui ipſius amor ibid.

5. Nimia cura, ac ſollicitudo rerum temporalium 772

Contrariis erratis quæ remedia à Superioribus adhibenda 798. Ratio conſcientiæ ut bene reddatur, quatuor dotes in Superiore neceſſariæ 823. Superiores omnia agant ad ideam à S. P. N. relictam 830. Superiores exemplo præeant; & ne tenaces ſint, & ſordidi 857. *Vid. Provinciales, Spiritus, Societas, Animæ, Miſſiones, Vnio, Mortificatio, Oratio, Obedientia.*

Tepor.

Quid ſit 551. 588. 589. 594. 753. Ejus cauſæ 589. 590. Damna 590. 591. 637. Remedia 595. 597. 688. 689. 690. Ejus adjuncta 689. 690

Tribulationes.

Earum finis 678. 679. Remedia 679. 680. 737.

680. 737. Fructus 682. Dei protectio 682. v. 677. Vide *Oratio*, *Mortificatio*, *&c.*

Ventus.

Spirituali Societatis ædificio plurimum metuendum ab adverſis ventorum flatibus 861. Talis ventus eſt Spiritus Nationalis ibid.

D. Virgo.

Commendatur pietas in D. Virginem 803

Virtus.

Exempla Virtutum ſumenda â Stellis 777. Ardor in Virtute fovendus 817. Virtus in magnis ingeniis curanda 818.

Vitium.

Vnius in Societate vitium attribuitur univerſis 762

Vnio.

Ejus præſtantia & neceſſitas 579. 580. 581. 614. 615. 616. 617. 619. 733. Diſcordiæ damna ac fœditas 580. 624. 615. 616. Vnionis impedimenta 580. 633. Privatæ amicitiæ 581. 613. Murmurationes 580. Spiritus nationalis, &c. 579. 580. 610. 611. 617. 733. 734. 753. 754. Amandus in omnibus Deus 612. 613. Vera caritas 613. 614. 617. 733. Ejus ſigna & lapis lydius 617. Eſt fructus noſter & tribulationum 618. 619. 681. 682. & orationis 733.

Voluntas.

Mortificatio voluntatis neceſſaria ad interiorem vitam Societatis 789. Mortificatio voluntatis in quo ſita 790

Votum.

In votorum obſervatione Angeli imitandi 821. Votum Solenne de Miſſionibus 827

S. Xaverius. Vide *Humilitas.*

Zelus animarum. Vide *Anima*, *Miſſiones*, *&c.*

F I N I S.

INDEX GENERALIS
IN OMNES LIBROS
INSTITVTI
SOCIETATIS IESV.

